LIBRARY OF PRINCETON
* JAN 24 1900 *
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division SCC
Section 5415
No. v. 28-30

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXVIII.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Siebente Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Siebente Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/analectahymnicam2830drev

VORWORT.

Mit dem vorliegenden Bande gelangen die Historiae rhythmicae, deren im ganzen etwas über 770 veröffentlicht worden, zum Abschlufs. In den der sechsten Folge dieser Officien voraufgeschickten einleitenden Worten ist bereits auf eine Anzahl verlorener Reimofficien aufmerksam gemacht worden. Darüber, dafs wir bei aller scheinbaren Reichhaltigkeit dieser Sammlungen doch nur einen Bruchteil des einstigen Bestandes an rhythmischen Officien kennen, belehrt uns in anschaulicher Weise eine kleine Handschrift des historischen Archivs der Stadt Köln. Ich habe auf dieselbe bereits im Vorworte zum XIII. Bande dieser Analekten aufmerksam gemacht und einige Bruchstücke aus derselben mitgeteilt. Es war mir aber bei meinem Aufenthalte in Köln mangels an Zeit nicht möglich, eine eingehendere Durchprüfung der Handschrift vorzunehmen. Nachdem ich dieselbe seither dank der zuvorkommenden Freundlichkeit der kölnischen Archiv-Direktion hier mit Mufse durchzugehen in der Lage war, glaubte ich den Inhalt derselben, soweit er für die Kenntnis der Historiae rhythmicae von Belang ist, an diesem Orte mitteilen zu sollen.

Cod. Colonien. W. kl. 8° 28. ist ein cartaceus saec. 15. von 267 Bll. zu 145 × 105 mm. Derselbe stammt aus der Kölner Karthause und kann als ein Gebetbuch bezeichnet werden. Von fol. 1 a bis 51 a enthält derselbe verschiedene Gebete und Andachtsübungen, die uns hier nicht weiter interessieren. Mit fol. 51 a beginnt eine alte, bis fol. 244 fortlaufende Paginierung. Dies ist der für unseren Gegenstand wichtige Abschnitt, denn er enthält

eine Anzahl von Gebeten in Versen und Prosa auf die verschiedensten Feste des Herrn und der Heiligen, von denen der gröfste Teil Officien, vielfach rhythmischen, entnommen ist. Fol. 245 folgt dann ein alphabetisches Register, an welches sich eine Reihe nicht hierher gehöriger Nachträge schliefsen. Diese von fol. 51 a bis 244 a fortlaufenden rhythmischen und prosaischen Gebete sind aber weder alphabetisch noch chronologisch geordnet, wenigstens ist die kalendarische Anordnung nicht durchgeführt, da dieselbe, mehrfach beim Jahresschlusse angelangt, zum Januar zurückkehrt, und so mindestens drei Reihen kalendarisch geordneter Feste darstellt. Zu bemerken ist hier noch, dafs alles, was hinter fol. 235 a liegt, späterer, von einer Hand des 15. Jahrh. geschriebener Nachtrag ist.

Inhaltlich erweist sich das, was zu den einzelnen Festen geboten wird, als sehr verschieden. Meist finden wir Bruchstücke von kirchlichen Officien, einzelne Antiphonen, Responsorien, Invitatorien, daneben aber auch Fragmente von Hymnen, Sequenzen, nicht-liturgischen Reimgebeten. Bei allen Festen wird mindestens ein Kirchengebet, eine Kollekte, oft mehr als eine Kollekte angeführt.

Ein vollständiges Inhaltsverzeichnis der Handschrift aufzunehmen und hier wiederzugeben, wie dies anfänglich in meiner Absicht lag, hätte zu viel Raum beansprucht; ich mufste mich begnügen, alles das zu verzeichnen, was entweder sicher oder doch möglicherweise Bruchstück eines rhythmischen Officiums sein konnte. Wenn ich dabei unter Verweisung auf jene Bände der Analekta, in denen sie zum Abdrucke kamen, auch die bereits bekannten Reimofficien berücksichtigt habe, so geschah es, weil deren häufiges Auftreten in der Handschrift eine wesentliche Stütze der Vermutung ist, dafs auch die unbekannten Bruchstücke ähnlichen Officien entlehnt seien. Diese im Anhange vorliegenden Bandes mitgeteilten Excerpte sind sodann, da in der Handschrift, wie bemerkt, keine Ordnung durchgeführt ist, in alphabetische Reihenfolge gebracht worden. In den Rahmen des Vorwortes selbst sie aufzunehmen, verbot deren Reichhaltigkeit und dementsprechender Umfang.

Fortgelassen habe ich aus diesen Excerpten alle Bruchstücke prosaischer Officien, deren Zahl begreiflicher Weise die der rhythmischen Historien noch übersteigt; alle Bruchstücke,

die sich mit Sicherheit als nicht aus Officien herrührend nachweisen lassen, weil sie Teile eines bekannten Hymnus, einer Sequenz, eines Reimgebetes sind; fortgeblieben ist endlich aufser dem Hinweise auf die fast bei keinem Feste fehlende Kollekte die Erwähnung einer Sorte leoninischer Hexameter, die bei einer grofsen Anzahl von Festen auftreten, fast immer paarweise, rücksichtlich derer man sich aber sehr bald überzeugt, dafs sie von einem Verfasser, wahrscheinlich einem Kölner, vielleicht dem Veranstalter der Sammlung selbst, herrühren und keineswegs liturgisch sind. Dieselben sind zum Überflusse in der Handschrift zwar nicht immer, aber durchgängig durch rote Unterstreichung ausgezeichnet. Ein anderes Beweismoment liegt darin, dafs, wo die Bruchstücke der Handschrift im übrigen einem bekannten Officium entlehnt sind, diese Leonini niemals einen Teil der betreffenden Historia bilden. Einige Beispiele mögen genügen, einen Begriff von diesen Versen zu geben:

Martyr et antistes precibus succurito Blasi,
Ne pereant tristes vitae de codice rasi.

Sancti sutores Crispinus, Crispinianus
Nos doceant mores, quibus alta poli capiamus.

Oret praegratus Domino Petrus cathedratus,
Ne reprimens noxa spoliet nos perpete doxa.

Dafs diese Verse nicht liturgisch sind, zeigt am deutlichsten der Umstand, dafs unter ihnen solche sich finden, die in der nicht-liturgischen Einzahl reden, z. B.:

Nos Timothee rege vera sub apostolo lege,
Martyr adesto meae clemens animae Timothee.

Den Verfasser dieser Leonini halte ich für einen Kölner, weil spezifisch kölnische Lokalfeste mit ihnen verbrämt sind. So heifst es z. B. fol. 143 a: Translatio capitum Felicis et Adaucti Coloniae ad Apostolos, 4. Martii, wozu die Verse:

Obtineant precibus sanctus Felix et Adauctus,
Ut per nos numerus sanctorum fiat adauctus.

Sum dictus Felix, cole me, si vis fore felix,
Augeo res auctus, quia sum vocitatus Adauctus.

Staunenswert ist, wie ein Bewohner der stillen Karthause im 15. Jahrhundert eine Sammlung wie die uns beschäftigende zustande bringen konnte, in der er so weit zerstreutes, schwer zu erreichendes Material zu vereinigen wufste. Entweder besafs

die Kölner Karthause in ihrer Bücherei eine Sammlung fremder und seltener Breviere, wie sie heute keine öffentliche Bibliothek mehr kennt, oder aber er erhielt, und dies ist glaublicher, sein Material von Ordensgenossen oder Freunden aus Deutschland, Frankreich, England, Italien zugesandt. Von einer ganzen Reihe von Reimofficien hätten wir keine Kenntnis ohne die Bruchstücke, die dieser fleifsige Sammler uns gerettet hat.

Wien, den 18. Juni 1897.

Guido Maria Dreves.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

SERIES SEPTIMA.

1. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O sidus angelicum,
Virgo Margareta,
Audi sonum mellicum,
Quem plebs canit laeta;
Quae draconis uterum
Signo crucis Christi
Assistente superum
Coetu confregisti,
Impetra solacium
Reis desolatis,
Ut caeli palatium
Dimissis peccatis
Scandentes in gloria
Vivamus per saecula.

Ad Magnificat.

A. Fidelis turba, propere
Regem festina cernere
Pacificum Salomona,
Sertatum matris corona;
Super Cherubim residet,
Infima qui cuncta videt,
In throno sedet gloriae,
Quem dulces stipant filiae,
Sion adulescentulae,
Hierusalem iuvenculae,
Quae castitatis lilia
Rosarumque martyria
Sponso portant in canistris.
O quid suavius his sistris?
Inter quas, en, luce laeta
Ardens stella, Margareta,
Pro nobis regem virginum
Ora, precamur, Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum veneremur,
Ipsi semper modulemur,
Ut Margaretae sociemur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. *Domine Dominus noster,*
Cuius fulget nomen mire,
Dum ex vasis trahis irae
Vas honoris Margaretam,
Per quam superas athletam,
Inimicum et ultorem.
2. *Caeli enarrant gloriam Dei,*
Cuius fide praesignita
Margareta margarita
Olybrium superavit,
Regem Christum dum amavit
Super mel et favum
3. *Domini est terra,*
Margaretam qui in montem
Sanctum ducens illi fontem
Dat caelestis disciplinae,
Hanc qui petet sine fine,
Ipse est rex gloriae.

Responsoria.

1. Gaude, mater ecclesia,
Quam illustrant sollemnia
Margaretae celebria,
Cuius praeclaro sanguine
Pro Christi fuso nomine
Aeterna stat memoria.

V. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.*

2. Cum nutricis oves pavit,
Praeses hanc videns amavit
Impulsans minis, precibus,
Sed illa tamquam stercora
Mundi reputans decora
Adhaeret Christi legibus.
V. *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.*

3. Tristatus draco territat
Margaretam, dum flagitat
Hostis videre faciem,
Qui deglutivit tremulam,
Sed salvat Christi famulam
Crux huius signans aciem.
V. *Aperuit super eam os suum sicut leo rapiens et rugiens.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. *Eructavit cor tuum verbum bonum,*
Christi virgo Margareta,
Dum virtutum fructu feta
Dilexisti iustitiam,
Consecuta laetitiam
Et domum patris tui.

2. *Deus noster refugium,*
Arma, scutum qui confregit
Et in nihilum redegit
Crudelis hostis iaculum,
Ut faciat tabernaculum
Suum altissimus.

3. *Fundamenta eius*
Posuit in suis sanctis,
[Montibus] quam fulsit tantis
Columnis rex noster David,
Sanguine suo fundavit
Eam altissimus.

Responsoria.

1. Educta praeses virgine
Rursus novo certamine
Vult sanctam mentem frangere,
Dum lampades ad latera
Succendit, sed haec aspera
Tormenta vicit prospera.
V. *Igne eam Dominus examinavit, et non est inventa in ea iniquitas.*

2. Post haec undis immergitur,
Motu terra concutitur,
Dissolvuntur vincula,
Currentis ad spectaculum
Gentis ad hoc miraculum
Credunt quina milia,
Qui pro Christo decollati
Sanguineque baptizati
Capiunt caelestia.
V. *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.*

3. O vere caelestis regis
Prolem non degenerem,
Decollanda cuius legis
Se designat memorem,
Dum preci dato spatio
Orat pro persecutore
Et sui memoriam
Agente, dehinc fuso rore
Sanguinis ad gloriam
Tendit caesa gladio,
V. *Quam ingreditur sine macula operata iustitiam.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. *Cantate Domino,*
Orbem terrae qui correxit,
Margaretam dum provexit,
Ut gentium daemonia
Damnet; Deo sit gloria
In sanctificatione eius.

2. *Dominus regnavit,*
Et exsultet ecclesia,
Dum Margareta tenera
Adorantes sculptilia
Voce damnat libera
In simulacris suis.

3. *Cantate Domino,*
Qui recordans veritatis
Salutare missum gratis
Revelat per Margaretam,
Quam fortem stupent athletam
Omnes termini terrae.

Responsoria.

1. Virgo sancta Dei
Margareta dum nutricis
Suae pascebat oves,
Olybrius transiens
Dixit ministris suis:
Adducite mihi illam,
Erit mihi concubina;

V. *Si est libera, accipiam eam in uxorem, si autem servilis dato pretio.*

2. O crux sancta mirabilis,
Cuius vis est terribilis
Daemoniorum agmini,
Per quam victrix Margareta,
Draconem dum scidit, laeta
Collaudat nomen Domini.

V. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu et in nomine tuo spernamus insurgentes in nobis.*

3. Spretis illecebris,
o Margareta celebris,
Iam toto mundo
vitii nos solve profundo,

V. Nos coniunge Deo,
martyr praeclara trophaeo.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Olybrius praeses viam
Dum versus Antiochiam
Fecit, habebat obviam
Christi sponsam Margaretam.

2. Cuius illi decens decor
Amore perurens iecor
Cogit, ut hanc sponsam quaerat,
Quae se Christo iam voverat.

3. Nuntiis sic dixit: Ite
Et de puella quaerite,
De statu, secta discite,
Ut sponsa sit, adducite.

4. Legati iussa perferunt,
Sed de consensu virginis
Responsa cassa referunt,
Quam vinxit amor numinis.

5. Hinc ut aurum in fornace
Probatur, cum non vivace
Poena virgo concutitur
Nec praemiis allicitur.

Ad Benedictus.

A. O Christi sponsam vigilem,
O Margaretam nobilem,
Dum sponsus noctis medio
Venit clamore praevio,
In vase ferens oleum
Suscepit Dominum Deum.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ave, praeclarissima
Virgo Margareta,
Quae vicisti daemonem
In carcere latentem
Et praefectum Olybrium
Crudeliter tonantem;
O patrona splendida,
Castitate candida,
Theodosi filia,
Tua prece nos adiuva,
Ut post haec exsilia
Tecum simus in gloria.

Ad Magnificat.

A. O benigna Margareta,
Christi martyr et athleta,
Hoste victo, morte spreta

Regnans iam triumpho laeta,
Deprecamur, mala veta,
Et cum vitae vénit meta,
Fac nos frui sede quieta.

Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Monasterien. 201 (204) A. — Antiph. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. s. n. B. — Noct. 2 und 3 bis zum R 3 der letzteren fehlen B, der zwei Blätter ausgerissen sind. — In 2. Vesp. Nichts B. — Hymnen in A: Pange lingua Margaretae (Anal. XXIII, Nr. 407) und Adeste turbae virginum (Anal. IV, 202).

2. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Hodie virgo pretiosa
Et speciosa
Mira victoria
Mundi devicta gloria,
Carne et spiritu casta
Caelestem ingreditur
Gloriam et laude digna
Suscipitur
A virginum sponso,
Cum quo cocco
Rubens martyrum
Et lilio virginum
Candida,
Gemina mercede pollens,
Suis subveniat
Dilectoribus
Et pro nobis memor sit
Peccatoribus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Auctorem vitae
Christum laudare venite
Et Margaretae
festive festa tenete.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Saecula laeta colant
praesentis festa diei,
Margareta sui
quae sacrat honore tropaei.

2. Ritu gentili
decepta statu puerili
Idola confregit,
postquam tria lustra peregit.

3. Cordeque non sicco
tenebrarum rege relicto
Lucis in auctorem
totum committit amorem.

Responsoria.

1. Ecce, triumphalis
lux [advenit] specialis,
Festum praeclarum,
tempus quoque laetitiarum,
Plaude, chorus, plaude,
festiva consona laude,
V. Virginis in festo
solito iucundior esto,
Collaudansque Deum,
meruit quo dante tropaeum.

2. Sicut spina rosam
et florem gignit odorum,
Sic hanc praepositus
generavit daemoniorum,
Sed virgo sapiens
aras evertit eorum;
V. Haec Christum confessa Deum,
dominum dominorum,
Cultu surdorum
non est polluta deorum.

3. Dum pia simplicitas
pecori serviret alendo,
Hanc videt Olybrius
praefectus amatque videndo,
Haec hominem renuit
hominemque Deumque sequendo;

V. Nunc placido levis,
nunc intonat ore tremendo.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hostis ad haec saevit,
sed non tamen illa quievit.
Immo fide crevit,
cum verbis vulnera sprevit.

2. Nullum poenarum
reputat discrimen amarum,
Sic habet inflexum
cor vincens femina sexum.

3. Dum nec tormentis
cedit constantia mentis,
Nec blandimentis
nimiumque diu [que] petentis,
Carceris horrentis
poenas parat ira furentis.

Responsoria.

1. Postea lux fulsit,
de poena carceris exit,
Nec timor urget eam,
quam Christi gratia rexit,
Temptans praefectus
fidei pervertere pectus,
Christum spernendum
docet esse Iovemque colendum;
V. O rabies grandis,
diis immolat iste nefandis,
Surdis et mutis,
medicum spernendo salutis.

2. Virgo respondens
probat idola vana cremari
Et Christum solum
Dominum Deumque vocari,
Sed docet hunc colere,
laudare, sequi, venerari,
V. Per quem clarescit,
solem stellasque creari,
Sanguine qui proprio
mundum voluit reparari.

3. Hinc motus gravius
iubet illam carcere claudi,
Illa vacat precibus
divinae dedita laudi,
V. Invidet hostis ei,
commiscens proelia fraudi.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hanc draco consurgens
parat absorbere crepatque
Per medium, sicut Christus eam
servatque iuvatque.

2. Induit Aethiopis
formam deformis imago,
Pandens quo noceat,
pandentem sancta virago
Arripit, arreptum
[rapuit] in ima vorago.

3. Quo magis atteritur,
maiori fervet amore,
Christus ei semper
in pectore, semper in ore.

Responsoria.

1. Carcere detracta
stat nullo turbine fracta,
Lampas utrumque latus
varios coquit in cruciatus,
Ignibus assata,
sed virtus igne probata,
Flumine iactatur,
qua baptizata novatur;
V. Angelus e caelis,
custos bonus atque fidelis,
Nullis tormentis
frangi sinit integra mentis.

2. Praeses turbatur
victus, licet insaniatur,
Impatiens irae
iubet hanc mucrone ferire,
Sed formidata
non est sententia lata;

V. Impetrat orandi
spatium Christumque precandi
Et prece finita
finitur cum prece vita.

3. Digna petunt castra,
tumulum caro, spiritus astra,
Ad tumulum cuius
orbis pars confluit huius
V. Munera comportans.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dum partu gravidas
pariendi causa molestat,
Cumque nihil nisi mors
et desperatio restat,
Haec virgo dat opem,
fera levat, gaudia praestat.

2. Exitus ostendit,
quod ei qui munera pandit
Lumina mittendo
vel limina sacra terendo,
Crescit in optatis
cum summa prosperitatis.

3. Quae cupis esse parens,
quamvis sis funditus arens,
Hanc si corde colis,
dabitur tibi gratia prolis.

4. Hanc cole ferventer,
res est experta frequenter,
Voto gaudebis,
requiem post fata tenebis.

5. Huius opem pulsa,
Nec erit tibi lata repulsa,
Si bene iurasti
culpas, quas flendo piasti.

Ad Benedictus.

A. Tu quae calcasti,
superasti, praecipitasti
Serpentem, mentem
vacuam, virtutis egentem
In Christo funda,
fecunda, corrige, munda;
Tu spes lapsorum,
via morum spesque reorum,
Erige labentes,
rege mentes, suscipe flentes.

In 2. Vesperis.

R. Morte triumphata
iam vivit virgo beata,
Pro vita spreta
vita gaudet sine meta,
Felix contractus,
Deus est in praemia factus;
V. Portans pro capite
caput in discrimina vitae,
Dum decollatur,
post haec diadema lucratur.

Ad Magnificat.

A. Sidus honestatis,
gratis fer opem bonitatis,
Stella poli splendorque soli,
contemnere noli
Precantes ad te,
clamantes ad te, venerantes,
Laudes exiles,
humiles non sint tibi viles,
Hoc festo praesto
tua festa colentibus esto.

Brev. ms. S. Mariae Trimmen. saec. 15. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 12. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Secunda laeta. — **R** 1, 10 meruit quondam trophaeum. — **R** 2, 1 spina rorans. — **R** 3, 2 pectori. — **R** 3, 4 vivendo. — Vor **R** 3, 7 sq. scheint ein Vers ausgefallen zu sein. — In 2. Noct. **A** 1, 2 sed non tam illa. — **A** 3, 6 fluentis. — **R** 1, 9 Orabiles grandis. — **R** 3, 1 Huic motus. — **R** 3, 4 debita. — In 3. Noct. **A** 2, 5 Atripit. — **A** 2, 6 invina. — **R** 1, 2 facta. — **R** 1, 4 verios quoquid. — **R** 3, 5 scheint ein halber Vers zu fehlen. — In Laud. **A** 5, 2 tibi fata. — Ad Bened. **A**, 3 sq. vacuam mentem. — In 2. Vesp. **R**, 8 caput indisimina.

3. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O Margareta,
caelorum virgo secreta
Iam conscendisti,
suavissima victima Christi,
Ora pro nobis,
virtus quo crescat amoris.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Salvatorem omnium,
In spiritu exsultantes
Et festum celebrantes
Beatae Margaretae,
Ancillae humilis suae,
Nos ut eiusdem precibus
Criminum expurgemur faecibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Auctorem vitae,
Christum laudare venite,
Cui Margareta
conregnat in aethere laeta.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec virgo praedicans
nomen tuum, Christe bone,
A te meruit coronari
gloria et honore.
2. Testimonium Domini fidele,
Sapientiam praestitit parvulae,
Hostis ideo saevissimus
Non dominatus est eius.
3. Innocentiam retinens
Mundumque cor diligens
Per poenas temporales
Portas introivit aeternales.

Responsoria.

1. Felix igitur Margareta,
Sacrilego sanguine progenita,
Fidem, quam spiritu
sancto percepit,
Vitiorum maculis
non infecit;
V. Ibat de virtute
in virtutem
Ardenter sitiens
animae salutem.

2. Haec modica
quidem in malitia,
Sed mire vigens
pudicitia,
Praeventa gratia redemptoris
Oviculas pascebat nutricis.
V. Simplex fuit ut columba,
Quemadmodum serpens astuta.

3. Quadam die Olybrius,
Molestus Deo et hominibus,
Dum transiens visum
in illam sparsit,
Mox in concupiscentia
eius exarsit;
V. Erat enim
nimium formosa,
In vultu scilicet
floruit ut rosa.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Desiderans speciem eius
Benedixit eam Deus,
Trahens illam ad se
In laetitia et exsultatione.

2. Virtutum Dominus
Susceptor illius,
Arcum potentis confregit,
Qui carnaliter eam occidit.

3. In medio templi
regis sempiternam
Misericordiam suscepit,
Qua iugiter gaudebit.

Responsoria.

1. Misit protinus clientes
Ad inquirendos
eius parentes,
Ut, si libera probaretur,
In coniugium
sibi copularetur.
V. Sed hanc qui desponsaverat,
Non ita praeordinaverat.
2. Cum tyrannus intellexit,
Quod eum virgo despexit,
Iussit eandem iratus
Suis praesentari tribunalibus,
V. Quam sperans
puellarum more
Minis flecti
subiuncto terrore.
3. Virgo veneranda
In magna stans constantia
Verba contempsit iudicis,
Nil cogitans de rebus lubricis;
V. Caelestis praemii spe gaudens
In tribulatione erat patiens.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dicta sunt gloriosa
De te, virgo speciosa,
Sis memor hinc nostri,
Devotos quos tibi nosti.
2. In populis annuntiemus
Mirabilia, quae fecit Deus
Hac in beata virgine,
Quia vixit absque crimine.
3. Tubis in ductilibus
Psallat omnis spiritus
Iudicaturo cuncta saecula,
In quo iam exsultat
Haec agni pedissequa.

Responsoria.

1. Post carceris squalorem
Carnisque macerationem
Christi dilecta tenebrosis
Denuo recluditur in locis,
V. Nomen Domini laudare
Non desinens et glorificare.
2. Sancta martyre
Precatibus instante
Draco foetore
plenus apparuit,
Qui hanc invadens
totam absorbuit,
V. Quem per medium
signo crucis discidit
Et de utero
eius illaesa exivit.
3. Fortis agonista
secum meditatur ut ista,
Astitit, exorat,
daemon sua crimina prodat,
Cogitur afflictus,
discedit denique victus,
V. Fratrem truncatum
dolet ac sese superatum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martyr insignis Margareta
Iuxta praefecti decreta
Ocius carceri subtrahitur
Eiusque conspectibus sistitur.
2. Cumque nullis blanditiis
Ad consensum
molliretur iudicis,
Furore nimio inflammatus
Praecepit eam
accendi lampadibus.
3. Ministri statim tenellae
Corpus comburebant puellae,
Sed haec oratione facta
Igne permansit intacta.

4. Vas immensum aqua plenum
Praeses imperat afferri
Et in illud virginem
Ligatam demergi.

5. Laudabilis Dominus
In suis virtutibus
Vincula manuum relaxavit
Suamque famulam
de morte liberavit.

Ad Benedictus.

A. Videntes haec mirabilia
Baptizati sunt quinque milia,
Quos capite plecti censuit
Ira praefecti, quibus est addicta
Christi testis invicta
Benedicens Deum deorum
In saecula saeculorum.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

A. Sanctum nomen Domini
Magnificent omnes populi,
Qui Margaretae
Fusa ad Deum
ultima prece
Promisit se daturum
Vitae praemia
Eius digne
colentibus sollemnia,
Quorum nos consortes
In dilectione fortes
Faciat ad suam laudem
Per infinita saecula.

Antiph. ms. S. Petri de Sudrio saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 202. A. — Brev. ms. Admontense anni 1180. Cod. Admonten. 18. B. — Brev. ms. Traiectense saec. 13. in. Cod. Mus. Germ. 22923. C. — Diurn. ms. Monasticum saec. 13. Cod. Pragen. VI E 13. D. — Brev. ms Constantiense anni 1301. Cod. Engelbergen. 115. E. — Brev. ms. Raigradense anni 1313. Cod. Raigraden. $\frac{B}{K}$ II α 18. F. — Brev. ms. Teplense anni 1353. Cod. Pragen. VII F 23. G. — Brev. ms. Pataviense saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 1891. H. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. I. — Brev. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani XI 487. J. — Brev. ms. Plagense saec. 15. Cod. Plagen. (memb. 12°) s. n. K. — Brev. ms. Frideslariense saec. 14. Cod. Casselan. Fol. 146. L. — Brev. ms. Praedicatt. Wirceburgen. saec. 15. Cod. Darmstadien. 1813. M. — Antiph. ms. Rasdorfense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 55. N. — Brev. ms. Praedicatt. Meten. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2865. O. — Brev. ms. Frisingense saec. 15. Cod. Mutinen. X H 1. P. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Eremiten. 80. Q. — Noct. ms. Feyenbacense saec. 15. Cod. Eremiten. 614. R. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1988. saec. 15. S. — Brev. ms. Eistettense saec. 15. Cod. Eistetten. 2° 122. T. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod Vatican. 4751. U. — Antiph. ms. Beronense saec. 16. in. Cod. Eremiten. 729. V. — Antiph. ms. Rhenovience anni 1519. Cod. Turicen. Rh. 3. W. — Brev. Wratislaviense imp. s. l. et a. X. — Viaticus Wratislavien. imp. Venetiis 1499. Y. — Brev. Eistettense imp. Eistett 1484. Z.

Im Texte ist die üblichste Form beibehalten, obschon die älteste der angeführten Quellen A in einigen Punkten abweicht. Sie beginnt in 1. Vesp. mit der A ad Magnif:

Adest sollemnitas sacratissima,
Dies arridet iucundissima,
In qua gloriosa
Virgo Margarita,
Per martyrii pressura[m]
Expolita,
Pretiosa
Caelesti(s) structurae
Super addita est margareta [sic],

Cuius nunc unanimes
Insistentes laudibus,
Ut pro nostris reatibus
Interveniat, quaesumus.

Andere Quellen (z. B. G H K) haben in der Vesp. 5 **AA** super Ps:

1. Psallat mater ecclesia
Dulci cum symphonia
Recensendo celebria
Margaretae sollemnia

2. Haec quasi foetorem
Christi flagrans per amorem
Sic mundi florem,
mundi quoque spernit honorem.

3. Per virtutum incrementa
Carnis horret blandimenta,
Servans fidem Christo soli,
Laeta scandit arcem poli.

4. O flos virens inter
paradisi lilia,
Margareta, virgo pia,
veri solis filia.

5. Plaudat Sion filia
Laudum cum canore,
Assunt nunc sollemnia
Virginis decorae,
Margaretae, sponsae Christi,
Quae suo cruore
Lota felix in caelesti
Gaudet iam decore;
Cuius, Christe, sancta prece
Purgans a peccate faece
Iunge nos caelestibus.

In Laud. **AA** super Ps. folgen sich in **A** 1, 2, 4, 5; **A** 3 fehlt, dafür an letzter (5.) Stelle: O Margareta, coelorum virgo secreta etc. — Ad Bened. **A** Sanctum Domini etc. A. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** Magnificemus Dominum etc., vgl. in 1. Vesp.

4. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Summi regis ad honorem
Laetetur ecclesia
Celebrando Margaretae
Virginis sollemnia.

2. Quae de stirpe procreata
Praeclara gentilium,
Vana sprevit fide rata
Deum colens omnium.

3. Mox ex alvo matris nata
Nutrici committitur,
Cuius curis educata
Matre destituitur.

4. In primaeva iam aetate
Florens Deum coluit,
Cuius fervens caritate
Vana mundi rapuit.

5. Nostrae semper sit salutis
Margareta informatrix,
Nos ad Dei ferens laudem
Ut filia Hierusalem.

R. Virgo prudens et formosa
Parenti fit odiosa,
Dum diis cultum denegat,
Sed per fidem generosa
Summo fit electa rosa
Patri, quem dilexerat,
V. Corde puro
menteque sedula
Deum verum
colit orphanula.

Ad Magnificat.

O iubar ecclesiae,
Lux serena virginum,
Decus Antiochiae,
Lucerna gentilium,
Vexillum victoriae,
Columna debilium,
Funde preces hodie
Pro nobis ad Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad lumen vitae
cuncti vigilando venite,
Virginis ut festo
iubiletur gloria Christo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Festum sponsae generosae,
Festum plenum gaudio
Sponsae Christi speciosae
Summo colant studio.

2. Haec in annis regnum mundi
Spernens puerilibus
Non timebat saevis tundi
Pro Christo verberibus.

3. Hanc ob miram diligenti
Cura pulchritudinem
Nutrix servat, dum orbatam
Matre cernit virginem.

Responsoria.

1. Tyrannorum
praefectus impius,
Nomen Christi
studens Olybrius
Delere citius,
venit ab Asia
Antiochiam,
fervens invidia;

V. Vicina transiens
per loca virginem
Pascentem conspicit
oves praenobilem.

2. Margaretae contemplatus
Miram pulchritudinem,
Mox ardescit profanatus
In illius speciem,
Servos mittit et precatur
Verbis blandis virginem;

V. Promittit varia,
sed et amabilem
Sibi coniungere
spondet in coniugem.

3. Contemnit impium
puella tenera,
Nec mulcent mitia,
nec terrent aspera,
Constantis animi
nam inter verbera
Dilectum baiulat,
quem colunt aethera;

V. Fide firma
perstat immobilis,
Deridens minas
scelesti iudicis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Oves pascens cum puellis
Nutricis virguncula,
Sic honoris et decoris
Declinat pericula.

2. Sponsa sponso copulata
Cordis desiderio
Sociari sibi gliscit
Corporis martyrio.

3. Metu poenae non gravatur
Pugnatricis animus,
Nec a Deo separatur
Mens trita doloribus.

Responsoria.

1. O mirandum, praedicandum
Divinum consilium,
In puella nova bella
Rex exercet omnium,
Quae tyrannum infra annum
Vicit quintum decimum;

V. Ovis lupum,
columba vulturem,
Philomena
sternit accipetrem.

2. In tormentis virginem
Dum invictam conspicit,
Tyrannus in carcerem
Taetrum trudi praecipit,
Sed nec sic immobilem
Commovere sufficit;
V. Signo crucis
munita carcerem
Intrat, hostem
non timens veterem.

3. Ave, virgo sancta, martyr
Margareta,
Ex lapide pretioso
nuncupata,
Quae serpentes superasti
Nec tormenta formidasti,
Te precantes
da hostes vincere
Et carnales
motus restinguere;
V. Tu flos agri, tu lilium
Non marcescens convallium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omnis decor, rex decoris,
Collaudetur cordis, oris
Praedulci tripudio,
Margaretam qui nitoris
Veste claram iunxit choris
Superum cum gaudio.

2. Spe mercedis, ad quam virgo
Totis tendens viribus,
Ictibus occumbit gratis
Lictorum ferocibus.

3. Sapienter pro supernis
Commutat terrestria,
Pro perfectis et aeternis
Mundi transitoria.

Responsoria.

1. O miranda nimium
Virginis constantia!
Turba circumstantium
Flet in abundantia,
Videns corpus tenerum
Pati tot supplicia;
V. Praefectus ipse
non valens impius
Videre, faciem
operit vestibus.

2. Praefectus igitur
infectus scelere,
Nec sic afflictam
ferens evadere,
Novo iam utitur
tormenti genere,
Perpulchrae violae
virorem laedere,
V. In vase sanctam
repleto flumine
Submergi iubet
ligato corpore.

3. De dracone triumphasti,
Dum terrena conculcasti
Et cum eo, quem amasti,
Gaudes iam in gloria,
V. Mente tendens ad superna,
Spernens mundi gaudia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Lictores igitur
mactantes virginem
Abhorrent sceleris
sui tyrannidem.

2. Adfantur nymphulam
dicentes talia:
Dolemus super te,
virgo pulcherrima.

3. Consenti equidem
nostris consiliis,
Ut possis vivere
dotata variis.

4. O mali, inquit,
consiliarii,
Pro poenis istis
spem gero gaudii.

5. Turba canat virginum
Frequentando canticum
Congaudendo virgini,
Quam vocavit virginum
Rex in chorum hodie
Iugiter canentium.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus
Deus Israelis,
Qui columbae pandere
merita fidelis
Per columbam voluit,
quae sertum de caelis
Ore tulit aureum
Invitans ad gaudium
martyrem Rachelis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Beatissima
Christi virgo Margareta,
Splendidissima
Sanctorum margarita,
Laus angelorum,
Spes peccatorum,
Sidus aureum
Inter choros martyrum,
Fac nos, quaesumus,
Meritis tuis et precibus
Gaudendo gaudere
in caelestibus.

Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Cusan. 74. A. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. (Privatbesitz) B. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Treviren. 427. C. — Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 172 D. — Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 1100. E. — Brev. Trevirense imp. Lugduni 1515. F. — D ist unvollständig, da ihm h. l. zwei Blätter fehlen. — In 1. Vesp. Super Ps. **A** 5 Omnis decor, rex decoris etc. C. — Ad Magn. **A** Magnificemus Dominum etc. C, wie im vorigen Offic. — Invitat. lautet in C:

Exsultando iubilemus agno, sponso virginum,
Margaretam qui vocavit ad aeternum iubilum.

In 1. Noct. **R** 3 Quadam die Olybrius etc. C; entlehnt. — In 2. Noct. **R** 1 Contemnit impium etc. C. — **R** 3 fehlt C. — In 3. Noct. **A** 1 Spe mercedis, ad quam virgo etc. C. — **A** 2 Sapienter pro supernis etc. C. — **A** 3 Turba canat virginum etc. C. — **R** 1 In tormentis virginem etc. C. — **R** 2 Omiranda nimium etc. C. — **R** 3 Praefectus igitur etc. C. — In Laud. Super Ps. **AA** Martyr insignis Margareta etc. cum reliquis C; entlehnt aus dem vorhergehenden. — Ad Bened. **A** O iubar ecclesiae etc. C. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** fehlt C; dafür:

O laudanda
Christi clementia,
Cuius admiranda
In beata Margareta
Resplendent opera,
Quae verae fidei
Constantia
Nulla tormentorum
Mota est saevitia,
Ipsa nos prece sanctissima
In caelesti collocet gloria.

5a. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adest digna praeconiis
Margaretae sollemnitas,
Cuius per orbem variis
Signis refulget sanctitas.

2. Margaretae martyrium
Et caelibatus gloria
Dant odorem eximium
Ut rosis iuncta lilia.

3. Margareta gaudio
Caeli iam potita
Diris sub Olybrio
Poenis est attrita.

4. Virgis, flammis, virgulis
Torta Margareta
Fontis vitae poculis
Iam potatur laeta.

5. Ad aeternum convivium
Margareta vocata
Venit virtutum omnium
Margaritis ornata.

R. Virgo flagellatur
et carcere clausa moratur,
Pectine sulcatur
corpus, latus igne crematur,
Quando fidem pandit,
ensem subit, aethera scandit;
V. Margareta Deum
iam cernit nacta tropaeum.

Ad Magnificat.

A. O rosa per saecula
vernans sempiterna,
Tibi sine nebula
luxit lux superna,
Summo bono frueris,
victrix coronata,
Margareta superis
nos iunge beata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Lumen in taetro carcere
Margaretae resplenduit,
Quae clara lucis opere
Nil culpae taetrum habuit.

2. Stravit munda manibus
Regem superborum,
Calcans castis pedibus
Caput impiorum.

3. Poenas passa varias
Tandem decollata
Transivit ad nuptias
Cum sponso parata.

4. O felix commercium,
Quo pro poena brevi
Sempiternum gaudium
Emit foro levi.

5. Orat in vitae termino
Ut exaudiantur,
Qui supplicantes Domino
Sui recordantur.

Ad Benedictus.

A. O victrix eximia,
Virgo Margareta,
Tua desideria
Bona sunt impleta,
Duplex sertum gloriae
Fers inter beatos,
Grata fonti gratiae,
Fac nos ipsi gratos.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, caeli redimita
Margareta laurea,
Pretiosa margarita
Caelibatu nivea,

Tunsionibus polita,
Vita, signis splendida,
In corona Iesu sita,
Nos in Christo solida.

Bei Abschrift dieser Historia habe ich leider vergessen, die Quelle beizufügen, aus der sie geschöpft ist. — In Laud. A 2, 4 caput imperiorum Hs. — A 5, 3 supplantantes Domino Hs.

5 b. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, caelum, terra, plaude
Plausu [novo], nova laude
Lauda regem gloriae,
Qui post brevis vitae metam
In perenni Margaretam
Collocavit requie.

Ad Magnificat.

A. Ave, stella radiosa,
Stella luce clarior,
Margareta pretiosa,
Gemmis, auro clarior,
Virgo carne generosa,
Fide spectabilior,
Passione gloriosa,
Meritis praestantior,
Nobis, martyr gratiosa,
Patrona clementior,
Sit ad regna gaudiosa
Semita securior.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In laudem Christi
cum linguis corda levemus,
Margareta polum
penetrans iubilat, iubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Urbs felix Antiochia,
Quae Margaretam genuit,
Cuius per orbis spatia
Virtus ut sol emicuit.
2. Ex patre Theodosio,
Patriarcha gentilium,
Ritu dispar a patrio
Carnis duxit exordium.
3. Coepit in pueritia
Mundum munda despicere
[At]que facta salubria
Cordis in arca condere.

Orat. ms. Dorotheae de Mittelhusen anni 1449. Clm. Monacen. 10 930. — In 1. Vesp. R Quadam die Olybrius etc. — Ad Magn. A, 7 Passionis. — Ibid. 8 praestantiae. — Ad Compl. A Margareta [caelorum] virgo secreta etc. — In 1. Noct. A 1, 3 spatium. — Alles weitere prosaisch. Zum Officium gehören die Hymnen: In 1. Vesp.: Gaudeat chorus virginum (Anal. XXIII, 229); ad Noct.: Dies illuxit gaudii (Ibid.); ad Laudes: Sollemnis dies virginum (Anal. IV, 194).

6. De sancta Margareta Hungarica.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Iucundare ex novella
Floris caelum plantula,
Cuius vigor carnis bella
[Prece] stravit sedula.

Ad Magnificat.

A. Felix plane,
felix per omnia,
Summa semper
duceus fastigia,
Quam terrenae
stemma propaginis

Et caelestis
insignit gloria,
De regalis
radice germinis
In regnorum
scandens imperia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi Christo laude laeta
Solvamus obsequium,
Cuius regni Margareta
Confortatur gaudium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mundi plenum luxu rete
Damnans pudicitia
Caeli nuptum Margaretae
Sperat innocentia.
2. Cilicio se ambiens
Virgo iam velata,
Flagris se percutiens
Christo consecrata,
Zona quoque ferrea
Cinxit se beata.
3. Voto vitae stabilis
Loco permutata
Tamquam arbor fertilis
Crevit transplantata.

Responsoria.

1. In declivo vitae fine
Nostri casus ut ruinae
Restaurentur gratiae,
Dum regali stirpe nata
Iura vendit abdicata
Voluntatis propriae,
V. Haec exemplum, Dei templum,
Margareta laude spreta
Mundi praebet patriae.
2. Ortus caelo conscio
Germinis magnifici
Paupertatis pretio,
Voto, cultu subiici
Patris almi nuntio
Panditur Dominici,
V. Summi civis aetheris,
Forma vitae veteris
Iuris usu caelici.
3. Virgo decens aevo,
pugil in certamine saevo,
Mundum vicisti
felici foedere Christi,
V. Dum regis orditam
claustrali tramite vitam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sub regulari ferula
Tranquilla parens tremula,
Professi status creditum
Ad plenum solvens debitum.
2. Sanctitatis populo
Spargit fundens odores,
Exemplari speculo
Fulgens inter sorores.
3. Dum sordescit provoluta
Ancillarum pedibus,
Tergit rixae labis luta
Ex earum cordibus.

Responsoria.

1. Sub clausura
vitae primordia
Stringens calcat
[regum] insignia,
Summi verbi
victa inopia
Plagis urget
membra nobilia,
V. Culpae adhuc nescia
Laetatur paenitentia.
2. Abnegata
patris consortia
Tempestatis
flagellans pluvia,
Caeli secum
pugnante gratia

Voti compos
solatur anxia;
V. Lacrimarum
profusis imbribus
Vim pluviae
ministrat nubibus.
3. Carne sub exili
caelesti nupta cubili
Languet in amplexu
divino saucia nexu,
V. Optat, quaerit, amat,
gemitu, prece, verbere clamat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Impetrandi gratiam
Provocans ieiunio,
Fervet in fiducia
Tali ducta praevio.
2. Castigante transitum
Corporis molestia
Impendentem spiritum
Cogit ad caelestia.
3. Nuptiali convivio
Consors una fruentium
Sponsi fusa [in] gremio
Canit epithalamium.

Responsoria.

1. Explicati fruitura
Laboris stipendio
Iam praeivit nascitura
Caeli stillicidio,
Vox superna mortis iura
Rorat vaticinio.
V. Tali privilegio
Vim amoris amplioris
Parit desiderio.
2. O spectanda saeculo
Novo res miraculo
Gestu singularis,
Votum mater astruit.
Viri sexum induit
Forma puellaris.
V. Compeditus carcere
Clare visitatus
Suffraganti munere
Gaudet liberatus.
3. Sole sub ardenti
rutilante luce latenti
Optat inesse choris
stabiliti palma pudoris.
V. Lilia conferto
redolens gerit insita serto.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Iam Margareta
rediviva pace quieta
Se rapit ad pronam
radio vibrante coronam.
2. Congaudete, superi.
Vobis sidus inseri
Vas caelestis roris,
Laudis et honoris.
3. Nostri tegmen ordinis
Femineo flore
Virginalis agminis
Fulget in decore.
4. O felicem famulam,
Puritatis gerulam,
Quae subintrat chorum
Regis angelorum.
5. Haeres regis strenua
Supernorum civium,
Caeli nobis ardua
Confer pandens ostium.

Ad Benedictus.

A. Dulci digne
respondens praemio
Sub perennis
lucri comercio,
Virgo Christi,
grata servitio,
Caelum tibi
blanditur gaudio.

S. Ferrarius, De rebus Hungaricae provinciae ordinis Praedicatorum, Viennae 1637, p. 342 sqq: Officium in festo beatae Margaritae die 18. Ianuarii decantari solitum ab ordine Praedicatorum in Hungaria. „Incipit historia beatae Margaritae, virginis eximiae, quarti regis Belae filiae.“ — Ad Matut. Invit. 3 Ferrarius schreibt stets Margarita, obschon der Reim sehr häufig die Form Margareta fordert. — In 2. Noct. A 2, 2 Spargebat. — In 3. Noct. R 3, 2 rutilantem. — Hiezu gehören drei Hymnen: in Vesp.: Novo sacrata gaudio (Ferrarius l. c. p. 342, Dankó, Vetus Hymnarium p. 159); ad Noct. Hymnis agamus fidei (Ferrarius 343, Dankó 160); in Laud.: Gratuletur Hungaria (Ferrarius 351, Dankó 166).

7. De s. Maria Aegyptiaca.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Mater, laetare,
Agyptiacae Mariae,
Quam respexit et erexit
Deus de faece labis prece,
Iugis sit memoria.

2. Ad laudem Dei populi
Sic excitentur seduli,
Qui firmavit, quam ereavit
Peccatricem, donans vicem
In caelesti gloria.

3. Regnans Deus in saecula
Caeli locat in specula
Hanc conversam, labe tersam,
Levans solo reddit polo
Aegyptiacam Mariam.

4. Hierusalem aedificans,
Deus et sanctificans,
Vitae spreto de Aegypto
Sanctam pangit, quae nunc clangit
Caelestium harmonia.

5. Annuntiat caelestium
Sion decora mentium
Iesu Christo laudes isto,
Quod benedixit filiae,
Quam purgatam et dotatam
Vitae dono, iugi bono,
Caeli iunxit patriae.

Ad Magnificat.

A. Exsultet omnis spiritus
Modo salutari,
Qui maxima divinitus
Potenter operari
Valet in generatione,
Quam de conversatione
Turpissima Mariae,
Peccatricis Aegyptiae,
Misericordia serenae
[Restituit] vitae plene;
Magnificemus
De solo immixtam polo
Hymnis dignis collaudemus,
Ut beata caeli grata
Nobis beneficia
Christus donet et coronet
Nos cum laetitia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Magno regi, qui suo gregi
Sic de Aegypto
Mariam spreto vitae leto
Iubilemus
Et peccato nece strato
Eius statum emendatum,
Venite, rite collaudemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec Maria Aegyptia
Sumens ortum vitae portum
De Aegypto nascitur

Et obscaeno duodeno
Anno luxu carnis fluxu
Voluptatis pascitur.

2. Alexandri urbem magni
Haec puella, haec tenella
Transfuga tunc adiit,
Ubi stupro vili lucro
Corpus curat, sed obdurat
Mentem castam, quae periit.

3. Illecebris haec tenebris
Cor sic stultum tempus multum
Libidine nutrivit,
Sed post planctum labis sanctum
Corde rectum ad conspectum
Domini sitivit.

Responsoria.

1. Nutu Dei sanctam crucem,
Contra mala saeva trucem,
Haec cum populo beato
Ierusalem Aegyptia
Ivit, sed et vitia
Formatis auget peccatis,
V. Nam pro naulo corpus paulo
Naucleris subiecit,
Et sic votum pene totum
In ipsa defecit.

2. Ierosolymam perventa
Prae foribus est retenta
Templi peccatrix infessa
Ob scelera enormia,
Vitia multiformia
Repulsam est perpessa;
V. Pectus tundit haec et fundit
Lacrimas paenitentiae,
Mala plangit, nam cor tangit
Spiritus conscientiae.

3. Contrito haec gemens corde,
Peccatorum ut a sorde
Virgo hanc eriperet
Et ad crucem adorandam
Veniamque impetrandam
Introitum concederet;
V. Sed repente casta mente
Tristi post fere desperat,
Vitam mundi furibundi
Abnexuque spondiat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Voce clara sic amara
Paenitenti poena flenti
Mariae indicitur,
Si iuvamen trans Iordanem
Adit saltum, per cor altum
Salus tibi adicitur.

2. Sed beato Deo [grato]
Quadragenis cum septenis
Annis luit in deserto
Et de pane trino sane
Degens annis carens pannis
Corpore discooperto.

3. Nimis decem per carnis faecem
Cum septenis annis plenis
Maria molestatur,
Sed divino nutu trino
Incentivum carnis vivum
Ab ipsa sequestratur.

Responsoria.

1. Aestuabat abbas pio
Zosimas desiderio
Trans fretum lustrans desertum,
Aliquem si forte patrum
Reperiret, corpus atrum
Viditque discoopertum;
V. Sole usta nuda iusta
Zosimam coepit spernere
Tunc Maria Aegyptia,
Ne nudam possit cernere.

2. Catholicus vir Zosimas
Mariam per asperrimas
Insectabatur vias,
Quae ad virum clamat: tuum.
Pater, sic porrige mantum
Et capiam indunias.
V. Vir mantellum satis tenellum
Nudae sic confert feminae,

Stupefactus et coactus
Suo vocat nomine.

3. Rogat frequens coenobita
Ut eundem eremita
Sic velit benedicere;
Inquit illa: sacerdotum
Culmen consecrat te totum,
Tuum est preces dicere;

V. Ut audivit, quod haec scivit
Officium, quoque nomen,
Benedici et adici
Per verba rogat omen.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Orans ista cum psalmista
Manus tendit, is praetendit
Phantasma esse subito,
Elevatam tum beatam
A tellure et mensurae
Vidit uno cubito.

2. Male putas et refutas
Peccatricem me pernicem
Phantasma esse zabuli,
Parcat Deus, inquit, meus
Miserator, ministrator
Humanae mentis pabuli.

3. Eia, matrem te et patrem
Caelestium, terrestrium
Coadiuro vehementer,
Coenobita, inquit ita,
Regnum, genus, statum plenus
Sermo peroret frequenter.

Responsoria.

1. Fideli haec sacerdoti
Facinus peccati noti
Fatebatur eremita,
Omnem enarrans seriem,
Gestae rei materiem,
Quam gesserat in hac vita;

V. Felix ista cum psalmista
Se fore ream praedicat,
Ad exemplum nostri templum
Vivum se Christo dedicat.

2. Exorat haec coenae die
Zosimam eucharistiae
Conferre sanctuarium
Ad Iordanem, revoluto
Anno termino statuto
Sumat caeli diarium;

V. Corpus Christi petivisti
A sacerdote, Maria,
Nam per multum tempus cultum
Non videras haec in via.

3. Coronata cum corona
Fulget caelo haec matrona
Beatis cum caelicolis,
Quae gaudet nunc in gloria
Devicta mundi scoria,
Clemens assis christicolis;

V. O Maria Aegyptia,
Funde precem contra necem
Aeterni luctus tabidi,
Ne cadamus, sed vivamus
Firma fide, et collide
Laqueos hostis rabidi.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In cena dat dominica
Hic sacramenta mystica
Sic beatae indilate,
Offert donum, vitae conum
Huic Mariae presbyter.

2. Transiit hic super undam
Facto signo crucis, mundam
Contagio, naufragio
Quam crimine non minime
Caelo fecit arbiter.

3. Nimis stupore tremuit
Sacerdos et ingemuit
Iterato perpetrato
Tali signo fide digno
Eius pedibus se prosternens.

4. O sacerdos, inquit, late
Celsa fulgens dignitate,
Te prostrare noli, care,
Sed post cursum anni rursum
Hoc in loco sis me cernens.

5. Notum vir locum adiens,
Cursum post domum capiens,
Hanc defunctam, sed coniunctam
Cernit caelicolis polo,
Quam sepelire datur scire
Literali scripto tali:
Corpusculum redde solo.

Ad Benedictus.

A. Instrumenta pollitoris
Desunt in deserti oris
Sancto seni, qui imperat
Tunc leoni occurrenti,
Qui virtute vehementi
Fossam terra praeparat;
Sic Mariae Aegyptiae
Exsequiae pro requie
A sene celebrantur;
Cuius merita nos inclita
Iungant throno summo bono,
Ubi sancti gratulantur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A Iubar novum in terminis
Galliae fulget tenebris,
Illustratur Centonia,
Maria, Aegypti nata,
Ab oriente translata,
Virtutum testimonia
Praebet signis sic condignis,
Aegros curat et procurat
Sanitas virtutem,
Quam oremus et amemus,
Nos miseros ut liberos
Perducat ad salutem.

Brev. ms. Curiense (?) saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. — In 1. Vesp. **A** 4, 2 Lies Deus atque? — **A** 4, 4 Lies quam nunc? — Ad Magn. **A** 6 Lies Qui de? — Ibid. 10 fehlt ein Verbum. — Ibid. 12. De solio. — Invit., 2 fehlt ein Verbum. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Aegyptiaca. — **R** 1, 5 Iussit sed et. — **R** 1, 7 Re prona nullo corpus paulo. — **R** 3, 10 zweifellos korrupt; lies Ac nexus quae ponderat? — In 2. Noct. **A** 1, 2 fluenti. — **A** 3, 5 Intensivum. — **R** 1, 9 Aegyptiaca. — In Laud. ad Bened. **A**, 6 Tencam terra. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 3 Illustraturque.

8. De s. Maria Aegyptiaca.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Instanti sollemnio
Assurgentes devotio
Nostra gratuletur,
Mariae Aegyptiae
Laudis multifariae
Titulus donetur.

R. Vir sanctus Zosimas
venerabile corpus Mariae
Sepelit rigatum
lacrimis devotionis piae
Sollicitusque de
eius vocabulo
Nomen gloriosum
legit in sabulo;

V. *Corpus eius in pace sepultum est, et nomen eius vivet in aeternum.*

Ad Magnificat.

A. Magnificetur Dominus
A sanctis et fidelibus,
Qui pulsam ab uberibus
Mariam lotis pedibus
Duxit in solitudinem
Dans cordis latitudinem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Christo regi,
Qui sanctorum iunxit gregi
Mariam Aegyptiacam
Per abundantem gratiam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In ingressu Mariae
De vitiorum barbarie
Facta est confessio
Eius sanctificatio,
Haec est dexterae
Dei mutatio.

2. Quae vitae veteris
tunica dum se spoliavit,
Caelesti sponso
thalamum nova sponsa paravit.

3. Ista in Hierusalem
Filia Hierusalem
Et in templo Domini
Fit templum sanctum Domini.

Responsoria.

1. Beatum virum Zosimam
Deus ad suam gloriam
Declarandam, quae latuit,
Mutare locum voluit;
V. *Secretum regis celare bonum est, gloriam Dei revelare honorificum.*

2. Cumque iuxta canonem
Claustri per solitudinem
Iret statuto tempore,
Vidit angelum in corpore;
V. Emicuit gemma
David exornans diadema.

3. Maria non parcens ori
Sancto pandit seniori
Lapsus vitae pristinae,
Pressa pridem ac depressa
Peccatorum pondere,
Post levata, levigata
Corpus librat in aere.
V. *Suspendium enim elegit anima eius et mortem ossa eius.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Posuit Dominus
Desertum in delicias,
Sicut veridicus
Praedixit Isaias,
Dum Mariam Aegyptiam
Illustravit per gratiam.

2. Non erit amplius desolata
Nec vocabitur
ultra derelicta,
Quae adhaesit Domino
Corde perfecto
fideque non ficta.

3. Elongavit fugiens
Et mansit
in eremi vastitate
Exspectans Dominum
Qui salvavit
eam tempestate.

Responsoria.

1. Benedictus
pater misericordiarum,
Qui salutem
procurat animarum,
Per quem vas contumeliae
Fit vas misericordiae;
V. Benedictus Deus
totius consolationis,
Qui suam famulam
replevit charismatum donis.

2. Quae conscripta pactione bona
Coram Dei genetricis icona
Adorato ligno sanctae crucis
Dirigit pedes in viam salutis.
V. *Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis.*

3. Vultum lavans in Iordane
Confortatur Christi pane,
Pergit bene, currit tute
In virtutem de virtute,
Transit hoc edulio;

V. *Panem caeli Dominus dedit ei, panem angelorum manducavit homo.*

V. *Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit rex speciem tuam.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. O mira Dei bonitas,
O praedicanda pronitas
Ad succurrendum homini,
Qui invocat nomen Domini.

2. Denigrata est cutis eius
super carbones ignis,
Et non est agnitus
vultus eius in plateis.

3. Nigra sum, filiae
Ierusalem, et formosa,
Facta sum dilecta
dilecto ex odiosa.

Responsoria.

1. Tres ad victus corporales
Secum deportarat panes,
Quibus in eremo vasta
Multis annis fuit pasta;

V. *Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod prodit ex ore Dei.*

2. Corde sursum ad
Deum intento
Maria unius
horae momento
In locum sanctae
dormitionis reducitur,
Posito corpore
libere Deo fruitur.

V. *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum vivum.*

3. O Maria, mater pia,
Paenitentum quae es via,
Supplicantes die isto
Nos commenda Iesu Christo,
Qui te claram virtutibus
Locavit in caelestibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mirabilis Dominus
In altissimis Mariam
Mirabiliter exaltavit.

2. Iubilemus Domino
in cordis exsultatione,
Qui Mariam revelavit
in crucis exaltatione.

3. Apparuit Domino Maria
In terra deserta et invia,
Ut videret virtutem
eius et gloriam
Uberem consecuta
misericordiam.

4. Benedicant Dominum
Omnes creaturae,
quas finxit,
Qui Mariam beatissimam
Larga manu benedixit.

5. Laudemus Dominum
devotissime cum angelis,
Qui pro Mariae paenitentia
gaudent in caelis.

Ad Benedictus.

Benedictus Deus
christianorum,
Qui conversionem
vult peccatorum,
Qui interventu
matris misericordiae
Eduxit Mariam
de lacu miseriae,
Quam post perfectam
paenitentiam
Ad suam suscepit
praesentiam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Decoratur virtutibus
Anima Mariae,
Illustratur divinitus
Dono prophetiae,
Eius sacro corpori,
dum terrae commendatur,
Bestiarum fortissimus,
leo famulatur.

Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Londinen. Egerton 674. A. — Antiph. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Tungren. s. n. B. — Brev. ms. Zutphaniense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n. C. — Brev. ms. Trevirense saec. 14. Cod. Treviren. 236. D. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Cusan. 75. E. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5a. F. — Brev. ms. Tremoniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 869. G. — Brev. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. Darmstadien. 977. H. — Brev. ms. Coloniense anni 1450. Cod. Darmstadien. 1100. I. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. K.

In 1. Vesp. Super Ps. **A** fehlt ACFGHL. — **R**, 1 En sanctus Zosimas A. — In I. Noct. **A** 1, 1 Sanctum virum K. — In 2. Noct. **A** 1, 5 Aegyptiacam K. — **R** 3, 1 lavit K. — In 3. Noct. lauten **RR** 2 und 3 in K:

2. Veste sua vetustate
Trita sancta nuditate
Nudum Christum sequitur,
Die aestu,
Nocte gelu
Per omne corpus uritur.
V. *Nolite me considerare, quod fusca sum, quia decoloravit me sol.*

3. Perceptis devotissime
sacramentis Christi
Maria precatur in pace
iam se dimitti.
Super fluenta Iordanis
constanter graditur,
Caelestem patriam
incunctanter ingreditur.
V. *Haec requies eius in saeculum, hic habitabit, quoniam elegit eam.*

In 2. Vesperis ad Magn. hat K die folgende Antiphon:

Deus, misericordia dives
A progenie in progenies,
Vocat Mariam
Misericordiam
Consecutam,
Hodie transferens eam
Ad mansionem tutam,
Ubi nec dolor nec gemitus;
Ibi pro suis oret supplicibus.

9. De s. Maria Magdalena.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem caelorum
Dominum veneremur habentes
Spem veniae, quam promeruit
veneranda Maria.

Antiphonae.

1. Cum vellet Dominus
mundum evocare salutis
Ad vitam, populos
rebus verbisque vocabat.
2. Cumque Pharisaeus
Dominum prandere rogasset,
Corporeis fruitur
dapibus dans spirituales.

3. Ecce soror Lazari,
pia nunc, sed tunc scelerosa,
Attulit unguenti
pretiosi pondus odoris.

* * *

4. Postquam caelorum
dominus conscendit in altum,
Huius iusta fuit
ter denos vita per annos.

5. Atque redemptoris
tanto flagravit ardore,
Quod voluit soli
sola vacare Deo.

6. Terrarum secreta petit,
quo nemo vel haustum
Vel valuit deferre cibum
vel verba referre.

7. Laudibus angelicis,
quibus instat iugiter, alte
Ista fruebatur
manibus advecta supernis.

* * *

8. Gaudeat omnis homo
laudes referens creatori,
Et vitae meritis
resonet praeconia laudis,

V. Qui pietate sua
contritis corde medetur.

* * *

9. Quamlibet omnis homo
culparum mole gravetur,
Est tamen ad veniam
praesens spes inclita Christi,
Si tamen admissum
facinus peccator abhorret
Et damnat facti
noxia quaeque sui.

10. Quis Magdalena
sceleratior esse Maria
Quivit ad omne malum,
quae nomine plena reatus
Peccatrix vocata fuit
quasi nomine culpae?
Cum tamen ipsa Deum
lacrimis commovit obortis,
Sui conscia reatus
meruit precamine solvi.

11. O pietas Domini,
cunctis peccata remittens,
Qui scelerum veniam
contrito corde meretur;
Nam scelerosa fuit
Lazari soror, ecce, Maria,
Sed quia paenituit,
meruit pia dona salutis.

Cod. Vatican. 393 add. saec. 11. — Augenscheinlich die Trümmer eines alten Officiums. — 10, 9 verdorben; lies: Conscia peccati?

10. De s. Maria Magdalena.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Aurora Iesu rutilans,
Nesciens occasum,
Nostrae mentis tenebras
Illustra septiformis
Tui spiritus
Sanctimonia.

2. Rosa fulgens virginum,
Audi preces supplicum
Et Mariae meritis
Nos coniunge caelicis.

3. Te laudamus toto corde,
Mente pura, munda voce,
Qui eligis debilia,
Ut confundas fortia.

4. Sic Mariam dum vocasti,
Caritate vulnerasti,
Fons misericordiae,
Nos quoque salva hodie.

Ad Magnificat.

A. Suavissime universorum
Domine, peccatorum

Susceptor mitissime,
Tergens vitiorum
Maculas omnium,
Servans meritorum
Praemia bonorum;
Iesu pie, ad Mariae
Salva nos precamina,
Ut te solum, summe bonum,
Laudemus in saecula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Stellam Christum matutinam
Cum Maria praestolantes,
Ne sola stet foris plorans,
Nos cum ea vigilemus,
Ut per noctem quem insomnis
Quaeritando dilexerat,
Hunc inventum omnes una
Procidentes adoremus.

In 1. Nocturno.

Responsorium.

3. Gaudeamus in hac die
Recurrentes ad Mariae
Fontem paenitentiae,
In quem se dum prudens mersit,
Sordes mentis cunctas tersit
Dono sapientiae;
V. Ad fontem vitae
Christum properando venite.

Brev. ms. S. Coronae saec. 14. Cod. Pragen. XII E 6 a. — Alles Fehlende prosaisch; Hymnus: Magnum salutis gaudium (Dan. I, 179).

II. De sancta Maria Salome.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Mariae Salome merita
Illa reducunt tempora,
Cum Christo sola gratia
Lepra mundabat corpora,
Languores et daemonia
Sanans pellebat omnia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sancta Maria, mater
Iohannis et Iacobi,
Intercede pro nobis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Venite, omnes populi,
Laudemus matrem Iacobi,
Quam revelavit Dominus,
Ut sit solamen omnibus.
3. Quidam Simeon nomine,
Omni carens lumine,
Lucem recepit integram,
Quam saepe postulaverat.
5. Huius sacrae reliquiae
In mundi huius vespere
Inventae fulgent vernulis
Cum signis et miraculis.
6. Per Petrum nam apostolum
Salutem ad credentium
Has revelavit Dominus
Portentis et virtutibus.

Responsoria.

1. Salvator mundi, Dominus,
Et certa spes credentibus
Per Galilaeae litora
Sacra figens vestigia
Mariae vocat filios,
Quos statuit apostolos;
V. At illi spretis retibus,
Patre et rebus omnibus
Sequuntur statim Dominum,
Qui est salvator omnium.

2. His auditis tunc Maria,
Praedictorum mater pia.
Lactabunda festinavit
Seque totam mancipavit
In Dei servitio;
V. Quae ab eo non discessit,
Sed in eius, quem dilexit,
Fide constans exstitit.
3. Sponsa Christi tunc, Maria,
Cuncta spernens in hac via
Soli Christo adhaesisti,
Per quem domum meruisti
In aeterna patria;
V. Esto pia interventrix
Apud Christum, suae gentis
Solvat ut piacula.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inventis tunc reliquiis
Ingens odor prosiliit,
Et terrae motus maximus
Ingessit metum omnibus.
3. Quarto die reliquiae
Perfusae novo sanguine
Cernuntur a fidelibus
Pontificum in manibus.
5. Ad hoc quidem miraculum
Occursus fit fidelium,
Languores et daemonia
Fugat Salomae filia.
6. Rogemus omnes Dominum
Creatoremque omnium,
Ut per Mariam caelitus
Charisma donet spiritus.

Responsoria.

1. Soror matris Iesu Christi,
Caelebs facta tu dixisti,
Stirps ut tua consederet
Christo Deo et teneret
Locum in caelestibus;
V. Quod petisti, nunc, Maria,
Tua tenet proles pia,
Iohannes et Iacobus.
2. Una ergo sabbatorum
Vas unguenti unguentorum
In sepulcrum contulisti,
In quo vere tu vidisti
Resplendentem angelum;
V. Te paventem vir hortatur:
Timor absit, et adfatur:
Iam surrexit Dominus.
3. Tu, Maria, respexisti
Regem Christum, ut vidisti,
Cito pedes tenuisti,
Tota prona mente bona
Nuntians hoc fratribus;
V. Quo audito sublevantes
Manus, preces Christo dantes
Gaudent cum discipulis.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Beatam, inquam, resonet
Noster chorus et intonet,
Quam Christus hoc miraculo
Declaravit in saeculo.

Responsoria.

1. Gaude, pia, quae tenendo
Pedes Christi resurgendo
Meruisti sic tenere,
Ut vidisse Christum vere
Nuntiares fratribus,
V. Ad quos sancta tu dixisti
Vivere per saecula.
2. Gaude, salve, tu Maria
Salome, cum prole pia,
Nos in regno tibi, sortes
Recepisti tu, consortes
Fac per Dei filium;
V. Haec precamur te, benigna,
Roga Deum prece digna,
Nobis det ut veniam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Maria, mater Iacobi
Et Iohannis apostoli,
Te benignam omnibus
Praebe postulantibus.

2. Andreas de Sibilia
Infectus lepra horrida
Et Salomae filia
Restaurantur ad pristina.

3. Quaedam Altruda nomine
Elephantiam patiens,
Ipsius quoque precibus
Mundavit eam Dominus.

4. Margarita quaedam nomine
Eundem morbum sustinens,
Verulis obtinuit,
Quod per Mariam petiit.

Ad Benedictus.

A. O beata Maria,
Apostolorum mater pia,
Deum pro tuo populo
Cum Iohanne et Iacobo
Deprecare assidue,
Ut nos purget a crimine.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriosa tu Maria
Salome, cum prole pia
Nos commenda salvatori,
Ut in regno summi poli
Coheredes faciat.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 2 Lies Christus oder Christi. — In 1. Noct. Zwei **AA** (die 2. und 4.) prosaisch und de communi, ebenso ein **R**, das zweite. — In 2. Noct. Wie in der 1. Noct. — **R** 1, 7 tenes. — **R** 2, 6 vir ornatus. — **R** 3, 7 pedes Christo dantes. — In 3. Noct. ad Cant. **A**, 4 saeculum. — Zwei **RR** prosaisch, das erste und zweite. — **R** 1, 5 Nuntiare. — **R** 2, 3 sq. wohl korrupt. — In Laud. **A** 2, 4 Restauratur. — **A** 3, 1 Altrudam. — **A** 5 wie **A** ad Magn. in 1. Vesp.

12. De ss. Marino et Ammiano.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloria, virtus, lex
spes, gratia tuis, Christe rex,
Qui, quoscunque regis,
perducis ad atria regis,
Magnificanda polis
decet huius ut orbita solis,
Qua Marinus obit,
Ammianus ei socius fit;
Quos quia traxisti
lumenque perenne dedisti,
Nos prece, dux, horum
trahe de tenebris vitiorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum laudemus
istaque die iubilemus,
Qua mercede bona
sanctis dat caelica dona.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Reddens mercedes
caeli Deus reserat aedes
Inducitque chorum
sanctorum lege laborum,
Haec via mira nimis,
qua nos ducamur ab imis.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. O testes Christi,
plebi succurrite tristi,
Ut captet veniam
vestris meritisque sophiam.

Ad Tertiam.

A. Summi mandatum
firmatum, magnificatum
Duxit ad aeterna,
nos iungite, dona superna.

Ad Sextam.

A. Caelis laetati
vos estis glorificati,
Post vitae cursum
precibus nos sumite sursum.

Ad Nonam.

A. Ecclesiae natis
cunctis oramina gratis
Magnificae vestris
impendite, cum quibus estis.

Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 52 saec. 15.

13. De sancto Mario.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Virginis matris filium,
Qui praesulem magnificum
Magnificavit Marium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, adoremus regem regum,
Qui praesulem gloriosum
Magnificavit Marium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In lege Domini
puer egregius
Studere voluit
diebus et noctibus
Et fructum protulit
suis temporibus.

2. Disciplinis eruditus
Est in monte constitutus,
Ut regeret ecclesiam
Et pasceret familiam.

3. Non expavit populi
Saevientis milia,
Cuius Deus salus est,
Susceptor et gloria.

Responsoria.

1. Clarissimis
ortus parentibus
Hic praeclarus
confessor Marius
Velut sidus
fulgens apparuit,
Dum moribus
et vita claruit,
V. In Lausanna civitate
Fulsit vitae vir beatae.

2. In primis annis artibus
Edoctus liberalibus
Et florebat ingeniis
Nec subiacebat vitiis,
V. Nullus ei similis
In suis coaetaneis.

3. Dignitate clericatus
Diu bene conversatus
Per Dei providentiam
Ad regendam ecclesiam
Sublimatur;
V. Placuit enim Deo
Et inventus est iustus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Insignitus
   est sanctus, Domine,
   Pretioso
   vultus tui lumine,
   Operando
   veram iustitiam
   Est adeptus
   misericordiam.

2. Gloriatur et exsultat
   Vir iustus in Domino,
   Sicut bonae voluntatis
   Coronatur clipeo.

3. O quam sanctum nomen tuum,
   Deus, et mirabile,
   Exaltatum, gloriosum
   Et superlaudabile,
   Qui sanctos tuos de terris
   Levas ad caelestia
   Et coronas in excelsis
   Honore et gloria.

Responsoria.

1. Congregatur
   clerus et populus,
   Datur sancto
   virga et annulus,
   Post hoc claret
   praesul eximius
   Multis signis
   atque virtutibus;
V. Inventus est
   vir sine macula
   Et ideo
   fulget per saecula.

2. Castitatis integritas,
   Laudabilis humilitas,
   Pauperum recreatio
   Et carnis maceratio
   Hunc vere commendabilem
   Reddebant et amabilem,
V. Magna et innumera
   Gratiarum munera.

3. Per annorum
   viginti spatium
   Pastorale
   complens officium
   Deo sibi
   praestante gratiam
   Lausannensem
   rexit ecclesiam,
   Fidem servans
   et innocentiam.
V. *Ecce, vere Israelita, in quo dolus non est.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ingressus est
   vir sine macula,
   Requievit
   in tabernacula,
   Quae sunt domus
   et habitacula
   Sanctorum.

2. In virtute Dei
   iustus laetabitur
   Et desiderio
   cordis ditabitur,
   Cum stola duplici
   coronabitur.

3. Innocens manibus
   oculo simplici
   Conscendit Marius
   in montem Domini,
   Et quia non vane
   suscepit animam,
   Plenam recipiet
   misericordiam.

Responsoria.

1. Expleto vitae termino
   Vocante eum Domino
   Caelo reddidit spiritum
   Et terrae carnis debitum.
V. Innocenter
   vivens in saeculo,
   Feliciter
   gaudet cum Domino.

2. Corpus sancti terrae datur,
Sursum spiritus levatur
Et in caelo collocatur,
Inde nobis suffragatur
Apud Christum;
V. Eius semper sit studium
Nobis ferre subsidium.
3. O pontifex
et pastor inclite,
Sis opifex
huius ecclesiae,
Esto pius
pium refugium
Suppliciter
te postulantium
V. Et conserva
tuam familiam,
Ut repellas
omnem malitiam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Tua testimonia,
Sacro plena numine,
Fiunt credibilia
Sanctis tuis, Domine.
2. Serviunt sancti Domino
in cordis laetitia
Et gaudentes inducuntur
in ipsius atria.
3. Sitiit ad Deum
sanctorum anima,
Unde suscepti sunt
ab eius dextera.
4. Sacerdotes
et servi Domini
Hymnum dicant
ipsius nomini.
5. In sanctorum ecclesia
Laus resonet in gloria,
Qui cantant ante Dominum
Hymnum novum et canticum.

Ad Benedictus.

A. Erexit nobis Dominus
Cornu salutis caelitus,
Dum praesulem eximium
Nobis concessit Marium,
Per cuius patrocinium
Caeli scandamus solium.

Brev. Lausannense imp. Gebennae 1503. — In Laud. **A** 4, 3 sq. ipsius dicant.

14. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Hodie rex gloriae
Coronavit Martham,
Quae vas plenum gratiae
Vitam duxit artam.
2. Dum a pontificibus
Templum consecratur,
Aqua Marthae precibus
In vinum mutatur.
3. Morbus incurabilis
Regis Chlodovaei
Probat, quam mirabilis
Virtus esset ei.
4. Tuis apud Dominum
Ministris implora
Veniam peccaminum,
Martha, mortis hora.
5. Da tuo conventui
Fraternum amorem,
Ut laudent assidui
Per te creatorem.

Ad Magnificat.

A. Martha, nobis
virginis filium,
Quem pavisti,
redde propitium

Et post mortis
huius exsilium
Fac in caelo
nobis hospitium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt sanctissimae
Marthae sollemnia,
Quam devotissime
Laudat ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex regali prosapia
Christi procedens hospita
Matre fuit Eucharia
Syroque patre genita.
2. Hebraicis literis
Satis erudita
Floruit prae ceteris
In activa vita.
3. Multos per facundiam
Praedicationis
Provexit ad patriam
Summae regionis.

Responsoria.

1. Martha, verum
iubar ecclesiae,
Pia, prudens,
mirae facundiae,
Cella fuit
divinae gratiae,
Vas pudicitiae;
V. Christi ministra,
Lux erat hominum,
Morum magistra,
Noverca criminum.
2. Iure tenens
hereditario
Bethaniam
simul et Magdalam
Maturo se
rexit consilio,
Summopere
detestans scandalum,
V. Pacem sequens
et sanctimoniam
Exstirpabat
litis zizaniam.
3. Dum haberet
tantas divitias,
Non prorupit
ad insolentias,
Sed abhorrens
carnis delicias
Egenorum
fovit inopias;
V. Secum crevit
a pueritia
Pietatis
exuberantia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Martha parans convivium
Sororis vult auxilium,
Ut expleto negotio
Christi vacet eloquio.
2. Non ex laboris
gemit gravedine,
Sed quia caret
verbi dulcedine
Cibi parandi
sollicitudine.
3. Diligenter excogita,
Quam felix sit haec hospita,
Quanta sint eius merita,
Quae sic erat sollicita.

Responsoria.

1. Dic, domina,
quare conquereris?
Non senties
gravamen operis,
Si cogites,
quantum sit muneris
Opus tuum,
Dominum pasceris.

V. Memor esto,
cuius sis pauperis
Hospes, et tunc
alleviaberis.

2. Non me labor exulcerat,
Sed prae amore langueo,
Amor Christi me superat,
Amo, tacere nequeo;
V. Quanta mihi
fecerit, video,
Ideoque
miror et stupeo.

3. Dei verbum tam dispari
Naturae iungi voluit,
Ab ipsa fauce tartari
Sororem meam eruit
Fratrisque mei Lazari
Corpus vitae restituit,
V. Hospitari
mecum non renuit.
Veritatis
viam me docuit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix esse aula
vere dignoscitur,
Ubi de Maria
Martha conqueritur.

2. Multis placet actio,
Licet onerosa,
Paucis contemplatio,
Quamvis gaudiosa.

3. Ministrat exterius
Martha per activam,
Pascitur interius
Per contemplativam.

Responsoria.

1. Pharisaei
turbant ecclesiam,
Cum pluribus
deserens patriam
Martha Dei
per providentiam
Venit Marsiliam;

V. Maximinum
ducem itineris
Dedit Deus
Marthae et ceteris.

2. Maximino
parens accelerat
Tarasconam,
nam plebs rogaverat,
Monstrum ligat,
patriam liberat,
Iesu Christo
multos confoederat,
V. Carnem stricte
vivendo macerat,
Spiritibus
immundis imperat.

3. Omnes gentes,
manibus plaudite,
Et vos, fratres,
clare concinite,
Hodie rex
hospes in capite
Diadema
posuit hospitae;
V. Plebem tuam
protege, Domine,
Gloriosae
Marthae precamine.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ante felicem dominae
Transitum nocte media
Domum privavit lumine
Satanas ex invidia.

2. Daemones exterminat
Soror Magdalena,
Cereos illuminat,
Fit domus serena.

3. Certa fit de transitu
Suo longe ante,
Prophetiae spiritu
Sibi revelante.

4. Martham Christus visitat
Ante diem mortis,
Ad gaudium vocitat
Supernae cohortis.

5. Iesus coram populo
Cum sancto Frontone
Corpus tradit tumulo
Beatae matronae.

Ad Benedictus.

A. Martha chorum
audit angelicum,
Dum fert ante
vultum dominicum
Magdalenae
spiritum caelicum
Mirificum
cantando canticum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Iesu bone, foedere
Tuae bonitatis
Confirma nos munere
Verae castitatis,
Amore dapiferae
Parcensque peccatis
Fac nos tecum vivere
Semper cum beatis.

Brev. ms. Lucionense saec. 14. Cod. Parisin. 1033. A. — Brev. ms. Illerdense saec. 14. Cod. Capit. Illerden. 12. B. — Brev. ms. Pragense saec. 14. Cod. Altovaden. XXV. C. — Brev. ms. Monasticum saec. 14. Cod. Pragen. XII A 22. D. — Brev. ms. Lamspringense saec. 15. Cod. Beverin. 687. E. — Brev. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 83. F. — Antiph. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 94. G. — Antiph. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. XII A 9. H. — Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 182. I. — Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 184. K. — Brev. Illerdense imp. Illerdae 1479. L. — Brev. Aversanum imp. s. l. 1499. M. — Brev. S. Melanii Redonen. imp. s. l. et a. N. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. O. — Brev. Hallense imp. Lipsiae 1534. P. —

In 1. Vesp. Super Ps. haben manche Quellen (CDHO) nur eine **A**:

Iucundetur in hoc sollemnio
Tarasconis devota contio,
Harmonica vocis diffusio
Martham laudet, iubilet animo,
Sollemnizet adiacens regio
Tantae laudis dotata radio.

Die letzte Zeile fehlt O; die vierte ist nach Ausweis des Reimes verdorben; lies: iubilo nimio? — In H stehen die 5 **AA** super Ps. ad parvas Horas verteilt. A beginnt mit der **A** ad Magn. — Ad Magn. **A**, 2 filium virginis D. — Ibid. 7 in caelis D. — In 1. Noct. **A** 1, 3 Eukaria C. — **R** 1, 5 Schola fuit A. — **R** 1, 7 prudentiae C. — **R** 2, 4 simul fehlt C. — In 2. Noct. **A** 2 lautet in A:

Non ex laboris gemit gravedine
Dicens sed amoris verbi dulcedine.

In 3. Noct. **A** 1, 1 sq. Felix esse domus vere A; Felix domus vere esse C. — **A** 3, 4 Maria per contemplativam C. — Hiezu die Hymnen: in 1. Vesp.: Pange lingua praeconium (Anal. IV, 206); ad Noct.: Exsultet caelum laudibus (Anal. IV, 207); ad Laudes: A solis ortus cardine (Anal. IV, 204).

15. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. En, illuxit lux celebris,
In qua de mundi tenebris
Lux verae lucis hospitam,
Martham collegit inclitam,
Quae nos post carnis limitem
Ad suum ducat hospitem.

Ad Magnificat.

A. Haec est Christi fidelis famula,
Apud quam Dominus hospitari
Voluit atque servari
Saepiusque recreari;
Propter hanc sibi gratissimam
Lazaro vitam reddidit defuncto;
In huius Christus sepultura
Visus, quam esset pura,
Scripti monstravit censura.
Ergo in nomine
sui commendatoris,
Qui eam recollegit
in caeli choris,
Canamus gloriam
tibi, Domine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudibus et psalmis
Christo iubilemus in almis,
Quem sua Martha pio
suscipit hospitio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iam gloria et honore
Martham coronas, Domine,
Quam mortali degens more
In suscepto homine
Suo laudas in labore
Geminato nomine.

2. Laudibus agat debitis
Mundus Marthae memoriam,
Aeternam cuius hospitis
Caeli enarrant gloriam.

3. Christum pavit sollicita
Potu, cibis et panibus,
Mundo corde praeinclita
Haec innocens et manibus.

Responsoria.

1. Benedicta
susceptrix salvatoris
Nunc ab eo recepta
Gaudens est coniuncta
Summis caeli choris,
V. Martha felix, quae pavit Iesum
Dans stratum, potum et esum.

2. Curae serviens hospitali
Virgo de stirpe regali,
Martha nomine,
Collegit te, Domine.
V. Magna virtus hospitalitatis
esse probatur,
Cum et per illam saepius
Dominus excipiatur.

3. Lazarum hospitae
Dominus suae devotae
Germanum defunctum
Resuscitat iam sepultum,
Foetentem quatriduanum.
V. Suscitet nos Dominus
a peccati nece
Propter hanc, cuius prece.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eructavit cor sedule
Querulae verbum famulae,
Quod soror opem neglegit,
Dum haec servire satagit.

2. Deus, noster refugium,
Huius adit hospitium,
Docendi dum laboribus
Lassatur et sudoribus.

3. Fundavit hanc altissimus
Homo natus humillimus,
Cuius te decet caritas
Activa, Dei civitas.

Responsoria.

1. In quoddam caeli dominus
Castellum intravit,
Ubi eum protinus
Hospitio Martha servavit.
V. O sacra
et felix Bethania,
Quae digna
es Christi praesentia.
2. Natantem unda suffocat,
Quem Martha prece revocat,
Nam vivus surgit iuvenis,
Quem merserat vis fluminis,
V. Multum enim valuit,
Quod Martha deprecare studuit.
3. Monstri crudelis
multorum mota querelis
Martha domat rictus,
abscedit enim draco victus;
Terra Deo credit,
sanctae plebs omnis obedit,
Templum sacratur,
per Christum virgo vocatur;
V. Centenis aeque
vicibus noctuque dieque
Flexis poplicibus
incubat haec precibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Novum cantate canticum
Deo, qui Marthae caelicum
Lumen pandit in patria
Et summi patris atria.
2. Exsultet terra meritis
Marthae congaudens inclitis,
Quae vitam pavit hominum
Et angelorum dominum.
3. Salvator mirabilia
Fecit, pater ex filia
Dum panis caeli nascitur
Et Marthae pane pascitur.

Responsoria.

1. Lumen, quod exstinxit
hostis dirus,
Reaccensum, carentum
ignibus stupor fit mirus,
Territam consolatur
Martham salvator
Et ad caelos dulcem
vocat hospitam,
V. Grates Dominus
multis obsequiis
famulae rependens.
2. Praesul ad exsequias
Marthae a Christo vocatur,
Rei veritas populo
chirothecis publice probatur,
Libro Domini
Martha laudatur;
V. Octo praevenit hanc dilecta
Soror diebus caelo vecta,
Succedit haec electa.
3. O Christi felix hospita,
Quae carne iam deposita
A Iesu pasto pasceris
Et collecto colligeris,
Indigna membra capiti
Nos tuo iungas hospiti;
V. Memor esto positorum
in hoc exsilio,
Quae iam convivaris
cum Dei filio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martha sine vitio
Christo ministravit,
In cuius hospitio
Dominus regnavit.

2. Ei, qui, dum voluit
Subvenire reo,
Marthae domum coluit,
Iubilate Deo.

3. Te, quem scriba despicit
Atque pharisaeus,
Martha domo reficit,
Deus, Deus meus.

4. Qui sepulcro commendavit
Corpus dulcis hospitae
Et ministrum honoravit,
Domino benedicite.

5. Omnis spiritus de caelis
Et hic coetus hominum,
Hospitem Marthae fidelis
Iam laudate Dominum.

Ad Benedictus.

A. Ave, Domini ministra,
Vitae activae magistra,
Tu, cui germanus
Redditur quatriduanus;
Gaude, quam vocavit
Ipse Christus et humavit;
Vale, parte sororis
Iam potita
facto fine laboris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ista est famulatrix
Domini salvatoris,
Ista est fidelis hospita
Iesu, mundi redemptoris,
Pro cuius ipse nos precatu
hic dirigat,
Tandem in caelis
nos colligat.

Brev. ms. Voraviense 86 saec. 15. A. — Brev. ms. Claustroneoburgense 1201. saec. 15. B. — Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. C. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. VI F. 16. D. — Brev. ms. Pataviense saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 1863. E. — Brev. ms. S. Floriani XI 401. saec. 14. F. — Brev. ms. Plagense s. n. anni 1499. G. — Brev. Kimense imp. Venetiis 1516. H. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 2 et hospitari F. — Inv. 4 suscepit DF. — In 1. Noct. R 1, 4 coniuncta est F. — R 2, 7 sq. Cum et per illam Dominus ipse saepius E. — R 3, 1 sq. Lazarum Dominus hospitae F. — R 3, 4 suscitat G. — In 2. Noct. A 1, 2 Querelae vertum F. — A 2, 2 Huius habet F. — A 3, 3 Cuius docet F. — R 1, 4 Hospitio fehlt G. — In 3. Noct. R 3, 9 convivas F. — In Laud. ad Bened. A, 1 Domini fehlt G. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 8 nos fehlt G.

16. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Plebs fidelis veneretur
Miro Christi praeconio,
Venerando collaetetur
Gens Marthae sollemnio,
Quae aulam sui hospitis
Intrat fecunda meritis,
Dulci fruens convivio,
Beata iam ex praemio.

2. Rex immensae maiestatis
In domo aeternitatis
Festum grande celebrat,
Ad quod dono pietatis
Martham vocat cum beatis
Et hanc digne munerat.

3. Caelum scandit invitata,
Tota fulgens, coronata
Stola sancti meriti,
Gemmis virtutum ornata,
Deum laudat sociata
Suo dulci hospiti.

4. Hospes secum colligit
Martham, quam sic diligit,
Quod hanc sponsam eligit
Ob decorem;

Amor nunquam deficit,
Sed crescit et perficit,
Quia nil se obicit
In amorem.

5. Sicque felix hospita
Christo tota dedita
Secum est apposita
Gloriose,
Nos per huius merita,
Christe, laxans debita
Duc ad caeli abdita
Gratiose.

Ad Magnificat.

A. Adest dies triumphalis,
Quo devota specialis
Christi sursum vehitur,
Martha digna summa luce,
Caelum scandit Christo duce
Et Deo coniungitur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeterno regi omnium
Laudem solvamus debitam,
Qui in terra viventium
Coronat suam hospitam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ministrabat sollicita
Christo fidelis hospita,
De sorore conqueritur,
Quod secum non obsequitur.

2. Martha, Martha, quid turbaris
Per frequens ministerium?
Porro unum, quo bearis,
Tibi est necessarium.

3. Claris orta natalibus
Sanctis ornatur moribus,
Viri spernens consortia
Sponsi caelestis gratia.

Responsoria.

1. Mittens in hoc exsilium
Pater caelestis filium,
Subintrat solitudinis
Campum per alvum virginis,
V. Carentem domicilio
Martha recepit proprio
Ministrando fideliter.

2. Veris caeli deliciis
Intenta, quae gustaverat,
Cum magnis abstinentiis
Carnem ieiunans macerat,
V. Mentis nitens puritate
Et carnis virginitate
Viri spernit contagium.

3. Suam Christus familiam
Sublatis gubernaculis
Maris commissam fluctibus
Mire vehit Marsiliam;
V. Praesul, Martha,
soror et Lazarus
Exponuntur
ab infidelibus.
Mari sine remigio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fidem facunde praedicans
Coruscat per miracula,
Multos ad Christum revocans
De caecitatis nebula.

2. Ad sui nomen hospitis,
Beatae Marthae meritis
Resuscitatur iuvenis
Aquis submersus fluminis.

3. Draconi crux opponitur,
Draco Marthae prosternitur,
Quem suo coram populo
Martha ligavit cingulo.

Responsoria.

1. Ad Christi matris gloriam
Miram fundat ecclesiam
Ministra caritatis,

In qua sorores ordinat
Et has cunctas illuminat
Exemplo sanctitatis,
V. Instat orationibus
Dans plena virtutibus
In Christo fructus iugiter.

2. Cernens sororis animam
Caelum ferri clarissimam
Orat congaudens praemio,
Ut solvatur exsilio:
V. Bona soror iam beata,
Precor, assis advocata
Hospiti pro hospita.

3. Suum praenoscens obitum
Sanctum commendat spiritum
In manus sui hospitis
Et caelum semper intuens
In pace dormit affluens
Piis et sanctis meritis;
V. Adest Christus, adest soror
Hora mortis, et sic honor
Christi crescit hospitae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exstincta luminaria
Hostis antiqui furia
Soror vocata veniens
Accendit facem deferens.

2. Sancta et felix anima
Somno pacis iam proxima
Stratu prostratur cineris
Exemplum praebens posteris.

3. Pro hospitis memoria
Passionis victoria
Secundum Lucam legitur,
Dum Martha carne solvitur.

Responsoria.

1. Hospes dulcis, hospes care,
Mei, precor, recordare
Meque tecum suscipe.
Veni, veni, praedilecta,
Hospita olim electa,
Et iam mecum reside;
V. Tu in terris me pavisti,
Me receptans me fovisti,
Modo mecum epuleris.
In aeternum gratuleris.

2. In amoris magni signum
Suae Christus laudis dignum
Honorem praestat hospitae,
Nam excitat pontificem
Frontonium et invicem
Corpus condunt sollicite.
V. O hospes plenus gratia,
Cuius mira clementia
Sic honoratur hospita!

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Marcilla, Marthae famula,
Martham sequens humiliter
Eius vitam fideliter
Conscripsit et miracula.

2. Sursum semper aspiciens
Seque cruce praemuniens
Egressura de corpore
Provolvitur in cinere.

3. In fidem testimonii
Chirotheca Frontonii
Relinquitur cum annulo,
Dum commendatur tumulo.

4. Benedicamus Domino,
Qui Martham sine termino
In caelis beatificat,
Dum hanc mire glorificat.

5. Laudetur Christus iugiter,
Qui coronat feliciter
Martham in caeli solio
Aeternae vitae praemio.

Ad Benedictus.

A. Visitavit
redemptor omnium
Hospitissam
sibi carissimam,
Quam vocavit
ad regni solium
Sedem parans
luce clarissimam.
Illi munus
stolae dans duplicis
Sociansque
choris angelicis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In aeterna memoria
Est iusta Christi hospita
Caeli fulgens in gloria
Ob sanctitatis merita,
Quae in die novissimo
Non timebit ab asperis,
Cum hospite dulcissimo
Secura iam in superis.

Brev. ms. Franciscanum anni 1332. Cod. Casinen. 193. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 collocetur. — **A** 3, 2 fulges. — In 1. Noct. **A** 2, 1 quid urgens. — **A** 2, 3 quo beans. — **A** 3, 4 caelesti. — In 2. Noct. **R** 2, 2 Caeli. — In Laud. **A** 4, 4 hac.

17. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Salve, clemens hospita
Nostri redemtoris,
Martha, tu nos adiuva
Nunc et cunctis horis.

Ad Magnificat.

A. Gloria, Christe, tibi,
qui Martham sede polorum
Hospitio refoves,
tu cibus, sorte piorum,
Eius nos meritis
sorti coniunge bonorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus Dominum,
qui Martham large beavit
Aeterno pro terreno
caelisque locavit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ave, Iesu laudabilis
Et multum admirabilis,
Qui quondam ceu pauper homo,
Marthae receptus es domo.

2. Ave, sol iustitiae,
Iesu, sole natus,
Marthae tabernaculo
pastus et potatus.

3. Ave, Iesu Domine,
factor et factura,
Nos pro Marthae meritis
fove suavi cura.

Responsoria.

1. Syrus dux Syriae,
quoque multarum regionum,
Euchariam duxit
regali germine natam,
Gignitur his Martha,
devota per omnia Christo,
V. Hospita, servitrix,
famulatrix, fervida nutrix.

2. Martha, virgo nobilis,
multum infirmata
Et diu, sed Domini
virtute sanata,
Corde, ore, opere
nam semper dilexit
Hunc, hinc hanc ad supera
ceu suam provexit;
V. Rex bona pro meritis
dat pius ipse suis.

3. Salve, stirpe regia
Nata, felix hospita
Nostri salvatoris,
Martha, fac, ut omnia
Nobis tua merita
Prosint cunctis horis,
V. Te quia salvator
dilexit castus amator.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ave, Martha speciosa,
Generosa, gloriosa,
Pulchra et amabilis,
Iesus [pius] copiosa
Prece tua suffragosa
Nobis sit et dapsilis.

2. Ave, nostrum refugium,
Iesu, propter hospitium
Marthae precesque puras
Mentes emolli duras.

3. Ave, Iesu fundamentum
Omnis boni et augmentum,
Pro Marthae sanctis meritis
Nos summis iunge gaudiis.

Responsoria.

1. Martha Christo ministravit,
Ubicunque potuit,
Et ad ipsum invocavit
Sororem et voluit,
Ut ad haec se adiuvaret,
Et hoc Iesus imperaret,
Sed Iesus sic docuit:
V. Martha bonam partem
retinens, tamen haec meliorem.

2. Iesu de terris ad patrem
post ascensionem
Martha toto nisu studens
ad profectionem,
Quae habebat, deponebat
in communionem
V. Sanctorum, Christumque sequens
fit forma bonorum.

3. Cum fideles de terrena
Hierusalem fugarentur
Et de suis finibus,
Cum sua tunc comitiva
Iactata maris fluctibus,
Nullo prorsus gubernante
Nisi solo Domino,
Venerunt Marsiliam,
Tandem ad urbem Aquensem
Et ibi familiam
Christo multam genuerunt,
Quia valde clamaverunt
Verbis et miraculis
Coram cunctis populis.
V. Martha, Iesu nutrix,
nos nutri, sis quoque tutrix.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ave, Iesu gloriose,
Mire et mirabilis,
Hospes Marthae gloriosae
Quondam et spectabilis.

2. Iesus Martham et Mariam
Lazarumque diligebat
Et dans ipsis manum piam
Ad superna provehebat.

3. Iesu dulcis, per merita
Dicti Lazari inclita,
Sororum praefatarum,
Fac in regno coelorum
Nos consortes earum.

Responsoria.

1. Martha corpus iuvenis
Biduo submersum
Vitae reddit precibus
Et facit conversum,
V. Suscitat et senem,
Christo populum quoque multum.

2. Iesus suam hospitam
Pie consolatur
Et, ut ad se veniat
Post annum, adfatur,
V. Et quod salvetur
semper, qui eam veneretur.

3. Salve, felix hospita
Iesu, Martha inclita,
Virgo prudens et beata,
Sis pro nobis exorata,
V. Ut Domino gratos
nos efficias et amatos.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martha bestiam indignam,
Nimis feram et malignam
Necavit Christi nomine,
Gloria tibi, Domine.
2. Martha virgo Tarascono
Loco quodam velut dicto
Constructa ecclesia
Cum sua familia
Domino servivit,
Quo dum ipsum audivit.
3. Frontonem, Petragoricum
episcopum, vocavit
Iesus dilectum nominans,
dum missam celebravit,
Et Martham caram tumulo
cum ipso collocavit.
4. Chlodoveus rex renibus
gravissime dolebat
Et famam de miraculis
Marthae tunc audiebat,
Et veniens ad tumulum
sanissimus fiebat.
5. Tunc locum illum liberum
Rex fecit et ditavit
Et trium miliarium
Terras circum rodavit
Villas castraque donavit.

Ad Benedictus.

A. Ave, dilector optime
Te pure diligentium,
Qui Martham das memoriae
Cunctorum te colentium,
Et hoc libro monstrasti,
Quem tunc portasti.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, Iesu, pietas,
veritas et vita,
Qui tuam caram Martham
consolatus, ita
Dicens: mecum gaudebis
In aeternum vivens
Et, quae petis, habebis
A me, daboque libens,
Et omnes te colentes
Erunt tecum gaudentes.

Brev. ms. Pataviense (?) saec. 14. Cod. Palat. Vindobon. 1977. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 4 tuci vis sorte; lies wie oben oder duci vis? oder tu civem? — In 2. Noct. **R** 3, 4 Martha cum sua. — **R** 3, 15 sq. Martha Iesu nos nutri sis quoque nutrix. — In 3. Noct. **A** 1, 2 Mira et mirabilia. — **R** 2, 6 semper quis eam veneratur. — In Laud. **A** 3, 6 Cum epo (episcopo) collocavit.

18. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O quam praedigna,
quam felix, Martha, benigna
Hospita Christi,
suavi pietate fuisti,
Caeli convivis
nos iungas, caelica civis.
R. Regem magnificum
pascentem cuncta creata
Sumis ad hospitium
pascendum, Martha beata,
V. Manna suave cibas
et fonti pocula libas.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Qui pro salute hominum
Dives pauper, Deus homo
Factus, ut in Marthae domo

Panis vivus pasceretur,
Fonti potus largiretur,
Cuius nos patrocinio
Paradisi iungat convivio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum laudemus,
cum Martha glorificemus,
Quam sibi convivam
pietatis iunxit olivam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec Martha Dominum
Angelorum et hominum
Caro hospitio
Suscepit servitio.
2. Testimonium
Domini fidele,
Dum utriusque
devotae famulae
Commendat vitam,
Marthae activam,
Mariae contemplativam.
3. Innocentiam vitae largiens
Mundumque cor diligens
Hoc castellum quaesivit,
In quo templa
gratiae praescivit.

Responsoria.

1. Felix Martha,
soror Lazari,
Cum Maria
o digna famula,
Quam salvatoris
commendat gratia
Et suavis
honorat amicitia;
V. Diligebat Iesus
Martham piam,
Cum fratre Lazaro
sororem Mariam.
2. Haec dum de morte
fratris conqueritur,
A salvatore
fides quaeritur,
Quae post fidei
confessionem
Fratris videt
resurrectionem;
V. Deo placens
et dilecta
Et dilecto
serviens subiecta.
3. Quadam die
excellentia
Christi commen-
dabat clementia,
Cuius domum
sedulo visitavit,
Clementer fratrem
compatiens suscitavit.
V. O praedignum
laudibus praeconium,
Tanti amoris
Christi testimonium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Desiderans salutem eius
Visitavit eam Deus,
Ut medicus aegrotam
Corpore quam spiritu
curaret totam.
2. Virtutum Dominus illius
Sedit cum bis senis fratribus
In circuitu mensae ipsius.
3. In medio discumbentium
Medicus dans cibum mentium
Fecit salutare convivium.

Responsoria.

1. Misit manum ad fortia
Martha prudensque femina,
Fortis doctor
meruit consortia,

Quae praedicando
sparsit verbi semina.
V. Salvatoris conservabat
Gesta, verba
quod post eructabat.

2. Dum Tarascone draconem
Duxit ad occisionem
Zona vinctum velut agnum,
Plebis tripudium
effecit magnum,
V. Pium miraculum videntes
Collaudant adflictae gentes.

3. Martha veneranda,
Gestis, verbis admiranda,
Dum iuvenem suscitavit,
Laudes salvatoris
mirificavit,
V. Actu, voto Christi gloriam,
Reverentiam
non quaerens propriam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dicta sunt gloriosa
De te, Martha speciosa,
Hoc celebri festo
miseris, pia mater, adesto.

2. In populis annuntiemus
Mirabilia, quae fecit Deus,
Dum Lazarum resuscitavit,
Suam dilectam laetificavit.

3. Tubis in ductilibus
Psallamus cum laudibus
Christo, qui post
laudabilem vitam
Suam sibi
iunxit amicam.

Responsoria.

1. Post obsequii laborem
Carnisque macerationem
Christi dilecta divitiis
Delata fruitur deliciis,
V. Ut requies post laborem
Et sequatur
gloria squalorem.

2. Sancta Martha
iam mortis hora instante
Gaudet Domino
se visitante,
Quam post tristia
Vocat ad caelestia:
V. Veni, hospita mea,
veni, dilecta mea,
Ad me, quem amas
mente sancta, fide vera.

3. Fortis agonista,
mundalia respuens ista,
Suaviter interius
Oculis suspensa supernis,
Semper inhaerebas
Dilecto, quem cupiebas;
V. Christo coniuncta
pete nobis prospera cuncta.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martha, insignis athleta,
Legisque Domini decreta,
Quae corde
meditatur dulciter,
Explicabat
sermone sagaciter.

2. Cumque verbo quam exemplo
Haec columna
visa sit Dei templo,
Digna veneratur apostola,
Fide actuque
Christi discipula.

3. Ministri tunc ecclesiae
Hanc matrem erant venerantes
Et sanctitatis eximiae
Plenitudinem mirantes.

4. Vas gratiae inexhaustum,
Deo dignum holocaustum,
Omnium genus expolitum.

5. Laudabilis Dominus
In suis virtutibus
Gratam sibi Martham fecit,
Quam gratuitus
Mirifice perfecit.

Ad Benedictus.

A. Videntes haec magnalia
In beata Christi hospita,
Quam suis manibus
Sepelivit Dominus,
Fideles mirantur,
Angeli iucundantur,
Benedicentes Deum deorum
In saecula saeculorum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sanctum nomen Domini
Magnificent omnes populi,
Qui Martham piam
Sanctam invitavit ad patriam,
Promittens se daturum
vitae gloriam
Eius devote
agentibus memoriam,
Quorum nos consortes
In dilectione fortes
Faciat ad suam laudem
Per infinita
saecula saeculorum.

Brev. ms. Pragense saec. 14. Cod. Pragen. VII A 12. A. — Brev. ms. anni 1421. Cod. Gottwicen. 436. B. — B hat nur die 1. Vesper; ad Noct. Commune de virginibus. — Ad Magn. A, 3 Deus fehlt A. — Hymnen in 1. Vesp.: Pange lingua praeconium (Anal. IV, 206) A, Praesens sollemnium (Anal. XXIII, 237) B.

19. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exsultet urbs Bethania,
Quae contulit immania
Fidelibus donaria
Salute multifaria.

2. Ex qua processit edita
Beata Martha, praedita
Parentibus regalibus,
Clarissima natalibus.

3. Haec annis puerilibus,
Senioribus, senilibus
Signavit se virtutibus
In omnium obtutibus.

4. Contemptis voluptatibus
Et mundi vanitatibus
Devota Deum coluit,
Cui foederari voluit.

5. Hac inspirata gratia
Mundi cordis palatia
Christi parat hospitium;
Quam felix hoc initium!

R. O germana Magdalenae,
Tuae precis cantilenae
Resonent in aure Christi,
Cuius hospita fuisti,
V. Fac, ut nos ab orci nece
Salvet Deus tua prece.

Ad Magnificat.

A. Distribuit egentibus
Opes suas et gentibus
Fidem Iesu Christi sparsit,
In amore Iesu arsit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Procidentes ante Deum
Adoremus omnes eum,
Vota Marthae qui respexit
Et in caelos illam vexit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Magna Dei clementia,
Cuius magnificentia
Sanctam Martham coronavit
Et in caelos elevavit.

2. Per eius, Christe, merita
Praesentia, praeterita,
Aliena et occulta
Dele mala, sunt nam multa.

3. Virtutum dux, rex gloriae,
Hanc cum palma victoriae
Triumphantem laureavit,
Quae draconem iugulavit.

Responsoria.

1. Quoddam Iesus in castellum
Introivit, ut, novellum
Verbum vitae praedicaret
Et salutem lapsis daret,
V. Ut quibus casus gravior,
Erectio sit gratior.

2. Alvo virginis conceptus
Hospitatus et acceptus
Est in sanctae Marthae domo,
Verus Deus, verus homo;
V. De virgine qui nascitur,
Is cibo Marthae pascitur.

3. Dum paratur aegro cena,
Soror Marthae Magdalena
Iesu pedes amplexatur,
Sed per Martham ministratur;
V. Martha pavit carnaliter,
Haec pascitur mentaliter.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maria, quod audierat,
Iesum, quem concupierat,
Verbum sedens eructavit,
Sed stans Martha ministravit.

2. In uno necessario
Maria vacat, vario
At cum Martha turbabatur
Et iuvari se speratur.

3. Marthae non reprehenditur,
Mariae pars reprenditur
In supernis fundamentis
Portas Sion diligentis.

Responsoria.

1. Ad Iesum flens dixit Martha:
Ecce, dies adest quarta,
Quod defunctus est mis frater;
O si hic fuisses, pater,
V. Lazarus, servitor tuus,
Non fuisset mortuus.

2. Qui compassus Marthae flenti
Lacrimatus cum ingenti
Voce sursum exclamavit
Lazarumque suscitavit,
V. Spes ipse morientium
Et vita est credentium.

3. Hoc Iudaei persenserunt
Moxque Martham eiecerunt
Et, qui ei adhaeserunt,
A Iudaea propulerunt,
V. Post passionem Domini
Credentes suo nomini.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annunciavit gentibus
Cum signis eminentibus
Gloriam divinae legis,
Salutare summi regis.

2. Martha cum suis sociis
Vacans Deo non otiis
Circumquaque praedicavit,
Quia Dominus regnavit.

3. Convertitur ad Dominum
Mox multitudo hominum,
Qui per signa, quae viderunt,
Laudes Deo cantaverunt.

Responsoria.

1. Venit Martha super fretum
Propter Iudaeorum metum,
Remi, vela non dabantur
Et cibi subtrahebantur,
V. Sic secum ad Marsiliam
Suam duxit familiam.

2. Urbs Aquensis visitatur,
Et plebs multa baptizatur,
Martha signis et portentis
Feritatem domat gentis
V. Avinionis finibus
Et Tarasconis syrtibus.

3. Demum Martha Tarascono
Illustrata Dei dono
In aula sistitur Heli,
Quae cibavit regem caeli,
V. Erit perpes memoria
Sua cum Dei gloria.

4. Laudantes benedicite,
Psalmis hymnos adicite,
Festa Marthae celebrantes
Et in Deo gloriantes.

5. Caelestibus in aedibus
Excelsis sedet sedibus,
Cantat ibi laudes Deo
Hospitata nunc cum eo.

Ad Benedictus.

A. Laudabiles exsequiae
Celebrantur pro requie
Marthae, Christus quam amavit,
Corpus eius tumulavit,
Per se gerens officium
Commendat hoc exitium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In domo sanctitudinis
Decore pulchritudinis
Suam hospitam locavit,
Orbem terrae qui firmavit.

2. Introivit in atria
Caelestia, nam latria,
Domino quam exhibebat,
Iesu Christo complacebat.

3. Ad Dei vultus gloriam
Suam vertens memoriam
Iesum Christum sitiebat,
Aliquando quem pascebat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O caelis digna,
venerabilis hospita Christi,
Quae nova per signa
fidei vera dona dedisti,
Convertens gentes
baptizari sitientes,
Ad Christum mentes
tua dirige iussa sequentes:
Lazarus e bustis,
en, te plorante vocatur,
Praemia cum iustis
ut vivus promereatur,
Sic a peccatis
nobis quoque vivificatis
Crimine conductum
vertas in gaudia luctum.

Brev. ms. Augustanum saec. 15. Clm. Monacen. 3902. A. — Brev. ms. Constantiense (?) saec. 14. Cod. Sangallen. 472. B. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Eremiten. 80. C. — Brev. ms. Constantiense anni 1470. Cod. Eremiten. 82. D. — In 1. Vesp. A 3, 3 Signavit virtutibus A, et virtutibus B. — In 2. Noct. A 3, 1 Marthae pars non AB. — R 1, 3 Quod defunctus est frater meus A. — R 1, 4 O si fuisses hic frater A. — R 2, 4 que fehlt A. — In 3. Noct. R 1. 4 Et tibi A. — R 2, 3 Signis et portatur A, et potentis B. — In Laud. A 5, 1 Caelestibus in diebus A. — In 2. Vesp. Ad Magn. A, 4 dona fehlt A. — Hymnus: Magnae laetitiae fulget lux hodie (Anal. IV, 205).

20. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, felix visitata
Per Martham Provincia,
A qua tibi lux est data,
Vitae prius inscia.

2. Hanc per orbem venerari
Congruit officio,
Cuius venit ministrari
Christus in hospitio.

3. Circa cuius satagebat
Frequens ministerium,
Ut caelorum hunc timebat
Tenentem imperium.

4. Christo frater accumbenti
Redivivus iungitur,
Soror verbum proferenti
Secus pedes fungitur.

5. Haec turbatur erga plura
Sola vitans otium,
Ministrandi mente pura
Pertractat negotium.

R. O quam dulce, quam praeclarum
Est Marthae convivium,
In quo regem pascit carum
Supernorum civium,
Qui perennis sibi dedit
Vitae cibum hodie
Et cum hymnis ad hanc redit
Caelestis melodiae;

V. Surge, soror, hospes cara,
Iesus inquit, propera,
Fruitura luce clara
Fulgida per opera.

Ad Magnificat.

A. Transit hospes virgo Christi
Hoc de mundo laeta tristi
Ad caeli palatia,
Cuius corpus tumulavit
Pastor bonus, quem hic pavit
Speciali gratia;
O susceptrix susceptoris,
Nos coniungi caeli choris
Impetra per Dominum,
Qui in terris te dilexit
Et frequens ad te respexit,
Unica spes hominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Deo regi
Canticorum schemate,
Qui caelesti fecit tegi
Martham diademate.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Visitans memoriam
Marthae geris, Domine,
Quam vehis ad gloriam
Miro tuo nomine.

2. Tibi fervens a calore
Servam se exhibuit
Et ministrans in timore
Sua quaeque tribuit.

3. Non accepit haec in vanum
Animam, quae filio
Dei largam dedit manum
Suo domicilio.

Responsoria.

1. Cum redemptor mundo luxit
Et ad viam plures duxit
Spargens verbi semina,
In domum cum tota cura
Suam illi servitura
Hunc excepit femina,

V. Cuius soror pedes Iesu
Tenet pro solamine,
Sed ministrans haec in esu
Devoto conamine.

2. O prae multis praeelecta,
Quod ad tua, virgo, tecta
Depascendum traheres,

Qui dat omni carni cibum,
Tuam sic attollens tribum,
Dum rem eius ageres;
V. Obsequendo deitati
Maior fis ingenua,
Cuius cuncta potestati
Incurvantur genua.

3. Fide lucet redimita,
Quando Iesus inquit: vita
Sum et resurrectio,
Credo, mox respondit ei,
Tu es Christus, natus Dei;
En, fidei perfectio
V. In hac lucet, qua germanus
Suscitari meruit
In busto quatriduanus,
Quem Christi vox eruit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum bonum eructavit
Martha, Dei filia,
Quae doctura transfretavit
Multa plebis milia.

2. Transfert montes in cor maris,
Dum fidem astrueret,
Et ab ea salutaris
Verbi rivus flueret.

3. Monte sancto solidata
Et in petra stabilis
Plebem docet Deo grata
Et mundo amabilis.

Responsoria.

1. Proficiscens haec sororis
Tarasconem et rectoris
Obtenta licentia
Revelare Iesum quaerit
Et salutis verbum serit
Grandis eloquentia;
V. Homicidam et voracem
Cruce vincens bestiam,
Clara signis fert ad pacem
Populi molestiam.

2. Ut mittantur convocatos
Et ad opus destinatos
Sequitur discipulos,
Exsistente multa messe
Laboravit indefesse
Colligens manipulos;
V. Signis verba confirmavit
Plena Dei numine
Et a morte suscitavit
Submersum in flumine.

3. Pollet firmitate spei
Respondendo nato Dei
De die novissimo
Et subiunxit surrecturam
Carnem ad vitam futuram
Sermone clarissimo;
V. Exspectavit spem beatam
Et adventum Domini,
Se ex eo reddens gratam
Eius sancto nomini.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ante Deum velut rosa
Fraglat sanctimonia
Et in signis gratiosa
Reprimit daemonia.

2. Cursu vitae iam completo
Iusta quando moritur,
Christus vultu sibi laeto
Lux perennis oritur.

3. Orbis terrae coram Deo
Plaudat atque flumina,
Qui Martham vexit ab eo
Ad caeli cacumina.

Responsoria.

1. Ista sibi iam non vixit,
Fame corpus sed adflixit,
Cui contemplatio,
Commendata pars sororis,
Supernis vacanti choris
Manet in solacio;
V. Somno brevi soporata
Ad preces regreditur

Deo totiens prostrata
Nec labore laeditur.

2. Postquam huius cursum vitae
Complevisset virgo rite
Inter dona caelica
Rex caelorum, quem hic pavit,
Hanc gratanter invitavit
Ducens super aethera;

V. Cuius corpus, Iesu bone,
Sepelis in gloria
Assumpto tibi Frontone
In iustae memoria.

3. O prudentum puellarum
Iubar caritate clarum
Et doctrix apostolica,
Sint per te tibi devoti
Apud Christum mundi toti
In fide catholica,

V. Intrent sponso veniente
Ornatis lampadibus
Oleoque stent lucente
In prudentum gradibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Circumdedit rex caelestis
Cinctus fortitudine
Candidatae Martham vestis
Mira pulchritudine.

2. Christum Deum fore scivit
Auferentem vitia,
Ad quem felix introivit
Magna cum laetitia.

3. Ad te, Deus, vigilavit
In bonis proficiens
Et manus suas levavit
In te tota sitiens.

4. Fidem ponens in augmentum
Per doctrinam stabilem
Deum caeli firmamentum
Praedicat laudabilem.

5. Laudem Deo dans sonoro
Caelicis agminibus
Iuncta transmigrat in choro
Sacris cum virginibus.

Ad Benedictus.

A. Cunctis suis in diebus
Propter Deum datis rebus
Impendens servitia
Coram ipso pacis ratae
Viam plenam sanctitate
Intrat et iustitia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Deus noster salutaris
Exsultantem in praeclaris
Martham locat sedibus,
Exeuntem terrae solum
Fert, qui potens est, ad polum
Pro terrenis aedibus;
Quam precamur suae sortis
Nos consortes sequi mortis
Disruptis compedibus.

Brev. ms. Capit. Dusseldorpini saec. 15. Cod. Dusseldorp. C. 64. A. — Brev. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. Darmstadien 977. B. — Antiph. ms. S. Cuniberti Colonien. anni 1533. C. — Antiph. ms. S. Cuniberti Colonien. anni 1553. D. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 sibi A. — **A** 3, 1 Circa huius CD. — **A** 3, 3 tremebat CD. — Ad Magn. **A**, 8 coniunge A. — Ad Matut. Invit. 3 fecit regi C. — In 1. Noct. **R** 1, 5 Sua illi A. — **R** 1, 6 Iesum excepit A. — **R** 2, 8 Memor sis A. — In 2. Noct. **R** 1, 7 et fehlt A. — **R** 2, 1 mictantes A. — In 3. Noct. **R** 1, 5 fehlt A. — **R** 2, 10 In misce A. — In Laud. **A** 4, 1 ponis in augmento A. — Hymnus: Deo nostro sit iucunda (Anal. IV, 206).

21. De sancto Materno.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Recolamus gaudia
Laudibus et votis
Pro Materni gloria,
Christi sacerdotis.

2. Annis hic infantiae
Dominum confessus
Simplex innocentiae
Viam est ingressus.

3. Trinitatis nomini
Spiritu renatus,
In mandatis Domini
Vixit vir beatus.

4. Princeps cum principibus
Populi electus,
Fit a Petro gentibus
Galliae directus.

5. Pretiosa primitus
Morte resolutus,
Sociis est redditus
Vitae restitutus.

R. Gaudeat haec contio
Celebri sollemnio
Praesuli Materno,
Cuius ministerio
Nostra regi regio
Subditur aeterno,
V. Huius intercessio
Nos servet a vitio
Et hoste veterno.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
Plebs fidelis hominum
His Materni festis,
Qui luminis luminum,
Purgatoris criminum,
Verus fulsit testis,
Ad quem post hunc terminum
Nos a viris sanguinum
Ducat rex caelestis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilet ecclesia
Regi sempiterno,
Qui vera dat gaudia
Praesuli Materno.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maternus, vas gratiae,
Vir beatus, probus,
Mittitur Germaniae
Viris cum duobus.

2. Praedicator inclitus
Petro constitutus
Disciplinis caelitus
Sacris est imbutus.

3. Somno mortis dormiens
Vivus resurrexit,
Dominus exaudiens
Sanctos hunc erexit.

Responsoria.

1. Treveris et Colonia
Celebrent cum Octavia
Sui pastoris gaudia,
Materni natalitia,
V. Omnibus haec melis
recolat plebs festa fidelis.

2. Felix Petri discipulus,
Maternus, fide credulus,
Cuius doctrinis populus
Christo credit incredulus;
V. Praeco redemptoris
fuit iste, corona decoris.

3. Ad fidem Petrus gentium
Tres ordinat, Eucharium,
Maternum et Valerium,
In verbi ministerium,
V. Gallis, Germanis
Christi dat dona profanis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lumen vultus Domini
Super hunc signatum
Corpus praestat homini
Gratia renatum.

2. Rex et auctor saeculi
Christo benedixit,
Ob salutem populi
Mortuus revixit.

3. Coronatur gloria
Sanctus et honore,
Gallia, Germania
Noto salvatore.

Responsoria.

1. Praedicans cum sodalibus
Maternus Gallis gentibus
Languens occumbit febribus
Exuens a mortalibus,
V. Caelo donatur
corpusque solo tumulatur.

2. Reversos tristes socio
Duos defuncto tertio
Pio Petrus solacio
Confirmat ministerio;
V. Ob sancti funus
veneratur trinus et unus.

3. Maternus Petri baculo
Vivus exit de tumulo
Vitam daturus saeculo,
Pastor futurus populo,
V. Ad Christi cultus
surgit de morte sepultus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confidens in Domino
Pontifex Maternus
Solio intermino
Civis fit supernus.

2. Vivens sine macula
Carnis post decessus
Christi tabernacula
Purus est ingressus.

3. In virtute, Domine,
Tua est locatus
Beatorum agmine
Caelo sublimatus.

Responsoria.

1. Post sanctorum obitum
Maternus per meritum
Trium civitatum,
Treveris, Coloniae
Simul et Octaviae
Rexit praesulatum,
V. Verbis, signis, moribus
Ad profectum omnibus
Tenet principatum.

2. Ex hoc mundi stadio
Vitae dignus praemio
Migrans vir beatus
Sanctorum consortio
Vero gaudet gaudio
Christo sociatus,
V. Corpore deposito
Fide, vita, merito
Plenus et probatus.

3. Gaude tuo, Gallia,
Materno doctore,
Laetare, Germania,
Inclito pastore,
Qui, quos ad caelestia
Duxit ab errore,
Coronavit gloria
Suo cum factore,
V. Ereptos a faecibus
Criminum incestis
Nos Materni precibus
Lustret lux caelestis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus rex laudibus
Colitur aeternus,
Per quem in caelestibus
Colitur Maternus.

2. Iubilent siderei
Deo et superni
Pro meritis fidei
Praesulis Materni.

3. Deus lux viventium
Lumine paterno
Sancto vitae gaudium
Contulit Materno.

4. Benedicant omnia
Regem sempiternum,
Qui exaltat gloria
Caelica Maternum.

5. Laudantes te gaudiis
Lucis hodiernae
Caelis Dei filiis
Iunge nos, Materne.

Ad Benedictus.

A. Laus et benedictio
Deo sit, Materno,
Cuius nos oratio
Die hodierno
Ereptos ab impio
Hoste et veterno
Coronet in solio
Pacis sempiterno.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve, pater Galliae
Caelitus renatae,
Ave, flos Germaniae,
Pontifex beate,
Nos, Materne, hodie
Dante trinitate
Fac heredes gloriae
Vera claritate.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2. A. — Antiph. ms. Tungrense IV. saec. 15. B. — Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Darmstadien. 394. C. — B beginnt in 1. Vesp. mit der A ad Magn. Zu den Laudes hat es nur 1 A super Ps., nämlich die 4.; die andern stehen der Reihe nach ad parvas horas. A, 1 der 1. Vesp. steht als Commemoratio per hebdomadam. Hiezu der Hymnus Ad honorem conditoris (Anal. XXIII, 240).

22. De sancto Mauritio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Martyrum sollemnia
Celebrent renati,
Martyres in gloria
Regnant purpurati.

2. Maior compensatio
Meritis sanctorum,
Dum datur in praemio
Mansio caelorum.

3. In mundi tristitia
Modicum artati
In caeli laetitia
Gaudent coronati.

4. Electorum spiritus
Sanguine probatur
Et exceptus caelitus
Christo sociatur.

Ad Magnificat.

A. Ave, martyr pretiose,
Ave princeps gloriose,
Legionis generosae,
O Mauriti, martyr Christi,
Fide mundum qui vicisti
Et coronam meruisti,
Fac nos tecum gratulari,
Legioni sociari
Et in Christo coronari.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In martyrum victoria
Laudemus regem gloriae,
Cuius triumphat gratia
Et coronatur hodie.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. De vagina gentium
Evocatur legio
Per edictum regium
Duce sub Mauritio.

2. Ascendit Ierosolymam,
Culturam spondet optimam
Et mente sumit alacri
Signum caelestis lavacri.

3. Pellem commutat Aethiops
Et pardus ponit varium,
Ditescit pauper et inops
In gratia caelestium.

4. Procedit sacra legio
Terribili collegio,
Virtutibus et viribus
Tremenda suis hostibus.

5. Firmatur fide plenius
A Romano pontifice,
Iurat stare fidelius
Regi reique publicae.

6. Transmittitur ad Gallias
Hinc legio cum Caesare,
Sed profani vesanias
Profanat voto dispare.

Responsoria.

1. Regis cultus
castris proponitur,
Dei vultus
regi praeponitur,
Quia non dii
sed Deus colitur;

V. *Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.*

2. Sacri duces et egregii,
Viri fortes et eximii,
Horrent scelus sacrilegii;

V. *Quos redemit de manu inimici et de regionibus congregavit.*

3. Furit Caesar,
ad necem impiam
Sternit viros
et caedit hostiam,
Servit nolens
ad Dei gloriam.

V. *Cor regis in manu Domini; ad quodcumque voluerit, inclinabit illud.*

4. Regi terrae
mactatur victima,
Regi caeli
defertur anima,
Dum fit Deo
decimus decima.

V. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deo dilecti principes
Suae sortis participes
Turbas accendunt fortibus
Exemplis et sermonibus.

2. Commilitones optimi
Et athletae fortissimi,
Hostem vincamus fortiter
Et perstemus viriliter.

3. Corroborentur animi,
Armentur fide pectora,
Et mente Deo proximi
Neci tradamus corpora.

4. Christus amans passionem
Formam dedit legioni,
Et detestans ultionem
Obtulit se passioni.

5. Iubentis ad imperium
Petrus recondens gladium
Coepit a Christo discere
Occidi non occidere.
6. Ad exemplum Iesu Christi
Superata morte tristi
Christi morte delectemur,
Ut cum Christo iucundemur.

Responsoria.

1. Clamant Deum
sanctorum milia
Et pro Deo
ferunt martyria,
Ut sit Deus
omnibus omnia.
V. *Currus Dei decem milibus multiplex, milia laetantium Dominus in eis.*
2. Caelo ruens serpit anguis,
Dum sanctorum manat sanguis,
Causa cuius casus magni
Fuit veri sanguis agni;
V. *Vicerunt eum propter sanguinem agni et propter verbum testimonii sui.*
3. O quam beata legio,
Quam fervens in Mauritio,
Dum per mortis compendium
Vitam capit perennium.
V. *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud.*
4. Princeps alme, dux invicte
Legionis benedictae,
Nos custodi, nos tuere
Et nos tecum fac gaudere;
V. Dux virtutis, dux salutis,
Da virtutem, da salutem.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Botrus Cypri conculcatur,
Novo musto debriatur,
Qui signatur Christi cruce,
Coronatur Christo duce.

Responsoria.

1. Fervet fides ut sinapis,
Favos mellis stravit apis,
Ut dulcescat velle mori,
Cedat divo mors amori.
V. *De commedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo.*
2. Prata passim per aperta
Florent flores, virent serta,
Rosae rubent austro flante,
Cedunt caelo messes tantae.
V. *Levate oculos et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem.*
3. De pressura gravis preli
Apothecae fluunt caeli,
Ut cum Christo, vera vite,
Dati morti dentur vitae.
V. *Inebriatus in caelo gladius, et vindemiantur botri vineae terrae.*
4. O Mauriti, dux beate,
Cuius virtus fragrat late,
Cuius odor ut unguentum,
Cuius sapor ut pigmentum,
Pietati nos divinae
Tu commendes sine fine,
V. Martyr alme, ductor bone,
Cum praeclara legione.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Militum sub gladio
Martyres exsultant,
Mortis in ludibrio
Cladibus insultant.
2. Cedit carnis palea
Gladio furenti,
Dum mundatur area
Mystici frumenti.
3. Triticum dum moritur,
Multum affert fructum,
Legio dum caeditur,
Risu mutat luctum.

4. Alabastrum frangitur,
Funditur unguentum,
Redolet, dum tunditur,
Fidei pigmentum.

5. In signum verae fidei
Rivi decurrunt rosei,
Gaudet in sanctis caelitus
Unus et idem spiritus.

Ad Benedictus.

A. Christus suos iam victores
Huius mundi post labores
Regnum transfert ad supernum
Et coronat in aeternum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O regalis legio
Regiae collecta,
O caelestis contio
Caelitus electa,
Vestra nos precatio
Via ducat recta,
Ubi Dei visio
Radiat perfecta.

Brev. ms. Lunaelacense saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 1950. A. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Virunen. 39. B. — Antiph. ms. Inferioris Altae saec. 16. Clm. Monacen. 9480. C. — Cod. Bruxellen. (ol. Belisian.) 9786–90. saec. 15. D. — D hat die kurze Form; C hat die **AA** der 1. Vesp als **AA** der 2. Vesp. in die festo; die **AA** ad Laudes als **AA** infra Octavam, ad Laudes et per Horas, das übrige in Octava. — In 1. Vesp. **A** 1, 2 Concelebrent AB. — **A** 5 Botrus Cypri etc. D. — **R** Princeps alme, dux invicte etc. D. — Ad Magn. **A** in A:

O vere Christi milites Thebaei,
Fortes in agone fidei,
Constantes in devotione spei,
Ferventes in dilectione Dei,
Terrena despicientes,
Caelestia contemplantes.
O quam pretiosa mors sanctorum,
Quae vitam meruit angelorum,
O quam praeclara martyrum gloria,
Quae nihil metuit hostium vulnera.
De quorum collegio dux sacer Mauritius,
Constans iu passione socius,
Caelestis militiae municeps,
Factus est aeterni regni particeps.

Ad Complet. Super Ps. **A** Christus amans passionem etc. D. — Ad Nunc dim. **A** in D:

O flores purpurei, milites Thebaei,
Verae testes fidei gloria tropaei,
Facite nos provehi ante thronum Dei,
Quo luce siderei fruamur diei.

In 2. Noct. **A** 4, 2 Legionis benedictione A. — In Laud. **AA** 2–5 ad parvas horas verteilt B. — In 2. Vesp. **R** Prata passim per aperta D. — Per Octavam super Psalmos **A** Ave, martyr pretiose etc. A. — In der kürzern Form steht das Officium nach D in Anal. Bolland. VI, 354 ff.

23. De s. Mauritio Turonensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ex regali germine
puer erat natus
Et a patre primitus
Mocuma vocatus.

2. Eius pueritia
cunctis erat grata

Et claris virtutibus
iuventus ornata.

3. Sic Columbam studuit
sanctus imitari,
Ut hunc vulgus undique
coepit venerari.

4. Ne sanctum extolleret
fama sanctitatis,
Parentes et patriam
clam fugit et gratis.

5. Ad Yonam insulam
post se conferebat,
Ubi Deo pluribus
annis serviebat.

R. Trina Christus
in pueritia
Per Mocumam
fecit miracula:
Ignis, aer
mortis et vincula
Innocenti
dabant obsequia,

V. Tota sanctum
perfudit gratia
Dei virtus,
quod in infantia
Innocenti
dabant obsequia.

Ad Magnificat.

A. Dum nutricis
lactescet ubera
Puer sanctus,
cohors angelica
Supra tectum
ludens in aera
Nova novo
dat [nato] gaudia,
Quibus visis
rex pater intima
Mente laudat
Dei magnalia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Honor Christo
sit et imperium,
Qui ad caelum
vexit Mauritium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Natus regis pueri
frater morti datur,
Sed tactu Mauritii
mox resuscitatur.

2. Sicut Moysi fuerat
rubus incombustus,
Puer rogo vagiens
remansit inustus.

3. Sub aqua tenerrimus
innocens profunda
Iacuit, sed puerum
non submersit unda.

Responsoria.

1. Adulescens
superno placuit
Et se cunctis
pium exhibuit,
Unde caelum
ingredi meruit;

V. Vitae verbum
multis aperuit
Atque vita
beata claruit.

2. Domat carnis
motus illicitos,
Vincit mundi
conatus noxios,
Terit hostis
antiqui tribulos,

V. Manus, mentem
cordis et oculos
Pie tendens
semper ad superos.

3. O res mira,
sceptrum despicitur,
Atque mundi
decus contemnitur,
Et paupertas
gratis eligitur,

V. Tota mente
Christus diligitur,
Ac pro Christo
corpus affligitur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aper ferus feriens
fruges fausto dente
Vertitur in lapidem
hoc sancto iubente.
2. Precibus Mauritii
latex oboedivit
Et de montis vertice
saliens exivit.
3. Nil dedit superbiae,
sed in caritate
Et in vera vixerat
semper sanctitate.

Responsoria.

1. Patroni
fama clarissima
Procul volat,
atque catholica
Plebs currit
visura miracula,
Sancta laetetur
mater ecclesia
De tanti
patris clementia,
V. Qui nobis dux
sit et lucerna
Nos pie ducens
ad gaudia sempiterna.
2. Livor latens
crescit in odium,
Zelant fratres
fratris excidium,
Per Columbae
sancti consilium
Gratis sumpsit
sanctus exsilium;
V. Ratem, remos
et remigantium
Sumptus quaerit,
mora fit taedium.
3. Campus coli
cultro praecipitur,
Et arena
per sulcos seritur,
Crescit bladum,
messis colligitur,
Hoc in fide
Christi perficitur;
V. Adiuvari
natura nititur,
Quod in granum
arena vertitur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut Paulus in pelago
naufragus iacebat,
Sub unda sic innocens
vivus remanebat.
2. Genus, gentem, patriam
fugit et honores,
Ut salutis quaereret
fruges meliores.
3. Sanctum virum
gignit Hibernia,
Educavit
illum Albania,
Cuius corpus
in reverentia
Turonensis
tenet ecclesia,
Cuius preces
et patrocinia
Nos perducant
ad caeli gaudia.

Responsoria.

1. Vitae sanctae
facto curriculo
Sanctum corpus
datur sarcophago
In Martini
sancti coenobio;

V. Turonensis
ipsum continuo
Veneratur
semper obsequio.

2. Eius tumbam
frequentant languidi,
Ubi tactu
sancti sarcophagi
Sanitati
sunt saepe redditi,
V. Caeci, claudi,
morbosi ceteri,
Illum prece
poscentes humili.

3. Pie praesul,
pravos purifica,
Purga mentes,
pelle piacula
Atque corda
tuorum visita
Et ad laudes
excelsi subleva;
V. Pia prece
tu nobis impetra
Post decessum
caeli solacia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Nullum dedit otio
Tempus, vel orabat
Semper vel colloquiis
divinis vacabat.

2. Fixo piscis gutture
Dron osse vexatur,
Sed ad sancti subito
preces liberatur.

3. Ubi flumen praesulis
instar intrat mare
Baculi Mauritius
coepit habitare.

4. Romam petit pontifex,
ubi consecratus
Est atque Mauritius
a papa vocatus.

5. Semper evangelii
verba reducebat
Ad mentem, sed saepius
illa proferebat.

Ad Benedictus.

A. Nos a cunctis
iniquitatibus
Semper servet
sanctus Mauritius
Atque purget
suisque precibus
Nos coniungat
supernis civibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Iesu Christi
confessor humilis,
Pie nobis
succurrens miseris
Fac, excelsis
in tuis meritis
Simus tuti
expulsis vitiis
In adventu
futuri iudicis.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — In 1. Vesp. A 3, 1 Columba. — A 3, 3 Lies Quod hunc. — Ad Matut. Invit., 4 vexit superum. — In 1. Noct. R 3, 7 Et tota. — In 2. Noct. R 1. das ganze Resp. zeigt rhythmische Unebenheit. — R 3, 3 Et fehlt. — In Laud. A 3 verdorben? — A 4, 3 Est itaque Mauritius.

24. De s. Mauro Parentino.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Celebret ecclesia
Martyris sollemnia,
Qui natus ex Africa
Habet regna caelica,
Emit per supplicia
Beatorum praemia,
Ducat per suffragia
Nos ad caeli gaudia.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Maure, pugil fortis,
Tua morte victor mortis,
Particeps caelestis sortis,
Nos coniunge caeli portis

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultet caeli curia,
Laetetur et ecclesia
Agens Mauri sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maurus, natus in Africa,
Regna possidet caelica.
2. Exortus ex nobilibus
Christianis divitibus
Sua dedit pauperibus.
3. Contemptis temporalibus
Se coniunxit claustralibus
Totus hians caelestibus.

Responsoria.

1. Sanctus Maurus Africanus,
Dives, pius, fide sanus,
Distributis divitiis
Se domabat ieiuniis;
V. Instans orationibus
Sua dedit pauperibus.
2. Despectis mundialibus
Intravit monasterium,
Amatur a claustralibus
Ut paradisi lilium;
V. Flos florum, dux morum,
Speculum cunctorum.
3. Hic decem et octo annis
Cum his fuit Celianis,
Post volens Petrum visere
Coepit ad Romam pergere;
Maurus natus Africanus
Martyr factus est Romanus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Petri corpus visitavit
Et audita observavit,
Consueta ministravit.
2. Perceptis mysteriis
Instat ministeriis,
Pauperum solaciis.
3. Tribus annis Romae fuit
Sicut flumen bonis fluit.

Responsoria.

1. Romae rex Numerianus
Et praefectus, vir vesanus,
Inierunt supplicia
Sanctis et ludibria;
V. Martyr cessit tunc furori,
Similis hoc salvatori.
2. In spelunca latitavit
Martyr tribus mensibus,
Deus eum confortavit
Cum virgae splendoribus;
V. Virga fulsit aurea,
Mauri mens aetherea
Non timet funebria.
3. In sopore visitatus
Ad Romam regreditur
Et a notis accusatus
Mox praefecto traditur:
V. Christi sum ab infantia,
Non adoro daemonia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praefectus Mauro praecipit,
Ut adoret daemonia,
Haec mandata non recipit
Martyr spernens sculptilia.
2. Mauri mens aetherea,
Despexit lapidea.
3. Quia sprevit sculptilia,
Sustinuit supplicia.

Responsoria.

1. Christo hic regratiatur,
Quia sibi similatur
Tolerans supplicia
Magna patientia,
V. Rosa patientiae,
Columna constantiae.
2. Eculeo suspenditur
Maurus, ungulis raditur,
Lampadibus aduritur,
Caput eius abscinditur.
V. Ora pro nobis, beate
Maure, martyr coronate.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Maurus in caelum levavit
Oculos, dum toleravit.
2. Mauri, martyris divini,
Corpus condunt Byzantini.
3. In linteaminibus
Et cum aromatibus
Cives Maurum condiderunt,
Sarcophago tradiderunt.
4. Titulum ei scripserunt
Et in navi posuerunt,
Nautae timore fugerunt.
5. Iussit comburi carinam,
Sed ad urbem Parentinam
Actu Dei ducitur
Maurus et excolitur.

Ad Benedictus.

A. Maure, natu Africane,
Sed martyrio Romane,
Pater urbis Parentinae,
Consors gloriae divinae,
Nos adiuva suffragio,
Ut perfruamur gaudio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Maure, Maurum superans,
Nigredinem exsuperans
Et manens aura aurea,
Nos ducas ad aetherea,
Ubi gaudes in gloria
Pro proelii victoria.

Brev. ms. Parentinum saec. 15. Cod. Univ. Patavinae 446. — Ad Matut. Invit. 2. in ecclesia. — In 1. Noct. A 3,3 yams. — In 3. Noct. Lectio VII mit R fehlt; es stehen nur 2 Lectt. in Noct. 3. mit VIII u. IX bezeichnet. — In Laud. A 4, 3 in vani.

25. De sancto Matthaeo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Recensentes mira Dei
Pietatis munia,
Praecingamur ad Matthaei
Votiva sollemnia.
2. Lucris hians telonei
Fruitione publica
Fit conversis forma spei
Actione typica.
3. Prima Christi iussione
Linquens mundi stadia
Magistrat conspersione
Fermenti repudia.
4. Invitatis publicanis
Ad Christi convivia

Docet, aegris plus quam sanis
Opus fore gratia.

R. In figura prophetali
Sub figura bestiali
Comparatus homini,
Iuxta formae rationem
Texit generationem
Carnis Christi Domini,

V. Sic promissum probat missum
Hunc Messiam per Mariam
Iudaeorum germini.

Ad Magnificat.

A. Pange, Sion,
laude magnifica
Salvatoris
gesta mirifica,
Qui Matthaeum
de sorte publica
Dignum [sorte]
dat evangelica.

Ad Matutinum.

Antiphonae.

1. Clangas sacris in Matthaci,
Tuba neomenia,
Laudent iusti, sperent rei
De peccati venia.

2. Vere verax salvatoris
Probatur assertio:
Nolo mortem peccatoris,
Sed placet conversio.

3. Vice fungens exactoris
Fisci rei publicae,
Artem mutat assertoris
Fidei catholicae.

4. Inclamatus tuae, Christe,
Vocis ad imperium
Surgit et evangelistae
Subit ministerium.

5. Verbi gesta incarnati
Stringens in volumine,
Pandit stirpem propagati
De regali germine.

6. Primo docens in Iudaea,
Post in Macedonia,
Lingua prompsit in Hebraea
Messiae praeconia.

Responsoria.

1. Zelo fervens pietatis
A primis ecclesia
Repulsaque caecitatis
Iudaeae perfidia
Sparsit semen veritatis
Per orbis confinia,

V. Missis verbi destinatis
Cum signorum copia
In Matthaei sortem gratis
Cessit Aethiopia.

2. In hac dudum dementata
Fictione magica
Gens errabat excaecata
Fraude diabolica,
Vera credens obfuscata
Specie phantastica,

V. Sed errantis miserata
Plebis virtus deica
Luce fucis adumbrata
Purgas evangelica.

3. Quos Cosroes et Arphaxat
Ligat astu carminis,
Hos Matthaeus mox relaxat
In virtute numinis,
Signo consignans dumtaxat
Pretiosi nominis;

V. Quos diversus dolor taxat
Ob reatum criminis,
Hos Matthaeus vima laxat
Fusi Christi sanguinis.

4. Ad haec visa tabescentes
Magi vires exserunt
Et confundi gemiscentes
Ad fraudes se conferunt,
Dum dracones flammescentes
In Matthaeum ingerunt;

V. Signo crucis fatiscentes
Vim nocendi deserunt,
Atque somno torpescentes
Christi numen asserunt.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc Candaces admiratus
Virtutis indicio
Ad Matthaei pedes stratus
Colligit hospitio.

2. Verba vitae sitientes
Ad hunc multi confluunt
Atque Christum confitentes
Ritum gentis despuunt.

3. Hos Matthaeus catechizans
Christi fide imbuit,
Instructos quoque baptizans
A peccatis abluit.

4. Haec Candacis dum fiebant
Intra domicilium,
En, defunctum qui plangebant,
Multi regis filium

5. Circa funus magi stantes
Regis ex imperio
Frustra manes invocantes
Agunt magisterio.

6. Sed complere non valentes
Coeptum sacrilegium
Raptum suadent nescientes
A diis in collegium.

Responsoria.

1. Maiestatis laesae rei
De more fallacium
Fausta spondent falsae spei
Donantes solatium,
Ut imago fiat ei,
Mandant, et palatium.
V. Haec Candaci nutu Dei
Salutis consilium
Dant reginae, ut Matthaei
Petatur auxilium.

2. Destinantur honorati
Mox a regis latere
Postulantes hoc legati,
Ut Matthaeus propere
Tantae velit orbitati
Clementer succurrere,
V. Summae preces maiestati
Dignetur effundere
Ac defuncti corpus nati
Vitae restituere.

3. Venienti cum legatis
Matthaeo regalibus
Euphemissa festinatis
Obcurit incessibus,
Dans maternae pietatis
Fletum cum gemitibus:
V. Vivum, ait, desolatis
Natum redde precibus,
Ut sermonem veritatis
Confirmes operibus.

4. In excelsum tendens manus
Matthaeus cum lumine:
Cedat, inquit, error vanus
Ab his per te, Domine,
Resurgatque puer sanus.
Mox in Christi nomine
V. Excitatus a defunctis
Resumpto spiramine
Surgit puer coram cunctis
Crucifixi numine.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Hoc confuso signo magi
Fugiunt in Persidam
Et erroris umbra vagi
Gentem caecant perfidam.

Responsoria.

1. Stupens signi novitate
Regis cor extimuit
Et regali dignitate
Coronandum statuit
Ac divali pietate
Hunc colendum monuit,
V. Ab hac plebem caecitate
Matthaeus compescuit
Et hunc sola deitate
Cultum dignum docuit.

2. Regnum Christi dilatatur,
Credit Aethiopia,
Fonte sacro candidatur
Eglippi prosapia,

Et cum rege baptizatur
Multa plebis copia;
V. Per Matthaeum propulsatur
Gentilis perfidia,
Prole nova fecundatur
Et floret ecclesia.

3. Thoro spreto maritali
Ad Matthaei genua
Cum cohorte virginali
Procidens ingenua
Fide nubit aeternali
Regi Ephigenia,
V. Hostis arte spiritali
Declinans ingenia
Voto sanctimonialis
Carnis calcat naenia.

4. Venustatis os admirans
Hirtacus ingemuit
Et porcorum fraude gyrans
Preces, minas miscuit,
Nunc demulcens, nunc delirans
Hanc mutare studuit;
V. Virgo Christi fide spirans
Spem consensus abnuit,
Non terrentis minas curans
Preces, dona respuit.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. A Matthaeo redargutus
Hirtacus infremuit
Et monentem persecutus
Furore efferbuit.

Ad Benedictus.

A. Dum Matthaeus
defixis genibus
Secus aram
profusis precibus
Orat Christum,
hunc a cervicibus
Lictor pungit
et in caelestibus
Morte sacra
iungit martyribus.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Plebs Matthaei venerandum
Audiens martyrium,
Tota currit ad cremandum
Hirtaci palatium.

Ad Tertiam.

A. Obcurrentes cum placore
Matthaei discipuli
Vix sedarunt a furore
Commotum cor populi.

Ad Sextum.

A. Ad Matthaei nutu Dei
Currens puer tumulum
Hoste pressus est confessus
Hirtaci piaculum.

Ad Nonam.

A. Hirtacus lepra perfusus
Divino iudicio
Mente captus et confusus
Se transfodit gladio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Matthace, laus Iudacae,
Stirpis flos leviticae,
Vas insigne, doctor digne
Fidei catholicae,
Assistentes et plaudentes
In tui memoria
Nos, patrone, fac coronae
Consortes in gloria.

Brev. ms. Cistercien. Italic. sacc. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 343. — In 1. Vesp. A 3, 4 Ferrenti. — In 1. Noct. R 1, 7 Lies verbo? — R 3, 1 Caroes, — R 3, 7 diversis. — R 3, 9 Hoc; lies: Matthaeus vi mala laxat? — In 2. Noct. A 1, 1 Candacis. — R 1, 7 Candacis. — R 1, 9 Dat. — In 3. Noct. Ad Cant. A 3, sq. umbra vagientem caecant perfidiam. — R 3, 10 calcat menia.

26. De ss. Monulpho et et Gondulpho.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaudeamus et caelestis
Iubili praeconia
Imitemur in his festis
Concordi laetitia,
Quibus nobis sunt laudanda
Domini magnalia
Et sanctorum imploranda
Praesulum suffragia.

R. Immortali saeculorum
Regi laus et gloria
In sanctorum confessorum
Promatur memoria,
Quos dilexit, nam paterna
Munitos custodia
Die vexit hodierna
Ad caeli fastigia,

V. Quorum rexit ut interna
Paracliti gratia.

Ad Magnificat.

A. Magnificet ecclesia
Regem magnificentia
Christum, qui spes est unica
Sanctorum, quos mirifica
Hic insignitos gratia
Perduxit ad caelestia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad Christi praeconium
Invitetur hodie
Conventus fidelium
Congaudendo gloriae
Beatorum praesulum,
Qua gaudent in saeculum.

In 1. Noctorno.

Antiphonae.

1. Non in via peccatorum
Pes eorum substitit,
Sed in lege mandatorum
Dei iugis exstitit
Illis meditatio,
Actus cum eloquio.

2. In virtutum stabiliti
Monte transitoria
Conculcarunt eruditi
Vera sapientia,
Unde nunc caelestia
Possident cum gloria.

3. Vox eorum pro commissa
Plebe fusa iugiter
Apud ipsum est admissa,
Qui est efficaciter
Iustis exsultatio,
Salus, benedictio.

Responsoria.

1. Recolatur haec decenter
Praesulum festivitas,
Quos bearunt praecellenter
Fides, spes et caritas;

V. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.*

2. Normam sequens sanctitatis
Monulphus attollitur
Et at culmen dignitatis
Praesulatus rapitur;

V. *Ecce, sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.*

3. Ortus mundo generosis
Gundulphus natalibus
Apud Christum numerosis
Effulsit virtutibus,

V. *Quoniam praevenisti eum, Domine, in benedictionibus dulcedinis.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tuam, Christe, perfecisti
Laudem ex operibus
Horum, quos constituisti
Tuis duces gregibus,
Quos transvexit sanctitas
Maris huius semitas.

2. Praepotenter conservati
Hostis ab insultibus
Vias vitae sunt sectati
Inoffensis gressibus,

Quibus nunc est visio
Dei delectatio.

3. Deo vero servierunt
Puris ex affectibus,
Montem cuius ascenderunt
Innocentes manibus,
Penetrantes hodie
Portas regis gloriae.

Responsoria.

1. Hi in domo Dei clarum
Velut duo sidera
Iubar dantes tenebrarum
Effugarunt opera;

V. *Custodiebant testimonia eius et praeceptum, quod dedit illis.*

2. Locum forte pertransivit
Monulphus, qua Legia
Nunc est, pandens, quae praescivit
Prophetali gratia:
Locus, inquit, hic reddetur
Summis civitatibus
Par post sanctum, qui nascetur
Posteris temporibus.

V. *Hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.*

3. Sublimatus in pastorem
Gundulphus sollicite
Curam gessit et amorem
Plebis sibi subditae

V. *Et pavit eos in innocentia cordis sui.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hi sunt, quibus intellectum
Lux superna praebuit,
Quos instruxit et per rectum
Ducens iter statuit
In locis fiduciae
Opulenta requie.

2. Exsultare decet rectos
Christo, cuius opera
Mira suos per electos,
Qui ab arce supera
Hos vidit pontifices
Virtutum opifices.

3. Istos, Deus, elegisti
Tua tibi gratia,
Habitare quos fecisti
Intra Sion atria,
Hymnos ubi melice
Turmae promunt caelicae.

Responsoria.

1. Hi sagaces erogare
Triticum in tempore,
Meruerunt reportare
Talentum cum fenore;

V. *Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.*

2. Se pro fide murum dando
Monulphus haereticam
Vicit pestem conservando
Vineam dominicam;

V. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.*

3. Zelo fervens caritatis
Gundulphus gentilibus
Lucem dedit veritatis
Divinis dogmatibus;

V. *Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium, lex Dei eius in corde ipsius.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dum Monulphus tumulatum
Principem progreditur,
Voces diras, ululatum
Audit et prosternitur.

2. Astat vultus vir plaeclari
Dicens: Pater optime,
Surge, stude suffragari
Pereunti animae.

3. Redit praesul, et placatur
Precum beneficio
Deus, princeps liberatur
Mortis a supplicio.
4. A mundana segregavit
Se Gundulphus turbine
Et de vera praegustavit
Domini dulcedine.
5. Exspectavit vigilando
Venturum a nuptiis,
Quem supernis exsultando
Spectat in deliciis.

Ad Benedictus.

A. Hi sunt columnae stabiles,
Praecones iustitiae,
Vita digne laudadiles
Lampades ecclesiae,
Quos merito non impares
Dies haec terrestribus
Exutos fecit compares
Supernorum coetibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O sacerdotes incliti,
Virtutum dono praediti,
O clara caeli lumina,
Ut paradisi flumina
Irrigastis ecclesiae
Hortum, regem iustitiae,
Christum placate precibus,
Ut nos a malis omnibus
Servans nobis caelestia
Det post haec mundi taedia.

Brev. S. Servatii Traiecten. imp. Coloniae 1503. — In 3. Noct. A 3, 4 superna. — In Laud. Ad Bened. A, 2 iustis. — Hymnus: Adest sacrata praesulum (Anal. XXIII, 246.)

27. De sancta Monica.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exulta, Ierusalem, et laetare,
Quia rex Salem iubar salutare
De Babylon tenebris
Sanctam produxit Monicam.
2. Matrem sterilem
Deus laetificat,
Dum Augustinum
spiritu regenerat.
3. Laetanter domum Domini
visitat puella,
Pro quo sub Christi nomine
sustinet flagella.
4. Non in vanum aedificat,
Sponsum Deo dedicat,
Fit salutaris Patricio
Sanctae Monicae sedula monitio.
5. Lauda, Ierusalem,
omnium salvatorem,
Qui fructu huius feminae
dat benedictionem.

Ad Magnificat.

A. Gaude, chorus supernorum
civium,
Plaude turba devotorum
hominum,
Nam sponsa Christi Monica
Caeli transit ad gaudia,
Quae novae prolis
fecunda gratia
Mundo peperit
doctrinarum charismata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum lucem adoremus
illustrantem omnia,
Cuius vultu iucundatur
sancta mater Monica.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Perfecit ab infantia
Huius corpus et labia
In suae laudis titulum
Christus, salvator omnium·

2. Dies diem illuminat,
Haec liberos suos laetificat,
Casto timore Domini
Sapientiam praestat parvulis.
3. Miserorum consolatrix
Et alumna pauperum,
Supernorum contemplatrix,
Montem scandit caelicum

Responsoria.

1. Educavit Monicam
sancta mater Facundia
Timoris Dei sub virgula
primaeva ab infantia,
V. *Miro enim modo crevit cum ea miseratio.*
2. O mater nostra,
coniugii speculum,
Quae viro suo flagitat
lumen catholicum
Et pie impetrat
felicem obitum;
V. *Salvatur enim vir infidelis per mulierem fidelem.*
3. Felix mater carne
Felicior
et spiritu duplici,
Consolatur
spiritu prophetico
Ne filium defleat
spiritu mortuum,
Quem Deus suscitat
verum catholicum
V. *Forti animo esto, filia, Deus caeli dabit tibi gaudium pro taedio, quod perpessa es.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum bonum eructavit
Salutis eloquio,
Christi donum quam perflavit
Pneumatis susurrio.
2. Lacrimarum impetus
sanctam Dei laetificat,
Crucifixi stigmata
pie dum considerat.
3. Haec consolabatur
Dolens ut parturiens,
Donec Christo suscitatur
Augustinus moriens.

Responsoria.

1. Se totam Deo dedicat
Soluta viri legibus,
Egenis se humiliat
Et infirmorum squaloribus,
Caelesti sponso iubilat.
V. *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius.*
2. Abundanter cumulasti
Sanctae tuae gaudium,
Christe Iesu, qui vocasti
Ecclesiae ad gremium
Augustinum et iussisti
Aspernare saeculum.
V. *Duo petiit a te, ne deneges ei, Domine, antequam moriatur.*
3. O vere Christi
benedicta famula,
Quam crucifigunt
crucifixi vulnera,
Rigat terram
lacrimarum copia,
Torcular crucis
exprimit haec flumina.
V. *Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem, non des tibi requiem, neque taceat pupilla oculi tui.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantico laetitiae
Deum collaudavit,
Quae victo mundi principe
Caelo triumphavit.
2. Exsultet terra,
collaetentur insulae,
Quibus salus propinquatur
fructu huius feminae.
3. Christus in sua famula
Facit mirabilia,

Cuius fulgent prodigia
Et signa magnalia.

Responsoria.

1. Caelestis panis
refecto convivio
Mens eius fervet
superno solacio,
Almi spiritus
suffusa crapula:
Volemus, inquit,
ad caeli gaudia.

V. *Elevavit me spiritus inter caelum et terram et adduxit me in Ierusalem.*

2. Vox dilecti nunc pulsantis
Ad lectulum aegrotantis
Te vocat, mater Monica:
Surge et propera,
Amica mea;
Ab ostia Tiberina
Caeli transit ostia.

V. *Veni, formosa, columba mea, veni de Libano, coronaberis.*

3. Vigili mente
Dominum sitivit,
Cuius felix anima
caelum introivit.

4. In camino caritatis
fervens aestuavit
Benedicens Dominum,
solum quem amavit.

5. In excelsis sublimata
Sancta mater Monica,
Vota nostra redde grata
In Dei praesentia.

Ad Benedictus.

A. Oriens ex alto Dei
patris sapientia,
Quam benigne reseras
misericordiae viscera!
Augustinum revocat
pia mater per suspiria;
Oret pro nobis incolis
sancta mater Monica,
Quos hic in terris dirigit
prolis suae regula.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctam matrem Monicam
Decet sanctitudo,
Quam domum sibi consecrat
Dei fortitudo.

2. Iubilat cum Domino
Monica in caelis,
Cui plena spiritu
Servivit in terris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O sacra
mater Monica,
Cuius spiritus
exsultat in gloria,
Gratiam impetra
benigni Domini,
Ut gregem protegat
filii tui.

Brev. ms. Augustin. saec. 15. Cod. Augustin. Brunen. V. A. — Brev. ms. saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 52 h 18. B. — Brev. ms. Viepacense saec. 14. Cod. Gottwicen. 81. C. — Antiph. ms. Frauen-Wilrense anni 1509. Cod. Semin. Colonien. 30 a. D. — Brev. ms. Augustin. saec. 15. Cod. Angelic. R V 31. E. — Brev. ms. Minor. Eugubin. (?) saec. 15. Cod. Angelic. T VII 9. F. — Brev. ms. Augustin. saec. 15. Cod. Senen. F VII 4. G. — Cod. S. Petri Salisburgen. a IV 42. H. — B hat in jeder Nokturn nur 1 **A**, die erste; C hat nach der 1. Vesp. nur Lectt. ohne **RR**. — In 1. Vesp. **A** 1, 2 rex Sion BC; Quoniam hac die iubar D. — **A** 1, 3 tenebra ACD. — **A** 4, 4 sedula oratio B; monis C. — Ad Magn. **A**, 5 sponsam Christi Monicam A. — In 1. Noct. **R** 3, 1 carne fehlt B. — In 2. Noct. **R** 2, 6 Spernere A, aspernere B. — **R** 3, 1 vere Christi fehlt A. — **R** 3, 8 exprimitur B. — In 3. Noct. **R** 2, 1 dilecti tui pulsantis B. — **R** 2, 6 Ad Ostia B. — Hymnen: Ave dies laetitae (Mone III, 446); Aurora noctem terminat (Ibid.); Alma mater Augustini (Mone III, 448).

28. De sancto Morando.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ad Morandi, venerandi
Viri, festa et Amandi
Plebs in caritate tota
Reddat Christo pia vota.

2. Flore suae iuventutis
Castitatem adamavit,
De quo bravium salutis
Non indigne reportavit.

3. Deo multum peramandus,
Hugo pater venerandus
Hunc suscepit educandum
Moribus et informandum.

4. Cui purus adulescens
In virtute semper crescens
Dulciter oboediebat
Atque Deo serviebat.

5. Regularis o professor,
Sis pro nobis intercessor
Apud bonitatem Christi,
Cuius iugum tu subisti.

Ad Magnificat.

A. O fons indeficiens,
Iesu bone salutaris,
Hostia reficiens
In agone comprobaris,
Morandi per suffragia
Mundi seda naufragia,
Mentes nostras instabiles
Fac ad virtutes habiles.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgite laetantes,
Christum regem venerantes,
Inclita sanctorum
celebrantes festa suorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut tellus depicturatur
In vere vernis floribus,
Sic hic mundus decoratur
Morandi claris moribus.

2. Ex illustri stirpe traxit
Morandus originem,
Nullam tamen hic contraxit
Peccati rubiginem.

3. Annis puerilibus
Factis cum senilibus
Mentis tersit caliginem
Devitans impetiginem.

Responsoria.

1. Annis adhuc pubertatis
Hunc parentes sub abbatis
Pii magisterio
Dulciter commendaverunt
Et ad sua redierunt,
Cuius sub imperio
Vixit purus adulescens
In virtute semper crescens
Omni desiderio,
V. Christo devotus
vivens sub regula totus.

2. Mentis motus hic transcendens,
Vana quaeque vilipendens
Hauriebat sitibundo
Corde, ore quod facundo
Post eructabat,
Tempus dum vacabat,
V. Literarum studio
Mentis cum tripudio
Firmiter instabat.

3. Vincens legem pubertatis
Iugi lege sub abbatis
Vixit disciplina,
Omnibus affabilis
Deo et amabilis
In lege divina,
V. Mundi fastum proculcavit,
Eius pompas posttergavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fervor mirae caritatis
Ad spem firmam bonitatis
Fidem duxit sanctitatis.

2. Mentis motus hic transcendens,
Ad vírtutum arcem tendens,
Vana quaeque vilipendens.

3. Christus digne commendavit
Huic duplum talentum,
Quia non multiplicavit
Per duplum, sed per centum.

Responsoria.

1. Coeptum iter dum peregit,
Mox benigne se subegit
Abbatis imperio,
Quem vir sanctus tunc elegit
Mentem eius et impegit
Miti desiderio,
Ponens firmam spem salutis
In praeclaris institutis.

2. Veritatis hic confessor
Regularis et professor
Ibat de virtute
In virtutem ascendendo
Et morose conferendo
Verbum in salute.

V. Doctus, mitis apparebat
Et indoctos instruebat
Sic procedens tute.

3. Postquam hic est sublimatus
In gradu sacerdotii,
Deo tendit inspiratus
Ductu fidelis socii
Cluniacum, ubi digne
Est susceptus et benigne
Lapsum devitans otii,

V. Factus verus coenobita
Et ferventer in hac vita.

In 3. Nocturno.

Antiphona.

1. Contra mundi temptamenta
Prudenter agebat
Et carnis delectamenta
Dulciter vincebat.

2. Si temptavit, non est mirum,
Satan hunc praeclarum virum,
Salvatorem qui temptavit
Et eum non superavit.

3. Hic talentum commendatum
Protulit ad mensam
Et reddens multiplicatum
Reportans repensam.

Responsoria.

1. Mox a suis derelictus
Iesu Christo est addictus,
Cum propheta gloriatur
Qui in psalmo sic profatur:

V. *Quoniam pater et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

2. Hodie praeclarus et venerandus
Christi confessor Morandus
Exutus armis terrestribus
Triumphat in caelestibus,

V. Securus de victoria
Delectatur in gloria.

3. Regulari disciplina
Mentem dum armavit,
Cum cervice resupina
Caelum suspiravit,

V. Mente tota et devota
Christo solvens pia vota.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Multa quidem in hac vita
Hic fecit mirabilia
Et post mortem infinita
Infirmis dat subsidia.

2. Caecis visus, claudis gressus,
Surdis auditus redditur,
Vir collisus et obsessus
Eius prece solvitur.

3. Ad tumbam praeclari viri
Quisquis potest experiri,
Quantas eius per virtutes
Christus confert hic salutes.

4. Regularis o professor,
Sis pro nobis intercessor
Apud bonitatem Christi,
Cuius iugum tu subisti.

5. Christi praecelsa pietas
Virtutum et nimietas
In sanctis amplificatur,
Horum virtus dum laudatur.

Ad Benedictus.

A. Verus sol illuminavit
Lucis suae radio,
Quando nobis destinavit
Morandum, qui in stadio
Cursum digne consummavit
Et in fine triumphavit
Vere felici bravio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Morande, serve bone,
Pie pastor et patrone,
Apud Christum interpella,
Ut a mortis nos procella
Tua prece protegamur,
Caeli donis et fruamur.

Cod. Palat. Vindobonen. 1946. anni 1482. A. — Brev. Basileense imp. s. l. 1478. B. — Brev. Basileense imp. s. l. et a. (1488) C. — In 1. Vesp. Super Ps. 5 AA nur A; eine, die erste B; keine C. — A 3, 3 ad educandum A. — R Vincens legem pubertatis etc. A, In contrata Ferretensi etc. BC. — In 1. Noct. A 1, 3 Finem A. — In 2. Noct. A 1, 1 Fervor merae BC. — R 1 Veritatis hic confessor etc. BC. — R 2 Postquam hic est sublimatus etc. BC. — R 3 Mox a suis derelictus etc. BC. — In 3. Noct. R 1 lautet in BC:

R. Villae (Ille B) custos captivatur,
Herus mox debilitatur,
Tunc Morandus advocatur,
A quo pie increpatur,
Emendatur et sanatur,
Servi status restauratur
Atque liber proclamatur,
V. In quo Christus collaudatur,
Et Morandi comprobatur
Virtus, servus et laetatur.

R 2 Hodie praeclarus et venerandus etc. BC. — R 3 lautet in BC:

R. In contrata Ferretensi
Tuo simus hic defensi,
Morande, patrocinio,
In amore fac ferventes,
Tibi pure servientes,
Hic et in confinio.
V. Impetra iucunditatem
Nobis et tranquillitatem
Apud Christi bonitatem.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam setzen BC die AA 2, 3 und 4 der 1. Vesp. — Den Hymnus hierzu vergl. Anal. IV, 213.

29. In Translatione s. Nicolai.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Summe sacerdos inclite,
Nimis favens Barensibus,
Cum vis medio gurgite
Barum transferri navibus.

2. Fecit Deus memoriam
Suorum mirabilium,

Cum transfert in Apuliam
Nicolai praesidium.

3. Exortus est in tenebris
Baro divinus radius,
Vere dies hic celebris
Fulget in ea Madius.

4. A solis ortu teritur
Nec non ab occidente,
Qua Barum via pergitur
Coetu toto ducente.

5. Laudate, cuncti populi,
Dei misericordiam,
Sed ampliorem Apuli
Deo referant gratiam.

Ad Magnificat.

A. Felix Apulia,
felix et Barum,
Felix quae contines
thesaurum carum,
Qui nullis creditur
terrigenarum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Uni Deo et simplici
Gloria sit atque laus,
Quem orat voce supplici
Stans in caelo Nicolaus.

In Nocturno.

Antiphonae.

1. Velut incisus balsamus
Profuderat liquorem,
Quo veniente thalamus
Fugaverat pudorem.

2. Nunc, reges, intelligite,
Praesidentes ecclesiis,
Exemplo huius agite
Relevatis inopiis.

3. Clemens, pudicus, humilis
Nulli nocuit penitus,
Cunctis factus amabilis,
Praesul factus est caelitus.

Responsoria.

1. Tumba confracta marmoris
Mira prodit fragrantia,
De reliquiis corporis
Liquoris fluit copia,
Quae nullo cursu temporis
Interrumpitur gratia.

V. Fragrans odore nimio
Qui praefulges honore,
Pietatis profluvio
Manas fluens liquore.

2. Dum distat navis
plus quam ducentis
Milibus, mare
fluctuat ventis
Artubus sacris
furtim retentis
De corpore demptis,

V. Nec valent iter
habere tutum,
Si feratur cor-
pus diminutum.

3. Quod non desit
ulla particula,
Sacris membris
monstrant miracula,
Visionum
certa oracula
Veri sunt patula;

V. Ut satisfiat anxio
Dens prodit cum liquore,
Ne fiat diminutio,
Sancti clauditur ore.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Maris elatione
Nautae facti territi,
Liquoris fusione
De furto sunt proditi.

2. Currunt senes cum parvulis
In exsultatione,
Sancti occurrunt baiulis
Mira devotione.

3. Adipe et pinguedine
Redundant eius ossa,
Olei multitudine
Semper est plena fossa.

4. Benedicant te populi,
Qui facis mirabilia,
De loco sacro tumuli
Mira prodit fragrantia.

5. In capsella lignea
Myrea transportatus,
Bari tumba marmorea
Tandem est collocatus.

Ad Benedictus.

A. Dum loco sacri tumuli
Mira prodit fragrantia,
De membris Dei famuli
Liquoris abundantia,
Seniores et parvuli
Currunt iugi frequentia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Liquoris rivulo
Patuit pietas,
Ex cuius tumulo
Prodit suavitas,
Caeci ex oculo
Pellitur caecitas,
Subvenit populo
Ipsius caritas.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. A. — Brev. Valentinum imp. Valentiae 1533. B. — In 1. Vesp. super Ps. nur 1 **A**, die erste B. — **A** 1, 2 favens laborantibus A. — **A** 1, 4 transferri manibus A. — **A** 2, 2 In suorum A. — **A** 3, 1 Exortatus A. — **A** 3, 4 in eam A. — **A** 4, 1 A fehlt A. — Ad Magn. **A**, 4 thesaurum tantum A. — Ad Matut. Invit: Adoremus regem saeculorum, Quo vivit Nicolaus, honor sacerdotum B. — In Noct. **A** 2, 4 Revelatis B. — **R** 1, 8 praefulges odore A. — **R** 3, 1 sq. Cum non desint sara pericula A. — **R** 3, 3 sq. Sacris monstrant miracula A. — R, 3, 7 Neci sunt propatula A. — **R** 3, 8 Ut satisfiat a vitio A. — **R** 3, 9 Deus prodit A. — **R** 3, 11 Sanctus A; ore fehlt A. — In Laud. **A** 1, 1 Laus elatione A. — **A** 1, 2 taetrici B. — **A** 1, 3 effusione A. — **A** 1, 4 De sarcophago sunt A; De furto facti sunt B. — **A** 2, 2 exaltatione A. — **A** 2, 3 baiulis fehlt A. — **A** 2, 4 Bina devotione A. — **A** 3, 2 Cum redundarent A. — **A** 3, 3 multitudinis A. — **A** 3, 4 plena est B. — **A** 4, 1 Benedicite populi A. — **A** 5, 1 cassella B. — **A** 5, 2 Myrea fehlt A, transportant A. — **A** 5, 3 Mari tumba B. — Ad Bened. **A**, 1 Dum e loco B. — Ibid. 3 De membris eius famuli A. — Ibid. 6 iugi memoria A. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 5 Caeco A.

29 a. De sancto Nicolao.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sancti per festa Nicolai state iucundi,
Huius qui mundi solvebat plurima maesta.

2. Virginibus victum donaverat hic et amictum,
Ne per defectum stuprum facerent male rectum.

3. Praesul famose, consolator pretiose,
Es veluti dignus, sic nobis esto benignus,
Qui bonus ut custos salvasti tres nece iustos.

4. De vitae flore florens morumque nitore
Fulgebat ac[tu] pollens vernansque decore.

5. Inclite, nobilis ac venerabilis, auro praecellis,
Tutor amabilis ac venerabilis, esto misellis.

Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 20. — A 4, 1 floret. — A 5, 2 miseris. — Im übrigen ist das Officium das gewöhnliche prosaische.

29 b. De sancto Nicolao.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Christe, tuis famulis nobis festa Nicolai,
Te petimus, praesta venerari laude iucunda.
2. Qui terris positus mitis fuit ac moderatus,
Consolans miseros confortans atque pusillos.
3. Ad caelum migrans, caelorum culmina ditans,
Hic relevat multos morborum mole gravatos.
4. Digne Deo miles, qui palmam nomine praebes,
Pro nobis Christi pugna virtute potenti.
5. Credimus in thalami consistere sede superni,
Posse salvos fieri per te sic fonte renatos.

Brev. Romanum imp. Venetiis 1522. — A 3, 1 culmina caelorum ditans. — A 5, 2 Lies Nos salvos fieri? — Es verdient noch die häufiger vorkommende A ad Benedictus erwähnt zu werden, besonders da sie in Chevaliers Repertorium unter Nr. 3684 als „Hymnus“ aufgeführt wird:

Copiosae caritatis Nicolae pontifex,
Qui cum Deo gloriaris in caeli palatio,
Condescende, supplicamus, ad te suspirantibus,
Ut exutos gravi carne pertrahas ad superos.

(Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Rossian. s. n.)

30. De s. Nicolao Lincopensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Christo sit pia laus,
quam provexit Nicolaus.
2. Festa decent suavi
prece verbigenam Nicolai.
3. Nos tegat a pravo
culpae Deus, arx Nicolao.
4. Per veniae clavum,
Deus, attrahe nos Nicolaum.
5. Filiolos Abrahae
pater effice nos Nicolae.

Ad Magnificat.

A. Caelice confessor,
pastorum lux, patriae cor,
Ecclesiam pressam,
servili pondere fessam,
Erige, devotos
semper retinens tibi Gotos.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In meritis vitae
patris nostri Nicolai
Voce Deo suavi,
Goti, iubilando venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Novum vas charismatum
   Puerili flore
   Redundavit omnium
   Gratiarum rore.
2. Tener gades trivii,
   Hinc quadriviales
   Nactus, pondus studii
   Fixit in morales.
3. Relucens hinc omnium
   Dogmatum decore
   Filiali Dominum
   Timuit amore.

Responsoria.

1. Laetetur Ostgotia
   Plausu timorato
   Nova per tripudia
   Christo, Dei nato,
   Edens nova carmina
   Pro patrono dato,
V. Quem vox angelica
   laudat modulamine grato.
2. In ausus nefarios
   Tyrannos surgentes
   Arguit sacrilegos,
   Deum non timentes,
   Ut reducat devios
   Ad cor paenitentes,
V. Est passus varios
   hostes per flagra trementes.
3. Nectar eloquentiae
   Fudit perorando
   Cultor innocentiae,
   Pro clero zelando,
   Actus inclementiae
   Regum detestando,
V. Ne ruat ecclesiae
   libertas dissimulando.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aaron sacerdotio,
   Paulus in docendo,
   Daniel iudicio,
   Iob fuit ferendo.
2. Hesther fert clementiam,
   Zelum Maccabaei,
   Ioseph continentiam,
   Fidem Elisaei.
3. Virtutum moralium
   Ac heroicarum
   Ardet exercitium
   Ut cultor earum.

Responsoria.

1. Carnis petulantiae
   Clericos immersos
   Mentis inconstantiae
   Damnat ut aversos,
   Zelator iustitiae
   Quoslibet perversos,
V. Moxque suae veniae
   iunxit per corda reversus.
2. Opem laeso stomacho
   Fert eviscerato,
   Iam foetenti pristino
   Colore mutato,
   Omni de remedio
   Plene desperato,
V. Ex sancti merito
   dum vita datur lacerato.
3. Pastor, decus praesulum,
   Mitis advocatus,
   In campum Elisium
   Digne transplantatus,
   Triplici per meritum
   Palma laureatus,
V. Auferat exitium
   nostros delendo reatus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Carne virgo nitidus,
   Martyr ex affectu
   Et confessor inclitus
   Fuit in effectu.
2. Gratis datam gratiam
   Se praevenientem

Traduxit in alteram
Gratum facientem.

3. Actibus ierarchicis
Tandem insignitus
In votis Seraphicis
Aestuat ignitus.

Responsoria.

1. Eventus prophetico
Spiritu futuros
Praenarravit subito
Multos affecturos,
Ut sic a periculo
Revocet casuros,
V. Inventos animo
quasi saxea corpora duros.
2. Nox, dies, ops, aethera
Perhibent beato
Patri testimonia
Clam ciliciato,
Quod mors et daemonia
Cedant invocato.
V. Quam felix patria
sibi tanto pignore nato!
3. Sidus poli nobile,
Ducens viatorem
Ultra primum mobile,
Ut comprehensorem
Tuo ductu facile
Ad primum motorem
V. Perducas humile
cor, quo mereatur honorem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Nilus ut irrorat
arentia, corpora trita
Sic Deus ad merita
sancti reparando decorat.
2. Compages tumulo
discedens testea fracto,
Quod voluit, cumulo
tegitur sermone peracto.
3. Languens pupilla,
quam ferrum dimidiavit,
Vidit et ex illa
sancto meritum cumulavit.
4. Ustus et elinguis
per votaque morbidus omnis
Sanatur Domino
benedicens in Nicolao.
5. In te sponsa Deum
tua laudat, qua veneraris,
Quam, decet ut sponsum,
fidei nexu tuearis.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Pater gratiarum,
Nicolai precibus
Qui sanat cunctarum
Passionum aditus
Per curas earum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve sidus aureum,
Splendor firmamenti,
Nicolae, subitum
Dans robur languenti,
Fer nobis praesidium
Influxu clementi.

Historia sancti Nicolai imp. Sudercopiae 1525. — Klemming I, 150 fügt bei: „Joh. Brask Ep. Linc.?“ Verfasser scheint vielmehr der des Helena-Officiums, also Brinolphus I. zu sein.

31. De sancto Niniano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ovans agat haec contio
Niniani sollemnia,
Trinae vocis tripudio
Laudum sonet obsequia,
Ut mens, lingua et actio
Pari concordent gloria,

Placebit sic laudatio
Deo reddenti praemia.

2. Ille Pictorum tenebras
Fugat dans vitae monita,
Mundi temnens blanditias
Dux plebis ad caelestia.

3. Vita praecessit populum
Sic sanctitate praevia,
Nunc haurit vitae poculum
Dux cum ductis in patria.

4. Tanto patrono plaudere
Iure debes, Albania,
Secura salva sistere,
Cum vitas vitae devia.

5. Ad caelos migrans hodie
Locandus in deliciis
Ad mores fac cotidie
Migrare nos a vitiis.

R. Quod sambuca
vir Dei circummeat,
Taurus custos
armentum vigilat,
Qui latronis
dum ventrem perforat,
Infelicem
ultor exanimat;
Mox cadaver
sanctus vivificat,
Saulum sternens
Paulum resuscitat.

V. Insigne geritur
signum certaminis,
Pes saxo iungitur
bovis et hominis.

Ad Magnificat.

A. Stirps regalis,
quae vita floruit,
Prolem profert
regem, quem decuit,
Patrum pater
patronum genuit
Ninianum,
quo mundus claruit;
Hic ut sidus
signis emicuit,
Dum Britannos
fide perdocuit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christus laudetur,
Niniano laus iubiletur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ninianus teneris
Annis constitutus
Inhiabat superis
Moribus imbutus.

2. Romam petens dogmatis
Causa visitavit,
Sed vitae pro meritis
Praesul remeavit.

3. Factus hic Britonibus
Fidei legatus
Perfidos sollicitus
Reprimit conatus.

Responsoria.

1. Ninianus nobilis,
Clarae puer indolis,
Sacris inardescit,
Ut sic prosit patriae,
Se praesentat curiae,
Qua praesul recessit,

V. Et coniectu spiritus
Eius mentis habitus
Martino clarescit.

2. Pastor redit,
fit plausus ovium,
Plebs oboedit,
fugit daemonium,
Reseratur
fides credentium,
Cedit error,
crescit miraculum;

V. Gens seducta
suggestu daemonum
Per hunc sanctum
credit in Dominum.

3. Rex nequam monita
contemnens praesulis
Luit opprobia
dolore capitis,
Sed quem obduxerat
caecitas luminis,
Firmum reddiderat
in fide numinis;
V. Fit mortis duplicis
duplex curatio,
Cordis et corporis
illuminatio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ductu viri iustitiae
Visu privantur oculi
Regis, fastu superbiae
Molesti sancto praesuli.

2. Praesul placatus venia
Lumen amissum reddidit,
Rex ductus paenitentia
Christo renatus credidit.

3. Crimen matris panditur
Ex infantis ore,
Dum confusus solvitur
Insons corruptore.

Responsoria.

1. Per incestum gravidata
Mater, tandem coartata
Partus patrem prodere,
Senem coepit accusare,
Sic se credens excusare
De commisso scelere;
Res stupenda, contra morem
Pandit infans genitorem.
V. Ex infantis
lactentis pectore
Vox virilis
sonat cum robore,
Patrem prodit
victum facinore.

2. Sedens sanctus
in refectorio
Et confratres
pascens miraculo
Hortulanum
vocat continuo
Olus ferri
iubens ex hortulo;
Herbam profert
cum seminario
Iam tunc satam
dans grates Domino.
V. Ad praeceptum Niniani
Mens stupescit hortulani,
Sciens tamen nihil vani
Voto sancti succedere,
Ipso die seminatum
Profert terra fructum gratum
Iubente pontifice.

3. Ducem furum
taurus aggreditur,
Cornu bruti
brutalis laeditur,
Rupto ventre
vita discutitur,
Rursum vivus
ac sanus redditur;
V. Discursu devio
volant latrunculi,
In municipio
stringuntur baculi.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Patrem linquit parvulus
Verberis timore,
Quem reduxit baculus
Vorticis ab ore.

2. Lignum florens aridum
Cunctis stat in signum,
Fons erumpens famulum
Probat Deo dignum.

3. Niniano singula
Parent elementa,
Ignis, aer, arida,
Pontus et fluenta.

Responsoria.

1. Virgam timens
reus discipulus,
Fugam subit
adulescentulus,
Clam defertur
magistri baculus,
Quo salvatur
nauclerus tremulus.

V. Multi foraminum
patescunt aditus,
Incursus fluminum
sistit divinitus.

2. Cum collega
vir proficiscitur,
Sic psallendi
locus eligitur,
Atra nube
domus obducitur,
Imber de qua
fusus emittitur,
Supra sanctum
unda restringitur,
Curva nube
cum circumcingitur.

V. Imbri stillam prohibet
nubes camerata,
Ne vestis vel litera
sancti sit rigata.

3. Infans invisus nascitur,
Effigies horribilis,
Vultus dorso transsumitur,
Monstrum formae mirabilis,
Manus, pedes et brachia
Cunctis privantur usibus,
Christi fulgent magnalia
Membris in transversalibus,
Sospes regreditur.

V. Ad Niniani tumulum
Taetrum munus adducitur,
In summi laudis titulum
Sanatus restituitur.

Prosula.

1. Sospitati Niniani
Aegros dat oratio,
Tumor cedit hydropicis
et leprae contagio,
Redditur vita defunctis
et mutis locutio,
Caecis visus, claudis gressus
et surdis auditio.

2. Gaudent portu naufragati
et sterilis filio,
Liberantur carcerati,
dementes daemonio,
Fugit phtisis, gutta, febris,
epilensis passio,
Aridorum membra suo
redduntur officio.

3. O quam probant sanctum Dei
furum liberatio,
Oculorumque membrorum
nova restitutio!
Ergo laudes Niniano
nostra psallat contio,
Nam qui corde poscit illum
loto prius vitio,
Sospes regreditur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Collaudemus omnium
summum creatorem,
Suum qui mirificat
signis confessorem.

2. Ad sancti reliquias
Sitiens virtutem
Monstrum, Deo gratias,
Recipit salutem.

3. Hunc pro luce perdita
Pulsante puella
Laeta luce reddita
Redit iam novella.

4. Morphea mortifera,
Quae corpus obsessit,
Non linquens vestigia
Corpori recessit.

5. Niniani meritis
Morbida curantur,

Caeci vident, audiunt
Surdi, muti fantur.

Ad Benedictus.

A. O quam pia pura
Patris almi cura
Circa simplices!
Nulli nam in vanum
Poscunt Ninianum,
Quamvis complices
Culpae sint et rei,
Dum in arce spei
Constant supplices;
Hic corde contritos
Solvit compeditos
Frangens compedes.

In 2. Vesperis.

R. Nos, qui sumus involuti
Vitiorum funibus,
Dementes atque imbuti
Delictorum sordibus,
Niniane, te rogamus
Fave, supplicantibus,
Ut caelorum rex placatus
A te fusis precibus
Nos mundatos a peccatis
Iungat caeli civibus;
V. Nobis sis patronus
Pius, pastor bonus,
Memor miseris,
Qui te colunt corde,
Purgatos a sorde
Redde superis.

Ad Magnificat.

A. Pastor, pasce gregem,
superum pete pro grege regem.
Gratus reddatur
et ovili restituatur,
Lumine perfunde
famulos virtutis abunde,
Lucifer aeternae
lucis, Niniane, superne.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — In 1. Vesp. **A** 1, 4 sonat. — **A** 2, 3 contemnens. — **A** 3, 3 hausit in te poculum. — In 2. Noct. **A** 3, 3 confusis. — In 3. Noct. **R** 2, 13 Imbris. — Prosula 1, 5 Reddatur vita functis. — 2, 5 thisis. — 3, 7 Namque corde poscunt. — 3, 9 fehlt, wird aber vom Sinne gefordert und ist aus der Stammsequenz zu ergänzen. — Die zugehörigen Hymnen cfr. Anal. XIX, Nr. 408—410.

32. De sancta Oda.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetare, Taxandria,
Oda tibi data
Ex Scotorum patria,
Deo decorata.

2. Virgo solitarie
Christo famulatur,
Oda odis gloriae
Caelitus lactatur.

3. Oda, virgo sapiens,
Spiritu renata,
Lubrica despiciens
Deo fit amata.

4. Corpore sanctissima
Terrae commendato
Caelo vivit anima
Lumine beato.

5. Hierusalem filia,
Oda, Deum ora,
Ut det nobis gaudia
Pacis celsiora.

R. Regnum mundi et gaudium
Contemnens propter Dominum
Oda odis caelestium
Datur choreis virginum,
V. Angelicis melis
lactatur virgo fidelis.

Ad Magnificat.

A. Ave, Oda, virgo Christi,
Ave, proles regia,

Audi odas, quas dant isti
Tua chori gloria;
Nos exutos morte tristi
Tua per suffragia
Ad superna, quae petisti,
Vitae ducas gaudia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sponso pudicitiae
Iubilemus Christo,
Qui dat odis gloriae
Odam die isto.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Generoso sanguine
Oda virgo nata,
Gloria te, Domine,
Gaudet coronata.

2. Sponsa sponsi thalamo
Virgo collocata
Dat odorem balsamo
Digne comparata.

3. Innocentem manibus
Hanc et mundo corde
Suis Deus coetibus
Fert a mundi sorde.

Responsoria.

1. Votivis Odae virginis
Festum colentes gaudiis
Patrem laudemus luminis
Dignis laudum praeconiis.
V. Dulcisonis melis,
plebs, virgini psalle fidelis.

2. De stirpe virgo regia
Oda Scotorum genita,
Fide, vita egregia,
Virtute fulget inclita,
V. Christo sacrata
fit sacro fonte renata.

3. Interiori lumine
Sponsum contemplans
gloriae,
Mundi despecto crimine
Templum fit pudicitiae,
V. Sanctorum signa
veneratur virgo benigna.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Corporali specie
Placens genitori,
Totam regis gratiae
Aptat se amori.

2. Caecitate primitus
Corporis exuta,
Nova fit divinitus
Domino adiuta.

3. Christum super omnia
Diligens in mente,
Recedit a patria
Patre nesciente.

Responsoria.

1. Gratia Christi oculis
Lamberti lucens meritis
Tantis laeta miraculis
Oda resultat debitis,
V. Amotis tenebris
formatur virgo celebris.

2. Visu accepto caelitus
Patris reducta partibus,
Terrena spernens penitus
Tota haeret caelestibus,
V. Oda pie Christo
mundo famulatur in isto.

3. Patrem linquens et patriam
Ob pestem carnis lubricam
Pervenit ad Taxandriam,
Vitam ducens angelicam;
V. Victis illecebris
silvae latet Oda latebris.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virginis confessio
Odae delicata

Dei placet filio
Sanctis comprobata.

2. Populo Taxandriae
Lux est orta iusto
Facto patre patriae
Virgine onusto.

3. Novum cantans canticum
Domino, decora,
Nos ad regnum caelicum
Duc a mundi ora.

Responsoria.

1. In loco solitario
Soli serviens Domino
Caeli locatur solio
Expleto cursus termino,
V. Odas virginea
Christo canit Oda chorea.

2. Caeli coniuncta incolis
Summis ditatur praemiis,
Mundo salus christicolis
Signis coruscat variis;
V. Oda Deo digna
dat terrae caelica signa.

3. Christum, patrem luminum,
Sponsum, virgo, virginum,
Nobis fac placatum,
Ut a valle criminum
Regnum ad interminum
Ducat nos beatum;
V. Sponso devota
famulantum fer pia vota.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Oda virgo Domino
Regnans in decore
Emicat in termino
Lilii candore.

2. In his terrae terminis
Deo iubilate
Odis Odae virginis
Laeti sanctitate.

3. Dei sub velamine
Odae exsultanti
In caelesti lumine
Collaetantur sancti.

4. Benedicant omnia
Dominum factorem,
Vocantem ad gaudia
Odam, mundi florem.

5. Laetans in cubilibus
Summi Oda regis,
Gratas fac caelestibus
Tui odas gregis.

Ad Benedictus.

A. Benedictus, Domine,
Es in Oda, virgine
Tibi dedicata,
Fide, vita, nomine,
Oculorum lumine
Te illuminata,
Cuius nos precamine
Pacis longitudine
Frui fac beata.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Oda Deo grata,
fidei virtute probata,
Nos prece sacrata
det vivere luce beata.

2. Laus, decus Oda gregis,
divinae lux nova legis,
Christi collegis
nos iungat filia regis.

3. Nobilis Oda Dei
virgo pia, forma fidei.
Nos ad regna vehi
veri petit alma diei.

4. Oda fide digna,
clemens, pietate benigna,
Nos tibi consigna
tutos a fraude maligna.

5. Virgo, matrona,
vitae redimita corona,

Iustitiae zona
praecingi nos prece dona.

Ad Magnificat.

A. Gaudens, Roda, rosa data
Dominum magnifica,
Tua Oda odis grata
Virgine mirifica,
Cuius prece mundi faece
Nos mundari supplica,
Ut hac duce pacis luce
Perfruamur caelica.

Propium S. Iohannis Boscoducensis imp. Antwerpiae s. a. — In 1. Noct. **A** 1, 3 Gloria tibi. — **R** 2, 2 progenita. — Zu beachten ist der Reim in den **RR**; stumpfer Reim verbindet alle vier Zeilen derselben, klingender nur je zwei. — Hierzu der Hymnus: Iesu corona virginum (Anal. XXIII, 249).

33. De sancto Odgero.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O pater Odgere,
Tua de memoria
Laetos da videre
Post haec transitoria
Deum et gaudere
Vultus sui gloria.

Super Magnificat.

A. O virum Odgerum,
Sanctum et sincerum,
Servum Iesu Christi,
Quem, rex angelorum,
Huc de Britannorum
Finibus misisti,
Ut nos sua prece
Tolleres a nece
Damnandorum tristi.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Celebrantes gaudeamus
Odgeri memoriam,
Ut cum eo videamus
Trinitatis gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic ut lignum complantatum
Secus aquae cursum
Dedit Deo fructum gratum
Semper crescens sursum.

2. Disciplinam apprehendit,
Deo cum timore
Serviens se totum pendit
Eius in amore.

3. Huius caput exaltasti,
Voce dum clamavit,
Monte sanctoque locasti,
Domine, quem optavit.

Responsoria.

1. Fuit vir in Britannorum
Partibus beatus,
Nobili de magnatorum
Stirpe procreatus,
Morum melior sanctorum,
Odgerus vocatus;

V. *Non loquebatur os eius opera hominum, propter verba Dei custodivit vias duras.*

2. Ut industriam Odgeri
Parentes viderunt,
Sanctis viris, quo doceri
Posset, tradiderunt,
Quorum votum Dei veri
Dono perfecerunt;

V. Puer pandit voluntate,
Iam maiores quod aetate.

3. Erat ei ad primaevos
Magna reverentia

Mira inter coaequaevos
Et obedientia
Et eventus contra saevos
Grandis patientia;
V. Annis in teneribus
Curvum iam se praebuit,
Uncus ut operibus
Fieri bonus debuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Filii, scitote,
Quod mirificavit
Deus hunc devote,
Qui se invocavit.

2. Ad te, Deus, mane
Odgerus oravit,
Tunc, quod iniqua ne
Vis, consideravit.

3. Hic, ab angelis quem parum,
Deus, minorasti,
Supra caelos iam praeclarum
Gloria coronasti.

Responsoria.

1. Innocenter pueriles
Annos hic transcendit,
Voluptates cor ad viles
Carnis non appendit
Nunquam suasus ad hostiles
Deum et offendit.
V. *Custodivit vias Domini nec impie gessit a Deo suo.*

2. Cordi Deus inspiravit
Praesulis ibidem
Invenisse suum David
Servum, tunc et idem
Sacros pie ministravit
Ordines eidem;
V. Deus Odgerum praeclarum
Ob humilitatem
Extulit et levitarum
Dedit dignitatem.

3. Quantus in diaconatus
Fulserit officio
Vir Odgerus, Deo gratus,
Non potest indicio
Explicari, nam notatus
Non est unquam vitio;
V. Sedulus oratione,
Sanctus conversatione,
Famae clarus omnis bonae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iustus vixit dum hic esset,
Ergo digne Dei
Monte sancto nunc quiescet,
Collaetemur ei.

2. Lapide de pretioso
Sertum Deus capite
Dedit huic glorioso;
Quantus hinc sit, sapite.

3. Innocens hic manibus,
Mundus exstat corde,
Non dans os inanibus
Vixit sine sorde.

Responsoria.

1. Dum crevisset in perfectum
Virum vir beatus,
Quomodo vitam ad effectum
Sanctioris status
Duceret per iter rectum
Saepe meditatus;
V. *Et qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.*

2. Fama venit sancto viro,
Quod Plechelmus atque Wiro
Sancti in exsilium
Se transferre disponebant
Propter Iesum, quem colebant,
Christum, Dei filium.
V. Quibus se non serus
Iunxit in auxilium
Dei vir Odgerus
Propter Dei filium.

3. Felix nimis es, Odgere,
Ergo digne tuam vere
Colimus memoriam,
Teque tuos qui sprevisti,
Quidquid quoque possedisti,
Ob aeternam gloriam;

V. Verba, vitam, crucem Christi
Nunquam a te posuisti.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum Plechelmo, cum Wirone,
Sibimet austerus,
Summa cum devotione
Iunctus est Odgerus.

2. In his trinis adunatis
Trinitatis nomine
Iuxta verbum veritatis
Medius eras, Domine.

3. Hi tres navim ascenderunt
Gratia cum magna,
Ad Pipinum et venerunt
Aequoris per stagna.

4. De adventu fit Francorum
Rex exhilaratus
Horum trium beatorum,
Quos suscepit gratus.

5. Montem Petri tunc a rege
Poscunt sibi dari,
Quo degebant Christi lege
Sanctitate clari.

Ad Benedictus.

A. Hodie lux levitarum
Occidit Odgerus,
Qui fulget deliciarum
In monte sincerus,
Ad quem rex laetitiarum
Nos perducat verus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater Odgere,
Nos oves tuere
Tuas, venerabilis,
Ne nos in aeternum
Trahat ad infernum
Lupus exsecrabilis,
Sed post haec ad chorum
Nos duc beatorum,
Qui est delectabilis.

Antiph. ms. Lonense anni 1478. A. — Antiph. ms. Lonense. s. n. saec. 15. B. — Lesarten bieten die beiden Quellen nicht; B ist aber unvollständig, indem es mit der dritten Nocturn schliefst.

34. De sancta Odrada.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adest dies laetabunda,
Vitans saeculi iucunda,
Vitiorum de sentina
Trahat nos haec medicina,
Virgo sancta, odor Dei,
Ne damnemur culpae rei.

2. Prudens virgo vigilavit
Sponsum sequens et intravit
Ianuam caelestis vitae,
Carens omni mala lite,
Vas repletum oleo
Tenens mundi termino.

3. Haec sagena Deo plena
Misit rete maris vena
Non corruptum, sed construc-
tum,
Deitatis manu ductum,
Prendens semper studiose
Opus bonum non dolose.

4. Digna laude sit Odrada,
Granum serens metit blada,
Spernens haec negotiatrix
Mundi opes, larga datrix
Agro celans margaritam
Comparavit sibi vitam.

5. Nata regum stirpe bona,
Virgo Christi, Dei zona

Lampas inexstincta manens,
Deum caeli semper canens,
Cervo similis ad aquam
Currens non insatiatam.

Ad Magnificat.

A. Laudem divinam
dicamus carmine trinam,
Qui nos ditavit
et corpore sancto beavit
Odradae virginis
adiunctis ceteris sanctis,
Reliquiis quorum
fovemur, alme decorum
Templo nostro. Deus,
da nobis scandere choros
Caelorum civium
psallendo tecum in aevum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem sanctarum
laudemus, agmine quarum
Odradae spiritum
suscepit in paradisum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Radix bona parit,
infantem sanctificavit
Sacro lacte matris,
sic crevit studio patris.
2. Creator Christus
cunctorum, forma venustus,
Hanc pulchram fecit
Odradam sibique subiecit.
3. Petitur a multis
decora virgoque vultus,
Coniugio summo
aptari petit in caelo.

Responsoria.

1. Accedamus mente bona,
Laudes sonent in patrona
Deo super omnia,
Quam fulcitam sanctitate
Fixit Christus castitate
Sumens diva munera;
V. Pulsans hanc votis
haec plebs et precibus totis.
2. Virgo more decorata
Semper vixit vita grata
Carens omni macula;
Nosque serves tuos servos
Sternens hostes hic protervos,
Pallio ut aquila
V. Tuae precis alis
gregem tuum serves a malis.
3. Ista Iudith speciosa,
Forma placens generosa,
Orans pro spe gratiae;
Libera tu plebem gratam,
Christo regi adfidatam
Fidei acumine,
V. Ut non Holofernes
noceat his, nec sic aspernes.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex meritis claris
laus Dei, virgo, vocaris,
Linquens terrena
paradisi petis amoena.
2. Crescit flos rosa
sub spinis valde formosa,
Quam Deus aeternus
elegit ab utero matris.
3. Defuncta matre
tunc odia tulit a patre,
Ob novae novercae
rectricem tendit ad arcem.

Responsoria.

1. Esther pia, sine mora
Placa regem et implora
Precibus iustitiam,
Ne culpemur, sed Assuerum
Redde pium, per hunc clerum
Lava culpae vitio,

V. Culpae scripta dele,
nos purga dono medelae.

2. Rosa fragrans inter spinas,
Rubens Rachel, medicinas
Ferens amicitiae,
Hanc dilexit Iacob vero
Potans eam dulci mero
Signo pudicitiae;
V. Roga, virgo digna,
pro nobis voce benigna.

3. Pater carnis istam odit,
Sub novercae manu fodit
Matris carens specie,
Instat nata prece lata
Secum iens dedicata
Visitare climata,
V. Feram aptavit,
post patrem cito meavit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virtutum mola
terit virgo tria grana,
Cum quibus multa
suscepit dogmata fulta.

2. Multos vocavit,
a faece criminum lavit,
Fontis undam Christi
potabilem esse fecisti.

3. Ut rivus a fonte
derivatur, scandis a monte,
Filia pulchra Dei
vocaris ordine rei.

Responsoria.

1. Qui prophetam cibo pavit,
Danielem latitavit
Lacu subterraneo
Cum leonibus modestis,
Sic ancillam tuam vestis
Tuo propugnaculo,
V. Saeva morte dira
laudemus ut tua mira.

2. Haurit aquam, laus in caelis,
More gentis Israelis
Fonte dato caelitus
Haustum sumit, sitim sanat,
Surgit virgo, mox infamat
Rivus terra editus;
V. Lepram servorum
absterge, sancta, tuorum.

3. Auro tecta arca Dei,
Intus, foris, nam tropaei
Tenens semper culmina,
Quae corona auri pura
Fabrefacta Christi iura
Legens in ecclesia;
V. Audi, virgo pia,
tu es haec arca divina.

Prosula.

1. Psallat cum tripudio
Caeli sumpta solio,
Veneremur cernui
Odradam sanctam singuli.

2. Virginale gaudium
Dicamus nos ad Dominum,
Qui de matre virgine
Vult nasci mundi crimine.

3. Ergo nos cum cantibus
Pulsantes consonantibus
Laudemus trinam machinam,
Quam poli laudat curia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes dignae dentur Deo,
Qui Odradam in tropaeo
Fortem fecit, hostem iecit
Omnis immunditiae.

2. Mundi fastum abdicavit
Virgo Christi, quam ditavit
Deus pater, caeli rector,
Donis pudicitiae.

3. Deum trinum, quem sitivit,
Corde puro concupivit,
Corpus tenens vinculo
Annis sub infantiae.

4. Benedicant in patrona
Deum cuncta, cum corona
Hanc ornavit propter bona
Virtutum innocentiae.

5. Sanctae Dei exsultabunt,
Laeta mente voces dabunt,
Regem regem collaudabunt
Filiae prudentiae.

Psalt. ms. Alemmense saec. 15. Cod. S. Petri Boscoducen. s. n. — In 1. Noct. R 1, 2 sonant. — In 2. Noct. R 1, 6 Malae culpae. — Die AA ad Bened. und ad Magn. in 2. Vesp. sind prosaisch. Die zum Offizium gehörigen drei Hymnen vergl. Anal. XXIII, 250 ff.

35. De sancto Odulpho.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Militans Christo ecclesia
Ducat cum triumphante gaudia,
Auget nam numerum
supernorum
Odulphus, coheres sanctorum,
Pro meritis laborum
Possidens portas
inimicorum suorum.

R. Miles Christi gloriose,
Odulphe sanctissime,
Tuo pio interventu
culpas nostras ablue,

V. Ut caelestis regni sedem
valeamus scandere.

Ad Magnificat.

A. Confessor Domini Odulphus,
Summi praeco
regis constantissimus,
In caelestibus regnis fruitur
Gloria lucis perpetuae,
Quam mundo lucerna
Indeficiens verbo
Ministravit et opere;
Sacerdos Dei, Odulphe,
Pro nobis miseris intercede,
Ut et nos tuo
pertingamus suffragio,
Quo te veritatis
perduxit confessio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Deo
nostro salutari,
Cui Odulphus gaudet
aeternum modulari.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Clara fudit prosapia
Odulphum confessorem,
Laturum suo generi
permaximum decorem.

2. Renatum aqua et spiritu
praevenit diva gratia,
Per quam proficiebat
aetate et sapientia.

3. Datur puerulus
literis doctum iri,
Infunditur desursum
A patre luminum
ingenii acumen miri.

Responsoria.

1. Celto genere oriundus,
Mente et actu mundus
Ornavit pueritiam
Odulphus
per morum gratiam,

V. *Serviturus Domino in sanctitate et iustitia coram ipso.*

2. Felices progenitores
tantae prolis
Tantam prolem
tradunt scholis,
Elementa literarum
Perdocetur flos scholarum.

V. *Optavit et datus est ei sensus, venit in illum spiritus sapientiae.*

3. Angelus per visum
Adfatur Dei virum
In Traiectum propere
Frederico
praesuli coniungere;
V. *Cum sancto sanctus eris et cum innocente innocens eris.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praerogativa intellectus,
Morum trames simplex et rectus
Miraculum praebebat,
Samuelis instar praeferebat.
2. Minor in effectu,
Maior in affectu
Portendebat, quid ageret,
Iuventa cum succederet.
3. Induit benedictionem
Per ordinum impositionem,
Donec fuit sublimatus
Gradu presbyteratus.

Responsoria.

1. Odulphus, lampas cleri,
Sors ipse et pars Dei,
Iam maturior aevi
Post gradum Levi
Sacratur immolare
Sacrum immortale,
V. *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.*
2. Posthabuit, quod habuit,
Spe aeternorum
Odulphus, currens viam
Dei mandatorum;
V. *Non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit.*
3. Exstincto contumace,
Qui sprevit praesulatum,
Statuit Odulphum
Praesulem probatum,
V. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. A Roma post angelicum
Odulphus ad Fredericum,
Electus ad electum
Pervenit Traiectum.
2. Flos cleri Traiectensis
Virtutibus vernat immensis,
Filius Bodgysi
Hospes in mundo,
heres paradisi.
3. Ignis absumens cellam
Baculum et tabellam
Non laesit confessoris
Ministrans ventum roris.

Responsoria.

1. Variis donis
Supernae infusionis
Amor salvatoris
Ditavit mentem confessoris;
V. *Timor Domini sanctus permanens in saeculum sacculi.*
2. Laborum dura series
Coronae fit materies,
Odulphum Deus coronavit,
Nam legitime certavit.
V. *Iudicabit nationes et dominabitur populis.*
3. O patrone, Odulphe, obtine
Nos Deo et tibi digne famulari,
Ut Euge dominicum
promereamur,
Quicunque tua festa veneramur.
V. Cum Dominus venerit rationem
ponere cum servis,
Tuis, pater, succurre catervis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Recessurus a Fresia
Verbi sator inculcat
Plebi verbum fidei,
Legem immaculatam Dei.

2. Scitote, inquit, imminere
Dies calamitatis et miseriae,
Dies ultionum,
Tempus retributionum.

3. Surget gens contra gentem,
Adducet Dominus
Populum, malleum
Vestrae terrae
vectem conterentem.

4. Dum lapis hic emerserit,
Qui se undis immerget,
Illico pax bellorum
Sanguinem absterget.

5. Evenerunt singula,
Quae praedixit Odulphus,
Os praesagum sancti spiritus,
Vates Fresonum inclitus.

Ad Benedictus.

A. Super lectum doloris
Languebant membra
confessoris,
Vocatione Dei exitum mortis
Operiebatur anima fortis,
Post sumptam eucharistiam
Exsul mundi
intrat caelestem patriam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Assumpta Odulphi anima
Assumptionis fulsere indicia,
Nam hausere nares superstitum
Odorem insolitum,
Odorem unguentorum
De nectare angelorum.

Suffragia.

A. Odulphi intercessio
Nostra sit tutela,
In pace et in proelio
Ad repellenda tela
Hominum et daemonum.

Responsoria.

1. Petrae submersae
Et emergentis per se
Odulphus miraculo
Futura signavit populo,
V. *Plenus fide et spiritu sancto.*
2. Ad decessum viri Dei
Adfuere angeli,
Quod probavit odor suavitatis
Artubus exanimatis;
V. *Murra et gutta et casia a vestimentis suis.*

Antiph. ms. Traiectense saec. 13. Cod. Mus. Germ. 4984. — Die Handschrift scheint aus dem friesischen Anteile der Diöcese u. z. aus einem Norbertiner-Stifte zu stammen. In der 1. Vesper der Hymnenanfang: Ave, Odulphe; vergl. Anal. XI, Nr. 188.

36. De sancta Ottilia.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O praeclara sponsa Christi,
insignis Ottilia,
Angelorum coaequalis,
martyrum consocia,
Nostrorum resolve
peccatorum vincula,
Ut nos tua annua
recensentes sollemnia
Paradisi sempiterna
nanciscamur gaudia.

R. Virgo Christi Ottilia,
Christi cohaeres inclita,
Semper pro tibi devota
Intercede familia,
V. Ut te praevia
Caeli mereamur gaudia.

Ad Magnificat.

A. Magnorum proles,
generosa stemmate fulgens,
Moribus eximiis
superans iam vota parentum,

Beata virgo Ottilia
Pervenit ad gloriam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Magnum regem, Christum, sponsum
adoremus virginum,
Qui beatae Ottiliae
saeclum dedit vincere.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stirpe clara
edita Ottilia,
Galliarum in finibus
sumpserat exordia.
2. Annuente miro
Dei nutu contigit,
Ut ab ipso matris alvo
expers esset luminis.
3. Cuius Deus orbitati
miseranter condolens
Reformavit ipsi lumen
per Bildolphum praesulem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hanc dum iam praesul praefatus
sacro fonte abluit,
Alter pontifex, Erhardus,
a baptismo suscepit.
2. Virgo Christi Ottilia,
sacro lota lavacro,
Visu gaudet reformato,
dum linitur chrismate.
3. O miranda et laudanda
Domini clementia,
Sponsam suam illuminans
per beatos praesules.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. A Domino roborata
laetatur Ottilia,
Patri suo peccatorum
impetrata venia.
2. Ad probandam almitatem
gloriosae virginis
Eius mamilla nutricis
incorrupta perstitit.
3. Lux caelestis exoranti
virgini emicuit,
Atque maerens voce dulci
consolatur Domini.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In honore trinitatis
tres plantavit tilias
Perdurantes in praesenti
ob sanctae memoriam.
2. Apparens sanctae Baptista
cum mirando lumine
Domus Dei construendae
loci signat spatium.
3. Boves cum plaustro liberavit
a mortis periculo,
In declivum decidentem
a mortis cacumine.
4. Eius fide virtus Christi
renovatur solida,
Vas exhaustum redundavit
claro vini latice.
5. In virtutes adcrescendo
sacro plena spiritu
Longe suum praecognovit
immmere transitum.

Ad Benedictus.

A. Nexu carnis resoluto
sacro eius spiritu
Admirandus fraglans odor
per longinqua spargitur,

Acsi domus cuncta plena
foret aromatibus,
Qui dierum octonorum
illic mansit spatio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sancta praeconia recolentes
Venerandae Ottiliae
Nostrae prosequamur voces
Cum iubilo laudis.
O alma Christi famula,
Choris caelestibus iuncta,
Supernorum civium amica
Sanctorumque omnium socia,
Intercede ad Deum pro nobis,
Ut tecum mereamur
Ascribi in caelis.

Brev. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 24006. A. — Brev. ms. Carmelit. anni 1464. Cod. Bambergen. Ed. VII 36. B. — Diurn. ms. Pataviense saec. 14. Clm. Monacen. 11013. C. — Viaticus Misnensis imp. Lipsiae 1502 D. — Brev. Misnense imp. Lipsiae? 1517. E. — In 1. Vesp. Super Ps. A, 4 consorcia A; es folgen noch 4 prosaische AA. — Ad. Magn. A, 2 stemmatum C. — RR in allen 3 Noct. prosaisch. — In Laud. ad Bened. A, 8 spatio mansit C. — Hierzu die Hymnen Anal. IV, Nr. 408 und 409.

37. De sancto Ottone.

In 1. Vesperis.

R. O magnum et memorandum,
O vere beatum virum,
Cuius tanta industria
Sancta crevit ecclesia,
Qui Christo Domino novam
Lucratus est familiam.

V. *Operibus manuum eius benedixit Dominus.*

Ad Magnificat.

A. Gloria sanctorum,
Iesu, spes, vita tuorum,
Cuius suffulta gratia
Gaudet beata anima
Pii praesulis Ottonis
Aeternis ditata bonis,
Annue votis supplicum
Pastorem venerantium,
O summe princeps pastorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Pervigiles in laudibus
Domino exsultemus,
Qui pium patrem Ottonem
Suam duxit in requiem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex nobili prosapia
Genuit felix Suevia
Ottonem, Dei gratia
Quem nutrit ab infantia.

2. Hic ad exemplum sanctorum
Facies animalium
Imitatur caelestium
Assumens pennas virtutum.

3. Spernens mundi vanitatem
Per fidem, spem, caritatem
Iugiter crevit in Deum,
Summam sperans praemiorum.

Responsoria.

1. Claris ortus natalibus
Otto praesul venerandus,
Religiosis actibus
Ornare studuit suae
Nobilitatis lineam,

V. Gratia Christi praeventus
Divinis rebus intentus.

2. Religiosus et pius
Puer gravitate morum
Crescens in virum perfectum

Profectu virtutum scandit
Altum praesulatus gradum,
V. Non sibi sumit honorem,
Sed vocatus tamquam Aaron.

3. Bonus pastor in populo
Et caelestia commoda
Et terrena stipendia
Suis praebuit ovibus,
V. Fidelis et prudens dispensator
Dominici tritici mensuram.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Amator religionis
Maximis virtutum donis
Caelitus erat ditatus,
Deo in omnibus gratus.

2. Ordine promotus sacro
Venerabilis Otto
Ut gemma fulsit in clero
Omnem transcendens gratiam.

3. Christum diligens ardenter
Miseretur hilariter
Et tribuit simpliciter,
Quae in terris possederat.

Responsoria.

1. Flagrans divini amoris
Igne vir venerabilis,
Verbo praedicationis
Infudit lumen fidei
Idolatrae nationi
V. Domino cooperante
Et sermonem confirmante.

2. Sacerdos apostolicus
Praeclarum virtutis opus
Inter gentes operatus
Aedes profanas destruxit
Et ecclesias construxit.
V. Quoniam immolaverunt
Daemoniis et non Deo,
Diis, quos ignorabant.

3. Aestuans igne divino
Venerandus praesul Otto
Divini operis fructum
Propensius exsequitur,
Monasteria construens
Et sanctorum gregem pascens.
V. *Iucundus homo, qui miseretur et commodat.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. A Domino praeelectus
Sublimatur vir beatus
In sede pontificatus
Deo dignus episcopus.

2. Coenobiorum fundator,
Sacri cultus propagator
Ecclesiis, quas construxit
Praedia large tribuit.

3. Fungitur apostolico
Vir beatus officio,
Cum Paulo ad gentes missus
Gentium fit apostolus.

Responsoria.

1. Favente Christi gratia
Doctor prima haec spolia
Tulit de idolatria
Tria hominum milia,
Quae convertit ad Dominum;
V. Adduntur his multo plura
Pommeranorum milia.

2. Furens gentilium turba
In necem sancti armatur,
Sed manus omnipotentis
Brachia eorum ligat,
Ne servum Christi laederent.
V. *Irruit super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui, Domine.*

3. Hodie vir clarissimus,
Pommeranorum apostolus,
Ad patres suos collectus
Assumptus est in requiem
Post huius vitae laborem,
V. *Ut inhabitet in domo Domini in longitudinem dierum.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad opus Dei strenuus
Pius Otto episcopus
Ecclesias, quas fundavit,
Bonis plurimis ditavit.

2. Ecce, floret ut lilium
Illius sacerdotium,
Cuius pia memoria
Permanebit in saecula.

3. Lucet verbo et exemplo
Praesul venerandus Otto,
Cuius praedicatione
Fructus crevit ecclesiae.

4. Almi patris industria
Multa dedit incrementa
Ecclesiae catholicae
Gentium conversione.

5. O Christe, Ottonis decus,
Hic laus tua, tu illius,
Cui cum sanctis perpetua
Das perfrui lactitia.

Ad Benedictus.

A. Quasi stella matutina
In huius mundi tenebris
Virtutum lucet exemplis
Vita tanti pontificis
Ad dirigendos pedes
Nostros in viam pacis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pietas salvatoris
Per omnia laudabilis,
Qui famulum suum vere
Vivere monstrat apud se,
Cuius illustrat tumulum
Gratia curationum.

Brev. ms. Caminense saec. 15. Cod. Stetinen. (Gesellschaft f. Pommersche Gesch. u. Altertumskunde) s. n. A. — Brev. Misnense imp. s. l. 1483. B. — Brev. Misnense imp. Lipsiae 1502. C. — Brev. Misnense imp. Lipsiae? 1517. D. — Brev. ms. Cisterciense saec. 15. Clm. Monacen. 26222. E. — Brev. ms. Cisterciense saec. 15. Clm. Monacen. 26224. F. — Brev. ms. Heilsbronnense saec. 15. Cod. Erlangen. 704. G. — Brev. ms. Langheimense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed. VII. 7. add. saec. 15. H. — Brev. ms. Langheimense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed. VII 10. add. saec. 15. I. — E bis I haben monastische Form, die nicht in Betracht kommen dürfte; dieselben haben (in 2. Noct.) drei **AA** mehr:

4. Qui fretus Dei gratia
Cum virtutum potentia
Claruit in ecclesia
Verbo et sapientia.

5. Divinitus est directus
Praedicator egregius
Iugo fidei subdere
Colla gentis incredulae.

6. Ritus sacrilegos destruxit,
Multos ad fidem convertit,
Gaudens Christi incrementum
Et diaboli detrimentum.

Die **A** ad Cant. ist prosaisch; in Bezug auf die **RR** tritt nur Umstellung ein, die drei **RR**, welche der kürzern Form fehlen, sind prosaisch. — In 1. Vesp. **R** O beatum pontificem etc. BCD. — In 1. Noct. **R** 2, 7 vocatus a Deo, alle Quellen; doch wohl nur Reminiscenz aus der Vulgata. — In 2. Noct. **RR** 1 u. 2 umgestellt BCD. — In 3. Noct. **R** 3 O magnum et memorandum etc. BCD; A hat im Texte das **R**:

O beatum pontificem,
Apostolorum concivem,
Qui suo erat tempore
Lux et decus ecclesiae,
Nunc laetus vivit cum Christo
In sanctorum collegio.

Am Rande dann die Bemerkung: dies R werde infra Octavam gesungen; in die: Hodie vir clarissimus etc., was ebenfalls am Rande steht; BCD setzen dies R in 2. Vesp. — Hierzu der Hymnus Haec dies celebris oder Dies nunc celebris (BCD), cfr. Mone III, 473.

38. De sancto Pancratio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. In caelesti patria
Gaudent sanctorum agmina,
Ubi Christi famulus,
Beatus Pancratius,
Exsultat in gloria,
Cuius nobis precibus,
Iesu benigne, quaesumus,
Confer aeterna gaudia.

Ad Magnificat.

A. Ierusalem et Sion filiae,
Pancratium videre venite
Cum corona victoriae,
Qua coronatus est hodie
A sponso suae matris ecclesiae,
Cuius, Domine, interventione
Tua salvemur propitiatione.

Ad Nunc dimittis.

A. O martyr invictissime,
Pancrati beatissime,
Qui in Christi confessione
Durasti in persecutione,
Tuo mereamur precamine
In bonis mala vincere.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mundum Pancratius
Christi pro nomine sprevit,
Versus et in melius
fidei per dogmata crevit.

2. Iesum in Galilaea videt
Iam exsistens spritualis
Ablutus sorde criminis
Originalis.

3. Pancratius tormenta sustinens
Ut Israel Aegypto serviens
Manet repromissa sitiens.

4. Finem felicem,
Pancrati, sumis agone,
Ordinis angelici
[iam] sociandus coronae.

5. Hunc tibi sancte chorum
Pancrati laude sonorum
Fac prece sanctorum
consortem sede polorum.

Ad Benedictus.

A. Sanctus martyr Pancratius,
Victoriae palma inclitus,
Labe nivei pudoris nescius,
Stola candidissima amictus,
Agnum cum consortibus
Sequitur iugiter virginibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Pancrati, gemma martyrum,
Paschalem agnum
novellus agnus sequeris,
Tu tuo nos patrocinio
consignatos
Pia prece mundatos
Iungas cum electis
agni comitibus.

Diurn. ms. S. Pancratii in Hamersleve anni 1487. Cod. Berolinen. 8° 56. add saec. 15. — Die Hs. enthält natürlich nur die Teile der s. g. horae diurnae; es fehlen die 3 Nokturnen.

39. In Festo Patronorum Hildesheimensium.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Electorum memoriam
Patronorum agamus,
Felices ut ad gloriam
Illorum transeamus.

2. Principalis ecclesiae
Nostrae virgo patrona,
Maria, mater gratiae,
Caritatis corona.

3. Patroni, Petrus claviger,
Princeps apostolorum,
Paulus, doctrinae signifer,
Magister populorum;

4. Cosmas atque Damianus,
Valerianus et Tiburtius,
Cantius et Cantianus,
Sancti Iustus et Arthemius;

5. Almi praesules Godehardus,
Epiphanius et Bernwardus,
Speciosa cum Caecilia
Virgines nobis dent auxilia.

R. Gaude, virgo,
Christi matronatu,
Tuo gratulamur patronatu,
Iuncta compatronorum caterva
Gregem istum, Maria, conserva.

V. Salva, rege Christo famulantes,
Hac in domo Dei ministrantes.

Ad Magnificat.

A. Virgo, mater regis angelorum,
Principalis gemma patronorum
Huius domus Dei veneraris.
Habere tecum non dedignaris
Ministros plures electos Dei;
Adiuva nos, mater sanctae spei.
Iunge nos sanctorum requiei.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laude patronorum
huius domus gratulemur,
Ut nos in caelorum
eis regno collaetemur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maria, plena gratia,
Huius templi patrona,
Nos Christi vultu satia,
Impetra caeli bona.

2. Petrus cum Paulo veniam
Deposcant delictorum
Hic nobis, ibi gloriam
In coetu beatorum.

3. Martyres Christi celebres,
Virgines, confessores,
Vobis psallentes alacres
Vos sentiant rectores.

Responsoria.

1. Virgo, Christi mater illibata,
Patrona generis nostri grata,
Pia laudibus nostris intende,
Salva nos, iustifica, defende,

V. Placa nobis
Christum, tuum natum,
Nostrum ut indulgeat reatum.

2. Petre, crucifixus triumphasti,
Paule, cursum
ense consummasti,
Una dies ambos coronavit,
Vos Christus in gloria locavit;

V. Sancti Petre, Paule, subvenite
In agone nobis huius vitae.

3. Martyres Domini pretiosi,
Cosma, Damiane gloriosi,
Proprio sanguine purpurati
Caelos conscendistis laureati;

V. Coronam decoris suscepistis
De manu Dei, quam meruistis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Reliquiae sub gremio
Isto quorum foventur,

Ut beatorum praemio
Iungamur, deprecentur.

2. Sancti, quorum suffragia
In loco clarent isto,
Nostra solvant contagia
Et nos conforment Christo.

3. Patronorum victoria,
Qua cuncta devicerunt,
Nos collocet in gloria,
Quam digne meruerunt.

Responsoria.

1. Caecilia cum Valeriano,
Sponso suo,
fratre cum germano
In angustiis nos recognoscant,
Vitam nobis
aeternam deposcant,

V. Quorum patronatu gratulamur,
Precibus illorum fulciamur.

2. Requiescunt corpora duorum
Hic Arthemii
et Iusti sanctorum,
Qui faciant nos precibus beatis
Suae coheredes claritatis,

V. Ut illorum gloria conspecta
Via caelos adeamus recta.

3. Felices athletae triumphales,
Beati Cantius, Cantianus
et Cantionilla,
Passionum vos sodales
Christus fecit et aequales
Vita beatorum in tranquilla;

V. Patronis gaudemus et his trinis,
Caeli qui nos iungant officinis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Honor, magnificentia
Christi decet electos,
Cuius beneficentia
Beavit corde rectos.

2. Coruscabant miraculis
Nostri mundo patroni,
Caelorum habitaculis
Heredes summi boni.

3. Christi pares coniudices,
Testes virgines almae,
Facite nos, pontifices,
Vestrae consortes palmae.

Responsoria.

1. Pontifices sanctos veneremur,
Quorum patronatu confovemur,
Omni laude
dignos, Godehardum,
Epiphanium
atque Bernwardum,

V. Pares regni tui quos fecisti,
Christe, duc nos,
ubi gaudent isti.

2. Speciosa Petronilla
Cum Honesta, decus virginale,
Suae vobis caritatis
Dedit Christus
signum triumphale,
Nam devictis
hoste, carne, mundo
Vos praemio beavit abundo.

V. Virgines eximiae,
Nos vestrorum
Consortes efficite
Gaudiorum.

3. Laetemur de gloria sanctorum,
Huius aulae patronorum,
Qui votis nostris faveant,
intendant
Et nobis adiutorium
impendant,

V. Pacem vivis, gloriam defunctis
Obtineant precibus coniunctis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gloriosum praedicamus
Te Deum mirabilem,
In sanctis annuntiamus
Tuis te laudabilem.

2. Caelestis aula iubilat
De tam sanctis patronis,
Quorum vita nunc rutilat
In terris et in thronis.

3. Praeclara testimonia
Nostros decent patronos,
Vera quorum praeconia
Actus testantur bonos.

4. Sanctorum sapientiam
Patronorum narremus,
Horum magnificentiam
In mundo collaudemus.

5. Exsultant in cubilibus
Nunc patroni sanctorum
Nostri cum caeli milibus
Conformes praemiorum.

Ad Benedictus.

A. Deus, universa qui creavit,
Venerandam nobis adunavit
Hanc patronorum celebritatem;
Christe, nobis illorum largire
Precibus feliciter transire
Ad beatorum societatem.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Digna laude festa
per haec hodierna
Huius sacrae domus
omnium patronorum
Ad gaudia transferamur
sempiterna,
Nobis suffragantibus
meritis illorum.

Ad Magnificat.

A. Matris almae
Christi, beatorum
Petri Pauli coapostolorum,
Martyrum,
virginum, confessorum,
Patronatum simul veneramur,
Christe, nobis
dona, te precamur,
Ut illorum gloriae iungamur.

Brev. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Beverin. 686 b. A. — Brev. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 180. B. — Brev. Hildesheimense imp. Lipsiae 1516. C. — C hat in 1 Vesp. nur 1 A, die erste. —

Verfasser dieses Officiums ist der Domkellner **Lippold von Steinberg**. Er war ein Sohn Burkhards von Steinberg und soll 1325 geboren, 1351 Domherr geworden sein. 1371 war er Domkellner. 1378 hatte er auf der Domfreiheit ein ihn beschimpfendes Weib gestofsen, weshalb ihn das Capitel zu einjähriger Klosterhaft verurteilte. Er unternahm eine Pilgerfahrt nach Jerusalem und brachte ein Stück vom Kreuzesholze heim, in der Nähe Jerusalems und auf dem Ölberg gewachsene Palmzweige, welche er den Stiftern Kreuz und St. Moriz schenkte, sowie das Haupt des Erzbischofs Iacob von Antiochien, welches er künstlich in Silber hatte fassen lassen. Er war ein Wohlthäter der vom Bischof Gerhard gegründeten Karthause. 1395, nach andern 1385, ward er Propst des Morizstiftes, zu dessen 1413 vollendeten Turmbau er 1/3 der Kosten trug; sein Wappen ziert noch die Chorpfeiler. Im Jahre 1406 gründete er eine Vikarie am Dome, welche er ebenso wie eine neben dem neuen Paradiese erbaute Kapelle und ein eigenes Fest am 3. Tage nach Ostern allen Patronen der Domkirche widmete, die er denn auch in Bildwerk und Lied feierte. Er gab das von seinem Vater ererbte Gut Arbergen an den Dom, um mit den Erträgen die Kosten des Festes zu decken. Es soll eine grofse Verteilung stattfinden, es sollen die grofsen Glocken wie bei grofsen Festen geläutet werden, auf die grofse Krone, auf die Säule, über dem Chore sollen Lichter, des Nachts achtzehn Crüsel brennen; es soll ein Priesterfest sein und neuen Sang und Legende, die dazu gemacht sind, soll man singen und lesen. Lippold verfafste diese selbst, wenigstens die Sequenz zeigt in den Anfangsbuchstaben seinen Namen. — Gewissermafsen als Sinnbild dieses Festes und zur Ausstellung bei demselben liefs er ein vergoldetes Reliquiar anfertigen, dem er die Gestalt der vormaligen romanischen Domkuppel gab in 3 Etagen, mit den Bildnissen der Patrone geziert, die noch im Schatz zu sehen und schon 1409 im Verzeichnis des Schatzes als deaurata turris patronorum erscheint. (Kratz, Der Dom zu Hildesheim II, 164.) 1409 gründete

er Vikarie und Altar in der Kapelle der hl. Barbara, und baute das neue gotische Paradies am Dom. Als sich das Kapitel bedenklich zeigte, legte er eine Sicherheit von 70 000 rhein. Gulden nieder, vollführte den Bau und liefs sein Wappen, den Steinbock, in den Schlufsstein setzen, wo er noch heute zu sehen; 1412 nahm er die Summe wieder in Empfang, wobei sein Narr so mit goldenen Ketten behangen war, dafs er ganz gebückt gehen mufste. Lippold starb den 23. Sept. 1415, neunzig Jahre alt, und ward in der von ihm erbauten Kapelle der Patrone beerdigt. Lüntzel, Gesch. der Diöcese und Stadt Hildesheim, II, S. 377 ff., wo S. 379 die Sequenz abgedruckt ist.

Die niederdeutsche Urkunde der Stiftung Lippolds findet sich in C. B. Behrens, Historische Beschreibung des Hochwohlgebohrnen Hauses der Herren von Steinberg, Hannover und Wolfenbüttel 1697, Beilagen S. 32 u. f. Eine andere, die Stiftung betreffende Urkunde vom 30. Jan. 1405 im Staatsarch. Hannover (Domstift Hildesh. n. 1209). Die Festordnung auch in Cod. Guelfenbyteran. Extravag. 44. — Lippolds Name findet sich häufig in Hildesheimischen Urkunden. Vgl. Döbner II, in den Jahren 1370—1395. (1370 schon Kelnere to deme dome); Döbner III 1402—1411. (1405 Propst des Morizstiftes.) Sein Name latinisiert: de Lapideo monte, wird bald Steynberghe, bald Steymberghe geschrieben.

40. In Festo Patronorum Salisburgensium.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Christicolae, ad sanctos
devotas vertite mentes,
In quorum haec aedes
fulget honore pio.

Ad Magnificat.

A. Pangamus cuncti
patronis dulciter hymnos,
Nobis praesidio
semper ut esse velint,
Emendent mores,
detergant sordida probra,
Possimus laeti ut
fundere ad astra melos.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Intercessorum
Dominum laudare venite,
Quorum nos precibus
exaudi, rex pie Christe.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Novit salvator
divina lege beatos,
Qui meditantur in hac
nocte dieque sua.
2. Pungite corda, ad se
clamantes audiet atque
Ostendet nobis
caelica sponte bona.
3. Nomen ineffabile
tibi totus personat orbis
Inque tuis sanctis
lucida laus et honor.

Responsoria.

1. Orbis stelliferi
rectori pangite laudes,
Nam cupit in sanctis
laudari precibus atque
Affectat flecti
precibus sacrisque suorum;
V. *Laudate eum omnes gentes,*
laudate eum omnes populi.
2. Prudentes misit
pastores Christus in arva

Plantatum cultos
indicant lucis iterque
Pascentes ovibus,
rapiat ne bestia saeva.

V. *Vigilate ergo, quia nescitis, quando Dominus vester venturus sit.*

3. Exemplar dedit omnipotens
hortando dicensque:
Discite, percari,
sum mitis corde humilisque,
Ergo suave iugum
iam sumite, non onerosum.

V. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui sunt vestigia,
Deus, hic tua sancta secuti
Atria conscendent
caeli, ubi vera quies.

2. Corde simul sancto
mundi terrena spuentes
Hic benedicentur
et sine fine manent.

3. Spes quibus est Christus,
pietas circumdabit hosce,
Nec locus est hosti,
nempe tuetur eos.

Responsoria.

1. Doctrinae parent
proni dictante magistro
Atque sequuntur eum
mites humilesque beati,
Quos regno dignos
sapientia disserit almi:

V. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.*

2. Ecce, viros sanctos
quos Dominus legerit ipse
Patronosque dedit
nobis deitate perunctos,
Quorum doctrina
rutilat per climata mundi.

V. *Gaudete, iusti, in Domino, rectos decet collaudatio.*

3. Hi sancti fulgent
in regno ut sidera caeli,
Decernunt populos
tandem dominantur et ipsis,
Haec meruere bona
mortali corpore functi;

V. *Iusti in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecce, super iustos
oculi Domini pietatis
Atque paratior has
audiet ipse preces.

2. Heredes se constituit
natos metuentes
Regni caelestis,
quodque perire nequit.

3. Hi sancti recte
noverunt caelica facta,
Quae nobis pandunt,
mox imitemur ea.

Responsoria.

1. Patres familias
nostros veneremur ovantes,
O fratres, qui tanta
delent discrimina vitae,
Orant cotidie,
ne nos perdant mala nostra.

V. *Iusti hereditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis.*

2. Sedulo plangamus
igitur scelus omne patratum,
Ignoscetque Deus
nobis lacrimis sed obortis,
Praestabit pacem
tribuens et tempora laeta.

V. *Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua.*

3. Isti sunt sancti,
nostri fidique parentes
Pro vernisque preces
adhibent tibi, Christe, perennes,
Ne sint praeda malis,
tuta inter brachia condunt.

V. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius, et terrae eius miserebuntur.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Vera et credenda
sunt testimonia sacra,
Quae perhibent sancti,
suntque credenda nimis.

2. Vos iubilate Deo,
qui terras hic habitatis,
Laeti servite,
gloria detur ei.

3. Obsequium qui persolvunt,
hi laude fruentur,
Nec poterit quisquam
tunc reticenda loqui.

4. Hincque, sacerdotes
servi et, benedicite Christo,
Electique omnes,
cuncta creata simul.

5. Sancti exsultabunt,
aeterna in atria pergent
Attribuentque Deo,
quidquid honoris habent.

Ad Benedictus.

A. Ad se nos revocans
Deus aevo sit benedictus,
Visitat ex alto
dans deitatis opem,
Nempe per os loquitur
sanctorum sacra docendo
Eloquia ac eius
nosse parare vias.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O caeli cives,
vestros servate precantes,
Ne scelus impingat
aut ferat hisce necem;
O materque Dei,
spes et protectio nostra,
Extensis alis
nosque tuere tuis;
Clemens salvator,
matris precibusque tuorum
Mors tua nos redimat,
collocet inde polo.

Brev. Salisburgense imp. Venetiis 1518. — Hymnen: ad Vesp. et Noct: O sacri nostrae fidei parentes; ad Laudes: Rex regum clementissime.

41. In Festo Patronorum Emmeramensium.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Iesu, praemium regnantium
Et ductor viatorum,
Salva nos eorum
Suffragiis, quorum
Nos dotasti reliquiis,
Quos vario meritorum iubare
Tribuisti coruscare
Qui iam patria gaudentes
Non relinquant nos
in exsilio degentes.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Qui est nostrorum
Rex patronorum,
Hunc rite
Laudare venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Isti fructum suum dabunt
   Resurgendi tempore,
   Dum glorificato stabunt
   Hic locato corpore.
2. Lumen super se signatum
   Vultus tui, Domine,
   Signis monstrant declaratum
   Et virtutum omine.
3. Super caelos elevata
   Mens sanctorum exstitit,
   Caro quorum hic humata
   Tot salutes praestitit.
4. Hos in monte sitos caelis
   Scimus requiescere,
   Quorum ossa tot medelis
   Cernimus clarescere.
5. Mundi manibus et corde
   Sancti perstiterunt
   Et virtutum spreta sorde
   Montem ascenderunt.
6. Sanctos hos tectum
   iam crimen amans quoque rectum
   Spiritus absque dolo
   constituere polo.

Responsoria.

1. Assis, Christe, famulis
   Hic sanctorum loculis
   Obsequendo sedulis,
   V. Nil adversetur,
   nil triste tuis dominetur.
2. Per sanctos, Christe,
   quos sic humat locus iste
   Omne fugans triste
   nos super aethera siste,
   V. Ne cursu segni
   perdamus gaudia regni.
3. In caelis regnat spiritus,
   Quorum cinis hic positus
   Contactu fugat daemones,
   Aegrotos sanat homines;
   V. Christus sanctorum merita
   Sic manifestat inclita.
4. Te, Deus aeterne,
   suppliciter deprecamur,
   Ut eorum
   patrociniis protegamur,
   Quorum hic corpora
   Resurrectionis
   praestolantur tempora.
   V. Corpus quoque
   nostrae humilitatis
   Cum eis tunc configura
   corpori claritatis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rectos collaudatio
   Condecet in caelis,
   Quorum beneficio
   Gaudet plebs fidelis.
2. Horum Dominus custodit
   Ossa beatorum,
   De quibus effectus prodit
   Tot miraculorum.
3. Ad sanctos hos a finibus
   Terrae iam clamatur,
   Quos suis fovens sinibus
   Locus hic sacratur.
4. Hos in bonis domus Dei
   Iam repletos credimus,
   Ad os quorum ductu spei
   Supplices accedimus.
5. Sanctorum animas
   Dominus custodit, at illis
   Dat sacer iste sinus
   tumulus horumque favillis.
6. En, repletum est in bonis
   Horum desiderium,
   Quos invexit caeli thronis
   Christi ministerium.

Responsoria.

1. Aeterni gaudii
   Fac nos, Iesu, participes,

Per istius loci
Patronos et principes,
Ut fraudes hostium
Nobis insidiantium
dissipes,
Ut caelorum mereamur
esse participes
V. In hac etenim mundi vanitate
Pressis calamitate
Opus est, ut succurras
Solita pietate.

2. Iesu Christe, lumen caeli,
Noxas Stygialis teli
Pellas a plebe fideli
Prece sanctorum
Hic conditorum,
V. Miserando serva famulos
Laudibus sedulos
Ad beatorum tumulos.

3. Per sua munera Christus
ad aethera ducat eorum,
Nos meritis quorum
hic passci dat, regna polorum,
V. In numero quorum
pariter laetemur eorum.

4. Caeli turma laetatur,
In qua coetus adiuvatur,
Hominum sanctorum
Et angelorum;
O societas iucunda,
Sine fine laetabunda
Quae dum semper
regi suo plaudit,
Iubilum ipsius
finis non claudit;
V. Trahat nos ergo post se
Vi meritorum
Ad consortium beatorum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Rex caeli, Iesu,
vetitae nos arboris esu
Erige prostratos
per sanctos hic tumulatos,
Quorum iam donas
animabus in aethre coronas.

Responsoria.

1. O sancti, quorum tumulis
Obsequiis hic sedulis
Servimus, vestris famulis
Faventes subvenite
Pandentes portas vitae.
V. Memores nostri estote
Atque invocantibus vos devote.

2. Christus amicorum
placatus amore suorum
Hic tumulatorum
nos ponat in arce polorum,
V. Virtus sanctorum
magnumque decus meritorum
R. Spectablis est locus iste,
In quo tot sita sunt
Corpora sanctorum
Deo gratorum,
Qui te sequentes caelicum
Ducem, Iesum Christum,
Cives sunt angelorum;
V. Culpae faeces per horum
Preces detergas omnes
Et nos insomnes
Ad quaelibet bona
Esse dona,
Ut sic curramus,
Ut comprehendamus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induit hos Dominus
Animae decore,
Ossa nihilominus
Tumulans honore.

2. Cui sancti servierunt
Semper in laetitia,
Eius portas intraverunt
Praeduce iustitia.

3. Adhaerentes post se Dei
Dextera suscepit,

Quorum tumbas requiei
Locus hic accepit.

4. Sancti nunc et humiles
Benedicunt Deum,
Iam effecti pariles
Angelis per eum.

5. In cubilibus exsultant
Sancti suis et resultant,
Contemplantes sine velis
Dominum de caelis.

Ad Benedictus.

A. Nobis cornu salutis
Dominus hic erexit,
Qui, quos via iam virtutis
Coelestibus invexit,
Nobiscum fecit tumulatos,
Miraculis multis
Et signis sublimatos.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beati, qui vi caelestium
Vicistis saeculum
Et sic in mundi
stadio cucurristis
Quod ad palmam pervenistis,
O vere Christi
fortissimi milites,
Proelio constantes,
O sancti cives angelorum,
Vobis iam merces laborum
Datur a rege caelorum;
Ergo supplicamus
Per vos, a Deo, cari,
Rogamus
Adiuvari,
Ut nos vobiscum laetari
Mereamur perenniter.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14600 A. — Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14790 B. — In 1. Noct. **A** 2, 3 declarata A. — In 2. Noct. **A** 5, 4 Lorumque famulis A, — **R** 1, 9 participes esse AB. — **R** 3, 3 meritis quibus A. — **R** 3, 4 verdorben.

42. In Festo Patronorum. Regni Sueciae.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iucundare,
mater ecclesia,
Novae lucis
agens sollemnia,
Cuius ortu
resplendens Suecia,
Patronorum
decanta gaudia.

2. Dum festive
causa recolitur,
Unde tibi
lux ista oritur,
Honor Deo,
laus sanctis redditur,
Immortalis
vita promittitur.

3. Gens Sueonum
quondam erratica,
Illustrata
iam luce caelica
Nova pange
patronis cantica.

4. Hi sunt patres
et duces gratiae,
Quos direxit
pater clementiae,
Ut sint tibi
norma iustitiae.

5. Benedictus
sit pastor inclitus,
Qui de grege
toto sollicitus
Dat pastores
doctos divinitus.

R. Fundans Sion in saphiris
Propugnansque iaspidibus
Gloriosis ornat viris
Christus, pro se certantibus,

Insignitos multis miris
Praefecit se scientibus,
Relaxatis poenis diris
Indulget paenitentibus;
V. Credunt alienigenae
Et fiunt iam deigenae
Patronis praedicantibus.

Ad Magnificat.

A O quam mirifico,
Deus, ordine cuncta ministras
Ultima per media
regis, influis, ordinas, aptas,
Terrarum caelique sator,
qui cuncta superno
Ducis ab exemplo,
mediis extrema reducis!

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Festa dies agitur
Patronis dedicata,
Iubilemus igitur
Mente purificata.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbo Dei dum obedit,
Gens Sueonum Christo credit,
Orat, plorat et accedit
Ad baptismi gratiam.
2. Firmans fidem, formans mores
Sacrae legis per doctores,
Detestatur nunc errores
Priscos et fallaciam.
3. Olim quidem tenebrarum
Pressa nube diversarum
Nunc ad lumen venit clarum
Per Dei clementiam.

Responsoria.

1. Dum in fines orbis terrae
Christi fides diffunditur,
Coepit multum fructum ferre,
Perfidia retunditur;
Gens Sueonum, illustrata
Verae lucis radio,
Patronorum sublimata
Proficit auxilio.
V. Miseratus miserorum
Pius pater, rex caelorum
Adhibet remedia.
2. Aeternus pater voluit,
Quod Deus homo fieret,
Salutem sic disposuit,
Ut filius redimeret,
Humanam carnem induit,
Exit vincens, ut vinceret.
V. Vidit et condoluit,
Quod ovis una defuit,
Ut deviam reduceret.
3. Post doctrinam salvatoris
Succedit apostolica,
Veram fidem creatoris
Lex docet evangelica,
Ad ovile redemptoris
Concurrit plebs catholica.
V. Ecclesia dominica,
Cum iubilo multiplica
Devota laudum cantica.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex caelorum incarnatus
Et in mundo conversatus
Elegit terrae medium
Hic salutem operatus
Ad extremos incolatus
Diffudit beneficium.
2. Dum de Sion lex exivit
Verbumque vocis Domini,
Successive acquisivit
Gentes suo nomini.
3. Ab extremis aquilonis
Intrat sanctis cum patronis
Plenitudo gentium;
Salus ex Iudaeis nata
Ad extremos dilatata
Vitae confert praemium

Responsoria.

1. Vasti orbis
extrema latera
Sic fundavit
divina dextera,
Ut dilata
salutis munera
Non inferrent
electis vulnera.
V. Fremunt hostes,
turbantur infera,
Viam Christus
pandit ad aethera.

2. Hora cenae
paratis omnibus,
Mandat Christus
extremis gentibus
Missis servis
verbo potentibus,
Ut electis
intersint fratribus.
V. Ad hoc negotium
Tam necessarium
Elegit nuntium
Sanctum Ansgarium

3. Provocatus inimicus,
Saevus hostis et antiquus,
Nostrae salutis invidus,
Septem secum nequiores
Veritatis subversores
Coassumit lividus.
V. Daemonia nequissima
Procurant, quod novissima
Peiora sint prioribus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inter patronos Sueciae
Primatum tenet curiae
Caelestis imperatrix,
Quae multiformi gratia
Depressis in angustia
Succurrit miseratrix.

2. Baptista Christi praevie,
Laurenti, martyr inclite,
Sit vestrum patrocinium
Semper nostrum praesidium

3. Quos direxit Anglia
Nostrae salutis gratia,
Qui modo sunt in gloria,
Hos petimus humiliter
Et credimus stabiliter,
Quod nostra sint refugia.

Responsoria.

1. Rex rogatus reparavit
Regnum, caesos hostes stravit
Directis exercitibus,
Victi praedam perdiderunt,
Quam per fraudem rapuerunt
Inferni fractis viribus;
V. Triumphat Dei filius,
Et regnum fit stabilius
Eiectis cunctis hostibus.

2. O praeclari
patres et incliti,
Ierarchiae
caelesti inditi,
Qui Sueonum
genti praepositi
Erexistis
fide paracliti,
Gratiae traditi.
V. Confessores
Praecelsi meriti
Nostros mores
Forment solliciti.

3. Per tuorum
tuaque vulnera,
Iesu, nostra
remitte scelera,
Ne captivos
ducant ad infera;
Nova sint omnia,
recedant vetera.
V. Beatorum
praeclara opera
Nobis praestent
aeterna munera.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hi sancti, quorum hodie
Celebrantur sollemnia,
Iam revelata facie
Regem cernunt in gloria.
2. Ut hos ergo per patronos
Assequamur caeli thronos,
In illorum die festo,
Chorus noster, laetus esto.
3. Nos ad sanctorum gloriam
Post praesentem miseriam
Per ipsorum suffragia
Christi perducat gratia.
4. Excusent apud Dominum
Reorum lapsus hominum,
Remota qui caligine
Lumen vident in lumine.
5. Hos patronos pariter
Laeti veneremur,
Ut cum his perenniter
In caelis collaetemur

Ad Benedictus.

A. Triumpho gaudent regio
Amicti stola gloriae
Transcenso mortis stadio
Patroi regni Sueciae,
Summo fruuntur praemio,
Vitam ducunt in requie,
Labore verso praevio
In gloriam victoriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Qui vos patres venerantur
Amplectentes intime
Et qui vestrae gratulantur
Dono partis optimae,
Per vos vitam consequantur
Lucis amoenissimae,
In qua semper gloriantur
Beatorum animae.

Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. — In 1. Vesperis hymnus: Lux ecce surgit aurea (Klemming I, 167); in Laud.: Iam adest dies celebris ibid. 175).

43. In Conversione s. Pauli.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O gloriosum lumen
omnium ecclesiarium,
O vere apostolicum
sidus altissimum,
Sancte Paule,
Qui aeterni solis
Splendorem tenebris
Gentium infudisti,
Qui in terra positus
Caelorum secreta petisti,
Et, quae non licent homini
Loqui, praevidisti,
Illuc supplices tuos
Post huius carnis terminum
Perducere dignare,
Quos fecisti veritatis
Lumen agnoscere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgite, cantemus
et corde pio vigilemus,
Cum Paulo magno
iungi mereamur ut agno.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum esset Paulus parvulus,
Cogitabat ut parvulus,
Peregit puerilia,
Non opera virilia.

2. Dum lapidatur Stephanus,
Saulus adulescentulus
Custodit vestes testium
Martyrem lapidantium.

3. Protomartyr Stephanus
Orat, et eius precibus
Iesus Christus stravit Saulum
Et erexit sanctum Paulum.

Responsoria.

1. Paulus nobilis genere
Civis fuit Ierosolymitanus,
Nimis potens
et sublimis urbanus.

V. *Dilexit malitiam super benignitatem et iniquitatem magis quam loqui aequitatem.*

2. Saulus adhuc spirans minarum
Propter caedem christicolarum
A summis petit epistolas
In Damascum ad synagogas;

V. *Sedet in insidiis cum divitibus, ut interficiat innocentem.*

3. Cum accepisset potestatem
Et satellitum facultatem,
Quasi leo rugiens,
Capere fideles cupiens

V. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viae non bonae.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum appropinquaret Damasco,
Venit de caelo lux subito
Saulus in magna saevitia
Prostratus est virtute caelica.

2. Comitatus stans tristis nimium
Audit dicentem Dominum:
Saule, Saule,
quid me persequeris?
Durum est tibi
recalcitrare stimulis.

3. Assistentes
vocem audientes,
Sed penitus
neminem videntes
Timore concussi
circumstabant,
Quid facturi essent,
ignorabant.

Responsoria.

1. Respondit Saulus trepide:
Quis es tu, Domine?
Ego sum Iesu,
quem tu persequeris.
O Domine,
dic mihi, quid praecipis?

V. *Desine ab ira et derelinque furorem, noli aemulari, ne maligneris.*

2. Surge, ait ad illum Dominus,
Visita Damascum citius,
Domum Iudae ingredere
Ibi scies, quid te oporteat facere;

V. *Declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.*

3. Viatores Saulum acceperunt
Et in domum
Iudae perduxerunt,
Apertis oculis nihil vidit
Et non manducavit neque bibit;

V. *Cibavit eum Dominus manna vitae, qui de petra melle multos satiavit.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad Ananiam ait Dominus:
Surge et vade quantocius,
In vico recto Saulum quaere,
Ecce, enim orat vere.

2. Timens visitare saevissimum
Ananias ait ad Dominum:
Vir iste quaerit tuos capere
Et in Ierusalem perducere.

3. Hic habet potestatem
alligandi
Et credentes male tractandi,
Ut lupus rapax
quaerit dispergere
Gregem dominicum et occidere.

Responsoria.

1. Vade, ait Dominus,
Et noli tardare amplius,
Quia vas est mihi electionis,
Qui fuit filius perditionis;
Praedicabit nomen
meum Emanuel
Gentibus et regibus
et filiis Israel;

V. *Annuntiabit nomen Domini in Sion et laudem eius in Ierusalem.*

2. Ananias dum intravit,
Saulum fratrem appellavit,
Dicens: Iesus
Christus, qui te stravit
Via hac, mihi mandavit,
Ut imponam tibi manus,
Ut per eum fias sanus.

V. *Accipe benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari tuo.*

3. Dum imponit illi manus,
Surgit Paulus et fit sanus,
Mox sancti spiritus gratia
Replevit eum, et postea
A propheta baptizatur
Et per cibum confortatur.

V. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Post conversionem
in Damasco habitabat
Cum discipulis
et confidenter praedicabat
Christum, natum, incarnatum
Ex Maria virgine,
Crucifixum et damnatum
Pro suorum crimine.

2. Hanc doctrinam audientes
Stupefacti et dicentes:
Nonne vir iste
illum impugnabat,
Qui nomen Christi invocabat?

3. Saulus nimis convalescebat
Et Iudaeos confundebat,
Cum Graecis et
gentibus disputabat,
Fideles et
credentes confortabat.

4. Synagoga quaerebat capere
Vas electum et interficere,
Sed submissus
per murum a fratribus
Venit Hierosolymam
quantocius.

5. Barnabas discipulus omnibus
Narravit, quod
egisset Dominus;
Hi iam non timentes crediderunt
Et benigne eum susceperunt.

Ad Benedictus.

A. O oriens ex alto,
nos illumina
Et sedentes in umbra
mortis visita
Et pedes nostros
de valle miseriae
Ad verum montem
cum pace dirige,
Per sancti Pauli
apostoli merita
Da nobis, Iesu Christe,
summa gaudia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In Paulo prophetia est impleta.
Qua praedixit
patriarcha et propheta:
Beniamin erit lupus rapax
Et in praeda nimis capax,

Mane comedet prohibita
Et sero dividet spolia
In sancta ecclesia
Per sacra officia.

Brev. ms. Verdense saec. 14. in. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1158. **A.** — Brev. Paderbornense imp. Lipsiae 1513. B. — Brev. Monasteriense imp. Parisiis 1518. C. — In 1. Vesperis: Fünf prosaische **AA** super Ps. B. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Saulus BC. — **A** 3, 2 Oravit B. — **A** 3, 3 Iesum Christum A; Christus fehlt B. — **A** 3, 4 sanctum fehlt B. — **R**, 1 1 Saulus BC. — **R** 2, 3 petiit C. — In 2. Noct: **A** 2, 5 recalcitrare simul C. — **A** 3, 3 Et penitus BC. — **R** 2, 2 Et visita BC. — In Laud. „Item aliae Laudes", worauf fünf prosaische **AA** aus der Schrift C.

44. De s. Paulo Eremita.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Chorus novae militiae
Laudes decantet hodie
In festo nostri ducis,
Quem per mirandum exitum
Ad caelestem exercitum
Christus vexit, lux lucis.

2. Hic vitam eremiticam,
Quam censuit angelicam
Tulit in Christo primus,
Cuius censemur nomine,
Eius adiuti numine
Conformes vitae simus.

3. Paulus parente gemino
Orbatus vitae termino,
Liber gaza ditatus,
Puer pollens ingenio
Fit literarum studio
Scientiis ornatus.

4. Nam sciens puer nescius
Deum peccati, conscius
Mundanae vanitatis
Mundum vitare voluit,
Christum amare maluit
Vir mirae sanctitatis.

5. Petit secreta concitus
Edoctus loca caelitus
Mitis et mansuetus,
Sed proditur ab aemulo
Et proficit in sedulo
Cultore Christi metus.

Ad Magnificat.

A. Cultorem solitudinis,
Sancti primatem ordinis,
Eremitarum primum,
Paulum, iam nexu carneo
Solutum, sed empyreo
Assumptum ad opimum,
Caelo sanctorum gaudium,
Gentis nostrae collegium
Votis et voce laudet,
Cum choris apostolicis,
Propheticis angelicis
Vita beata gaudet.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum in Paulo paupere
Laudemus eremita,
Quem caelo Dei munere
Beat aeterna vita.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aquarum secus alveum
Viventium plantatus,
Paulus exercet eremum
Fructu locupletatus,
Impiorum consilium
Sprevit hic vir beatus.

2. Montem terrae salsuginis
Inhabitat hic humilis,

Montem excelsi culminis
Christum colit amabalis,
Molem dissolvit criminis
Vir vitae venerabilis.

3. Dum mundus hunc persequitur
Minis et blandimentis,
Antro taetro suscipitur,
Palmarum alimentis
Esuries depellitur
Viri beatae mentis.

Responsoria.

1. Acerrimo certamine
Dum triumphantes aspicit,
Non tormentorum turbine,
Non leti metu deficit,
Luxus hamans dulcedine
Paulum ad nemus abicit.
V. Sanctis occidi gaudium
Erat, hostis at odium
Funestum parat otium.
2. Sanctum movet Antonium
Humana cogitatio,
Eremitarum omnium
Se primum credit inscio,
Sibi priorem socium
Prodit divina visio,
V. Se meliorem munere
Virtutum alta colere,
Deserta monet visere.
3. Antonius haec audiens
Festinat hunc adire
Et secum fatur inquiens:
Concedat invenire
Sanctum virum omnipotens,
Quem voluit me scire;
V. Desideratum reperit,
Labore fastigatus
Pulsanti Paulus aperit
Clamore flagitatus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stola palmarum foliis
Mirificat inserta
Paulum, donorum gratiis
Laudat vita referta,
Munda, digna praeconiis
Lucis armis operta.

2. Voce clamoris intimi
Orabat hic devotus
Nomen colens altissimi
Hominibus ignotus,
A mundi huius pessimi
Contagiis amotus.

3. Honor, virtus et gloria
Paulum laudis coronat,
Potatur aqua pervia,
Numen semper exorat,
Mirum magnificentia,
Quod saeculum honorat.

Responsoria.

1. Collato pacis osculo
Amplexu castitatis
Prophetico miraculo
Se nomine vocatis,
Fragrant in verbi pabulo
Divinae bonitatis;
V. Purgatus a cupidine,
A mundo iam remotus,
Quaerit, quo moderamine
Regatur ille motus.

2. Fragmen e caelo mittitur
Per lustra duodena,
Ferente corvo sumitur
Panis, o mira cena,
Collega cum suscipitur,
Lata mensura plena;
V. Honore pacis oritur
In panis fractione
Duellum, pie solvitur
Unica sumptione.

3. Adloquitur Antonium
Paulus aqua libata
Post hymni sacrificium:
Diu desiderata
Mihi post hoc exsilium
Corona stat parata;

V. Te, frater, olim noveram
Viventem me visurum,
Christo docente sciveram
Me terrae conditurum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ingressum sine crimine
Iustitia decorat,
Actu rectum et famine
Paulum mundus honorat,
Beato Christi lumine
Quem gloria coronat.

2. Virtutibus et gratiae
Dulcedine praeventum,
Rex Christe summae gloriae,
Paulum, caelis intentum,
Aeternae caeli curiae
Perducis ad conventum.

3. Elongat hic a turbine
Mundi caduca terens,
Manet in solitudine
Superna regna quaerens,
Omni pulsa caligine
Christo semper inhaerens.

Responsoria.

1. Orabat hospes hospitem:
Tecum perduc ad Deum,
O Paule, tuum comitem;
Paulus inquit ad eum:
Te decet Christi militem
Hostem calcare reum,
V. Fratrum conventum regere
Exemplo sanctitatis,
Quamquam magis eligere
Sit stolam claritatis.

2. Quaeso, iam redi propere
Laturus mihi pallium,
Quod constat grato munere
Largitum Athanasium,
In meo, frater, funere
Humanum fer obsequium;
V. Cum audit Athanasium
Homo sanctus et pallium,
Christum in Pauli pectore
Miratur vatis opere.

3. Reversus ad coenobium:
Baptistam vidi, fatur,
Iohannem, Christi praevium,
Qui silvis immoratur,
Eliae vidi similem
In paradio situm,
Paulum, mundo mirabilem,
Virtute redimitum.
V. Cum redit, ut obsequium
Impendat imploratum,
Inter sanctorum civium
Collegia beatum
Divinum ad consortium
Cernit mire translatum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctorum inter agmina
Splendoribus ornata
Pauli iam scandit anima
Christi regna sacrata,
Quam sancta caeli culmina
Laudant voce levata.

2. Cervice, genu, manibus
Exanimis orabat
Protenta, flexo precibus
Levatis sic instabat,
Quod frater claris visibus
Viventem aestimabat.

3. Terra deserta, squalida
In sancto sic apparet,
Adeps, pinguedo vivida
Repletum ut afflaret,
Christum in stola candida
Videret et amaret.

4. Leonum dira feritas
Mitescit, ut deploret
Defunctum; mira novitas,
Ut bellua laboret,
Pauli quo carnes inclitas
Sarcophagus honoret.

5. Palma sacratis artubus
Pauli dedit amictum,
Antonium sollemnibus
Vestis quae tegit hirtum,
Hieronymus cum laudibus
Magnificat ascriptum.

Ad Benedictus.

A. Antonius leonibus
Ministris tumulatum
Paulum, mire virtutibus
Collaudat honoratum;
Hi nobis munus gratiae
Implorent, ut placatum
Cernamus sancta requie
Christum, Mariae natum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater venerabilis,
Orbi cuncto mirabilis,
Lux anachoretarum,
Antro, carica tunica,
Potu cum esca caelica,
O dux eremitarum,
Exemplar abstinentiae,
Insigne pudicitiae,
Imago paupertatis,
Te laudat caeli curia
Christi felici gloria
Assumptum cum beatis;
Auge catervam nomine
Vocatam tis et lumine
Fac frui deitatis.

Brev. ms. Paulinorum saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 1829. A. — Diurn. ms. Paulinorum saec. 15. Cod. Gottwicen. 439. B. — Brev. ms. Augustinorum anni 1469. Cod. Londinen. Add. 29253. C. — Brev. ms. Franciscan. Gallic. saec. 14. Cod. Matriten. Bb 166. D. — Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Capit. Patav. A. 64. E. — Brev. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. F. — Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540. G.

In 1. Vesp.: **A** 1, 1 Chorus nostrae militiae CEF. — **A** 2, 5 nomine G. — A 4, 2 Dum peccati ABF; Doni peccati G; construe: Nam sciens puer Deum, nescius peccati, conscius mundanae vanitatis. — **A** 4, 6 Vir fehlt A. — **A** 5, 1 conscius A. — **A** 5, 2 loca editus B. — **AA** 1—5 fehlen D. — Ad Magn. **A**, 1 Cultore E, Culmen A. — Ibid. 2 praeatem E. — Ibid. 11 Prophetisque A. — Ad. Matut. Invit. 4 Beata aeterna A; Ditat aeterna CE. — In 1. Noct. **A** 1, 5 Impii consilium AG. — **A** 3, 5 Esuriens E. — **R** 1, 2 triumphantis E. — **R** 1, 5 Luxus humanus AF, vamans E, amans mulcedinem C, mulcedine A. — **R** 1, 6 Paulus ab nemus E. — **R** 1, 7 Sancti C. — **R** 1, 8 Erat hostis odium hosti A; Erat hostis ad odium E, et odium F; ac hodium E; sed erat hostis odium G. — **R** 1, 9 Funestus AF. — **R** 2, 1 monet A. — **R** 2, 7 Sed meliorem E. — **R** 3, 3 Secum frater inquiens. E. — **R** 3, 4 Concedet E. — **R** 3, 8 fehlt A; Laborem E. — **R** 3, 10 fatigatus AE. — In 2. Noct.: **A** 1, 2 Mirifica C. — **A** 1, 5 Mundus dignus E. — **A** 1, 6 armis operata A, armi aperta E. — **A** 2, 1 clamores E. — **A** 2, 4 Hominibus ingratum E. — **A** 3, 2 laudet corona E. — **A** 3, 4 Nomen AE. — **A** 3, 5 Virum magnificentia A. — **R** 1, 1 Collata A. — **R** 1, 8 fehlt A. — **R** 2, 1 Fraglem e caelo E. — **R** 2, 7 Honor pacis E. — **R** 2, 8 Panis in E. — **R** 2, 10 Mira sumptione A; vincta sumptione E. — **R** 3, 1 Antonius E. — **R** 3, 3 sacrificia E. — **R** 3, 5 Cui propter hoc. A. — In 3. Noct. **A** 1, 2 Laetitia A. — **A** 1, 6 gloria decorat A. — **A** 2, 3 Rex supernae gloriae A. — **A** 3, 1 Lies: Elongat se a? — **R** 1, 6 Hostem calcaneum E. — **R** 1, 9 Quam magis E. — **R** 1, 10 Sic stolam AFG. — **R** 3 steht in 1. Vesp. AG, fehlt EF, gehört aber nach Ausweis des Zusammenhanges und Fortschrittes der Erzählung ursprünglich an diese Stelle. — In Laud. **A** 2, 4 Levatis fehlt E; protenta bezieht sich auf cervice, flexo auf genu, levatis auf manibus. — Ad Bened. **A**, 3 mirum E. — Ibid. 8 Christum tuum natum E — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 11 In Christi A. — Ibid. 13 numine A. — Ibid. 14 Vocitatis et A, Vocitantis B, Tuo et lumine C, Voca tantis elumine E, Voca tantis et lumine F. — Die Hymnen siehe Anal. XXIII, Nr. 451, 452; Anal. IV, Nr. 413.

45. In Translatione s. Pauli E.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Inclite confessor
Christi, sanctissime Paule,
Quo duce perfectis
patuere silentia ruris.
Fac, pateant humili
caelestia limina plebi,
Quae tibi condignos
depromit laudis honores.

R. Pangite, christigenae,
Domino, pro cuius amore
Stemmata, divitias
contempsit Paulus et urbes,
Gessit et in terris
castam sine crimine vitam,
Transiit ad superos
multa virtute coruscus,

V. Inter apostolicos
coetos nitidosque prophetas.

Ad Magnificat.

A. Clara recensentes
Thebaei praeconia Pauli,
Christe, suis meritis
nobis miserere, precamur,
Ut, quos exemplo
docuit contemnere mundum,
Efficiat patriae
conscendere regna beatae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi supremo,
fratres, iubilemus ovantes,
Qui tribuit vitam
Paulo super astra perennem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lis erat antiquis,
primus habitator eremi
Qui foret, at patrum
modo par sententia Paulo
Inter eremicolas
primos decernit honores.

2. Hic locuples opibus
generisque propagine clarus,
Doctus et ingenuas
artes et flore iuventae
Splendidus, in Christum
miro flagrabat amore.

3. Omnia plena dolis
scelerumque infecta veneno
Acta videns hominum
fugit consortia vulgi,
Ut Christo tutus
tacitis serviret in antris.

Responsoria.

1. Magnum opus est duras
pro Christi nomine poenas
Interitumque pati,
virtus tamen haud minor hostem
Vincere tartareum et
carnis cohibere furorem
Atque diu vitae integrum
servare rigorem,

V. Prompta licet Paulo
fuit ad tormenta voluntas.

2. Delicias caeli
sitiens frugalibus escis
Pascitur et populi
strepitus urbesque perosus
Curis abiectis
fruitur dulcedine caeli,

V. Corpore per terras,
animo versatur in astris.

3. Antonius simili
studio tum rura colebat
Proxima, cui subito
veniens vox caelitus inquit:
Alter in hac melior
primus considet eremo,
Cuius ad exemplum
poterit tua crescere virtus,

V. Illius ignotas
iubeo te quaerere sedes.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum loca per vastam,
maneat ubi iustus, eremum
Vestigat, inventa est
scopulis spelunca sub altis,
Intus habens fontem et
gravidam cariotide palmam.

2. Quod ubi perspexit,
palmas extendit utrasque
Atque ait: ingentes
refero, Deus optime, grates,
Hoc mihi qui hospitium
magna pietate dedisti.

3. Hic ego, Christe, tuas
conabor reddere laudes
Semper et in lacrimis
caelo suspiria ducam,
Donec in optato
libeat te cernere regno.

Responsoria.

1. Obviat Antonio
satyrus per devia vallis
Dona ferens poscensque
preces Christumque salutis
Auctorem memorans;
senior vestigia pressit
Humanasque ferae
miratur in ore loquelas,
V. Laetatur Christi
nomen crevisse per orbem.

2. Pernox secundas
senior transegerat umbras,
Mane lupa ducente videns
sub rupibus antrum
Ingreditur strepituque
pedum spelunca remugit
Quod ubi persensit,
Paulus mox ostia clausit,
V. Compresso ille gradu
tacitus vocem auribus hausit.

3. Corruit ante fores
Antonius, ostia pandi
Clausa petit, tandem
valvis admissus apertis
Alter in alterius
laetus complexibus haeret,
Et referunt Domino
devoto pectore grates,
V. Nomine quisque alium
proprio salvere precatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Palma cibum vestemque dabat,
sitis arida fontis
Mulcebatur aquis,
animo versabat Olympi
Gaudia et in decimo
laetantes aethere sanctos.

2. Longa dies postquam
fragiles exhauserat artus,
Spirituum turbam
Christus praemisit ab astris,
Qua vehat ad superos
exutam corpore mentem.

3. Antonius niveo
ferri candore sub astra
Suspicit attonitus
properansque velociter abdit
Corpus humo remeatque suas
lugubris in aedes.

Responsoria.

1. Consedere simul
viridis sub tegmine palmae,
Hospitis adventu
tum Paulus laetior inquit:
Dic, rogo, quid faciant
homines, quo principe mundus
Dirigitur, toto
si Christus regnat in orbe,
V. Christicolae optata
si tandem pace fruuntur?

2. Interea solidum
corvus mirantibus affert
Panem; Paulus ait:
nobis, en, prandia misit
Omnipotens Dominus,
famulos qui pascit egentes;
Fragmine sex denis
medio me fovit ab annis,
V. Sed modo propter te
duplex annona refertur.
3. Gratia rectori
postquam fuit acta superno,
In liquidi pariter
discumbunt margine fontis
Et fame sedata
iunctis de gurgite palmis
Libantes Domino
laudum praeconia reddunt,
V. Transigitur tota in precibus
nox illa supernis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Venerat extremam
Paulus moriturus ad horam
Et genibus flexis
tendens ad sidera palmas
Egressus animae
faciles de carne petebat.
2. Deserit interea
moribundos spiritus artus
Et niveo splendore micans
petit atria caeli.
3. Coetus apostolicus
vatum quoque praescia turba
Et chorus angelicus
laeti comitantur euntem.
4. Excipit amplexu
venientem Christus et inter
Primates regni
summo locat ordine caeli.
5. Illic mellifluo
divinas carmine laudes
Concinit et patria
regnat sine fine beata.

Ad Benedictus.

A. Induit Antonius
funebri corpus amictu,
Et, quem scalpendo
gemini fecere leones,
Imposuit tumulo,
tunicam de fronde ligatam
Vendicat in proprios
festis sollemnibus usus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Aspice supremo
caeli de cardine servos,
Paule, tuum nomen
devoto corde colentes,
Ut quibus in serris
virtutum exempla dedisti,
Te obsecrante queant
caelestia regna subire.

Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540. — In 1. Vesp. R, 8 coruscos. — Die zugehörigen Hymnen siehe Anal. XXIII, Nr. 435 sq.

46. De s. Petro Caelestino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In Dei sedes dextera
Et coeli gustas prospera,
Lux clara confessorum,
Quia, dum hic vixisti,
De torrente bibisti,
Nunc compar beatorum.
2. In sanctorum concilio
Et congregatione
In mundo sociatus,

Nunc in horum collegio
Et praemiatione
Congaudes copulatus.

3. Beatus vir, qui timuit
Deum servans mandata,
Ob hoc proles, quam genuit,
Fuit multiplicata.

4. Laudavit nomen Domini,
Dum vixit in hoc mundo,
Nunc iunctus Deo homini
Laudat corde iucundo.

Ad Magnificat.

A. O fulgor humilium,
O fervor paenitentium,
Vas sanctae munditiae,
Sincerus in vita,
Vitia refugiens
Et virtuosa faciens,
Victu parsimoniae
Verus coenobita.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

(Ante pentecosten.)

Sancta mater ecclesia
Corde devoto resonet,
Colens Petri sollemnia
Cum voce clara intonet,
Alleluia.

(Post pentecosten.)

Christo sit laus et gloria
In coetu confessorum,
Sancti Petri magnalia
Quorum decorant chorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir non abiit
In viis peccatorum,
Sed ut devotus adiit
Semitam praeceptorum.

2. Praedicans in ecclesia
Summi Dei praeceptum,
Ut filius ex gratia
Opus consummat coeptum.

3. Mirificatus invocat
Deum et exauditur,
Plures ad bonum provocat,
Eius fama dum scitur.

4. Circumsaeptus iustitia
Bonaeque voluntatis
Scuto sedet in gloria
Summae felicitatis.

5. Christe, memor es hominis
Conformis angelorum,
Quem sceptro celsitudinis
Coronas beatorum.

6. Vir confidens in Domino
Iustitiam dilexit,
Eius praeclara facies
Aequitatem prospexit.

Responsoria.

1. Perfectus vir in publicum
Recusans conversari
Iuxta modum Mosaicum
In monte vult morari,
Ut praeceptum dominicum
Valeat operari,
V. Deum contemplans unicum
Praesentit cibum caelicum
Frequenter sibi dari.

2. In Dei fervens opere
Mundi fastum dimisit,
Sua volens relinquere
Pauperibus divisit,
Quem liberum a pondere
Christus caelis immisit,
V. Pauper cum Christo paupere
Elegit semper vivere,
Ut eum sequi possit.

3. Dum daemon hunc persequitur,
Prudens scit contraire,
Sic vincens non extollitur
Nec quaerit superbire,
Sed virtuose nititur
Ad regnum introire,

V. Confusus hostis redditur,
Per hunc Petrum nam vincitur
Nec est ausus prodire.

4. Dum seminudo corpore
Foras intenso frigore
Sanctus constringebatur,
Caritatis iuvamine
Sacro calescens flamine
Totus accendebatur,

V. Caeli repletus munere
In mundo pleno turbine
Tutus conversabatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Dei tabernacula
Vir sanctus introivit,
Nam vivens sine macula
Per hunc mundum transivit.

2. Tu, Christe, desiderium
Oranti tribuisti,
Quem quoad beneficium
Donorum praevenisti.

3. Vixit innocens manibus,
Factus et mundo corde,
Corregnat in caelestibus
Manens mundus a sorde.

4. Iste pauper dum clamitat,
A Deo exauditur,
Cunctis adversitatibus
Perpetim custoditur.

5. Electus est a Domino
Pariter et assumptus,
Ut in atriis habitet
Eius bonis repletus.

6. Iustus ut palma floruit
Virtute decoratus,
Sicut cedrus in Libano
Caelo multiplicatus.

Responsoria.

1. Amicus fidelissimus,
Qui nullum habens odio
Cunctos vere dilexit,
Se spernens ut humillimus
Subiectis fit obsequio,
Quorum nullum despexit,

V. Cultor Dei piissimus
Multas attento studio
Ecclesias erexit.

2. Audit in evangelio
Salubria consilia,
Quae Christus promulgavit,
Hoc est, inquit, quod cupio;
Non incessit per devia,
Sed his se conformavit,

V. Acquievit imperio
Praecepta servans omnia,
Quae salvator mandavit.

3. Carnis spicam
flagello conterit
Et excussam
paleam reperit,
Granum purum
virtutum eligit,
Cuius fructum
in caelo colligit.

V. Vivo pane nunc cibatur,
Cuius gustu delectatur.

4. Morte dum crux apparuit,
Videntibus apperuit,
Ad mortem salvatoris
Dum viveret aspexerat,
Cum praeire debuerat
Crux more viatoris,

V. Crucifixo coniungitur
Et eius visu fruitur
Gustu comprehensoris.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Petrum, petram primariam
In ordine quem fecit,
Christus super ecclesiam
Primum caput praefecit.

Responsoria.

1. Vere dux novus dicitur,
Per quem plebs sequens pascitur,
Claris lustratur moribus
Mundi spretis honoribus;
V. Honores mundi fugiens
Summae cathedrae vertici
Cessit sicut vir cupiens
Non praeesse sed subici.

2. Hic simplex, rectus, humilis,
Dei cultor amabilis,
Inter adversa patiens,
Inter prospera sapiens;
V. Hic attritus ieiuniis
Et intentus vigiliis,
Devotum habens spiritum,
Ordinem fecit inclitum.

3. Supra petram ecclesiae
Petrus divinae gratiae
Novat in saeclo tempora
Religione socia;
V. Magnum adauxit numerum
Fratrum sancte degentium,
Cuius laus ab infantia
Currit per orbis climata.

4. Dum paupertatis scrinium
Petrus vir sanctus diligit,
Ad egestatis studium
Natos notatos erigit,
Quos ad vitandum vitium
Divitiarum dirigit;
V. Paupertatis inopia
Ditat ipsum in patria,
Illuc felici copia
Fruens est plenus gloria.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hic vir decorem induit
Et moveri non potuit,
Quem auxit fortitudo,
O Petre, testimonia
Tua sunt credibilia,
Te decet sanctitudo.

2. Laetus in caelis iubilat
Et inter sanctos rutilat,
Quia laetus servivit,
Ab angelis recipitur
Et inter eos ponitur,
Dum caelos introivit.

3. Ad te, Deus, hic vigilat
Et, quae sunt mundi, ventilat,
Bonorum pauperumque
Fit plurimorum medius
Et paenitentum socius
Pie iuvans utrumque.

4. Educens de pulveribus
Induxit cum principibus,
Cum hunc sanctum assumpsit,
Sed dum honores abdicat,
Se nihil esse indicat,
Nam se pulverem legit.

5. Laudans laudavit Dominum
Et supernorum agminum
Laetam societatem,
Laus sibi semper adfuit,
Ex quo habere meruit
Caeli felicitatem.

Ad Benedictus.

A. O Petre, petra solida,
Verba depromens lucida,
Te ornavit spiritus
Mentem replens dono,
Tu es testis praevalidus,
Quem zelus sanctus fervidus
Coaptavit caelitus
Sempiterno bono.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve, Petre, pater
patriae, lux forma bonorum,
Virtutis speculum,
recti via, regula morum,
Carnis ab exsilio
duc nos ad alta polorum.

Infra Octavam.

Ad Noct. Antiph.

1. Petrus exstat vocabulo
Lumen situm sub modio,
Flammescens sic resplenduit,
Quod universis notuit.

2. Hic vita sanctus exstitit,
Qui telis hostis restitit,
Liber a mundi fulmine
Sedet in caeli culmine.

3. Domuit artus corporis
Cum miris abstinentiis,
Transcendit humanas vires
Per annos sex undecies.

4. Patrum secutus tramitem
Vitam elegit humilem,
Nam summo pontificio
Cessit quieto animo.

5. Almi patris oraculo
Redditur lumen saeculo,
Dum sospes quisque graditur,
Languore qui deprimitur.

6. Vili contentus tegmine
Carnem domat ieiuniis,
Sacro calescens flamine
Orat crebris vigiliis.

7. Orabat cum suspiriis
Et altis desideriis,
Sicque praescivit obitum
Videns crucem ad exitum.

8. Huic Petrus apparuit,
Nam eius locum tenuit
Et nomen eius habuit
Eiusque vita claruit.

9. Sancte Petre, pater alme,
Perennis possessor palmae,
In conspectu summi regis
Memor esto tui gregis,
Ut tua benigna prece
Criminum purgata faece
De virtute in virtutem
Gradiamur ad salutem.

Brev. ms. Caelestinorum saec. 14. Cod. Avenionen. 129 (72 bis). A. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 14. Cod. Mazarin. 361 (778). B. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 14. Cod. Parisin. (Arsen.) 106. C. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2275. D. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733) E. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. I277. F. — Antiph. ms. Caelestinorum saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Pragen. VIII C 15. G. — Brev. Caelestinorum imp. Neapoli 1488. H. — In Laud. **A** 3, 4 medicius F. — Ad Ben. 3 Sic te ornavit G. — Ibid. 4 suo dono. — Infra Oct. **AA** fehlen F; **A** 9 fehlt FH. — Hiezu die Hymnen: in 1. Vesp.: In paradisi culmine (Anal. XXII, 223); ad Noct.: Plaudens mater ecclesia (Anal. IV, 221); ad Laudes: Lux sanctorum confessorum (Anal. IV, 221).

47. In Translatione s. Petri Caelestini.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iste sanctus in papatu
Multos traxit e tartaro,
Quos a suo incolatu
Liberavit de barathro.

2. In papatu non mutavit
Eremi vitam asperam,
Semper tamen conservavit
Solitam abstinentiam.

3. Alter Petrus hic probatur
Miraculosis actibus,
Dum ad umbram relevatur
Eius quilibet languidus.

4. Loca petit consueta
Deserti, postquam renuit,
Laude hominum iam spreta
Inter sanctos enituit.

R. O miranda et laudanda
Christi providentia,

Quae tot digna pandit signa
In Petri praesentia,
Dum precatur et locatur
Noviter in Aquila;

V. Sanctum corpus, tumulatum
Olim in Campania,
Nuper tamen est translatum
Cum honoris gloria.

Ad Magnificat.

A. O beate Caelestine,
Factus civis caelestium,
Consors gratiae divinae
Obtinuisti bravium,
Ubi regnas sine fine,
Ora pro nobis Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus Deo
Vocibus sonoris
In translatione
Petri confessoris.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir sanctus et perfectus
Quaerit deserti abdita
Et virtute circumsaeptus
Praebet salutis monita.

2. Dum stat crypta interclusus
Assistunt sibi angeli,
Rore caelico perfusus
Formam assumpsit parvuli.

3. Locum signat in Magella
Alba columba construi,
Quae, dum sanctus stat in cella,
Eius paret obtutui.

4. Biennio sic demonstratur
Spiritus sancti fieri
Templum, quod post consecratur
Testimonio angeli.

5. Sanctus iste videt clare
Angelorum exercitum
In ecclesia cantare
Eius sacrum officium.

6. Inter angelos stat sanctus
Amictus veste fulgida,
Cui dicitur post cantus:
Crede hoc mente solida.

Responsoria.

1. Iste novus eremita,
Petrus, confessor inclitus
Et perfectus coenobita,
Fuit in fide solidus,
Quem collaudat sancta vita
Perseverans catholicus,

V. Summa virtus hunc protexit
Ab eiusdem infantia
Et ad bonum semper vexit
Per virtutum fastigia.

2. Petrus residens in petra
Fundatus est in gratia,
Qui abhorrens quaeque taetra
Mundana sprevit vitia
Facieque iugi laeta
Sancta vixit munditia;

V. Sanctitatis petit vitam
Per plurima ingentia,
Suam reddens carnem tritam
Mira cum abstinentia.

3. Hic praepollet sanctitate
Et refulget virtutibus
Maximaque unitate
Se coniungit fidelibus
Et probata honestate
Donat statuta fratribus,

V. Stans in montibus desertis
Totum se Deo dedicat
Studiisque iam expertis
Terrena semper abdicat.

4. Vitam caelicam deducens
Mundana semper horruit,
Velut facula relucens
Toti mundo resplenduit.
Et innumeros inducens
Viam salutis dirigit.

V. Bis sex lustris in deserto
Vixit bellator strenuus,
Contra hostem ab experto
Pugnavit miles optimus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic mortificationem
Crucis in se retinuit
Et per contemplationem
Deum nunquam deseruit.

2. Huic sancto parent aves
Atque ursi de nemore,
Et subduntur maris naves
Pacificato aequore.

3. Librum Petro corvus portat
Per longa terrae spatia,
Quem et angelus confortat
In sancta abstinentia.

Responsoria.

1. Post curriculum annorum
Romanae sedi iungitur
Locumque apostolorum
Tenere tunc praecipitur,
Factus consors electorum
Caelestinus assumitur;
V. Summus pontifex vocatur
Divino inspiramine,
Dono gratiae dotatur
Spiritus sancti flamine.

2. Hic est papa Caelestinus
Factus civis caelestium,
Qui non sentit plus et minus
In ordine humilium,
Quem attollit mos divinus
Ad gloriosum bravium.
V. Ad augmentum praemiorum
Hic cedit pontificio,
Ut thesaurum perfectorum
Condat quieto animo.

3. Statu quolibet perfectus
Iste confessor exstitit,
Nam divinitus provectus
Virtute semper claruit,
In papatu stetit rectus,
Nunquam a bono destitit;
V. Post et ante corde puro
Quaerit virtutum culmina,
Suum corpus cibo duro
Domat vitans inania.

4. Iste sanctus augmentatur
Virtute, postquam renuit,
Et miraculis ornatur,
Cum ad desertum rediit,
Demum sanctus comprobatur
Dum feliciter obiit.
V. Nam ad caelum clara cruce
Pergit hic sanctus praevia,
Dum decedit de hac luce
Comite luce fulgida.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Vita sancta duplicatur,
Postquam papatum renuit,
Sanctitasque serenatur,
Dum gloriosus obiit.

Responsoria.

1. Reverenter tumulatur
Hic sanctus in Campania,
Ubi magna congregatur
Episcoporum copia,
Populusque adunatur
Ad confessoris funera.
V. Noscens papa hunc obisse
Cardinales accelerat,
Quem removerat, fuisse
Papam et sanctum noverat.

2. Post haec autem disponente
Divina providentia
Et Campania manente
In magna disceptantia,
Cursu temporis volvente
Tendit sanctus ad alia.

V. Corpus Aquilam portatur
Cum maximo ingenio
Et cum laude collocatur
Intus in Collemadio.

3. Hic est Petrus de Murrone,
Petrus de petra solidus,
Fortis, potens in agone,
Eremi cultor fervidus,
Toti mundo famae bonae
Fuit odor mirificus;

V. Vir angelicus in vita
Transcendit vires hominum
Et perfectus trapezita,
Comprehensor caelestium.

4. Collaudemus confessorem
Petrum ingenti gaudio,
Quem clamemus defensorem
In sancto patrocinio
Et per ipsum creatorem
Consequamur in praemio;

V. Noster coetus promat laudes
Pro sancti huius meritis,
Qui devicit mundi fraudes
Adeptis caeli gaudiis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In hac vita sanctus iste,
Petrus confessor, exstitit
Familiaris baptistae
Per desertaque petiit.

2. Huic saepe, dum orabat,
Apparebat in cellula,
Quemadmodum confortabat
Data vivendi formula.

3. Hunc evangelista docet
A sua pueritia,
Ut vitando, quae hic nocent,
Sancta vivat munditia.

4. Stans in montibus Magellae
Totum se Deo dedicat,
Ut columba sine felle
Terrena quaeque abdicat.

5. Hic oratione sancta
Hostem devicit perfidum
Ac eiusdem pedis planta
Calcat et hunc igniferum.

Ad Benedictus.

A. O confessor gloriose,
Petre, terrena respuens,
Obiens miraculose,
Caeli gaudia possidens,
Illa cum victoriosae
Vexillo crucis adiens.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O mira virtus
Petri confessoris,
Qui et amictus
luce creatoris,
Ut ostendatur,
quanti sit ardonis
Caelo portatur
specie fulgoris
Et sic locatur
confessorum choris.

Brev. ms. Caelestinorum saec. 14. Cod. Avenionen. 129 (72 bis). A. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 14. Cod. Mazarin. 361 (778). B. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 14. Cod. Parisin. (Arsen.) 106. C. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 1277. D. — Brev. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733) E. — Antiph. ms. Caelestinorum saec. 15/16. Cod. Pragen. VIII C 15. F. — Brev. Caelestinorum imp. Neapoli 1488. G. — Ad Matut. Invit. 2, 2 in vocibus F. — In 1. Noct. A 6, 4 Arde hoc F. — In 2. Noct. A 1, 4 Dominum nunquam FG. — In 3. Noct. R. 2, 10 Collermadio F. — R 4, 9 trapezeta F. — Ad Ben. A, 5 Illa dum F. — Hierzu die Hymnen Anal. IV, Nr. 417—419; BDE haben keine eigenen Hymnen, sondern die des Hauptfestes.

48. De s. Petro Martyre.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Collaetetur
turba fidelium
Triumphantis
athletae gaudio,
Qui conservans
pudoris lilium
Et coruscans
doctrinae gladio,
Dum pro fide
subit martyrium
Trino felix
potitur bravio.

Ad Magnificat.

A. O Petre, martyr inclite,
Praedicatorum gloria,
Virginitate praedite,
Verbo, signis et gratia,
Concessa nobis solitae
Pietatis clementia
Transacto mundi tramite
Nos transfer ad caelestia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Caelestis exercitus
regem adoremus
Et pro palma militis
eius iubilemus.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. De fumo lumen oritur
Et rosae flos de sentibus,
Doctor et martyr nascitur
Petrus de infidelibus.

2. Praedicatorum ordinis
Militans in acie
Nunc coniunctus est agmini
Caelestis militiae.

3. Mens fuit angelica,
Lingua fructuosa,
Vita apostolica,
Mors quam pretiosa.

Responsoria.

1. O Petre, sidus aureum,
Summi vas honoris,
Candorem servans niveum
Dono creatoris,
Decus habens virgineum
In supernis choris,
V. Tu speculum munditiae,
Tu custos innocentiae
Tu sancti flos pudoris.

2. Praedicator fervidus,
Fidei amator,
Circuit intrepidus
Haeresum damnator,
Vitiorum rigidus
Semper expugnator,
Veritatis lucidus
Doctor et amator,
V. Verbo vitae praedicat,
Signis crebris emicat
Legis aemulator.

3. Dum Samsonis vulpes quaerit,
Ab iniquis emitur,
Caput sacrum lictor ferit,
Iusti sanguis funditur,
Sic triumphi palmam gerit,
Dum pro fide moritur.
V. Stans invictus pugil fortis
Constans profert hora mortis
Fidem, pro qua moritur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Petrus novus incola
Caelos laureatus
Ascendit laureola
Triplici dotatus.

2. Turbae currunt languentium,
Signa coruscant varia,

Et in Petri praeconium
Crebra crescunt prodigia.

3. Bolus digne suffocat
Guttur detrahentis,
Sed mox ipsum revocat
Votum paenitentis.

4. Motu, sensu corporis
Iuvenis privatur,
Tactu sacri pulveris
Vitae restauratur.

5. Ad sancti Petri tumulum
Frequens lux descendit,
In cuius laudis titulum
Lampades accendit.

Ad Benedictus.

A. Summa pollens
Petrus munditia
Et praefulgens
doctrinae gratia,
Martyrii
clarus victoria
Trinae fulget
coronae gloria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O martyr egregie,
doctor veritatis,
Puritatis vasculum,
norma sanctitatis,
Tua per suffragia
veniam peccatis
Et vitam in gloria
praesta cum beatis.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 13. Cod. Doneschingen. 312. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 13. Cod. Bambergen. Ed. VII 22. B. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 13. ex. Cod. Barberin. XI 43. C. — Brev. ms. Praedicatorum saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Londinen. Add. 17007. D. — Antiph. ms. Urgellense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Urgellen. s. n. E. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. in. Cod. Araugien. M sq. F. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Olomucen. I VIII 4. G. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Rossian. s. n. H. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Carnoten. 522. I. — Brev. ms. Altenhohenaviense saec. 14. Clm. Monacen. 2902. K. — Brev. ms. S. Ludovici Pisciacen. saec. 14. Cod. Parisin. (Arsen.) 602. L. — Brev. ms. Monasteriense saec. 14. Cod. Monasterien. 227 (479). M. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Barberin. XI 15. N. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Neapolitan. VI F 6. O. — Brev. ms. Praedicatt. Meten. saec. 14. Cod. Univ. Bononien. 2865. P. — Brev. ms. S. Sepulcri saec. 14. Cod. Parmen. Palat. 163. Q. — Brev. ms. S. Michaelis (de los Reyes) saec. 14. Cod. Univ. Valent. 89—5—23. R. — Brev. ms. Toletanum saec. 14. Cod. Matriten. Ff 147. S. — Brev. ms. Franciscanum saec. 14. Cod. Vatican. 7237. T. — Brev. ms. Toletanum saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Matriten. 48 (92—1). U. — Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Lambacen. LXXXIX. V. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Constantien. 1393. W. — Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407) add. saec. 15. X. — Brev. ms. Praedicatt. Cremonen, anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182). Y. — Brev. ms. S. Marci Florent. saec. 15. Cod. Florentin. Conv. sup. I IV 17. Z. — Brev. ms. Argentinense saec. 15. Cod. Parmen. HH IV 18. Aa. — Brev. ms. Praedicatt. Asten. saec. 15. Cod. Parmen. II X 18. Bb. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Solodoren. s. n. (ol. p 6). Cc. — Brev. ms. Zamorense saec. 15. Cod. Capit. Zamoren. s. n. Dd. — Brev. ms. Praedicatt. in Phorczen anni 1407. Cod. Stuttgartien. 1 b 46. Ee. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Bambergen. Ed. VII 3. Ff. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. Gg. — Brev. Zagrabiense imp. Venetiis 1505. Hh. — Brev. Urgellense imp. Venetiis 1487. Ii. — Brev. Compostellanum imp. Ulisiponae 1497. Kk. — Brev. Tirasonense imp. Venetiis 1497. Ll. — Brev. Sigenense imp. Caesaraugustae 1547. Mm.

Die Varianten dieser Quellen aufführen, hiefse, da der Text völlig sichergestellt ist, eine Druck- und Schreibfehlersammlung veranstalten. Die drei zum Officium gehörigen Hymnen cfr. Mone III Nr. 1121—1123.

49. De s. Petro Tarentasiensi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Te Petrus decorat,
Burgundia, teque honorat,
Petri protegeris
procibus meritisque foveris,
Cuius in hoc festo
solito iucundior esto.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Ut sub honore tali
procedant festa diei,
Dignaque laus detur,
qua Christus honorificetur,
Nostri vita chori
devoto consonet ori,
V. Nescia finiri
cui fax nova coepit oriri.
2. Hic vir magnificus,
humilis, pius atque pudicus,
Quo duce Martha Liae,
Rachel sociata Mariae,
Martha laborando
fuit atque Maria vacando,
V. Ne premat ecclesiam
regnum, ne Martha Mariam.
3. Iam superis iunctus,
iam prae consortibus unctus,
Migrat translatus
de culmine pontificatus
Ad superos cives,
factus de paupere dives,
V. De gremio matris
translatus ad atria patris.
4. Nova mundo gaudia
Flagrant in Sabaudia,
Flos Cisterciensis,
De sancto coenobio,
De monte Stamedio
Nova lux apparuit,
Sed domus obtinuit
Hanc Bellavallensis.
V. Omnes gentes, plaudite,
Sapienter psallite
Laudibus immensis.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Floruit ecclesia
Fructumque post florem
Tulit in Sabaudia,
Caelum dedit rorem,
Tota currit patria,
Tu vero, Burgundia,
Fructus huius gratia
Induis decorem;
V. Laetare, Stamedium,
Novum tibi gaudium,
Germinasti lilium,
Cuius in odorem.
2. Subveniens multis
Petrus in morte sepultis
Compedibus fractis
et carceribus patefactis
Absens praesentes
potuit caecare clientes,
V. Ut pateat, quanti
sit ubique potentia sancti.
3. O decus ecclesiae,
matri, pater, auxiliare,
Quo gaudent hodie
sidera, terra, mare;
Natum mater, nata
parentem, sponsa maritum
Gaudet in aeterna
nobilitate situm.
V. Quo sibi flore dato
rediviva viret prius arens
Patre, viro, nato
filia, sponsa, parens.
4. Mellifluo flori,
qui balsama vincit odore,
Alternando chori
succensi cordis amore
Concentu memori
digno modulemur honore,

V. Gratia dat rorem
flori, Sabaudia florem.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Luciferi splendens
radius super aethera tendens,
Quem colit iste chorus
voto, prece, laude sonorus,
Spes et amor cleri,
tu nos dignare tueri,
V. Gloria pontificum,
pastor bonus, sidus amicum.

2. Splendida stella poli,
pater inclite, spernere noli
Nos tibi devotos
et ab omni crimine lotos
Tecum sorte pari
fac nos super astra locari,
V. Maxime pastorum,
spes, portus et aura tuorum.

3. Iucundetur hodie,
Subalpina contio,
Matris, sponsae, filiae
Gaudens privilegio,
Petro sit devota,
Suo primum filio,
Sponso post ecclesiae,
Demum patri patriae
Sua solvat vota;
V. Bellavallis, propriae
Ubi sunt reliquiae,
Speciali gaudio
Sit devota tota.

4. Abbatis officio
Functus in principio
Moribus honestis,
Pulchris archipraesulis
Decoratus infulis
Modo regni titulis
Fruitur caelestis,
V. Quod a pueritia
Iustus vicit vitia
Sola pudicitia
Multiplex est testis.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Lugent orbati
sublato de patre nati,
Congaudendo tamen
solvunt iubili modulamen,
Lugent ablatum
gaudent super astra locatum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Bellae Vallis in hac die
Laetetur ecclesia,
Sonent laudum melodiae
Cordis ex laetitia,
Alleluia
Consonet ecclesia,
Pastor noster hinc transivit,
Sed cum Christo semper vivit,
Alleluia
Consonet ecclesia.
Vallis tota iucundetur
Psallat clerus, plebs laetetur,
Alleluia
Consonet ecclesia.
Miserere miserorum
Pie pater et tuorum
Memor esto memorum;
Alleluia
Consonet ecclesia.

Brev. ms. Parisense saec. 13. Cod. Colmarien. 315. add. saec. 14. A. — Antiph. ms. Salemitanum saec. 13. Cod. Heidelbergen. X 6 b. B. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Oenipontan. 542. C. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Fiechten. 247. D. — Brev. ms. Stirpinense saec. 15. Cod. Stirpinen. 30. E. — Brev. ms. Cisterciense saec. 12. Cod. Confluentin. 170. F. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Clm. Monacen. 23280. G. — Brev. ms. Altaripense saec. 15. Cod. Friburgen. L 64. H. — Brev. ms.

Cisterciense saec. 13/14. Cod. Eremiten. 92. I. — Diurn. ms. Wettingense saec. 14. Cod. Araugien. W 4 9. K. — Brev. ms. Langheimense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed IV 10. L. — Brev. ms. Lichtenthalense saec. 15. Cod. Carolsruhan. L. 15. M. — AA ad Vesp. et Noct. sowie Invitat. nur Alleluia. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 2 teque decorat DE; fehlt C. — In 1. Noct. R 4, 5 monte stadio C. — R 4, 8 Bonevallis C. — In 2. Noct. R 2, 6 cliens im Sinne von armiger; vgl. Du Cange s. v. cliens. — R 3, 1 O fehlt C. — R 4, 1 flore DE. — In 3. Noct. R 2, 8 et amatorum C; aura morum. E. — R 3, 2 Sub almo concio C. — R 4, 6 titulis fehlt C. — R 4, 11 est caelestis C. — In Laud. A, 2 fehlt C.

50. De sancto Placido.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Martyris invicti
   Placidi victricia gesta
   Efferat in caelum
   sacra contio voce modesta.
2. Patricum suboles,
   martyr quoque post monachatum,
   Obtinuit meritis
   caelestem patriciatum.
3. Post flagra, post fustes
   Christi iugulatus amore
   Emit felici
   sibi caelica regna cruore.
4. Pro sibi devotis
   humiles fundendo precatus
   Expiet humanos
   solita pietate reatus.

Ad Magnificat.

A. Unice martyr, ave,
   caeli rosa, flos paradisi,
   Cui peperit vitam
   capitis iactura praecisi,
   Fac, placide vivant
   Placidi munimine fisi.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Voto communi
trino iubilemus et uni,
Cui meruit Placidi
vere pia vita placere.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Roma potens Placidum
   felici protulit ortu,
   Cui datur in Siculo
   fidei victoria portu.
2. Stirpe satus Flavia,
   suboles pia patriciorum,
   Splendorem generis
   cumulavit pondere morum.
3. Is usu mundi
   desiderioque relicto
   Est prope septennis
   puer oblatus Benedicto.
4. Ordinis et vitae
   capit aetas vivida normam,
   Qua praeceptoris
   valeat resculpere formam.
5. Raptus aquis virtute patris
   Maurique labore,
   Non potuit rapido
   sorberi gurgitis ore.
6. Martyrii titulo
   sublimis in orbe futurus
   Instantes evasit aquas
   gladio moriturus.

Responsoria.

1. Vir fidei digne,
   poena decoctus et igne,
   Hostia fit viva
   veris mutando cadiva.

V. Flos satus in spina
   coquitur torrente pruina.

2. Editus in vitam
speciem refigurat avitam
Dote sacra morum
genus ornans patriciorum,
V. Traditus in monachum
nemus mundi exit opacum.

3. Aetas cauta parum
cum vi raperetur aquarum,
In virtute patris
fluviis educitur atris,
V. Ecclesiae murus
propugnatorque futurus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adfuit hic praesens
Benedicto, cum prece munda
Fecit, ut arenti
de rupe reflueret unda.

2. Acrius adflictum
morte capitis Capuanum
Reddidit impressa
forma crucis ilico sanum.

3. Obductum caeca
caligine lucis acumen
Purgat et infundit
oculis spirabile lumen.

Responsoria.

1. Cum pueri metas
evaderet altior aetas,
Coepit signorum
radios vibrare novorum,
V. Siciliam vadens,
gratis quoque caelica tradens.

2. Daemone possessum
mentisque gravedine pressum
Vi crucis illata
curat prece peste fugata,
V. Gressus damnatos,
lepra variante notatos.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. O virtus celebris,
effecta inclita rebus,
Cui morbus cedit,
natura potenter obedit,
V. Omnibus et gratis
dispergit opes pietatis.

2. Cum meritis operum
premeretur copia rerum,
Induciata parum
facit hunc sua passio clarum,
V. Corporeae litis
causis in carne sopitis.

3. Oranti lictor
superassistens quasi victor,
Dum faciendo moram
precibus sacer occupat horam,
Impius invidit
et ei caput ense recidit
V. Composita mente
placida prece summa petente.

Prosula.

1. Ducis ex imperio
Datur martyr vigili
Custodiae,
Caeli beneficio
Reservatus celebri
Victoriae.

2. Et ex Poena
persequentis rabie
Tactus poena
famis et inediae.

3. Dum resumit nec assumit
Vires patientiae,
Fustigatur et mactatur
Verberum congerie.

4. Lingua caesa, sed non laesa
Facultate
Virilis facundiae,
Supplicanti vel oranti
Sanctum caput
Minister nequitiae

5. Ense recidit.

In Laudibus.

Antiphonae.

Laudes.

1. Vir meriti magni
dum sanguine se lavit agni,
Principe sub Manuca
fugit moriendo caduca.

2. Mente tulit grata
Placidi patientia lata
Verbera fuste data,
flagris dans terga parata.

3. Martyris est visa
verbum dare lingua recisa,
Hincque magis fari,
quia sic habuit cruciari.

4. Corpore discisso
poenis et verbere spisso
Caelo curante
sic sanus habetur ut ante.

5. Membra daturus humi
tetra post spiramina fumi
Scandit inoffense
caelumque subinvolat ense.

Ad Benedictus.

A. Martyr inevictus
post dira flagella vel ictus,
Linguae caesura
verbi redimens sibi iura,
Hac Placidus luce
post vitae damna caducae
Sanguine purpureum
meruit sumpsisse tropaeum.

Ad Tertiam.

A. Messanam veniens
Siculis adlabitur oris
Propositurus ibi
speculum vitae melioris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magne triumphator
mirabiliumque patrator,
Flos tener et munde,
flos martyrio rubicunde,
Quem necis e prelo
rapit et dat gratia caelo,
Fac virtute precum
vere nos vivere tecum.

Brev. ms. Casinense saec. 13. Cod. Casinen. 419. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum anni 1476. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 168. B. — Brev. ms. Congreg. s. Iustinae saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 671. C. — Brev. ms. S. Trinitatis Florent. saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. D. — Brev. ms. Camaldulense. saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 519. E. — Brev. ms. S. Michaelis de Burgo (Pisis) anni 1457. Cod. Ravennat. 139. 1. Z. F. — Brev. ms. Camiliacense saec. 15. Cod. Parisin. 1278. G. — Brev. Caelestinorum imp. Neapoli 1488. H. — Brev. Camaldulensium imp. Venetiis 1484. I. — Brev. Olivetanorum imp. Venetiis 1493. K. — Brev. Olivetanorum imp. Florentiae 1521. L. — In 1. Vesp. **AA** super Ps. fehlen BIL. — In 1. Noct.: **A** 2, 2 pia paternorum H, patronorum L. — **A** 4, 2 aetas invidam H, invida I, nividam L. — **R** 2, 4 gemmis ornans HL. — Ordnung der **RR** 2, 3, 1, I; dieses hat als **R** 4:

R. Vera Dei pietas, cui militat ordo vel aetas,
Exhilaret mentes Placidi nova festa colentes,
V. Ut resonum melos valeat contingere caelos.

In 2. Noct.: **A** 1, 1 hic parens H. — **A** 2, 3 Reddit HL. — I hat 6 **AA** super Ps., nämlich 4. Patricii (!) suboles etc.; 5. Post flagra, post fustes etc.; 6. Messanam veniens etc. — **R** 3, Hic pro amore Dei, prosaisch, de communi A. — **R** 4 Octava lectio et R de dedicatione A. — Die andern Quellen haben vier **RR**: 3. O virtus celebris etc.; 4. Cum meritis operum etc. — In 3. Noct. Ad Cant. **A** Unice martyr ave etc. AH; Corpore discisso etc. L, Membra daturus humo BI. — **R** 1 gebildet aus **A** 1 und **A** 2 der 1. Vesp. HIL; **R** 2 aus **A** 3 und **A** 4 der 1. Vesp. HIL. — **R** 4 ebenda:

R. Gemma caeli purpurea,
Vitae nitescens laurea,
Insistentes tuae laudi,
Pie martyr, nos exaudi,
V. Post vitae clarae terminum
Cum sociis ad bravium
Tripudians vocari.

Die Prosula hat nur A. — In Laud.: A 5, 1 Membra datur humi HI. — I hat in Laud. nur eine A, die erste; die andern verteilt es auf die kleinen Horen; A hat nur eine eigene A ad Tertiam, nicht für die andern Horen. Ganz unvollständig ist das Officium in F, das die Rubrik hat: „Invitatorium et cuncta, quae hic deficiunt, fiant de communi plurimorum martyrum.“ — Zu diesem Officium gehören die Hymnen Anal. IV; Nr. 423—425. Zu dem ersten derselben bemerkt Cod. Casinen. 34. saec. 14: „Ympnus Domini Reynaldi Abbatis“, der alsdann auch als Verfasser der andern beiden Hymnen sowie des ganzen zugehörigen Officiums anzusehen ist. Gemeint kann nur Reinaldus von Colle di Mezzo (Colomentanus oder Colimentarius) sein, der 1136 Abt, 1140 Kardinal ward und den 15. Juli 1165 starb. Vgl. Petrus diaconus IV, 128; Gattula, Historia Abbatiae Casinen. I, 394 ff.

51. De sancto Placido.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exsulta, pater monachorum,
Cernens mira filiorum,
Qui de bellis tormentorum
Scandunt regna supernorum.
2. Nam, ecce, miles, Placidus
Saevis paret conspectibus
Et Flavia cum fratribus
Trigintaque complicibus.
3. Exspoliantur milites
Et sancti Dei proceres,
Caeduntur saeve fustibus,
Acris mactantur ictibus.
4. Replentur sibi gaudiis,
Exsultant in suppliciis,
Iesum fatentur laudibus,
Diis Deum prae omnibus.

Ad Magnificat.

A. O decus Christi tironum
Exemplarque mirabile,
Quorum ordo monachorum
Rubescit fuso sanguine,
Vesterque chorus nitescit
Super nivem dealbatus,
Florum decore fulvescit
Meritis magnis ditatus,
Precamurque lacertorum
Sublevari auxilio
Vestrorumque meritorum
Eripi ab exsilio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem,
venite, adoremus,
Et coram suis militibus
venite exsultemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Puer septem annorum
A suo patre ducitur,
Datus patri monachorum
Ad caelestia tollitur.
2. Hic spretis mundi gaudiis
Et omnibus divitiis
Sub magni patris monitis
Fit omnibus mirabilis.
3. Bellator miles Placidus
Patris praecepta sequitur,
Legis Dei non nescius
Siciliam ingreditur.

4. Hic mundo fuit mortuus
Suisque voluntatibus,
Cunctis fulgens virtutibus
Gessit mira divinitus.

5. Athleta Christi Placidus
Martyrium adducitur
Atque cum suis fratribus
Forti catena stringitur.

6. Exspoliantur milites,
Caeduntur saevis fustibus,
Exemplo quorum desides
Accendantur ardoribus.

Responsoria.

1. Ex nobili prosapia
Septennis erat Placidus,
Quando divina gratia
Ad debellandum vitia
Est Benedicto traditus;

V. Vere tu vas virgineum,
Sanctis plenum liquoribus,
Tu pectus habes igneum,
Plenum sacris ardoribus.

2. De luce splendor micuit,
De mundo virga floruit,
Cuius de ramis prodiit
Athleta Christi Placidus,
Omni virtute fulgidus;

V. Dum totus mundo deficit,
Mentem in Deo collocat
Semperque cruci configit
Omne, quod caro clamitat.

3. Siciliam ingrediens
Ut radix bona pullulat,
Ut pater multos generat,
Quos Christo sursum dirigens
Talentum Christi duplicat;

V. Agrum serens dominicum,
Sicut a patre didicit,
Suis dat panem caelicum,
Quo turbam sanctam reficit.

4. Dum huius fama volitat,
Nimis odor se ampliat,
Ad Christum fratres convocat,
Quos verbis sacris consolans
Hortatur ad certamina;

V. Hic sobrius et humilis,
Castus, prudens, immobilis,
Multis splendet miraculis,
Pons, via, salus populis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fantur: Negate, perfidi,
Iesum, quem stulte colitis,
Nostro libate conciti,
Quem perperam despicitis.

2. Unus est nobis animus
Unusque ordo vivendi,
Una fides, pro qua, Deus,
Voluntasque moriendi.

3. Sancti gratias agebant
In tormentis congaudentes,
Aequo animo psallebant
Infideles deridentes.

4. Pectus habent immobile,
Quo fractus hostis vincitur,
Soli Deo volubile,
Cui amans subicitur.

5. Istorum ignis spiritus
Exstinguit ignem penitus,
Amoris flamma devorat
Omne, quod mundus irrogat.

6. Lingua praecisus Placidus
Christum fatetur Dominum,
Qui dominatur omnibus,
Deus deorum omnium.

Responsoria.

1. Hi confitentur Dominum,
Qui pergunt ad supplicium
Minas spernentes hominum,
Quos confitetur Dominus
Angelis coram omnibus,

V. Utuntur verbi gladio
Facti sunt testes Domini,
Semper fortes in proelio
Nulli cesserunt homini.

2. Isti amicti lumine
Et fortes in certamine
Scutum habent pro tegmine

Fidem speique galeam
Iustitiaeque loricam;
V. Vobis datum est edere
De ligno vitae prospere,
Pro nobis quoque petere
Dignemini et propere.

3. Sicut sol iusti fulgebunt,
Quosque nullus tanget aestus,
Et in mensa consedebunt,
Quibus ministrabit Christus,
Perenne donans gaudium;
V. Vestra laus Deus est summus,
Corona, lux et praemium
Et mercedis vitae nummus,
Qui est omne solacium.

4. Vos estis turres Domini,
Qui adversantes daemoni
Cessistis divo lumini,
Ad bella nunquam pavidi,
Sed semper magis fervidi,
V. Castra non debellata
Columnaeque immobiles,
Vos turma laureata
Vosque invicti pugiles.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Verbo, vita et sanguine
Isti confessi Dominum
Omni pulsa formidine
Hoc calcaverunt saeculum.

Responsoria.

1. Ave, stella radiosa,
Virgo nitens et formosa,
Christi sponsa gloriosa,
Tu es murus facta fortis,
Turris passa crucem mortis;
V. Pulchra sponsum vulnerasti,
Quando ipsum adamasti,
Per quem corpus cruentasti
Et te ipsam immolasti.

2. Ecce, proles Dei patris,
Summum decus veritatis,
Fons amoris vitae gratis
Te in ulnis elevavit
Et in caelis coronavit;
V. Felix, virgo, lumen solis
Respectu caenum est prolis,
Cuius frueris amoris
Vitae pacis et dulcoris.

3. En, cantica laetitiae
Nostrae quoque militiae
Hoste victo nequitiae
Cantamus coram Domino
Regnante sine termino,
V. In organis et citharis
Cunctis devictis hostibus
Et mentium tripudiis
Cum dilatatis cordibus.

4. Expletis bellis inclitis
Cum palma sursum pergitis,
Per plateas discurritis
Christo melos dulcissimum
Canentes in perpetuum;
V. Estote nostri memores,
O gloriosi martyres,
Pro nobis preces fundite,
Ab hoste nos eripite.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Triumphum belli canimus,
Magnum festum peragimus,
Dum fratres nostri caelibes
Facti sunt Dei martyres.

2. Athleta Christi Placidus
Poenas pro Christo fortiter
Et Flavia cum fratribus
Crucem ferunt alacriter.

3. Vestra rubescunt corpora
Fuso cruore roseo,
Nostra usta sunt pectora
Amoris telo flammeo.

4. Gustant amara dulciter
Dulcis amoris poculo,
Cuiusque clavo fortiter
Adfixi sunt patibulo.

5. Amoris nexu valido
Iuncti sunt Christo fortiter,
In quorum cordis medio
Dilectus est perenniter.

Ad Benedictus.

A. O vos proceres beati,
O cruenti martyres,
Christi pugiles probati
Et laureati milites,
O zelatores fervidi
Et congressores validi,
Vos peractis agonibus,
Summis locati sedibus,
Amicti stolis candidis
Gemmisque plenis fulgidis
Exsultatis perenniter.

Ad Magnificat.

A. O globus invincibilis,
Armis indutus bellicis,
Flammis accensus lucidis,
Hostis depulsis iaculis
Sub alis nos protegite
Amoremque succendite
Nosque sursum erigite
Christoque salvos reddite.

Brev. ms. Farfense anni 1499. Cod. Roman. 294 (Farfen. 16). A. — Brev. ms. Farfense saec. 15. Cod. Roman. 180 (Farfen. 21). B. — Cod. Hamburgen. 1568. saec. 15. C. — Cod. Scotorum Vindobonen. 53 f. 6. saec. 15. D. — In 1. Vesp. AA super Ps. fehlen D. — A 1, 2 Cum cernens C. — A 2, 2 adspectibus C. — In 1. Noct. A 1, 4 sustollitur ABCD. — R 2, 8 lies cruce conficit? — In 2. Noct. R 2, 3 Sequuntur scutum habent etc. CD. — R 3, 6 est fehlt D. — In Laud. A 2, 3 Et flamma cum D. — A 2, 4 ferunt acriter D. — Die zugehörigen Hymnen cfr. Anal. IV, Nr. 420 bis 422.

52. De ss. Praeiecto et Amarino.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Praeclaram nunc victoriam
Praeiecti et Amarini
Ducamus ad memoriam,
Qualiter divini
Fervor amoris perlustravit
Horum mentes et armavit,
Dum trucidantur bini.

Ad Magnificat.

A. O veraces hi patroni,
Speculum superni boni
Vere contemplantes,
Ut vobiscum collocemur
Et in caelis gloriemur,
Christum exorantes.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgite devoti
per caelica gaudia moti,
Huius multimodas
celebrantes carminis odas.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. O praedulcis Amarine,
Tu dulciter adesto,
Fac gaudere sine fine
Praesentes tuo festo.
2. Praeiectus est praegnosticatus
Ante matri quam natus.
3. Pandit viro venerando
Mater suam visionem,
Cui vir sanctus consolando
Dat interpretationem.
4. Pia mater consolatur,
Dum puer praegnosticatur.
5. Literarum studio
Iuvenile pectus
Mentis cum tripudio
Armavit Praeiectus.

6. Studiose congestabant
Literarum voces,
Quos post mire erogabant
Per praeclaros mores.

Responsoria.

1. O felix societas
Praeiecti et Amarini,
Quam divina pietas
Coniunxit sic, ut bini
Pari desiderio
Aequali martyrio
Mire coruscarent,
V. Mentis dum sinceritatem
Hostes per severitatem
Dire trucidarent.

2. Ex illustri procreatus
Sanguine Praeiectus,
Deo mire inspiratus
Iuvenile pectus
Literarum floribus
Subegit claris moribus
V. Bibens corde sitibundo,
Ore quod post hoc facundo
Distribuit maioribus.

3. Mire fulsit hic Praeiectus,
Vir devotus et perfectus
Morum venustate;
Sic devotus Amarinus,
Simplex, mitis et divinus
Vitae puritate;
V. Erant ambo Deo digni,
Casti, fortes et benigni
Pari caritate.

4. Ad sanctorum monumenta
Fiunt mirabilia
Et virtutum incrementa
Inenarrabilia,
V. Caecis visus, claudis gressus,
Surdis auditus redditur,
Vir illisus et obsessus
Horum prece solvitur.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Quos sincera caritas
Divinitus univit,
Hos tortoris feritas
Disiungere nequivit.
2. Fulsit viris in beatis
Fervor merae castitatis.
3. Pari cum devotione
Pari passi sunt agone.
4. Amarinus est adeptus
Salutis beneficium,
Dum Praeiectus est susceptus
Eius ad hospitium.
5. Gaudet hospes et laetatur
Hospitis adventu,
Factus sospes gratulatur
Salutis obtentu.
6. Amarinus dum conatur
Hostes mitigare,
A Praeiecto increpatur
Dicens: noli, care
Frater, modo retardare
Coronam nobis gratam,
A Deo praeparatam.

Responsoria.

1. Dum Praeiectus est susceptus
Laetanter ad hospitium,
Amarinus est adeptus
Salutis beneficium,
V. Ex virtute iam divina
Aegro datur medicina.
2. O pastores et patroni
Mites et benigni,
Rogamus, ut superni boni
Non simus indigni,
V. Sed heredes, commensales
Vestri simus et sodales.
3. Dum Praeiectus hospitatur
Apud Amarinum,
Febri, qua sollicitatur,
Amarinus mox curatur
Virum per divinum,

V. In quo Christus collaudatur,
Et Preiecti demonstratur
Virtus, aeger et laetatur.

4. O stupor magnae devotionis
Miraeque admirationis
In sanctorum passione,
Qui pari devotione
Mortis poenas pertulerunt
Et ad caelos conscenderunt;

V. Una die, una hora,
Pari voto sine mora
Coronari meruerunt.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Prior mortis gustavit
Calicem Amarinus,
Post Praeiectus inclinavit
Se supinus.

Responsoria.

1. Peracta iam legatione
Praeiectus cum devotione
Ad sua remeavit,
Quo comperto Amarinus,
Simplex velut columbinus,
Hunc sequi curavit;

V. Ferventi desiderio
Eius sub imperio
Esse destinavit.

2. Gaude, felix civitas
Plebis Avernorum,
In qua nunc festivitas
Colitur sanctorum
Praeiecti et Amarini,
Qui laetanter una hora
Meruerunt sine mora
Coronari bini,

V. Mundi de miseria
Sublati ad aetherea.

3. O Praeiecte, sis praeiactus
Velut fidus athleta,
Quando campus erit factus,
Exponetur meta,
Cum antiquo congressuri
Hoste non simus casuri,
Assis cum turba laeta

V. Christum nobis placaturus,
Hostem nobis expugnaturus.

4. O praedulcis Amarine,
Pie pastor et patrone,
Ora Deum, ne ruinae
Non nos tangant in agone.
Nomen *in* epenticavit,
Quod amarum dulcoravit,
I, n ergo non depone;

V. Ut nomen amplificavit
Literarum quantitas,
Sic mentem irradiavit
Virtutum pluralitas.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O Christi mira pietas
Virtutum et nimietas,
Quae fulsit in sanctorum
Martyrum consortio,
Quorum vera portio
Est gaudium caelorum.

2. Horum desideria
Cum mente devota
Circa monasteria
Desudabant tota.

3. Pari voto sine mora
Una die, una hora
Morti sunt addicti,
Sic recenter trucidati
Et ad caelos sublevati
Sunt martyres invicti.

4. Assunt turbae caelicae,
Virtutes et angelicae
Prosequuntur,
Terra corpus venerandum,
Caelum spiritum beandum
Assequuntur.

5. Terrae caro commendatur,
Spiritus vivificatur
In caelesti curia,

Laus et honor tribuatur
Christo regi, ut solvatur
Mentium penuria.

Ad Benedictus.

A. Sanctorum per suffragia,
Iesu Christe, pastor bone,
Mundi seda naufragia.
Qui potenter in agone
Mortis poenas pertulerunt
Et aeternae meruerunt
Praemia coronae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Praesulatu sublimatur
Praeiectus, vir divinus,
Regulari decoratur
Honore Amarinus,
Alter turbam clericorum
Rexit, alter monachorum,
Sic fulsit honor binus.

Brev. ms. Monasticum. saec. 15. Cod. Eremiten. 759. — In 1. Vesp. ad Magnif. **A**, 1 hic patroni. — In 1. Noct. **A** 3, 2 Matri solemni visionem. — R 1, 7 Mire trucidarent. — R 4, 7 Vir illesus. — Hiezu der Hymnus: Annua festa celebret ecclesia (Anal. XXIII, 260).

53. De ss. Quinque Martyribus.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virtus Christi iam panditur,
Fideque spes extollitur
Victorum martyrio,
Ecclesia quam nobilis
Gaudeatque spectabilis
Cordis desiderio.

2. Francisci flores germine
Christum profuso sanguine
Opere imitantur,
Honorio pontifice
Sixtoque nunc opifice
Mirifice venerantur.

3. Hos Christi providentia
Voluit et clementia
Martyres reservari
Huic summo iam hierarchico,
Ne furore malifico
Hic possit aggravari.

4. Horum igne cor caluit,
Hos Christus pastu aluit
Sanguinisque liquore,
Dum crucis scandit loculum,
In eum figunt oculum
Prae flebili maerore.

5. Vultu petunt angelico
Christi pedibus ilico
Cupiunt inhaerere,
Mox his pater consentiens
Et fervidos conspiciens
Hic mortem non timere.

Ad Magnificat.

A. O victorum purpura,
Consolator in tortura,
Rubentis militiae
Robur et athleta!
Dulcor te sequentibus,
Stupor es te verentibus,
In livoris facie
Mors exstat deleta,
Quem gemunt suspirio
Fragrantque desiderio
Martyres, qui cursitant
Francisci de schola;
Post te asta posteris,
O Iesu pie, miseris
Prece quorum militant
Tui freti stola.

Ad Matutinem.

Invitatorium.

Regem, coronam militum,
Venite, adoremus

Coetumque eius inclitum
Puro corde laudemus.

V. Pandunt focos et glaciem
Furentisque saevitiem
Simplices puritate.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancti Francisci suboles
Mire fructificarunt,
Cruore fuso nobiles
Pro Christo se armarunt.

2. Fremunt et gentes barbarae
Figunt plagas, ulcera,
Sed sancti clausi carcere
Praedicant Christi vulnera.

3. Conterunt populi frontes,
Mahomet seductorem,
Christum Dominum insontes
Dum clamant redemptorem.

Responsoria.

1. Victores Christi sanguine
Visi sunt ampliare
Fidem eius prae agmine,
Prae fido defensore
Atque patris spiramine
Abunde fecundare,
V. Sectam funestam minime
Captam taetro foramine
Constanter reprobare.

2. Lustrati lucis foedere
Zelo flagrant ferventes,
Terras immanum petere,
Invaduntque dementes
Ac cessent a scelere,
Ne aevo sint gementes,
V. Circumeunt sic metere,
Christum regem in aethere
Convenire laetantes.

3. Regis adeunt aciem
Obscenam veritate,
Christi mortem in aciem
Vana temeritate
Suadent, ne levet faciem
Severa vanitate,

In 2 Nocturno.

Antiphonae.

1. Pertractos plagis verberat
Plus saeviens immanis,
Constantes fide carcerat,
Macerat nece panis.

2. Furit tyrannus romphea,
Sed mulsus per filium
Tectosque Christi galea
Pellit in exsilium.

3. Lacteo ore infantum
Christum Deum proclamant,
Fretos more elevantum
Tau crucis spe se firmant.

Responsoria.

1. Ignis fervent incendio
Rege coram sordido,
Caeduntur plaga, verbere,
Nec confringuntur taedio
Nec furore morbido
Refecti plene ubere,
V. Christi tuti praesidio
Rubent vultu florido
Deiformes munere.

2. Crucis Christi sub vexillo
Certant sancti abs tremore.
Quos intuens despexit
Rex examine pusillo,
Fremuit dentium stridore
Colla firme contexit,
V. Mactantur dire sub illo,
Gaudent laeti sub tortore,
Quos ferox spata plexit.

3. Victricis mortis proelio
Approximante agone
Gaudent adnumerari
Candido Christo lilio,
Fixo lanceae mucrone
Zelant configurari,

V. Qui spiritus auxilio
Exclamant: o Iesu bone,
Fac nos tecum laetari.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgis, plagis corde laeto
Gaudent in collegio
Martyrum, sale et aceto
Passi iussu regio.

2. Spinis diris configuntur
Sanguine cruentati
Ac per noctem constringuntur
Trucide lacerati.

3. Precatu eorum libera,
Christe passeque Deus,
Statuens nos in dextera,
Plaudat miser et reus.

Responsoria.

1. Saevit ense acuto mens fera
Ictu fallitur tuto aspera
Furit ira tamquam bestia,
Moritur arens prae molestia;
V. Triplici fracto gladio
Damnantur homicidio.

2. Beatorum sanguine
Rex Christus nos purget
A labis discrimine
Nobili lotura,
Benedicat et faciat
Vitali mensura,
Rore ut proles germinet;
V. Igni supponunt capita,
Panduntur Christi abdita,
Dum capillus floret flore
Ardenti flamma igne.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beraldus fretus gratia
Mortisque optat spatia
Divinitus inductus,
Pro Christo mala tollere,
Quem Deum docet colere,
Qui virginis est fructus.

2. Petrus se cingit robore,
Crucis Christi in arbore
Ipsum Petrum testatur,
Fidem sanctam nobilitans,
Errorem gravem dissipans,
Ob quod tristis tristatur.

3. Adiutus luce lustratus,
A fallaci sequestratus
Ore obloquentium,
In stratu tristi meditatur,
Dum tribulis laceratur
Vulpium mordentium.

4. Accursius adpropiat
Seraph, angelum copiat
Ac Christum esse regem,
Hoc administrat singulis
Plenis errore populis
Horum dissecans legem.

5. Otto facundus monuit
Viperasque censuit
Diro igne cremandos,
Ni laudent Christum Dominum
Et creatorem hominum
Vincentem iudicandos.

Ad Benedictus.

A. O martyres praefulgidi
Sole lucenti praediti,
Plagis addicti acribus
Ac consputi flatibus
Malorum operum odio,
Crudeliter cruentati,
Horrido eius conspectui
More Christi praesentati,
Fide constanter pugiles
Forti praesidio
Induti alta virtute,
Oblectantes despectui,
Pro nostra passum salute
Ad Iesum prece vigiles
Sitis subsidio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O viros magnificos
Conviciis, igne, spinis
Nec regis tactos minis
Saevi in curia,
Qui tunc cruore maduit
Nocereque statuit
Gladii furia,
O vita mirificos,
Montem Christi magnificant,
Qua Mahumet vilificant
Chlamydis tirio,
Praeclari prothalamines,
Nostri sitis ductores
Iesu martyrio.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. — Ad Matut. Invit. 4 corde adoremus. — In 1. Noct. A 3, 3 Christum Deum. — R 2, 1 Lies lustrasti sidere? — R 2, 5 Lies Ut cessent? R 2, 9 letentes. — R 3, 7 vocos. — In 2. Noct. A 1, 1 Per tractes. — A 2, 2 Sed multus per filium. — R 1, 3 Cedunt. — In Laud. A 3, 1 lustraturus. — A 4, 2 angelorum. — A 4, 5 Pleno. — A 5, 2 Viperos. — Ad Bened. A, 2 lucenti praesiti. — Hymnen: In Vesp.: Proles Francisci germinat, Anal. XXIII, 238; in Noct.: Pangat sanctorum merita, Ibid. 239; in Laud.: Victrix fides, quam non vides, Ibid. 239.

54. De ss. Quinque Martyribus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem, qui altat minores
Martyres, honoremus,
Et qui compensat labores,
Venite, adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Novit Dominus iustorum
Viam, qui pro eius lege
Se manibus impiorum
Tradunt et pro Christo rege.

2. Quando fremuerunt gentes
Adversus Christum Domini,
Fratres minores ferventes
Iuncti sunt eius agmini.

3. Dum ab his tribularentur,
Clamaverunt ad Dominum,
Optantes, ut mererentur
Pervenire ad terminum.

Responsoria.

1. Ferventes ad martyrium
Minores zelo fidei
Venerunt ad palatium
Hispalim virtute spei,
Regi furenti nimium
Dicunt se legatos Dei,
V. Non timentes supplicium,
Formidantes iudicium,
Ne invenirentur rei.

2. Dum ante regem steterunt
Loquente sancto spiritu
Grandia proposuerunt
De fidei sacrae ritu,
Ad quem ipsi pervenerunt
Dissimulato habitu;
V. Ad baptismum induxerunt
Eum, sed non valuerunt
Levare ab interitu.

3. Rex iratus non mutatus
Iubet capite truncari,
Sed ad preces mitigatus
Nati mandat carcerari
Propter hunc, qui incarnatus
Dignatus est immolari;
V. Ab ipsis est praedicatus
Iesus atque exaltatus,
Cupientes morti dari.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hi habitabunt, Domine,
In tuo tabernaculo,
Qui mercati sunt sanguine
Renuntiantes saeculo.

2. Non dabis sanctos videre
Poenarum corruptionem,
Qui pro te non timuere
Mortis dirae passionem.

3. Ista est generatio
Quaerentium mundo corde
Te Deum cum martyrio,
Carentium culpae sorde.

Responsoria.

1. Educti de ergastulo
Deductique Marochium,
Coram barbaro populo
Observant desiderium,
Praedicabant in patulo
Praesente rege gentium
V. Iesum, qui in patibulo
Solvit a mortis vinculo,
Quos praedilexit nimium.

2. Rex mox succensus furore
Iubet a suis finibus
Hos expelli, qui timore
Inpavidi in omnibus
Revertuntur cum fervore
Coram lupis rapacibus,
V. Mortis sublato horrore
Nominis Christi amore
Derelictis comitibus.

3. Sancti Dei carcerantur
Iterum iussu impio
Regis atque vinculantur
Absque ullo remedio,
Ut afflicti moriantur
Famis, sitis supplicio;
V. Sed a Deo confortantur
Ac refecti roborantur,
Quos rex condemnat odio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exsultate in Domino,
Iusti martyres, cantate,
Cum sanctis sine termino
Gloriose iubilate.

2. Multae tribulationes
Vos in terra adflixerunt,
Unde consolationes
Aeternae vos receperunt.

3. In tribulationibus,
Quae invenerunt vos nimis,
Deus fuit in omnibus
Vester adiutor in imis.

Responsoria.

1. Sanctis detentis fratribus
Divina saevit ultio,
Nam aeris caumatibus
Assatur tota regio,
Propter quod de carceribus
Dantur horum arbitrio,
V. Magnis infirmitatibus
Pro fratrum gravaminibus
Languent Dei iudicio.

2. Sancti Dei ludibria
Experti atque vincula,
Virgis caesi ac fustibus
Plagati sunt crudeliter,
Qui fusa bullientia
Aceti acri pabula
Oleique vulneribus
Sustinuerunt fortiter,
V. Post innumerabilia
Dirae mortis pericula
Amputatis cervicibus
Coronantur perenniter.

Noct. ms. Franciscanum saec. 15. ex. Cod. Lugdunen. 476. — In 2. Noct. R 1, 4 Observans. — R 1, 5 in patibulo. — In 3. Noct. A 2, 4 deceperunt.

55. De sancto Quirino.

In 1. Vesperis.

A. Ave, dulcedo pauperum,
Ave, coheres martyrum,
Ave, speculum fidei,
Et huius festa diei
Quirine, martyr inclite,
Iubilo laudis debitae
Devote celebrantibus
Adesto mitis omnibus.

R. Martyris tui precibus,
Cuius festa recolimus,
Tuo semper munimine
Defende nos, o Domine;

V. *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine.*

Ad Magnificat.

A. Magna Deum per omnia
Laudum decent praeconia,
Cuius benigna gratia
Signorum efficacia;
Translatione corporis
Sancti Quirini martyris
Tota florens Germania
Nova frequentat gaudia,
Ob cuius, Christe, merita
Nostra dilue debita,
Ut securi caelestia
Transeamus ad gaudia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, solem iustitiae,
Mentis contemplemur acie,
Qui novo mundum radio
Collustravit in Quirino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Noricorum in finibus
Altis orti natalibus
Adalbertus eximius
Floruit et Otkarius.

2. Hi mundi licet opibus
Ubertim affluentibus
Cor nolebant apponere,
Sed Christum lucrifacere.

3. Tegrinsensem iuxta lacum,
Divino cultui locum
Ubi vident idoneum,
Exstruunt monasterium.

4. Iam dispositis omnibus
Operis huius sumptibus
Apostolorum limina
Petunt orandi gratia.

5. Quorum adventu cognito
Papa laetatur subito
Et, quam Roma sustinuit,
Cladem eis exposuit.

6. Nam illis in temporibus
Peccatis exigentibus
Magnum incursu gentium
Pertulerat excidium.

Responsoria.

1. Instat athletae Domini
Dies colenda Quirini,
Cuius quippe translatio
Nobis est exsultatio.

V. *Ante translationem enim testimonium habebat placuisse Domino.*

2. Hic a Caesare Claudio
Nocte peremptus gladio
Miraculorum gloria
Claruit omnifaria.

V. *Quasi stella matutina in medio nebulae.*

3. Evolutis temporibus
Elisa diris hostibus
Roma, gentium domina,
Sedebat quasi vidua

V. *Paupercula tempestate convulsa absque ulla consolatione.*

4. Praedictis ergo fratribus
Romam pervenientibus

Dolor et maeror omnium
Convertitur in gaudium,
V. *Quia consolatus est Dominus populum suum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui Romanis principibus
Assumptis et comitibus
Prosperantur in omnibus
Fusis hac illac hostibus.
2. Arreptis quidam navibus
Maris pereunt fluctibus,
Nec tutus erat uspiam
Locus tuendi quempiam.
3. Gloriosum ex hostibus
Triumphum referentibus
Exsultavit in gaudio
Tota Romana contio.
4. Debitas agens gratias
Advocat hos Zacharias
Mercedem transitoriam
Donare pro victoria.
5. Qui miraculis celebrem
Quirinum, Christi martyrem,
Cuius famam audierant,
Prae omnibus desiderant.
6. His auditis obstupuit
Tandemque libens annuit,
Salubre dans consilium
Romam mittendi nuntium.

Responsoria.

1. Igitur cum laetitia
Revertentes ad propria
Utonem quendam eligunt
Eumque Romam dirigunt;
V. *Semita iusti recta est, callis iusti ad ambulandum.*
2. Cuius signorum gloria
Tota pollet Bavaria,
Corpus athletae beati
Noctu referunt legati.
V. *Qui non accepit in vano ani mam suam.*
3. Romanorum antistitis
Ut instructi sunt monitis,
Via gaudentes alia
Redeunt ab Italia,
V. *Ut irent in civitatem habitationis.*
4. Athleta Dei Quirinus
Odorem quasi Libanus
Suae nobis notitiae
Manifestavit hodie,
V. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans.*

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Legationem mittimus
Et, quae pacis sunt, petimus,
Regem nobis iustitiae
Placa, martyr eximie.

Responsoria.

1. Accedunt quidam temere
Sanctum corpus inspicere,
Qui tamquam ictu fulguris
Puncto pereunt temporis.
V. *Cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire.*
2. Sanctum corpus ferentibus
Prope litus sedentibus,
Quo languor omnis pellitur,
Fons illic dulcis oritur;
V. *Altissimus creavit de terra medicinam.*
3. Tribus hunc sacerdotibus
In tumbam submittentibus
Fuso pro Christi nomine
Maduit adhuc sanguine,
V. *Quoniam mirificat Dominus sanctum suum.*
4. O Christi dilectissime,
Quirine beatissime,
Tuis instantes laudibus
Tuis attolle precibus,
Ut translati de vitiis
Vitae fruamur deliciis,

V. Ipse quoque spiritus
Pro nobis gemitibus
Postulet inenarrabilibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Profectus a Iuvavia
Quirini suffragia
Caecus quidam experitur,
Cui lumen redditur.
2. Debilis quidam pedibus
Fusis puella precibus
Post missarum sollemnia
Sana redit ad propria.
3. Quidam beati martyris
Visis abbas reliquiis,
Quas transmittit in Franciam,
Decidit in amentiam.
4. Poena multatus duplici
Tandem voto supplici
Prece saluti pristinae
Redditur, o Quirine.
5. Sine pacto nos termini,
Quirine, Martyr Domini,
A virtutum naufragio
Tuo muni suffragio.

Ad Benedictus.

A. Visitavit nos Dominus,
Cuius athleta Quirinus
Nostris illatus finibus
Virtutum floret floribus,
Eius siquidem precibus
Salvari nos deposcimus.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Prima Dominus inclitum
Stola induit Quirinum,
Per cuius patrocinia
Digna gaudet Germania.

Ad Tertiam.

A. Hora super nos tertia
Christi redundat gratia,
Nam martyris egregii
Festa colimus Quirini.

Ad Sextam.

A. Qui cubat in meridie
Dulcem Noricis hodie
Christus contulit patronum,
Sanctum scilicet Quirinum.

Ad Nonam.

A. Qui pro nobis indebitum
Hac hora solvit debitum,
Nobis isto cum martyre,
Mundum concedat vincere.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O misericors Domine,
Omni plenus dulcedine,
Tuae misericordiae
Recordatus es hodie,
Dum translatum in Noricas
Magnifice glorificas
Quirinum, tuum famulum,
Nam ipsius ad tumulum
Aegri curantur ocius;
Unde nobis propitius
Et corporis et animae
Confer medelam, Domine.

Brev. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19302. A. — Brev. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 23174. B. — Brev. ms. Tegurinum anni 1619. Clm. Monacen. 19923 C. — Die vorstehende monastische, aus Tegernsee stammende Form dieses Officiums ist wohl zweifellos die ursprüngliche. Einige andere Handschriften bieten dasselbe Officium, nicht ohne Abweichungen in nichtmonastischer Anordnung; dies sind: Brev. ms. Ilminense anni 1437. Clm. Monacen. 7391. D. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15.

Clm. Monacen. 8818. E. — Brev. ms. Frisingense saec. 15. Clm. Monacen. 19283. F. — Es seien nur jene Abweichungen hervorgehoben, welche nicht auf blofser Umstellung in den Nokturnen beruhen: In 1. Vesp. Ad Magn. A, 3 divina gratia E. — Ibid. 5 Translationem AE. — Ibid. 7 frequentant D. — Ibid. 10 Ut secum caelestia E. — Ad Nunc dim. A O rex caelestis etc. vgl. im folgenden Offic. ad Magn. — In 1. Noct. A 1, 4 Okarius E. — A 2, 2 Nobiscum affluentibus E. — A 2, 3 Corruebant oponere E. — A 2, 3 videbant E. — A 4, 3 Petivit E. — A 5, 4 exposuit fehlt E. — R 3, 2 Dita diris E. — In Laud. AA sind in E die A ad Bened. und die AA ad Horas. — Hymnen: Christum laudemus carmine und Resultet vox laetitiae (Anal. IV, 228 u. ff.).

56. De sancto Quirino.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ecce, dies clara,
moritur qua victima sacra,
Palmes divinus
in vera vite Quirinus,
Truncatus capite,
summis aris tribuens se;
Huius pro meritis
nobis, Deus, ingrue mitis,
Ut precibus sacris
poenis rapiamur ab acris.

Ad Magnificat.

A. O rex caelestis,
famulis miserere scelestis,
Testis divini
celebremus festa Quirini,
Cuius adoratu
cuncto nos solve reatu,
Mentibus ut puri
tibimet simus placituri.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, solem iustitiae,
Mentis contemplemur acie,
Qui novo mundum radio
Collustravit in Quirino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tamquam lignum complantatum
Secus decursus aquarum
In gratiarum rivulis
Quirinus crevit nobilis.

2. Philippi imperatoris
Ille filius honoris
Refutavit mundi spinam
Christi prendens disciplinam.

3. Multi surgent tribulantes,
Spem salutis abnegantes,
Iusto fore Deo suo,
Quem colebat corde puro.

4. Invocantem exaudivit
Deus et mirificavit,
Nocte se sacrificantem,
Caput neci sponte dantem.

5. Per nomen admirabile
In saecula laudabile
Coronatus in gloria
Signorum fert praeconia.

6. In suo templo Dominus
Iam omnibus debilibus
Dat sanitatum munera
Per eius digna merita.

Responsoria.

1. Instat athletae Domini
Dies colenda Quirini,
Cuius quippe translatio
Nobis est exsultatio;
V. *Ante translationem enim testimonium habebat placuisse Domino.*

2. Hic a Caesare Claudio
Nocte peremptus gladio

Miraculorum gloria
Claruit omnifaria
V. *Quasi stella matutina in medio nebulae.*
3. Auri fossi quasi globus
Octoginta in duobus
Annis mansit et trecentis
Tumba corporis recentis;
V. *Vere dignum per saeculum praedicatur hoc stupendum miraculum.*
4. Post hoc opus nam translatum
Corpus Bavarisque datum,
Sine tabe sic est visum
Velut euse iam occisum,
V. *Mirabilis Deus, cuius martyris depositum sine tabe.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Martyr insuperabilis,
Quirine venerabilis,
Ad Dei tabernacula
Perduc nos sine macula.
2. In cordis desiderio
Perenni refrigerio
Divini vultus gaudio
Da laetos sine termino.
3. Mundo corde et manibus
Innocens et inanibus
Cultis se fuit ingerens,
Dei montem aggrediens.
4. Ergo Deus exaudivit
Preces eius, ut petivit,
A timore inimici
Animam non sinens vinci.
5. In Ierusalem iam votum,
In Sion cum hymno totum
Posse sic te decet laudis,
Deus, tuos qui exaudis.
6. Floret semper quasi palma
Iustus opera per alma,
Dei domo complantatus,
In qua regnat laureatus.

Responsoria.

1. Regali ex progenie
Vena consurgens veniae,
Quirine, caeli lilium,
Nos duc ad Dei filium,
V. Apud quem salus, veritas,
Perennis quoque suavitas.
2. Fulgens lux per mundi clima,
Sauciati cordis zima
Purga, martyr tu praedigne,
Salvans nos a mortis igne,
V. *Cum ignorantiis delicta iuventutis.*
3. Gaude, Roma, prole digna
Parens, quem per alma signa
In laude multifaria
Felix tenet Bavaria,
V. Quirinum egregia
Tegernsensis ecclesia.
4. Athleta Dei Quirinus
Odorem quasi Libanus
Suae nobis notitiae
Manifestavit hodie.
V. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans.*

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

1. Legationem mittimus
Et, quae pacis sunt, petimus,
Regem nobis iustitiae
Placa, martyr eximie.

Responsoria.

1. Accedunt quidam temere,
Sanctum corpus inspicere,
Qui tamquam ictu fulguris
Puncto pereunt temporis;
V. *Cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire.*
2. Sanctum corpus ferentibus
Prope litus sedentibus,
Quo languor omnis pellitur,
Fons illic dulcis oritur,

V. *Altissimus creavit de terra medicinam.*

3. Tribus hunc sacerdotibus
In tumbam submittentibus
Fuso pro Christi nomine
Maduit adhuc sanguine,

V. *Quoniam mirificat Dominus sanctum suum.*

4. O Christi dilectissime,
Quirine beatissime,
Tuis instantes laudibus
Tuis attolle precibus,
Ut translati de vitiis
Vitae fruamur deliciis,

V. Ipse quoque spiritus
Pro nobis gemitibus
Postulet inenarrabilibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Profectus a Iuvavia,
Quirini suffragia
Caecus quidam experitur,
Cui lumen redditur.

2. Debilis quidam pedibus
Fusis puella precibus
Post missarum sollemnia
Sana redit ad propria.

3. Quidam beati martyris
Visis abbas reliquiis,
Quas transmittit in Franciam,
Decidit in amentiam.

4. Poena multatus duplici
Tandem voto supplici
Prece saluti pristinae
Redditur, o Quirine.

5. Sine pacto nos termini,
Quirine, martyr Domini,
A virtutum naufragio
Tuo muni suffragio.

R. Plantatus in domo Domini
Quirinus ut cedrus Libani
Virtutum nunc floret germine
In conspectu tuo, Domine,

V. *Quem praevenisti cum benedictionibus dulcedinis.*

Ad Benedictus.

A. Visitavit nos Dominus,
Cuius athleta Quirinus
Nostris illatus finibus
Virtutum floret floribus,
Eius siquidem precibus
Salvari nos deposcimus.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exaltatum in gloria
Per virtutum insignia
Celebri hunc memoria
Testem colit Germania.

2. Ad laudem tui militis,
Cuius laetamur meritis,
Debita tibi, Domine,
Vota reddimus hodie.

3. Ad Dominum clamantibus,
Sed et te invocantibus
Dona pacis diutinae
Nobis, o martyr, obtine.

4. Rex, qui habitas in caelis,
Prece martyris fidelis
Tu iam nostri miserere
Praestans bona vitae verae.

5. Sustinentes te, Domine,
Tuo nos in examine
Quirini patrocinio
Caelesti dona gaudio.

Ad Magnificat.

A. O misericors Domine,
Omni plenus dulcedine,
Tuae misericordiae
Recordatus es hodie,
Dum translatum in Noricas
Magnifice glorificas
Quirinum, tuum famulum,
Nam ipsius ad tumulum

Aegri curantur ocius;
Unde nobis propitius
Et corporis et animae
Confer medelam, Domine.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14790. — Das Offic. enthält manche Entlehnungen aus dem vorhergehenden. Auch die AA per Horas, die hier nicht wiederholt sind, sind dieselben wie dort.

57. De sancta Quiteria.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Qui potenter magna fecit,
Mira signis his adiecit,
Deus reginam cum divinam
Ac virginem tam humilem
Annulo subarrhavit,
Quiteriam, ut terrestrem
Virum spernat, sed caelestem
Sponsum quaerat, fidem ferat
Nova lege plebem cum rege
Convertat, quae erravit,
Quam post almam
Ad vitae palmam
Transtulit cum laetitia
Capite secto
Corpore erecto
Ad Petri aedificia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Vigilantem imitemur
Quiteriam in psalmis,
Hymnis dignis deprecemur
Deum votis almis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omnium formosa
Virgo stirpe generosa,
Nos respice, Quiteria,
Sponsi gratiam praetende
Et a malo nos defende
Mundique miseria.

2. Nemini pepercit manus,
Quam hostilis Adrianus
Cum Catillio transmisit,
Nam conversos a virgine
Coepit ut oves caedere,
Quo virtus Dei iussit.

3. Exsequias Lentinianus
Virginis colit Marcianus
Felicianusque pontifices,
Remedius eremita
Et Romanus coenobita
Cum sancta Columbiana,
Plerique quos pro christiana
Fide iugulant carnifices.

4. Imperante Adriano,
Idolatra et profano,
Rex Catillius regnavit
Qui ex uxore Talsia
In urbeque Blancagia
Quiteriam generavit.

5. Tanta Dei infantulam,
Speciosam puellulam,
Gratia praedestinavit,
Qua in matris utero
Deus in aevo tenero
Benedictam consecravit.

6. Erat anno tredecimo,
Cum angelus a Domino
Ad eam destinabatur,
Ut ad montem Orianum
Exoraret christianum
Deum instruebatur.

Responsoria.

1. Regina puellam
Quiteriam, tenellam
Decore, more bellam
Angelus cum benediceret,
Admonuit, quod praecepta
A Domino percepta
Fideliter retineret,

V. Dicens: Sic vives
aeterno munere dives.

2. Instigante fallacia
Daemonis et versutia
Germanus cum astutia
Quiteriam copulari
Sibi petiit, parentes
Coniugio faventes
Sic regales et dicentes
Nuptias celebrari,

V. Non tamen sponsa Christi
iuveni coniungitur isti.

3. Adveniente angelo
Ad eam cum munusculo
Aureo Christi annulo
Subarrhatur Quiteria,
Promittensque illibatam
Se servare Christo gratam
In mundi peripheria;

V. Noli timere
poteris quoque mira videre,
Quae fiunt per te,
si Deus diligatur aperte.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. O nimium formosa
Virgo, rubens ceu rosa,
Exi de Blancagia,
Angelus est exorsus,
Nam per te credunt prorsus
Gentes in Aufragia.

2. Rex vero Lentianus
Depraedatorque vesanus
Ecclesiarum thesauri
A daemone eripitur
Per te, et distribuitur
Gaza congesta auri.

3. Armata sancto spiritu
Angelicoque monitu
Quiteria beata,
Nam bestiam tricipitem
Prostavitque horribilem
Oratione data.

4. Haec Quiteria beata,
Cum cohorte vinculata,
Ab angelo visitatur,
Qui captivos relaxavit
Et in fide confortavit,
Quemadmodum Deus laudatur.

5. Aegros sanat et morbosos
Curat et daemoniosos,
Surdis auditum tribuit,
Luna tactos virgo sternit,
Virtutemque Dei cernit
Gens, quae visu caruit.

6. Intuens rex magnalia
Dei signaque talia,
Convertitur ab errore,
Idola vana despicit
Fidemque Christi suscipit
Cum turba potiore.

Responsoria.

1. Processit de Blancagia
Praedicans in Aufragia,
Angelica praesagia
Virgo facta patravit,
Cultum sprevit idolorum,
Adstruens Deum deorum
Coli regemque caelorum,

V. Personis trinum
Deum esse praedicat unum.

2. Regi inquit haec profano
Beata Lentiniano
Pro Christo de Alphiano:
Thesaurum da pauperibus.
Quam rex fremens et adfremens
Cum puellis sic terdenis
Manibusque octo senis
Certis vinxit carceribus.

V. Laetanter sancta
patitur Quiteria tanta.

3. Archimartyr purpurata,
Dux cohortis Quiteria,
Regina, virgo illibata,
Quae per nuchiteria

Hunc mundum exsuperasti,
Carnem, zabulum calcasti,
Te nunc victricem
Inhabi[ta]tricem
Caeli petimus
Ut nostris pro reatibus
Intercedas, Allelnia,
V. Quae spopondisti,
sponsam te sic fore Christi,
Pro nobis ora,
Quiteria, virgo decora.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. A solis ortu cum occasu
Deum laudet mirabilem
Ecclesia condigno plausu,
Rite colat laudabilem,
Cosmique peripheria
Te colat, o Quiteria.

Responsoria.

1. Nova regis mutatio,
Erroris exstirpatio,
Fonte plebis renatio
Zabulo displicuere,
Nam sicut fulgur fulminat
Virginique improperat,
Quod ab ipso surripiat,
Quae Christi non fuere,
V. Dolens conversos
populos baptismate mersos.

2. Recessit daemon coactus
Ad abyssi anfractus,
Per virginem adactus
Potestatem rumpens Alphiani,
Dehinc principes Germanum,
Catillium, Adrianum,
Populum armat vesanum
In regnum Lentiniani,
V. Ut virginem, regem
[cogeret] deserere legem

3. Inclita martyr et regina
In urbe Adurentina
A lictore quaeritatur,
Quiteria nomen pandit,
Manus ad preces expandit,
Spiritus ad astra scandit,
Ob Christum dum decollatur;
V. Haec pro [gravatis]
Fudit preces et tribulatis,
Succurrat ut citius
Deus eius supplicibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum virgo praestolaretur,
Ut gladio feriretur
Pro Christo, suo dilecto,
Petit spatium orandi
Spiritumque commendandi
Choro virginum electo.

2. Orabat pro infirmitatis
Angustia tribulatis
Ipsamque invocantibus,
Ut cito exaudiantur
Et a malis tueantur
Sibicum imminentibus.

3. Nuntiatur ilico
Oraculo angelico,
Quod preces Deus audivit:
Veni, inquit, sponsa Dei,
Cuius formam speciei
Dominus concupivit.

4. Exsultans virgo gaudio
Tendit collum, ut gladio
Pro Christo decollaretur,
Ut cum suo [sponso] grata
Quiteria laureata
In caelis coronaretur.

5. Catholicae dedit turbae
Neophytae se in urbe
Quiteria ad exemplum,
Ut pro Christo non timerent
Occidi, sed se praeberent
Hostiam ad Dei templum.

Ad Benedictus.

A. Rex aeternus decollatam,
Sed in caelis laureatam
Miraculis illustravit,

Nam ducta angelico
Canticoque caelico,
Caput manibus portavit
Virgo sectum
Pariter rectum
Sanguineque infectum
Ad marmoreum montis bustum.
Hinc languidis manare
Per ipsam fontem
Fecit ad montem,
Quod dignum est et iustum.

Laudibus lucifluam
excolamus simul istam.
Miris operibus
triumphus renitet eius;
Casta erat, nobilis,
tenens exemplaria summis,
Inclita, mitis ope,
tulit ergastula poenae,
Tormenta vanescunt,
gentis eiecit simulacra,
Iesum mente, ore
praedicat regi inclito more.
O potens regina,
iunge Deo in ierarchia,
Eruens nos omnes
natalem ac recolentes,
Ut miseris mira
abdetur iudicis ira.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Annua nempe nobis
oritur dies orationis,
Martyris ista nobis
invitat ad munia vocis,

Brev. ms. Monasticum. saec. 15. Cod. Eremiten. 84. — In 1. Vesp. Ad Magn. 14 Ad peti aedificata. — Ad Matut. Invit. 1 O vigilantem. — In 1. Noct. A 2, 6 Lies virtus Dei permisit. — A 4, 2 Idolatria. — A 4, 5 Blanquagia. — A 5, 1 infantula. — A, 5, 2 puellam. — A 5, 3 gratiam. — A 5, 4 Quae in. — A 5, 6 Benedictione. — A 6, 2 angelis. — A 6, 5 Exorarat. — A 6, 6 Deus. — R 1, 2 Quiteria. — R 2, 2 Daemonibus. — R 2, 8 celebrare. — R 2, 9 Non tantam sponsa. — R, 3, 6 Perservaret Christo. — In 2. Noct. A 1, 3 Blanquagia. — A 1, 6 Afragia. — A 2, 3 Ecclesiarumque thauri. — A 2, 6 Gazam. — A 3, 1 Armato. — A 3, 4 bestiam tercipem. — A 4, 6 Lies Quomodo? — A 5, 3 Lune tacto; lies Lunaticos? — A 6, 3 errorem. — R 1, 1 Blanquagia. — R 2, 3 Alfiano. — R 2, 7 octo serenis. — R 2, 9 Laetantur. — In 3. Noct. Ad Cant. A 1 ortu cum casu. — Ibid. 4 colant. — R 1, 5 sicut fulgitur. — R 1, 10 baptismate reversos. — R 2, 2 Ad fehlt. — R 2, 7 arma. — R 3, 6 Post spiritus. — R 3, 7 Hic pro mptis [sic]. — In Laud. A 1, 4 Petis. — A 2, 5 a fehlt. — Ad Bened. A, 9 Sanguinemque. — Ibid. 11 Hunc lanqui manere. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 4 invitet munia iotis. — Ibid. 8 reterinet. — Ibid. 12 sustulit. — Ibid. 14 ater gentis. — Ibid. 18 Deo in archia. — Ibid. 21 miseriis. — Ibid. 22 abditetur. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Anal. XXIII, Nr. 460—462.

58. De sancta Regenflede.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gratuletur ecclesia,
Dum Regenfledis inclita
Post fluxae vitae tristia
Sandit ad caeli gaudia.

2. Nobili stirpe genita,
Sed virtutibus praedita,
Mundi contempsit gloriam
Adepta Christi gratiam.

3. Igne flagrabat fidei,
Amore succensa Dei
Signis effulsit variis
Et in miris prodigiis.

4. Haec casta Christi famula
Inventa sine macula
Deum amavit sedula,
Cum quo regnat per saecula.
5. Stola induta gloriae
Scandit Regenfledis hodie
Caelestis regni solium
Intratque sponsi thalamum.

Ad Magnificat.

A. Regenfledis Deo grata,
Ex regali stirpe nata,
Adflictorum advocata
Et adiutrix, sis rogata,
Ut defectus et peccata
Per te nobis sint ablata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur virginum rex
In saeculorum saecula,
Virgini qui Regenfledi
Contulit caelestia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dies iste celebretur,
In qua pie recensetur
Regenfledis sollemnitas,
Ut laudetur trinitas.
2. O quam felix et praeclara,
Nobis grata, Deo cara
Est haec lux diei
In laudem sponsae Dei.
3. Ortu, fide, sanctitate,
Sensu, verbo, dignitate
Virgo clara exstitit,
Hosti semper restitit.

Responsoria.

1. Gratulemur ad festivum,
Iucundemur ad votivum
Regenfledis meritum,
Sic versetur laus in ore,
Ne fraudetur cor sapore,
Quo degustet gaudium;
V. Et tu, virgo, pia, bona,
Exemplar nos et patrona
Commenda per saecula.
2. Ex regali stirpe nata,
Fide Christi desponsata
Ipso regi gloriae,
Tutam viam insectatur,
Inane saeculi propulsatur
A diebus infantiae,
V. Nam ut puer adolevit,
Mox virtutum donis crevit,
Caelos amans ima sprevit.
3. Quamvis tecta carnis velo,
Mens intenta tamen caelo,
Ardens toto Dei zelo
Instat precibus, ieiuniis
Elemosynis, vigiliis;
V. Haec talentum sibi datum
Deo reddit duplicatum,
Ab aeterno praeparatum
Sibi scandit solium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. De supernis illustrata,
Verbo vitae satiata,
Crucis Christi tulit grata
Libens testimonia.
2. In labore multiplici
Sponsi Christi Domini
Vitam sequens humiliter
Carnem adfligens iugiter.
3. Per diem multis vicibus
Flexis orabat genibus
Nec minus noctis tempore
Toto prostrata corpore.

Responsoria.

1. Haec ad instar Salomonis
Struit templum, ditat donis,
Ornat gemmis et coronis
Cruces et altaria
Plaudente tota patria.

V. Per hanc religio. exaltatur,
Fides Christi dilatatur,
Mens fidelium consolatur.

2. Curam gerens sui gregis
Praesul bona, auctrix legis,
Prudenter aedificavit,
Domum Dei ampliavit
Verbo, vita, moribus;

V. Non est domus ruitura
Hac subnixa praelatura,
Gloriemur in hac domo,
Qua beate vivit homo.

3. Vasis oleum includens
Virgo sapiens et prudens
Sponso pergit obviam,
Ut adventus eius hora
Praeparata sine mora
Intret ad convivia;

V. Vas electum, vas virtutum
Reputavit sicut lutum
Bona transitoria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Instante vitae termino
Petit regna caelestia
Et revelante Domino
Novit parata praemia.

2. Regenfledis caelo redditur,
Sanctarum coetui iungitur
Et virginum consortio
Adhaeret summo gaudio.

3. Funeris manet integritas,
Odoris viget suavitas,
In signis et prodigiis
Virtus monstratur virginis.

Responsoria.

1. Flore vernans virginali
Tua prece speciali
Nos indignos generali
Commenda Christo iudici,

V. Regenfledis gloriosa,
Casta, mitis et formosa,
Cuius mors est pretiosa
In conspectu Domini.

2. Te rogamus voto pari,
Laude digna singulari,
Ut errantes in hoc mari
Portu donet salutari
Tua, qua polles, gratia,

V. Ut possimus servi tui
Tecum sancta luce frui
In caelesti patria.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regenfledis sollemnia
Assunt nunc celebria,
Quae magna cum laetitia
Recolit ecclesia.

2. Laeti corde et animo
Iubilemus altissimo,
Qui te, virgo, miraculis
Glorificat in populis.

3. En, signa et prodigia
Monstrantur in confinia,
Sunt aegris multiplicia
Membra sanctae remedia.

4. O mira Christi gratia,
Per quam virgo eximia
Fit aegrorum medica,
Miserorum amica.

5. Adplaudamus in organis,
In cymbalis et tympanis
Pro sponsae suae victoria
Sit laus Deo per omnia.

Ad Benedictus.

A. Omni laude virgo digna,
Prece Christo nos consigna,
Ne nos draco Stygis laedat,
Sed pro nobis intercedat
Tua parta gloria,
Ut vivamus in patria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Haec est dies praeoptata,
Dies felix, dies grata,
Qua Regenfledis caelum scandit
Atque nobis viam pandit;
Nos hanc diem veneremur,
Triumphantem admiremur
Christum in hac virgine,
Quae fortis in certamine.

Apographum Ecclesiae in Hoenepel saec. $^{18}/_{19}$. — In 1. Noct. A 1, 4 Lies Atque laudetur? — A 2, 3 Lies Est huius lux? — R 1, 8 Exemplar nostrum et. — R 2, 5 Lies Vana saeculi oder Inane saecli? — R 2, 7 Lies puella? — R 3, 4 Instabat. — In Laud. A. 5 Lies Tua patrona gloria? — Die zugehörigen Hymnen cfr. Anal. XXIII, 463—465.

59. De sancta Regiswindis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virtutis florem
large spargentis odorem,
Digne Regiswindem
laudet ecclesia quidem.

2. Nobilis ex patre
orta, devotissima matre,
Nobilior proles
suos superat genitores.

3. Virgo tenella
lucens ut caelica stella
Deum sitivit
et ipsum diligere quivit.

4. Hanc Domino gratam
constat iuvenem copulatam,
Quae sine mensura
facit miracula pura.

5. Ut rosa succisa
serto liliis adaptatur,
Sic martyr occisa
virginibus associatur.

R. Martyr velut rosa,
Regiswindis, tu speciosa,
De valle tristi
infans succisa fuisti,
Nunc Christo congaudes
cantans per saecula laudes,
V. Crescat ut virtutis
nobis, fac, decor atque salutis.

Ad Magnificat.

A. Conspicit in caelis
plebs prudens, mente fidelis,
Esse Regiswindem
comptam aureola quidem
Virginum in thronis
martyrum sociamque coronis,
Quae et perversa
obit insons ac viceversa
Aegris virtutem
corporis donatque salutem;
Haec sibi nos iungi
faciat caeli gaudio fungi.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martyr Regiswindis,
cara Domini Sunamitis,
Sortis sidereis
gaudet sociata choreis.

2. Haec est electa
virgo super aethera vecta,
In aquis quae fixa
reperitur ut crucifixa.

3. Aureola bina
lucet ut stella matutina,
Quae Deum sitivit,
cum rex formam concupivit.

4. Cum clarus oravit
praesul, templum dedicavit,
Virgo collaudatur,
cantus caelicus iubilatur.

5. Sunt poena multati
Regiswindis sanguine nati
Tumbam frangentes
et eam auferre volentes.

In 2. Vesperis.

R. Videte miraculum,
Dum [enim] oraculum
Praesul divinum neglegit
Inde redarguitur,
Tertio punitur,
Verum et intellegit,
[Templum] aedificat
Et hoc sanctificat,
Quod Deus mirificat;
V. Virgo collaudatur,
cantus caelitus iubilatur.

Ad Magnificat.

A. O stupor et gaudium
Regiswindis praeconium
Quae praeventa gratia
Est in sua infantia,
Ut diram infelice
Necem tulit a nutrice
Et iactata in unda
Facie rubicunda
Praetulit miracula
Contra morborum iacula,
Efficit divinitus,
Quod nunc constat caelitus,
In sponsi amplexibus
Puri amoris nexibus
Intime gloriari
Et declinari.

Diurn. ms. Adelbergense saec. 15. Cod. Univers. Patavinae 948. — Der Name ist stets Reginswindis geschrieben. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 Nobiliori. — **R**, 6 tantas per. — Ad Magn. **A**, 4 concham. — Ibid. 10 donatque corporis. — Ibid. 11 sibi fehlt. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 1 O fehlt. — Ibid. 4 sua fehlt. — Hierzu der Hymnus: Mater sancta ecclesia (Anal. XXIII, 466).

60. De sancto Reinoldo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificet Dominum
Devotio fidelium,
Laudum colens praeconiis
Reinoldi festa martyris,
Qui ascensu purpureo
Transcenso mortis stadio
Iucundatur purpuratos
Martyr inter proceres
Nobile perpetua
caput amplectente corona,
Cuius solvamur precibus
A peccatorum nexibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum laudantes
ipsi iubilemus ovantes,
Qui dedit aeterni
Reinoldo praemia regni.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. . . . . .
Mundi spretis illecebris
Per florem innocentiae
Fructum dedit iustitiae.
2. Excusso iugo zabuli
Aestu sopito saeculi
Prece devotus sedula
Mundi disrupit vincula.
3. Non labor, non angustia,
Non impiorum framea
Iusti frangunt constantiam,
Dum mortis parant foveam.

Responsoria.

1. Reinoldus martyr inclitus,
Mundo miles emeritus,
Sub Christi tirocinio
Coronatur martyrio,
V. Igne flagrans caritatis
Et affectu pietatis
In virtutum cellula.

2. Relictis ergo sericis
Urbem petit Coloniam,
Corde, voto, suspiriis
Tendens ad caeli regiam,
V. Quae virtutum fuscant florem,
Domat carnis vitia
Iugi parsimonia.
3. Dum vacat in virtutum cella
Spe tendens ad caelestia
Athleta venerabilis.
Declaratur magnificis,
Virtutum privilegiis;
V. Defunctum prece suscitat,
Largo signorum impetu
Civitatem Dei laetificat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Christo figens ancoram
Spei per patientiam
Fructum dedit martyrii,
Coetus consors purpurei.
2. Servi fidelis animae
Tu benedicis, Domine,
Benignitate solita
Coronans hunc per saecula.
3. Nomen tuum mirabile
In hoc clarescit martyre,
Qui coronatur munere
Tuae magnificentiae.

Responsoria.

1. Letali morbo saucia
Plebs per Reinoldi merita
Mortis erepta casibus
Persolvit vota laudibus,
V. Commune fit tripudium,
Continuum vocis organum.
2. Saevit livor in Reinoldum
Satanae satellitum,
Clam in necem animantur
Iusti viri sanguinum,
V. Ad scelus armantur,
sceleri loca congrua servant.
3. Martyr pius cruentatus
Atroci supplicio,
Caelesti domum luteam
Commutavit palatio,
V. Sic excoctus gelu martyrii
Coronam apprehendit bravii.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eliso mortis laqueo
Licet carnis dispendio
Conscendit ad eximia
Montis virtutum culmina.
2. In Dei tabernaculo
Quiescit is, qui proximo
Non fecit mali quidpiam
Operando iustitiam.
3. Super hunc servum inclitum,
Iesu, decorem plurimum
Impones atque gloriae
Coronam multifariae.

Responsoria.

1. Corpus sacratum martyris
Expolitum magnificis
Virtutum privilegiis
Sub patronatus titulo
Novellae Christi familiae
Trotamannis
Ab urbe Colonia
V. Destinatur annuente
Praesule, plebe prosequente
Venerandi corporis
Munus exoptatum.
2. O Iesu bone
per Reinoldi merita
Nostra nobis
dimitte debita,
Domum, portam,
sepulcrum visita
Et a trina
nos morte suscita;
V. Actu, visu
vel mente perdita
Pietate
restaura solita,

3. Regni caelestis incola,
Reinolde, prece sedula
Pelle morbos, fer salutem
Et pacis subsidia.

V. Nos indignos speciali
Fac sanctorum generali
Vel subscribi titulo.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In Reinoldo mirabilem
Te praedicamus, Domine,
Cuius sunt credibilia
Virtutum testimonia.

2. Post hanc vallem miseriae
Consors perennis gloriae
Regnanti super omnia
Deservit in laetitia.

3. Fontem vitae sitientem,
Ad superna suspirantem,
Arce locandum supera
Dei suscepit dextera.

4. Omnis ergo creatura
Benedicat mente pura
Gubernantem omnia,
Qui Reinoldum sempiterna
Coronavit gloria.

5. Christe, Reinoldi meritis
Ac prece salutifera
Nos a peccatis debitis
Et via mortis libera.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex caelestis,
Qui Reinoldi patronatu
Nos absolvat a reatu,
Incolatus nostri luctum
Germinare dulcem fructum
Per salubrem aquaeductum
Sui donans spiritus,
Ut in Ierusalem superna
Excitati de favilla
Iucundemur per saecula.

Alia Antiphona.

Salve, martyr gloriose,
Laude dignus et honore
Iugique memoria,
Confer opem tribulatis,
Qui levamen sanitatis
Contulisti languidis;
Per culpam lapsos erige
Spe fultos indulgentiae.
Nos tuae memoriae
Laudibus intentos
Per semitas iustitiae
In viam pacis dirige.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Reinolde, martyr Dei,
In hoc salo nostrae spei
Portus sis et ancora,
Tua prece consequamur,
Qua te frui gratulamur
Divina praesentia.

Brev. ms. Tremoniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 869. A. — Orat ms. Carth. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. B. — A fehlt leider, da ein ganzes und ein halbes Blatt ausgerissen ist, die 1. und 2. Vesp., das Invitatorium und die erste Zeile der ersten Antiphon der Nokturnen. Mit Ausnahme der letztgenannten konnten diese Lücken aus B ergänzt werden, das aufser den vorgenannten Teilen nur noch die 2. A ad Bened. und das 8. Resp. enthält, das allein A und B gemeinsam ist. Dasselbe ist dem Officium s. Thomae Cantuarien. entlehnt. — In 1. Noct. R 3, 7 Et largo A. — R 3, 8 ist vielleicht Dei zu tilgen. — In 3. Noct. R 1, 2 Reinoldi expolitum A. — R 2 11 sq. Restaura pietate A. — In der 1. Vesper mufs sich in A der Hymnus befunden haben, da sie sonst nicht ein ganzes Blatt hätte in Anspruch nehmen können.

61. De sanctis Reliquiis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudate Deum, pueri,
In hoc festo tam celebri
Quo coluntur innumerae
Aarhusiensis ecclesiae
Gloriosae reliquiae.

2. Laudent Deum omnes gentes
Sanctos eius reverentes,
Qui mundi pompam spreverunt
Et pro nihilo duxerunt.

3. Laudes, quamdiu fuero,
Dicam sanctorum numero,
Qui efflantes spiritus
Caelo reddiderunt
Et nobis humanitus
Ossa reliquerunt.

4. Deo sit iubilatio
Decoraque laudatio,
Qui dispersos congregavit
Sanctos et hic collocavit.

5. Lauda totis nisibus,
Lauda, Sion, Deum,
Nos quoque pro viribus
Collaudemus eum,
Quibus specialiter
Sunt dati tot patroni,
Nec est actum taliter
Omni nationi.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Creatorem omnium,
Ob sanctorum patrocinium
Hic requiescentium,
Sperantes per merita
Ipsorum ad gaudia
Pertingere pollicita
Abrahae et semini
Eius in saecula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, adoremus
regem sacculorum,
Ob eam, quam habemus,
praesentiam sanctorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gloria tibi, trinitas,
Et indivisa unitas,
Cuius admirabile
Nomen et laudabile.

2. In sole suum posuit
Christus tabernaculum.
Sacrum flamen adfuit
Umbrans habitaculum.

3. Throni, dominationes,
Virtutes angelicae,
Deo ministrantes,
Deum benedicite.

Responsoria.

1. Gratias tibi, Deus, gratias
Tibi, vera una trinitas,
Una et summa deitas,
Sancta et una unitas,

V. *Spes nostra, salus nostra, honor noster, o beata trinitas.*

2. O regina mundi
Scala caeli,
Ianua paradisi,
Placet tua praesentia
Nobis iudicem,
Quae singulari puerperio
Genuisti salvatorem.

V. *Venerandum tuum verum et unicum filium.*

3. Deus omnipotens
Nobis perpetuum
Suae miserationis
Praestet subsidium,
Quibus donet angelica
Nunquam deesse suffragia.

V. *O quantus honor, quod ad nos singulos sicut ad amicos angelos suos ministros destinavit Deus.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Magna est eius gloria
In Christo salutari,
Cuius idem opera
Tulit baptizari.

2. Dedisti hereditatem
Nomen tuum timentibus
Et tuam veritatem
Mundo praedicantibus.

3. Haec est generatio
Quaerentium te, Domine,
Qui consumpti martyrio
Sunt pro tuo nomine.

Responsoria.

1. Hic est praeco salvatoris
Et praecursor redemptoris,
Quo natus ex femina
Maior non surrexit,
Viam paenitentiae
Praedicans detexit.

V. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Iohannes.*

2. Rege, rex caelorum,
Populum praesentem
Et apostolorum
Alis innitentem,
Sua Iesu bone
Serva defensione.

V. *Adiuvent nos apostolorum merita, quorum hic sacra gaudemus habere patrocinia.*

3. Martyrum constantia
Invincibilis,
O caritas inaestimabilis,
Per quam caelo sublimantur
Et cum Christo coronantur;

V. *Da nobis, Domine, ut quorum hic corpora pio amore complectimur, eorum precibus apud tuam clementiam adiuvemur.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecce, oculi Domini
Super se timentes
Et eiusdem nomini
Laudes concinentes.

2. Adducentur agmina
Regi candidata
Virginum praefulgida
In veste deaurata.

3. Custodit ossa Dominus
Sanctorum, quos tuetur,
Quorum unum penitus
Non comminuetur.

Responsoria.

1. Sancti confessores
Et electi Dei,
Quorum vita, mores
Placuerunt ei,
Mundum illustrantes
Verbo et exemplo,
Servos se laudantes
Servent in hoc templo;

V. Carnem domabant,
Virtutibus coruscabant,
Praesentia contemnebant,
Aeternam vitam voce
Et moribus praedicabant.

2. Fulget haec ecclesia
Sanctarum virginum praesentia
Quae Christo sponso tota
mente adhaeserunt
Et omnia mundana
Delectamenta
pro eius nomine spreverunt.

V. *Regnum mundi et omnem ornatum sacculi contempserunt propter amorem Domini sui, Iesu Christi.*

3. O vere beatissima
Aarhusiensis ecclesia,
Quam honor sanctae
Trinitatis illustrat,

Gloriosae virginis Mariae
Interventus illuminat,
Caelestium virtutum
Custodia roborat,
Prophetarum
Numerus ampliat,
Victoriosorum
Apostolorum et martyrum
Sanguis exornat,
Quam et inviolatae
Confessionis vita,
Pura et candida
Induit virginitas.

V. Floribus sanctae
Matris ecclesiae
Nec rosae desunt nec lilia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domum Dei merito
Decet sanctitudo,
Cuius cubat gremio
Sanctorum multitudo.

2. Christo laudes atria
Sua confitentur,
Sanctorum ubi corpora
Digne continentur.

3. Adhaeserunt Domino
Saeculo contempto,
Qui quiescunt sedulo
Sub hoc velamento.

4. Sancti quidem spiritus
Et animae sanctorum
Benedicunt iugiter
Regem saeculorum.

5. Exultabunt sancti
In suis cubilibus,
Iuges laudes Dei
Quorum sunt in faucibus.

Ad Benedictus.

A. In sanctitate Domino
Deo servientes
Et horum suffragiis
Sanctorum innitentes,
Exoremus iugiter
Eos et humiliter,
Ut a terrenis erigant
Affectibus et dirigant
Nos in viam pacis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Omnes exsultemus
In Deo salutari,
Qui tot hic habemus
Sanctos in altari,
Sperantes tueri
Per horum suffragia,
Quorum hic haberi
Constat patrocinia.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. A. — Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. B. — B hat in allen drei Noct. prosaische **AA** und **RR**. — In 1. Vesp. **A** 1, 4 Ottoniensis ecclesiae B. — **A** 5, 7 sq. fehlen A. — Ad. Magn. **A**, 7 Contingere B. — In 1. Noct. **A** 2, 2 tabernaculum suum A. — **R** 2, 1 O regia A. — In 2. Noct. **R** 1, 5 Qui a poenitentiae A. — In Laud. **A** 1, 1 Domo B. — Ad Bened. **A**, 2 Deo fehlt B.

62. De sancto Richardo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Almi laudes confessoris,
Richardi beatissimi,
Resonemus cunctis horis,
Mente Deo proximi.

2. Tanta prole fecundata
Felix gaude, Anglia,
Quam ad dona Deo data
Petri trahunt retia.

3. O solamen miserorum,
Richarde beatissime,

Cunctas pelle sordes morum,
confessorum optime.

4. Pater sancte, Deo care,
Cum prece assidua
Semper Christum deprecare
Pro dilecta Andria.

5. Obtulisti Christo laudes
Gerens spem de praemio,
Unde digne tu congaudes
Abrahae in gremio.

Ad Magnificat.

A. Gaudet chorus confessorum
Aucto pro collegio,
Gratulatur coetus horum
Nobili praeconio,
Plaudit omnis angelorum
Reverenda legio,
Offerens regi polorum
Richardum cum gaudio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summo regi iubilemus
Redemptori optimo,
Corde, ore decantemus
Cum Richardo Anglico.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Generosum trahens ortum
Clara de prosapia,
Cuius vitae sprevit portum
Tendens ad sublimia.

2. Cum optaret sequi Christum
Noxae pulsa macula,
Pertransivit mundum istum
Petri cum navicula.

3. Confidenter vir beatus
Properat in Andriam
Et a Petro informatus
Optat vitae gloriam.

Responsoria.

1. Postquam cursum consummavit
Almus Christi villicus
Portas vitae penetravit
Praesul apostolicus,
Cui laetus obviavit
Cuneus angelicus;
V. Corpus eius honoravit
Et devote collocavit
Andrianus populus.

2. Caelum petit triumphator
Cum ingenti gloria,
Animorum illustrator
Fulget in memoria,
Quem admittit poli sator
Purum sine scoria,
Eum mittit vitae dator
Lucis ad praetoria,
V. Vitae cursu consummato
Pergit ad aetherea,
Hoste vadit triumphato
Ad regna siderea.

3. Propagator veritatis,
Rosa fulgens pietatis,
Richarde beatissime,
Voces, preces tui cleri
Dirigas ad regem caeli,
O pater sanctissime;
V. Pastor clemens, praesul pie,
Ad te spectat Andria,
Ipsa colit in hac die
Festa tui annua.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Andriam Richardus
Petro missus venit
Et in porta plurimos
languidos invenit.

2. Cumque populus poposcit
vitae sanitatem,
Obtinere meruit
mentis sospitatem.

3. Populus est illustratus
Fidei mysterio,

Consequenter est ditatus
Castae prolis praemio.

Responsoria.

1. Hic est sacer ignis clarus,
Richardus beatissimus,
Qui exsistit Deo carus,
Ei semper proximus;
Antiquorum confessorum
Hic censetur socius,
In caterva splendet quorum
Velut solis radius.
Quo rectore, quo doctore
Illustratur Anglia,
Quo congaudes tu pastore,
O civitas Andria.
V. Sidus vere sacerdotum
Luces per Illyricum,
Illustrasti fere totum
Populum Italicum.

2. Adest hic Israelita,
Cui Christus fuit vita
Optanti caelestia,
Mentis visum Christo fixit,
Carnem mundo crucifixit
Respuens terrestria;
V. Christum amans cuncta sprevit
Mundi circumstantia,
Semen Dei semper sevit
Cum perseverantia.

3. Gaude semper et laetare,
Urbs praeclara Andria,
Almum patrem deprecare
Cum prece assidua,
Ut per ipsum mereare
Dona caeli gaudia;
V. Cui nihil in hac vita
Gratum fuit sibi ita
Quam tua devotio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum fecisset signum crucis
Super caeci oculos,
Introduxit formam lucis
Respuentis baculos.

2. Mulieris manum rexit
Richardus beatissimus,
Ipsam sanam sursum vexit
Praesul devotissimus.

3. Mulier tunc exclamavit:
Unus est altissimus,
Per quem solum me sanavit
Richardus Dei optimus.

Responsoria.

1. Intuens Richardus
turbam infirmorum,
Flectit sancta genua
pro salute horum,
Quem exaudit pietas
Domini polorum
Diluens contagia
corporum et morum;
V. Christum petit ore, mente
Pro salutis gratia,
Orat ipsum et intente,
Ut repellat vitia.

2. Sanctae consecrationis
Facto mysterio,
Vir summae devotionis
Redit a monte Gargano.
Quem repleti sacris donis
Ambiunt prae gaudio;
V. Plebs fidelis collaetatur
Et in Christo iucundatur
De pastoris reditu.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Tanta erat in hoc viro
Verbi efficacia,
Ut infectos ritu diro
Illustraret gratia.

2. Pollens mira vir beatus
Animi prudentia,
Digne multis est praelatus
In adulescentia.

3. Stella nitens et praeclara,
Richarde beatissime,

Taetra pelle, lucem para,
Serve Dei maxime.

4. Christo reddat commendatos
Suis almis precibus,
Quos fecit esse beatos
Disciplinae moribus.

5. In caterva confessorum
Flores velut lilium,
In te sibi rex caelorum
Fecit habitaculum.

Ad Benedictus.

A. Claritate lucens morum
Richardus, Dei famulus,
Intrat agmen confessorum
Cultor Christi maximus,
Quem coronat rex sanctorum
Vitae dator optimus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Digna coli adest dies
Pio modulamine,
In qua datur sancta quies
Longo pro cartamine,
Hodierna sanctus die
De mundi voragine
Ductus est ad caelum pie
Triumphali carmine.
Unde nos te rogamus,
Richarde beatissime,
Ut sis praesto, exoramus,
Pastor clementissime.

Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 add. saec. 15. A. — Cod. Vallicellan. G 77 saec. $^{16}/_{17}$. B. — In 2. Noct. **A** 2, 1 poposcerit B. — **A** 3, 1 Postquam populus AB. — In 3. Noct. **R** 2, 2 lies ministerio? — In Laud. **A** 1, 3 infectus B. —

62 a. De sancto Saviniano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O sancte Saviniane,
Martyr Christi pretiose,
Una cum tuis sociis,
Quaesumus, ora pro nobis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Savinianus pontifex
Hebraeus fuit genere
Et ex Christi discipulis,
Quos binos iussit progredi.
2. Hic priscae legis edoctus
Erat valde dogmatibus,
Ab ore quoque Domini
Verba salutis didicit.
3. Connexit huic caritas
Sociavitque probitas
Viros praeclari meriti,
Rectae fautores fidei.
4. Qui Christi facti praevii
Miraculis et praeclui
Cum ceteris discipulis
Pacem ferebant populis.
5. Christus ut astra petiit,
Apostolorum principi
Probi viri sunt additi
Parentes eius monitis.
6. Adepta sede cathedrae
Urbis Petrus Romuleae
Savinianum convocat
Hortans, ut Gallos adeat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Superni quippe pneumatis
Insignitus praesagio

Summus antistes adiit
Senonensem metropolim.

2. Virtutis cuius specimen
Electi Christi militis
Praeclarus Potentianus
Altinusque prosequuntur.

3. Insistunt porro conatu
Magnanimo gentilibus
Destruentes fanatica
Firmantesque Christi iura.

4. Miratur cohors profana
In auditum Christi dogma
Atque venisse celebres
Sapientiae proceres.

5. Hinc fulgente praeconio
Miraculorum plurimo
Certatim petunt populi
Baptisma Christi consequi.

6. Horum antiquis triumphis
Se dolens hostis opprimi
Saevis improborum dolis
Athletas Christi perimit.

In 3. Nocturno.

Super Cantica.

A. O felix et laude digna
Passio momentanea,
Facta fideli populo
Salutis reparatio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Celebri laudum iubilo
Persolvamus odas Christo
Recensentes gloriosum
Saviniani tropaeum
Eiusque quoque clientum
Triumphale tripudium,
Horum precatu caelico
Quo fruamur subsidio.

Migne PP. LL. 142, 825 ff. — In 1. Vesp. **A**, 1 O fehlt. — In 2. Noct. **A** 1, 4 mox metropolim. — In 3. Noct. **A**, 2 Sanctorum passio momentanea. — Ibid. 3. Facta fidelibus populis. — Verfasser dieses Officiums, dessen andere Teile prosaisch sind, ist Odorannus von Sens. Dasselbe ist aus der Vatikanischen Hs. seiner Werke zuerst von A. Mai, Spic. Rom. IX herausgegeben und von Migne l. c. wiederholt worden. Mai giebt sich dabei einer doppelten Täuschung hin: die erste, dafs er glaubt, das Officium, welches er irrtümlich als Hymnus bezeichnet, könnte möglicherweise von König Robert verfafst sein: Hymnus vero in sanctum Savinianum, utrum Odoranni sit an potius Roberti regis, a quo et alios hymnos compositos constat, non diffinio. Certe hic diversa manu in codice scribitur (l. c. 799). Denn daraus, dafs Robert Hymnen gedichtet haben soll, kann doch nicht ohne jeden weiteren Anhaltspunkt die Vermutung hergeleitet werden, er sei Verfasser dieses Officiums, welches noch dazu monastisch, d. h. für den Gebrauch eines Klosters, hier der Abtei Saint-Pierre, geschrieben ist. Ferner ist das Officium in der Hs., wenngleich von anderer Hand geschrieben, zwischen das Incipit: Incipiunt capitula seu tituli opusculorum Odoranni, und das Explicit eingeschaltet: Auctore et gubernatore Deo hunc licet vigente ingenio tamen iam caligante oculo et frigescente articulo librum Odorannus paene sexagenarius exaravit monachus. Vos, qui legitis, orate pro eo (l. c. 827). Ferner stimmt die Metrik dieses Officiums mit einer Antiphon gleichen Versmafses auf Petrus und Paulus, die dem 6. Opusculum des Odorannus einverleibt ist:

Avete, mundi lumina,
Petre, Paule, sanctissima,
Quorum alter patibulo
Crucis coniunctus magistro
Alterque ensis iugulo
Locatus caeli solio
Mundi gubernat machinam
Iam paene fini proximam.

Poscite nobis miseris,
Quos gravat moles criminis,
Ut vobiscum perpetua
Perfruamur laetitia.

Diese Antiphon ist bei Mai (Migne l. c. 812) mit einer völlig irrigen Abteilung der Verse gedruckt.

Der zweite Irrtum Mais besteht darin, dafs er das Officium für einen Hymnus ansah und mit folgender merkwürdigen Note begleitet: Sequitur in codice hymnus prosaicus sive, ut Graeci loquuntur, canon cum tonis musicis in laudem SS. Saviniani, Potentiani atque sociorum, cuius auctor videtur ipse Odorannus, quandoquidem nomen suum ipse deinde apponit in codice ut infra videbimus (l. c. 826). Schon die Evovae der Antiphonen hätten das Richtige an die Hand geben müssen.

63. De sancta Scholastica.

In 1. Vesperis.

R. O doctrix et didascala
Sectandae virtutis,
Quam digne Scholastica
Diceris, schola salutis,
V. Tu vita, tu morte
nos edoces,
Ut ad caeli bona
nos evoces.

Ad Magnificat.

A. O flos candens, lilium
Fragrans in convallibus,
Fervens flos Scholastica,
Sponsum Dei filium
Caeli pascis floribus,
Virtute mirifica;
Fac candore castitatis
Nos florere caelitus
Et ardore caritatis
Fervere medullitus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cuncta canant Domino,
qui sanctis aethera pandit,
Ore columbino
quo visa Scholastica scandit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stella surgit matutina
Claro fulgens lumine,
Dum haec virgo columbina
Volat ad te, Domine.
2. Dulcis sonat harmonia
Dei narrans gloriam,
Quam puella prudens, pia
Depromit per gratiam.
3. Tuo, Iesu, nomini
Fidem conservabat
Et ut terra Domini
Plena germinabat.

Responsoria.

1. Virgo Deo placita,
Formula claustrorum,
Tu carnis lege domita
Regulam dans morum,
Modulatrix inclita,
Nostrum rege chorum;
V. Memor esto filiorum,
Soror, mater, amita,
Duc nos ad statum perfectorum
Via vitae reddita.
2. O oliva pietatis,
Fundens zelo caritatis
Oleum laetitiae,
Caeco lumen, fer divinam
Morbo cordis medicinam
Condimentum veniae;

V. Sicut fumi virgula
Fragrans aromatibus
Sic, quibus parces sedula,
Tu redoles precibus.

3. Regis in cellario
Sponsae desiderio
Propinatur veritas,
Ordinatur caritas,
Ibi dulce poculum,
Sponsi sumit osculum

V. Mentis parans vasculum,
In qua passi colligit
Crucifixi titulum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex electae virginis
Concupivit speciem,
Quam vocat ad faciem
Suae pulchritudinis.

2. Sponsae tabernaculum
Sunt dilecti vulnera,
Quo murrae fasciculum
Locat inter ubera.

3. Virgo sine macula
Veniens a Libano
Sub amoris clibano
Fervescet in saecula.

Responsoria.

1. Soror fratrem visitavit
Extra cellae moenia,
Et uterque distillavit
Verba lucis dulcia;
Frater quaerit reditum
Vespera praesente,
Haec rogat per spiritum
Lacrima fluente;

V. Fletu vocat pluviam
Aethere clarente,
Germani praesentiam
Optans pia mente.

2. Virgo fletu caritatis
Pedes lavat Domini,
Potum praebet voluptatis
Angelorum agmini,
Et effectum bonitatis
Preces confert homini;

V. Haec est aqua calida
In deserto saeculi,
Qua mens lux ut nitida
Fit in modum speculi.

3. Sponsa quaerit hinnulum,
Datum nobis parvulum,
Florem inter lilia,
Quaerit in meridie
Solem hunc iustitiae,
Splendidum in gloria;

V. Sicut cervus sitiens
Cursitat ad flumen,
Sic amor impatiens
Ad divinum numen.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Terra modo sterilis
Dat virtutum germina,
Lacte, melle fertilis
Caeli cibat agmina.

2. Agni tympanistria
Hoste merso iubilat,
Precibus invigilat,
Poli quaerit atria.

3. Virginis flagrantia
Mundus reformatur,
Caeli vernat curia,
Deus honoratur.

Responsoria.

1. Salomonis ferculum
Multi fortes ambiunt,
Dum sponsae cubiculum
Angeli communiunt,
Qui sponsae coniubilant
Sponso audienti,
Ei pacem sibilant
Pie quiescenti.

V. Iesu cubans pectore
Dormit in sacrario,

Cui dulci studio
Angeli sub tempore.

2. Principis haec filia
Gressibus decoris
Trahitur fragrantia
Nazareni floris.
Tota pulchra rutilat
Liliis vallata
Et in psalmis iubilat
Spiritu levata;

V. Iesse florem lucidum
Diligit prae omnibus,
Rubicundum, candidum
Colligens ex milibus.

3. Haec parente nobilis,
Spiritu fuit humilis,
Sic digna praeconio
Ex doni fastigio,
Meruit hic gratiam
Et in caelis gloriam;

V. Brevi hic apicula
Congerens dulcorem,
Ad laborem sedula
Dulcem per amorem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Manna virgo colligit
Mariae quaerens aream,
Dulcem botrum eligit
Veniens ad vineam.

2. Flos in vere canduit,
Floruit ad gratiam,
Fructu multo claruit
Adimplens iustitiam.

3. Sponsum virgo sequitur
Ferens secum oleum,
Ad chorum virgineum
Sponsi manu ducitur.

4. O quam dulcis visio,
Qua sol verus cernitur,
Virginali gaudio
Quem virgo complectitur.

5. Haec hosti terribilis
Ut castrorum acies,
Sanctis est spectabilis
Ut astrorum facies.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex gloriae,
Qui de lacu miseriae
Exsulem ad patriam
Virginem ad regiam
Dulciter vocavit,
Haec nos suis precibus,
Meritis, virtutibus
Perducit ad veniam,
Gratiam et gloriam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Aulam intrat sponsa Dei
Anno vero iubilaei,
Sabbatizat suaviter,
Regem cernit in decore,
Cui laudes cum dulcore
Resonat hilariter,
Eius prece, Iesu bone,
Terge sordes, nos coronae
Iungas aeternaliter.

Brev. ms. Curiense (?) saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabar. IX. — In 1. Vesp.: Ad Magn. **A**, 3 Fervans. — In 1. Noct.: **R** 1, 3 Tucarius lege. — **R** 2, 1 O fehlt. — **R** 3, 8 In fehlt; passam. — In 3. Noct.: **R** 1, 2 Multi formes. — **R** 1, 8 Ante pie quiescenti. — **R** 3, 7 Brevis. — In Laud.: **A** 2, 1 in fere. — **A** 5, 2 Et castrorum. — Ad Bened. **A**, 1 est rex. — Hiezu die Hymnen: Anal. XXIII, Nr. 471 sq.

64. De sancto Sebaldo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Nuremberg attolleris
Sollemni patrono,
Fructu novi muneris
Gaudes Dei dono,
Gloriaris amplius
Urbibus vicinis,

Sollemnizas potius
Laudibus divinis.
R. Nomen Christi qui tulisti
Et eius evangelium
Expressisti plebi isti,
Tuum factae collegium,
Te patronum, o Sebalde,
Praebe pium semper valde
Tuae genti exhibenti
Votiva tibi sollemnia
V. Impetrare tu nostrorum,
Testis clare, peccatorum
Velis apud Deum veniam.

Ad Magnificat

A. Plaudat aula regia,
Nurembergensis ecclesia,
Suscipiens hospitio
Sebaldum in exsilio
Peregrinantem iugiter,
Qui sanctorum mixtus choris
Nos illorum det coronis
Perfrui perenniter.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Ab aeterno gratia
Fungeris divina,
Nuremberg, clementia
Immunis divina.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Nunc exsultemus
confessorem venerantes
Et decantemus
Christo regi iubilantes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir beatissimus
Consilium vitavit
Malorum et cathedram
Ut pestem reputavit.

2. Postulanti Dominus
Dat hereditatem,
Venienti eminus
Hanc communitatem.

3. Blasphemi castigantur,
Qui sancto adversantur,
Dentes eorum teruntur,
Qui huic obloquuntur.

Responsoria.

1. Imperantis tempore
Henrici felicis
Incepit hic vivere
Dei cum amicis,
Fugit mundum ut immundum
Eremum amplexus,
A quo venit, ad hunc vadit
V. Circulo reflexus,
Motus perfectus
salvat per singula rectus.

2. Hic dum fame angustatur,
Mox de caelo liberatur
Panis e caelo veniens
Reficit pie praeminens;
V. Nam in deserto
panem poterit dare praesto.

3. Adest casus alius
similis in potu,
Ubi liquor deficit,
absque omni motu
Humani suffragii
adest statim potus,
Qui durat per tempora;
Deus secum totus.
V. Hoc est divinum,
si fit de flumine vinum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In cubili est compunctus,
Feliciter defunctus
Sacrificans iustitiam.

2. Glorificasti sanctum tuum,
Quia dilexit nomen tuum
Scuto tuo coronasti eum.

3. Ab infantia laudare
Non desiit et amare
Mirabile nomen tuum.

Responsoria.

1. Fuit in miraculis
Moriens et vivus,
Mundus a periculis,
Castus et redivivus,
Dum sine habenis
Conatur minari,
Ducitur in Nuremberg
Illic venerari,
V. A quo praedictus
locus a Domino benedictus.
2. Figunt pedes hic iumenta,
In arena fundamenta
Fiunt, primo sed minora,
Post haec longe altiora.
V. Consuetudo Dei,
quod rem parvae speciei
Gratia reficiat,
ne sibi deficiat.
3. Flumen parvum sicut crescit,
Ita sanctus invalescit,
Ubi pridem minimus,
Locus post haec maximus.
V. Sic in natura
Deus extollit sua iura.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iste sanctus absque macula
Introivit tabernacula
Beatis Dei parata.
2. Cordis desiderium
Hic sanctus est adeptus
Per Dei imperium
Nec labiis deceptus.
3. Generatio Nurmbergensis
Quaerens Dei faciem
Sebaldum laudibus immensis
Colit et in aciem
Elegit patrocinii.

Responsoria.

1. Dum transfertur corpus sancti
Ad Scotorum templum tanti,
Illic renuit locari,
Sed quo prius venerari,
V. Pluries allatus,
sed nec sanctus ibi gratus.
2. Hic dum barba deluditur,
Deludens percutitur,
Oculus amittitur,
Perpetuo recolitur
V. Iusta vindicta
iudex punit fere dicta.
3. In facto exsequiarum
Plures assistunt suarum,
Inter quos candelam unam,
Collapsam sed praeter prunam,
Mulier levans devota
Fit a poena salva tota;
V. Signum, devotus
quod sit per singula totus,
Et quod patronus
sit pius iste bonus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mirabilis est Dominus
Potens et in omnibus,
Qui per loca tam remota
Hominum exaudit vota.
2. De Francis Italiam
Transit et in Nuremberg
Eius monstrat gratiam,
Regni fidam filiam.
3. Hic servivit iugiter
Deo vigilanter
Perstans immobiliter
Domino gratanter.
4. Benedictus Dominus
In eius creatura,
Benedictus et Sebaldus,
Quo cuncta profutura.
5. Laudemus perenniter
Rerum conditorem,

Qui nobis salubriter
Hunc dat ad honorem.

Ad Benedictus.

A. Benedixit Nuremberg
Deus ab aeterno,
Qui de tanto patrono
Providit huic loco,
Gloria et honor Deo
Specialiter pro eo,
Quod de tantis terminis
Extremis et mediis
Locum hunc insignem fecit
Et caput regni perfecit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laus in fine decantetur,
Rex caelorum veneretur,
Qui Sebaldum sanctum dedit
Huic loco et concedit
Suis hic supplicibus
Piis interventibus
Eius votis exaudiri,
Deo iugiter uniri.

Brev. ms. Nurembergense saec. 15. Cod. Nurembergen. VII 36. A. — Brev. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. B. — Brev. Bambergense imp. s. l. et a. (Handschriftl. Eintrag im Exemplar des Franziskanerklosters Maria Schnee in Prag). C. — Brev. Misnense imp. s. l. 1483. D. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511 E. — Brev. Misnense imp. Lipsiae 1517. F. — In 1. Vesp. Super Ps. A, 3 novo C. — Ibid. 7 sq. laudibus potius CD; divinis fehlt C. — **R**, 6 Praebe tuum semper B. — Super Nunc dim. **A** fehlt B. — In 1. Noct: **A** 1, 3 Malorum fehlt C. — **A** 2, 4 Haud connunitatem D. — **R** 1, 5 et immundum C. — **R** 2, 3 e fehlt C. — **R** 2, 4 eminens C. — In 2. Noct.: A 3, 3 nomen Domini CD. — **R** 1, 10 est benedictus C. — **R** 2, 4 haec sed longe B. — **R** 2, 8 ubi sibi C. — In 3. Noct.: **A** 1, 2 in tabernacula D. — **A** 3, 1 Generosa Nurmbergensis B. — A 3, 4 Tollit C. — **A** 3, 5 patrocinii fehlt C. — **R** 2, 1 barbara C. — **R** 2, 6 permittit fore dicta C. — **R** 3, 1 In festo D. — In Laud. **A** 1, 3 tam fehlt B, Qui per fehlt C. — **A** 2, 3 monstravit B. — A 3, 3 praestans D. — Ad Bened. **A**, 10 caput regni praefecit B. — Hiezu der Hymnus: Hymnum cantet plebs iucunda (Dan. I, 318).

65. De sancto Severino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Mentes et linguas excitat
Severini memoria,
Qui iugi prece flagitat
Pro te, sancta Colonia,
Deum, qui caelis habitat
Et respicit humilia.

2. Gaude, mater ecclesia,
Laetare, Sion filia,
Tanto patre beata,
Per cuius est eloquia
Dei misericordia
Super te confirmata.

3. Hic dum inter imperitos
Verbum Dei seminat,
Per hoc Deus infinitos
Errores eliminat,
Qui absolvit compeditos
Et caecos illuminat.

4. Arii quos errabunda
Foedat adinventio,
Severini vox facunda
Purgat a contagio,
Deo nostro sit iucunda
Decoraque laudatio.

5. Errantes enormiter
Nos a fonte boni
Reduxit hic iugiter
Studio patroni,

Laudes Deo pariter
Referamus proni,
Qui non fecit taliter
Omni nationi.

R. Sancte Severine,
praesul Domini pretiose,
Devotam gentem
te nunc solamen habentem
Protege, conserva,
suplex rogat ista caterva

V. Fer pacem, mala pelle pia
fautrice Maria.

Brev. ms. saec. 14. Cod. Lincen. Γ p 19. A. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. B. — A 1, 4 und 6 fehlen B. — A 2, 4 Pro cuius et A. — R fehlt B. Alles andere prosaisch; Hymnus: Laude digna angelorum A (Anal. IV, 234).

66. De sancto Sigeberto.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Consilio pontificum
Suorum atque principum
Dagobertus rex filium
Regni levat in solium,

V. Superbos ut deiceret
Et elisos erigeret.

2. Germanorum principes
Francorum atque proceres
Ad urbem Metis veniunt
Ibique regem statuunt

V. In patris eum solio
Avitoque palatio.

3. Laetare, Metis civitas,
Tua namque iucunditas
Regalis est sublimitas
Et patriae prosperitas,

V. Hic est tua laetitia
Vicinorumque gloria.

4. Rex sanctus ut in solio
Consedit ac palatio,
Ea, quae gessit animo,
Patuere continuo,

V. Namque mitis humilibus,
Pius erat pauperibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pontifici sanctissimo
Dagobertus Cuniberto
Curam committit filii,
Addendae legis Domini,

V. Ut de bono meliorem
Redderet et clariorem.

2. In armorum peritia
Et ad iura civilia
Pipini Franci maxima
Eruditur prudentia;

V. Hic in suis temporibus
Fuit princeps clarissimus.

3. Sigibertus rex inclitus
Radolphum cum rebellibus,
Qui rebellis exstiterat,
Fugavit a Thoringia

V. Iesu Christi auxilio,
Quem semper gessit animo.

4. Sigibertus, ut ornaret
Cultum Dei et augeret,
Duodecim coenobia
Construxit in Austrasia;

V. Ut meteret politica,
Seminavit terrestria.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. In anno post tricesimum
Rex contendens ad bravium
Vitae peregit stadium,
Caeli scandit palatium;

V. Planctum Metis permaximum,
In caelis fecit gaudium.

2. Quidam frater aegrotabat,
In morbo fici laborabat,

Sanctum regem expetiit
Et sanitatem repperit.
V. Sacras vestes arripuit
Suaque membra tetigit.

3. Peccator quidam annulis
Dum stringeretur ferreis,
Per multos sanctos cursitat,
Sed hic salutem impetrat,
V. [illegible] loca circuivit,
Multos sanctos requisivit.

4. Sancte Dei Sigiberte,
rex noster et patrone,
Qui virtute trinitatis,
circumfultus undique
Hostium visibilium
expugnasti populum,
Funde preces pro devoto
tibi nunc collegio,
V. Ut tuo propitiatus
interventu Dominus
Nos purgatos a peccatis
iungat caeli civibus.

Per Octavam.

Responsoria.

1. Sigibertus,
tertius nomine,
Trium primus
felici omine,
Anno regnat
aetatis tertio
Deitatis
alto consilio;
V. *Dominatur excelsus in regno hominum et, cui voluerit, dabit illud.*

2. Dagobertus
spe carens filii,
Qui paterni
sit heres solii,
Firmamentum
regni ne corruat,
Apud Deum
preces continuat,
V. *Per quem reges regnant, et conditores legum iusta decernunt.*

3. Datur patri
filius gratiae
In augmentum
caelestis gloriae,
In baptismo
lingua infantuli
Reddit Amen
Amando praesuli;
V. Qui necdum fatur
fidei secreta profatur.

Lection. ms. Stabulense saec. 14. Cod. Vatican. 9499. — In 2. Noct. R 2, 1 pleritia. — In 3. Noct.: R 3, 5 Per multa loca. — Per Oct.: R 1, 4 homine. — R 1, 5 A quo regnat.

67. De sancto Sigfrido.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Sanctus Sigfridus Angliae
Ortus ut sidus Sueciae
Praeclarum radiavit
Et tenebras perfidiae
Gentis illius patriae
Primus illuminavit.
R. Ad salvatoris omnium
Ovile gregis gentium
Pastor bonus adducere
Affectans, evangelium,
Dulcem pastum fidelium,
Studebat illis spargere.
V. Propter tam sanctum studium
Vitae perennis praemium
Iam meruit percipere.

Ad Magnificat.

A. Adest dies gloriosa,
Digna laude speciosa

Pro Sigfridi gaudiosa
Praesulis memoria,
Qua pro vita virtuosa
Et doctrina radiosa
Reportavit copiosa
In supernis praemia.
Per cuius patrocinia
Nobis Dei clementia
Praestet aeterna gaudia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus confessorum
Regem cum laetitia,
Qui Sigfridum beatorum
Coronat in gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex Olavus, laude dignus.
Prudens, potens et benignus,
Sed gentilis primitus,
Ut Sueorum regum quidem
Primus credat Christi fidem,
Inspiratur caelitus.

2. Angliae rex praeerat
Mildredus illo tempore,
Cui rex se coniunxerat
Olavus firmo foedere.

3. Hi reges se assiduis
Intermiscebant nuntiis
Et quam frequenter mutuis
Honorabant exeniis.

Responsoria.

1. Rex Olavus
per regem Anglicum
Mitti petit
virum veridicum,
Per quem possit
mox ad catholicum
Ritum, cultum
quoque dominicum
Cum suis erudiri.

V. O caelorum
regem mirificum,
Qui gentili
velle tam caelicum
Dignatus est largiri.

2. Rex Mildredus aggregatis
Anglicanis tunc praelatis
Quaerit, quis ad Sueciae
Regem praeco veritatis
Esse velit de praefatis
Patribus ecclesiae,

V. Qui ad fidem trinitatis
Ducat gentes in peccatis
Datas idolatriae.

3. Dum gentilis feritas
Et laborum gravitas
Ceteros deterruit,
Deest mori tarditas,
Se Sigfridi sanctitas
Ad hoc sponte praebuit,

V. Ingens eius caritas
Atque magnanimitas
Inde clare patuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Proponens in Sueciam
Pergere repente
Pervenit in Daciam
Deo disponente.

2. Recepit honorifice
Rex Sueno virum Dei
Praebens illi magnifice,
Quod opus erat ei.

3. Pollens praeclaris moribus
Vitam plenam virtutibus
Ibidem degens duxit
Et regem cum principibus
Plebemque salutaribus
Documentis instruxit.

Responsoria.

1. De Dacia progrediens,
Verendiam ingressus,

Primum Vexio perveniens
Se dedit pausae fessus,
V. Conversionem patriae
Et formulam ecclesiae
Conspexit somno pressus.

2. Fidem Iesu Nazareni
Viro Dei se bis seni
Primi Verendensium
Pollicentur susceptores
Atque secum creditores
Reliquos gentilium;
V. Hos instructos baptizavit
Et renatos aggregavit
Coetui fidelium.

3. Suis, quos Vexio duxerat,
Nepotibus, quam fecerat,
Ecclesiam commendat
Et ad Olavum properat
Regem, ut quam cupierat,
Illi fidem ostendat
V. Et post sacra documenta
Sacer Christi sacramenta
Regi praesul impendat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rege praesul in partibus
Westgotiae invento
Hunc aggregat fidelibus
Baptismi sacramento.

2. Plures exemplum regium
Salubriter sectati
Spreto ritu gentilium
In Christo sunt renati.

3. Vir sanctus, quos recentius
Divinis sacramentis
Imbuerat, uberius
Rigabat documentis.

Responsoria.

1. Almi patris et insignis
Trucidantur a malignis
Nepotes interea,
Quos illustrat Christus signis
Et coronis ornat dignis
In aula siderea;
V. Sic tormentis pro indignis
Dantur iustis et benignis
Praemia aetherea.

2. Interemptis crudeliter
Cultoribus iustitiae
Gemens Vexio velociter
Redit minister gratiae,
Quo vacillabat graviter
Novae status ecclesiae,
V. Nam recrevit celeriter
Vetus error perfidiae.

3. O stupendum spectaculum,
O praeclarum miraculum!
Grandi saxo vasculum
Natans ad Dei famulum
Vexit nepotum capita
Diu sub undis abdita,
V. Et tria luminaria
Divinitus micantia
Monstrant sanctorum merita.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Rex Olavus viros rectos
Ut percepit interfectos,
Graviter ingemuit
Et praesuli condoluit.

2. Ut emendam per immensam
Mitigaret rex offensam
Pontificis, Verendiam
Pergit zelans iustitiam.

3. Grandem praesul pecuniae
Pro emenda dum respuit
Summam, multa ecclesiae
Rex praedia mox contulit.

4. Hinc Vexio superstitio
Perfidiae profana
Defecit et religio
Profecit christiana.

5. Illic vivens in virtute
Sigfridus his patratis

Bona tandem senectute
Coniunctus est beatis.

Ad Benedictus.

A. Sancte praesul, exstirpator
Infidelitatis
Et fidelis seminator
Verbi veritatis,
Esto nobis mediator,
Ut nos a peccatis
Purgans collocet salvator
Regno claritatis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Pie pater et patrone,
Tua interventione
Nos a malis liberari
Et procures collaetari
Sine terminatione
Tecum caeli mansione.

Cod. Holmien A 56. [Klemming I, 151 ff.] — In 1. Vesp. Hymnus Sigfridi archipraesulis (Klemming I, 152); in Laud.: Ignitus sancto flamine (ibid. 159).

68. De sancto Sigfrido.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Novus sol progreditur
Novum dans splendorem,
Gentium persequitur
Ritus et errorem.
2. Pacem portat populis
Pontifex fidelis,
Quam dat pacis aemulis
Pacem dans de caelis.
3. Dereliquit patriam
Anglicani gregis,
Pauper intrat Sueciam
Praeco summi regis.
4. Clara dies oritur
Noxque cedit ei,
Verus Deus colitur
Lucem dans diei.
5. Te patrem eximium
Deprecamur rei,
Preces fer precantium
In conspectu Dei.

Ad Benedictus.

A. Audi pater Sueciae
Filios clamantes,
Reprimas in acie
Tuos impugnantes,
In viam iustitiae
Dirigas errantes
Et in regnum gloriae
Ducas exsultantes.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Pastor apostolice
Sigfride Suenorum,
Fidei domestice
Custos, doctor morum,
Nos concives effice
Civium sanctorum.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1493. [Klemming I, 162 ff.]. Außer dem Vorstehenden noch ein Responsorium:

Fortis colit aream
Sterilem zelator,
De spineto vineam
Fecit praedicator,
Gentem domat ferream
Legis aemulator
Dirigit ad lucem tenebrosos lucis amator.

69. De sancto Sigismundo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adest dies laetabundus,
In quo martyr Sigismundus
Ad superna sic ascendit
Et aeternum comprehendit
Paradisi meritum.

Ad Magnificat.

A. Ave, martyr Sigismunde,
Preces iam pro nobis funde
Coram summo principe;
Ave, salus infirmorum,
Medicina peccatorum,
Fletus nostros percipe;
Tu, cum sanctis qui laetaris
Et in Christo coronaris,
Vota nostra suscipe,
Ne labamur cum damnatis,
Sed quod simus cum beatis
Meritis in requie.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sit laus Deo de profundo,
Qui beato Sigismundo
Thronum dedit gloriae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir beatus,
Qui in lege
Domini stabat fixus,
Deum deprecabatur
Die ac nocte.
2. Servivit in timore Domino
Et exsultavit in illo
Apprehendens disciplinam,
Per quem vitae cepit viam.
3. Voce clara sic clamavit
Et ad caelum festinavit,
Ad coronam gloriae
Post transitum victoriae.

Responsoria.

1. Beatissimus
athleta Dei Sigismundus,
qui progenitus
a rege Gundebaudo,
quamvis sacrilega, Christo
tamen monente puerum
Sigismundum
fonte sacro
baptizari fecit
V. Fratre sibi iuncto,
Gundemari nomine functo.
2. Qui puer
ab aetate puerili
Deum timens erat gravis,
[qui licet] non transierit
puerilia iura,
tamen divino studio
eminus se applicuit
immorari.
V. Sic bona consuevit
et crimina cuncta delevit.
3. Hic transcenso curriculo
adiunctus fuit Dei filio
alta caeli desiderans,
non terrenum regnum quaerens,
sed ad caelestia
mente erat cupiens;
V. Quem Deus illuxit
et lucis ad aethera duxit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirificavit Dominus
Sanctum suum Sigismundum
Et ipsum exaudivit
De ergastulo fontis aquarum.
2. Aure percepit verba Domini,
Dum in tribulatione stetit,
Ipsum in tenebris liberavit
Et super caelos collocavit.
3. Admirabile est
nomen tuum, Domine,

Qui coronasti hodie
Sigismundum regem
Post exitum victoriae.

Responsoria.

1. Sigismundus ad aetatem
virilem provectus
Ieiuniis et orationibus
Deo studuit immolari,
Idolorum templi vana
Spernens cum doctrina sana
Meruit coronari;
V. Quem sic allexit,
Deus hunc ad aethera vexit.

2. Iam defuncto genitore
Licet a gente incredula
Sigismundus cum decore
Ad regni tunc atria
Est susceptus et adeptus
In caelorum patria.
V. Mente quidem sana
sic respuit idola vana.

3. Tandem regno sic suscepto
Gubernavit omnia,
Respuendo simulacra
Quaeque tersit culmina
Ampliando divina vota
Summa cum fiducia,
V. Martyr hic athleta
sic venit ad aethera laeta.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confisus in Domino
martyr Sigismundus
Elegit sibi solium
ibi laetabundus,
Sed nec intrat ostium
ibi fallax mundus.

2. Intrat tabernacula,
rex vitae, confidens
Martyr, vana saecula
propter te relinquens,
Fac, ut tecum gaudeat,
consolator ingens.

3. Coronasti hodie
regem Sigismundum,
Qui nunc per martyrium
vere vicit mundum,
Et cum sanctis omnibus
hunc facis iucundum.

Responsoria.

1. Sensit verba rex malorum,
ut eum occiderent,
Regnum eius invaserunt,
ut protinus hunc quaererent,
Hic decenter martyr Christi
una cum coniuge
Adiunctis binis natis,
nitentes simul perdere,
V. Ad tribunal festinantes
dictarunt sententiam,
Ducunt regem atque natos
ad suam praesentiam.

2. Tandem manus noxias
In sanctos iniecerunt,
Christo commendant animas,
Hos tunc sustulerunt,
In cisternam veterem
Ipsos proiecerunt,
Sic cum sanctis aliis
Coronam sumpserunt.
V. Ubi tam miracula
Plurima sunt facta.
Et ab ipsis idola
Longe sunt coacta.

3. O athleta, martyr Dei,
Vera virtus nostrae spei,
Ne nos livor proromphaei
Voret ad interitum,
Tu solamen orphanorum,
Medicamen infirmorum
Fer his refrigerium,
Qui te laudant atque colunt,
Tua festa quoque norunt
Post carnis exitium,
V. Qui iam regnas cum patrono,
Sociaris caeli throno
In caelesti solio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Indutus est a Domino
Stola Sigismundus regni.
Post huius mundi exitum
Caeli suscepit meritum.

2. Deo caeli iubilate,
Precibus nunc exorate,
Qui beatum Sigismundum
Sibi fecit caelibundum.

3. Ad te, Deus, vigilavit.
Nomen tuum exaltavit.
Inter mundi ludibria
Vitae dans salubria.

4. Benedictus sis in throno
Deus unigenite,
Qui beatum Sigismundum
adiuvisti valide,
Ut tecum regnet sine fine
sede perennis gloriae.

5. Omnis lingua Deum laudet
in suis martyribus,
Qui beatum Sigismundum
suscepit de terrestribus
Et cum sanctis collocavit
in polorum sedibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
In tua magnitudine,
Qui beatum Sigismundum
Tormenta fecisti vincere,
Ut congaudens esset tecum
In aeterna requie.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O rex gloriose
et martyr, Sigismunde,
Nostras preces supplices
coram Deo funde,
Ut nostra regat tempora
iam in mortis hora,
Et tecum simus caelibes
cum sanctis sine mora.

Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 20. A. — Brev. ms. Frisingense saec. 15. Clm. Monacen. 19283. B. — Brev. Frisingense imp. Augustae 1491. C. — In 1. Vesp. Super Ps. **A**, 3 Ad superna conscendit C. — In 1. Noct. **R** 3, 1 transsesso A. — In 2. Noct. **A** 1, 2 suum fehlt C. — **A** 2, 4 exaltavit C; der Vers fehlt A. — **A** 3, 3 decorasti A. — **A** 3, 5 exercitum A. — **R** 2, 4 tunc atria fehlt A. — **R** 2, 5 Est sepultus et A. — **R** 3, 4 Quem detersit culmina A. — **R** 3, 5 dominica vota A. — **A** 3, 6 summa fehlt A. — In 3. Noct. **A** 1, 5 Sed non intrat B. — **A** 1, 6 fallax undus A. — **R** 1, 8 mtantes simul A. — **R** 1, 10 dictaverunt B. — **R** 2, 9 Ubi nunc miracula A. — **R** 2, 10 sunt fehlt A. — In Laud. **A** 1, 1 est fehlt A; a Deo ABC. — **A** 4, 5 tecum regnans A. — **A** 4, 6 In perennis gloriae A. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 5 regat tempora fehlt A. — Ibid. 7 caelibas A. — Hiezu de Hymnen: Laeto corde recolamus (Anal. IV, 234) und: Beata uobis gaudia (Anal. IV, 235).

70. De sancto Sixto.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In sanctis mirabilem,
Pueri, laudate
Deum, ut det stabilem
Vitam, postulate.

2. Martyrum victoriam
Laudent omnes gentes,
Ad illorum gloriam,
Christe, duc canentes.

3. Voce, voto sanctum Sixtum
Cum suis sodalibus,
Corde toto lauda Christum,
Ut iungaris talibus.

4. Lauda Deum, qui sanavit
Ex corde contritos,

Dum hos sanctos liberavit
Carne praepeditos.

5. Eia, lauda et exsulta,
O aula caelestis,
En, sanctorum merces multa,
Rex tuus est testis.

Ad Magnificat.

A. Vox matris ecclesiae
Solito sit suavior,
Dies plena gratiae
Adest luce clarior,
In qua praesul inclitus
Et Martyr insignis
Coronatur caelitus,
Iunctus Deo dignis,
Ergo, o beate beatorum,
Esto memor memorum tuorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Vitem veram, vitam meram
Dantem suis testibus,
Adoremus et laudemus
Conformes caelestibus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rosa de spinis nascitur,
Dum Sixtus ex gentilibus
Christicola efficitur,
Miris fragrans virtutibus.

2. Urbis Romae papa factus
Ut sidus resplenduit,
In adversis nunquam fractus
Vir totus apparuit.

3. Rosa rubens rubricatur
Roseo cruore,
Dum vir sanctus decollatur
Pro Christi amore.

Responsoria.

1. Sanctus iste, pie Christe,
Fide fortis, nihil mortis
Horruit supplicium,
Stat pro lege et pro grege
Tamquam murus, sic securus
Per te vincens omnia,

V. Exsultat de suppliciis
Sicut de deliciis.

2. Ignis urens, Caesar furens
Virum iustum spe robustum
Potenter aggreditur,
Modo ridet, modo stridet,
Spondet opes et honores,
Sed nequaquam flectitur,

V. Torret per innumera
Tormentorum genera.

3. Dulce granum moritur
Per manus carnificum,
Sed statim renascitur
Ingens et magnificum,
Dat odorem et saporem
In terris mirificum,

V. Scandit Sixtus impermixtus
Ad regnum deificum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum binis diaconibus
Sixtus iugulatur,
Post quos martyr eximius
Laurentius assatur.

2. Rubicundi qui sunt isti
Et unde venerunt?
Hi sunt, qui pro lege Christi
Sanguinem fuderunt.

3. Vere, Christe, sanguis iste
Tuorum fidelium
Digne dignis fulget signis
In coetu fidelium.

Responsoria.

1. Planxit grex ecclesiae
Pastorem lupis datum,
Sed ovans laudat hodie
In caelis sublimatum,
Per Christum coronatum.

V. O vere ter sanctum
Quaterque beatum.

2. Datur porcis margarita,
Cum morte multatur ita
Paganorum manibus.
Vir beatus, Deo gratus,
Laniatur, trucidatur
Impuris a canibus.

V. Heu, caput orbis inclitum
Efficitur spectaculum.

3. Sancte Sixte, martyr Christi,
Vas virtutum tu fuisti,
Vas lucis et gratiae,
Vas, quod Deus fabricavit
Et in caelis collocavit,
Vas immensae gloriae;

V. Tu per vitae poculum
Debriasti saeculum.
O decus ecclesiae.

2. Ante Dei filium
Florebit sicut lilium
Iustitiae amator,
Dans suae familiae
Mensuram in tempore
Ut prudens dispensator.

V. Vere, Sixte, tu es iste,
Qui cuncta tribuisti
Pro amore Christi.

3. Grandi privilegio
Sixtus decoratur,
De quo caeli regio
Vernans illustratur,
Per te, Sixte, Laurentius,
Martyr praeclarissimus,
Christo destinatur;

V. O patrone Sixte bone,
Funde preces pro devoto
Tibi nunc collegio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. O quam mira, quam praeclara
Sancti Sixti praemia,
Sic sunt dira et amara
Decii supplicia.

2. Pausat miles strenuus
In regno sempiterno,
Stridet Caesar impius
Ardens in inferno.

3. Iusta indignatio,
Quod tortor cruciatur,
Sic felix mutatio,
Quod tortus consolatur.

Responsoria.

1. Martis aedem, immo sedem
Satanae destruxit,
In quo vide, quod in fide
Velut sidus luxit,

V. Virtutum flores et colores
De fonte vitae suxit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Vir beatus rursum natus
Gaudet in domo Dei,
Cernens, totum quod dat motum
Universae rei.

2. Introivit hodie
Papa Romanorum
Et pugil ecclesiae
In sancta sanctorum.

3. Quod sitivit hic in via
Athleta mirabilis,
Quaerit manu morte pia,
Est ergo laudabilis.

4. O amator hominum,
Sixte, Dei care,
Prece placa Dominum,
Bene nosti quare.

5. Laudate regem gloriae,
Qui aufert auro scoriam,
Cum per palmam victoriae
Sixto confert gloriam.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex coelorum,
Te commendat vox sanctorum
Iubilando dulciter.
Tibi omnis creatura
Servit servans sua iura,
Homo solus aliter;
Non sic currit chorus iste,
Sed te duce, sancte Sixte,
Christum quaerat iugiter.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Miles fortis saevae mortis
Poenam spernens, vitam cernens
In superna patria,
Scandit mundus, rubicundus
Pugil iste tuus, Christe,
Ad sanctorum atria;
O patrone Sixte bone,
Fac nos ire et venire
Ad aeterna gaudia.

Brev. ms. Secoviense saec. 15. Cod. Graecen. 1548 A. — Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. B. — Brev. Kimense imp. Venetiis 1516. C. — In 1. Vesp. **A** 3, 1 Xystum A. — In 2. Noct. **A** 3, 4 coetu debilium A. — **R** 1, 1 rex ecclesiae A. — **R** 2, 7 caput urbis B. — Hiezu die beiden Hymnen Anal. XI Nr. 499 und 500.

71. De sancto Sozomeno.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gloriosos
laudemus milites,
Sozomenum
et eius socios,
Viros olim
in fide divites,
Qua vicerunt
conflictus varios,
Sed nunc caeli
transcendunt limites
Super thronos
locati regios.

2. Epiphanius inclitus,
Christi cultor praecipuus,
Trecenteni exercitus
Dux fuit armis strenuus.

3. Non mortis formidine
Fidem occultabat,
Sed secreto flamine
Suos informabat.

4. Edixit Maximianus
Furia commotus,
Ut populus Christianus
Interiret totus.

5. Regis saevum
edictum audiens,
Suos adit
pie praemuniens
Et in fide
verbi erudiens.

R. Odio furens crudelis
Rex opponit servos Christi
Adversariorum telis,
Nec laeduntur plaga tristi.

V. Sed dum vota
spondent fidelia,
Sternunt pauci
quam plura milia

Ad Magnificat.

A. Constantiam
fortium militum
Decantemus
pia laetitia,
Qui per fidem
regis imperium
Contemnentes
quam plura milia
Facto voto
vicerunt hostium,
Sola Christi
freta potentia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Trinum et unum Dominum
Toto laudemus studio,
Quo vim pressit certaminum
Sozomenus in stadio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mundum calcans viriliter
Sozomenus cum sociis
Adhaerent Christo fortiter
Sacris intenti studiis.
2. Rex aeternae gloriae
Quos intus allexit,
Pugnantes in acie
Ad alta provexit.
3. Et hi dum certaminis
Nocens onus portant,
Plausu sacri carminis
Animos confortant.

Responsoria.

1. Gaudiosum
Christo spectaculum
Et stupendum
mundo miraculum
Praestant sancti,
dum crucis titulum
Praeferentes
calcant periculum;
V. In cursus stadio
devincunt saeculum
Ac pio studio
convertunt populum.
2. Nova bella
elegit Dominus
Hostem, mundum,
carnem subicere,
Horum labem
fugavit eminus
Sozomenus
divino munere;
V. Artam vitam
dum studet agere,
Dona caeli
meretur capere.
3. Martyrium
dum Epiphanius
Subit, brevi
pugnavit proelio,
Sozomenus
vivens diutius
Graviori
certavit taedio;
V. In deserto
fame ac frigore
Aestus isti
prolixo tempore.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Egit vitam monasticam
Sozomenus cum sociis
Puritatemque caelicam
Acquirens exercitus.
2. Rore caeli
caro contabuit,
Arto cibo
corpus refriguit,
Sic cupido
prorsus exaruit.
3. Orat Christum frequentius
Non tentus stratis requie,
Meditatur devotius
Carne defecta macie.

Responsoria.

1. Solitudo
deserti squalida
Dat pabula
monachis arida,
Sed spiritus
est esca sapida
Luxque menti
infusa splendida.
V. O deserti
regio florida

Et caelesti
gratia rorida!

2. Laetus in solitudine
Sozomenus certamina
Vicit mansuetudine
Devota canens carmina.

V. Iesu Christi suffultus gratia
Superavit diversa proelia.

3. Mira refulsit gratia
Sozomenus, quem colimus
Cum contione socia,
Quos nec locus asperrimus
Terruit nec inedia,
Vicit nec labor plurimus;

V. Et haec vera
est innocentia,
Quam non urit
concupiscentia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aestuavit nimis
Cum vehementia
Suspirans in imis
Ad caeli gaudia.

2. Transeuntes fugiens
Mundi vanitates,
Floruit subiciens
Carnis volup'ates.

3. Caeli vitam peragit
Sanctis se conformans,
Ad maiora satagit
Socios informans.

Responsoria.

1. Iusti clare
tunc fama resonat
Sozomeni,
dum calcat saeculum,
Nunc de caelo
clarius intonat
Miris signis
consolans populum;

V. Praefulsit velut speculum
Dissolvens mundi vinculum.

2. Rectae vitae
doctorem praeferunt
Sozomenum
Vason, Agapius,
Galasion,
Aristus, referunt
Ex hoc fructum
salutis plenius,

V. Intendentes
huic magisterio
Profecerunt
virtutis studio.

3. Dux Sozomenus paucorum
Factus dum auxit merita,
Effulsit lux plurimorum
In veritatis semita;
Iam nunc in regno caelorum
Praemia sumit debita.

V. Vir insignis vim laborum
Virtute vicit inclita,
Nunc concivis angelorum
Fulget corona reddita.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Constanter agens militum
Christi fidelis contio,
Labore quaerens meritum
Iam fulget fruens praemio.

2. Artam viam tenuit,
Quae ducit ad caelum,
Vir sanctus vero timuit
Inimici telum.

3. Doctrinam catholicam
Docens praedicando
Demonstravit caelicam
Viam operando.

4. Gloriam Sozomenus
Obtinet in caelis,
Meritis nullatenus
Cesset laus fidelis.

5. Laudes cantet devotius
Coetus clericorum,
Ut prosequatur promptius
Turba ceterorum.

Ad Benedictus.

A. O vir sanctus
celsique meriti,
Sozomene
cum tuis sociis
Suffragii
fer opem soliti,
Ut aeternis
fruamur praemiis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christe clementissime,
Precibus sanctorum,
Quos laudamus, reprime
Bella vitiorum,
Ut fulgentes animae
Claritate morum,
Sint consortes intime
Lucis beatorum.

Brev. ms. S. Sepulcri saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parmen. Palat. 186. — In 1. Vesp. **R**, 4 tristi plaga. — In 1. Noct. **A**, 3, 2 Nucens. — **R** 1, 4 mundum. — In 2. Noct. **A** 2, 5 cupito. — **R** 1, 2 scalido. — In 3. Noct. **R** 3, 3 lux plurium. — In Laud. **A** 1, 2 felix concio. — Ad Bened. 2 celique meriti. — Ibid. 7 Ut fehlt. — Hiezu die Hymnen Anal. XXII, Nr. 435—437.

72. De sancto Stephano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Confessor Christi Stephane,
Gentis tuae preces suscipe,
Ut per te inveniat
gratiam Christi
Cui contulisti
lumen fidei.

Ad Magnificat.

A. Ave beate rex Stephane,
Inclita spes gentis tuae,
Ave, doctor et apostole,
Credulitatis nostrae,
Ave, speculum sanctitatis
et iustitiae,
Per te Christo credidimus,
Per te in Christo salvemur,
Ora pro populo,
Interveni pro clero,
Ut nullus de tuis
Praeda fiat hostis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum venerantes
Adoremus Dominum,
Qui in caelis coronavit
Sanctum regem Stephanum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adest festum venerandum
Sancti regis Stephani,
Multa laude celebrandum
Omni die saeculi,
Gaudeant, qui sunt heredes
Per hunc facti Domini
Et sanctorum coheredes
Meruerunt fieri.

2. Iste sanctus praedicator
Hungarorum primitus
Christianae legislator
Factus est divinitus,
Pro binis tradens bis bina
Duplicato pretio
Vel pro quinque dans bis quina
Reportando Domino.

3. Mundi reges moriendo
Regno finem faciunt,
Qui, ut sibi celsitudo
Regni, regno pereunt,
Sed hic sanctus terminando
Terrenam potentiam,

Sumpsit regnum inchoando
Sempiternam gloriam.

Responsoria.

1. Iam cum caelos ascendisset
Nostra salus Dominus
Atque suis transmisisset
Dona sancti spiritus,
Repleverunt partes mundi
Duodeni proceres
Seminantes verbum Dei
Ad salvandos homines;
V. In omnem apostolorum
Terram sonus exiit,
Et in fines orbis terrae
Verbum horum prodiit.

2. Gaudebat ergo praecone
Suo quaeque regio,
Et grates pro tanto dono
Referebat Domino;
Restabat Panoniorum
Plebs sine consilio,
Clausa tenebris errorum
In mundi naufragio,
V. Et dum cresceret in orbe
Fidei religio,
Et credentes puro corde
Nascerentur denuo.

3. Genti autem devianti
Per mortis illecebras
Et procaciter amanti
Caecitatis tenebras
Ideo differebatur
Salutis praeconium,
Ut post moras assequatur
Maius beneficium;
V. Ore namque doctor quanto
Datur illi serior,
Dono Dei missus tanto
Venit excellentior.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Valde felix es dicenda
A cunctis, Pannonia,
Erumpe nunc laetabunda
In Dei praeconia,
Qui tibi non praeceptorem
De plebe discipulum,
Sed regem praedicatorem
Misit et apostolum.

2. Nam ut Attila sub rege
Ungarorum populus
Tyrannidis lata lege
Saeviit incredulus,
Sic sub Stephano regnante
Vertitur crudelitas,
Quo figura transmutante
Formatur credulitas.

3. Dudum namque desolatam
Dominus Hungariam
Penitusque nullo datam
Praedicatum perviam
Per hunc sanctum evocavit
Ad baptismi gratiam
Et cum suis heredavit
Dans caelorum patriam.

Responsoria.

1. Geysae namque, duci sancto,
Sanctus puer nascitur,
Qui divina matris ventre
Gratia perfunditur
Et Stephano praemonstrante,
Qui post Christum passus est,
Sat quam nasceretur ante
Stephanus vocatus est.
V. Iste Deo se devovit
Ab adulescentia
Nilque lubricum cognovit
Ipsius infantia.

2. Sed cum iuventutis metas
Sanctus primum posuit,
Atque iam virilis aetas
In eo invaluit,
Ex tunc factus est famosus
Eximiis laudibus.
In bellis victoriosus,
Prudens et fortissimus;
V. Sub mundanis armis Dei
Miles erat strenuus,

Nam in bonis erat ei
Affectus praecipuus.
3. Corde Deo credens erat,
Quod monstrabat opere,
Omnibus sufficiebat
Ipse solus munere,
Rex erat et praedicator,
Dupla dans stipendia,
Unde corpore praeceptor
Gauderet et anima;
V. In divinis studiosus
Vir fuit operibus,
Forma quidem speciosus,
Magis tamen moribus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir beatus pardum nempe
Fert ad caulas ovium
Et leonem ad praesaepe
Bovis ferocissimum,
Nam minis, precibus, donis
Terret, mulcet, incitat
Pravos, mites, vanos, bonis
Christi quos deificat.
2. Si plebs ista suscepisset
Alium discipulum,
Forsitan ei misisset
Deus quendam alium,
Sed rebellis gens et fortis,
Gens grandis audaciae,
Per eiusdem virum sortis
Fuit danda gratiae.
3. Magnus Samson ad domandum
Leonem immittitur,
Hungaris ad praedicandum
Rex fortis eligitur,
Ex leonis fauce mellis
Favus gratus nascitur,
Ex Hungari ore dulcis
Deo laus exprimitur.

Responsoria.

1. Inter cetera laudanda
Virtutis insignia
Patientiae miranda
Fuit illi gratia,
Emonstrat quod depilata
Pauperum protervia
Eius barba, dum collata
Sunt his beneficia;
V. Et ille tunc fuit laetus
Dare Deo gratias,
Pro quo dignus est inventus
Pati contumelias.
2. Nobilis stirpe rex sanctus,
Sed fide nobilior,
Caritate roboratus
Et spei non immemor,
Postquam cursum consummavit
Praesens spernens saeculum,
Iesu Christo commendavit
Gloriosum spiritum,
Offerunt quem ad superna
Angelorum agmina,
Regnaturum in aeterna
Beatorum patria;
V. Rege sibi pro sublato
Pii maerent Hungari,
Sed collega pro collato
Cives gaudent caelici.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Scandit sanctus alta caeli
Stephanus palatia,
E parentis sorte primi
Sublatus occidua.
2. Hinc exsultat in excelso
Caelestis militia
Et collega pro suscepto
Deo reddit cantica.
3. O condicio miranda
et felix per omnia,
Cum a regno fit ad regna
transitus caelestia,
Cum bonis continuantur
terrenis caelestia.
4. Pauperes dono iuvabat
Nunc pecuniario,

Nunc hos evangelizabat
Salutis adloquio.
5. Sapienter dispensare
Norat donum Domini
Et mensuram erogare
Pro tempore tritici.

Ad Benedictus.

A. O miranda potentia
Salvatoris,
In meritis beati
Stephani,
Regis et confessoris,
Qui apud Deum et homines
Dignus memoria,
Cum sanctis tripudiat
In gloria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sanctissimus rex Stephanus,
Hungarorum apostolus,
Signis et virtutibus
Cotidie
Declaratur caelitus,
Ut nos muniat
A malis omnibus.

Brev, ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. A. — Brev. ms. Strigoniense saec. 15. Cod. Parisin. 8879. B. — Brev. ms. Albense anni 1489. Cod. Mus. Hungarici s. n. C. — Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Lambacen. LXXXIX. D. — Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Liechtenstein I 4. 12. E. — Brev. ms. Strigoniense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 1829. F. — Brev. Zagrabiense imp. Venetiis 1505. G. — Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540. H. — Brev. Martinsbergense imp. Venetiis 1519. I.

Auch in Antiph. ms. Cepusiense saec. 15. Cod. Capit. Cepusien. s. n — Antiph. Posoniense anni 1488. Cod. Capit. Posonien. 3. — Brev. ms. Hungaricum saec. 15. Cod. Comitis Battyany in Gyula-Fehervary Ms. IV, 5.

In 1. Vesp. Super Ps. **A**, 5 Cui promisisti A. — DG haben 5 **AA** super Ps: 1. Adest festum venerandum etc. die sechs ersten Verse; 2. Iste sanctus praedicator etc.; 3. Confessor Christi Stephane etc.; 4. Sancte rex Stephane confessor etc.; 5. Sapienter dispensare etc. — A hat in der 1. Vesp. folgendes Resp.:

R. Exora, dilecte Dei Stephane,
Pro nobis miseris,
Ut qui sumus pro culpis
Dandi supplicio,
Per te iungi mereamur
Iustorum consortio;
V. Dissimiles tibi moribus
Laudamus te vocibus,
Adiuva nos tuis precibus,

An gleicher Stelle bietet D: Corde Deo credens erat, wobei es noch die Doxologie anfügt:

Ipsi doxa patri Deo, eius quoque filio
Pariterque coaeterno flamini paraclito.

Ad Matut. Das Invitatorium ist gleichfalls ein anderes in D:

Convenientes in unum iubilemus Domino,
In quo regnat coronatus gemma regum, Stephanus.

Ein drittes Invitatorium bietet C:

Regem regum venerantes sollemni tripudio
Veste amicti gaudentes iubilemus Domino,
Qui hodie sublimavit sanctum suum Stephanum
Et in caelo coronato dans caeleste praemium.

In den Noct. sind **AA** und **RR** prosaisch DG. — In 1. Noct. **A** 2, 2 Hungarorum fuit primus A. — **R** 1, 10 exivit F. — **R** 2, 12 Nasceretur F. — **R** 3, 10 Dator B. — In 2. Noct. **A** 1, 1 est F. — **A** 2, 6 credulitas F. —

R 3, 7 hereditavit F. — R 1, 6 Qui propter F. — R 1, 7 Sacer quam nasceretur F; Sed antequam nasceretur A. — In 3. Noct. A 1, 5 Nam nimis B; 5 et donis F. — A 1, 7 mites fehlt F; zusammenzuordnen sind: minis terret pravos, precibus mulcet mites, donis incitat vanos. — A 2, 7 Per eiusdem fehlt F. — R 1, 9 Et ille non fuit lentus C, — R 2, 7 Christo fehlt F; commendantum F. — R 2, 16 gaudent angelici F; dies Responsorium zeigt schon durch seine gröfsere Ausdehnung, dafs es das Schlufs-Responsorium ist; CI haben als 9. R:

R. Regia urbs Alba, gaude,
Tanto digna principe,
Decorata quidem laude
Re simul et nomine,
Eo quod tam pretiosi
Corporis egregium
Possidere meruisti
Felix facta pretium.
V. *Gloriosa dicta sunt de te,*
civitas Domini.

In Laud. Ad Bened. A Sanctissimus rex Stephanus etc. A. — In 2. Vesp. Ad Magn. A, 1 Gloriosus rex F. — Statt dieser A setzen DG:

Prece pia, decus Hungariae,
Thronum nobis placa clementiae,
Ut possimus purgata carie
Cives esse caelestis patriae.

A hat an gleicher Stelle eine Antiphon in Reimprosa:

Gloriosus
Cultor Dei, rex Stephanus,
Hungarorum doctor egregius,
Ferocitatem gentium
Perdomuit, mores crudelium
Superavit,
Victor in Christo populum
Acceptabilem Domino
Praeparavit.

Es braucht wohl nicht bemerkt zu werden, dafs Antiphonen und Responsorien der Nokturnen aus einer Feder stammen, die anderen Teile älteren Officien entnommen scheinen. — Hymnen: Gaude mater Hungaria ADF (Anal. IV, 238); Gaudent caeli nova luce BF (Anal. IV, 239).

73. De sancta Thecla.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Tecum, Thecla, splendor manet
Et virginitatis lilium,
Quod sponsum serves
Aeterni patris filium.

2. Summam Christi praeelectam
Turrim fortitudinis,
Vocem Pauli in reflexam
Mirae beatitudinis
Audet sequi virgo, viri
Facta velut comparis.

3. Res miranda, fit repente
Fragile corpusculum
Excellenti tam virtute,
Ut ferre possit vasculum
Crucis Christi, quod a morte
Hoc redemit saeculum.

4. Fit virens virga vigens virgo,
Irriga ex praeconio
Summi Christi Pauli missi
Docentis in Iconio.

5. Non terretur sed iam terit
Minas haec proconsulis,
Non exaudit, sed obaudit
Mortalis preces culminis,

In hoc tendit, quod ostendit,
Doctor veri numinis.

Ad Magnificat.

A. Angelorum ordines sancti
Virginumque chori
Omnisque caeli
Turba fidelis
Summis exsultet gaudiis,
Quod hodie
Virgo haec summi regis
Thalami secreta
Meruit constans
Scandere Thecla.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Qui coronat in aeternum
Theclam, regem virginum
Adoremus, collaudemus,
Iam venite, exsultemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. O quam admirabile
Manet in memoria.
Nomen tuum, Domine,
Huius in victoria
Sanctae Theclae, quam hac die
Coronasti gloria.

2. Tu egressus summo caelo
Mentem eius subintrasti,
Tamquam sponsus vero zelo
Tu cor eius confirmasti,
Ut nec minis nec a telo
Moveatur hominum.

3. Mundo corde, mente pura,
Innocens haec manibus
Sine sorde mundi dura
Sanctis calcans pedibus,
Montem [Dei] Thecla scandit,
Verum ubi Deum cernit
Angelorum sedibus.

Responsoria.

1. Intrat secreta
Repente virginis
Spiritu sancto
Cooperante
Pauli doctrina sancta,
Qua summi numinis
Virginum docet
Corpora laudi,
V. In sancti ergo
Ardorem flaminis
Incipiunt
Viscera claudi
Theclae hac domo
Capta divi hominis
Doctrina sancta.

2. Mens virginea,
Fide purpurea
Rapitur, ecce,
In aethera sursum,
Deserit devia,
Ut tollat praemia
Laudis aeternae
Post vitae cursum.
V. Mater irata
Increpat acta
Acriter item,
Sed virgo rursum.

3. Mira constantia
Pectoris alti,
Mira potentia
Flaminis almi,
Quod nequit homo,
Nec minae valent
Virginis ratum
Pervertere sensum.
V. Non dira vincula,
Non carceris horror
Hanc suo coepto
Solvere valent,
Sed tanta succrescit
Caritas ingens
Tantaque fide
Viscera calent.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Diffusa est in labiis
Huius almae virginis
Spiritus sancti gratia,
Quam a domibus eburneis
Praeclarum nomen martyris
Evexit in caelestia.

2. Adiuvit Theclam Dominus
Mane diluculo,
Quam triumphantem fortius
Transmisit ex hoc saeculo.

3. Sprevit minas et dolores
Virgo Thecla iudicum,
Quod videntes admirati,
Conturbati et commoti
Sunt in spiritu cordium.

Responsoria.

1. Inter flammas iudicata
Collaudabat Dominum
Sancta virgo immutata
Aeternum spectans praemium,
V. Ibat virgo laeta fronte
Mortis in exsilium,
Non expavens, sed contemnens
Iudicis supplicium.

2. Orante Paulo inter flammas
Fit illaesa Domino
Laudes agens et exsultans
Dulci canens cantico,
V. Ignis cedit, turba fugit,
Virgo manet et profudit
Preces coram Domino.

3. Circumtonsa caput optimum
Sequitur ministra Paulum
Non pavefacta virgo
Virilem sumere togam,
V. Certanti se contra manus
Iniecit triumphata viro.
Virgineum custodire pectus,
Obiecit ausa
sese pudica tyranno.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adoremus Dominum
In sancto eius atrio,
In honore et gloria
Qui tropaea virginum
Exsultans in martyrio
Iudicat in saecula.

2. Deus noster qui conservat
Sanctum corpus humile,
In hostes Theclae qui decertat
Ad triumphum nobile
Exsultet terra, canat, plaudat,
Et laetentur insulae.

3. Almam Theclam dextra Dei
Et sanctum eius brachium
Salvam fecit, qui dedit ei
Suorum palmam hostium.

Responsoria.

1. O admirabilis potentia
Summi regis gloriae,
Qui in sexus impotentia
Triumphum dat victoriae,
Fides lucis Theclae dulcis
Vincit saevam rabiem
Leaenae trucis, signum crucis
Donat ei requiem,
V. Fit immota virgo tota.
A tauris haec immanibus
Non offensa, sed defensa
Fuit a faucibus.

2. Consummatur res miranda
Sexu in hoc fragili.
Dei virtus, quod horrenda
Monstra sprevit saeculi,
Qui decepit matrem primam,
Anguis victus virgine
Languet intus, petens imam
Sedem in voragine.
V. Doloratur et tremescit
Victus hostis hominum,
Lamentatur, ingemiscit
His triumphis virginum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Decorem indutus Dominus
Accinctus est potentia,
Dextris patris caelitus
Sedens in caelestia
Theclae caput exaltavit
Inter sancta gaudia.

2. Collocavit Dominus
Theclam in principibus
Eius sancti gaudii,
Laetis ergo mentibus
Canamus eius populus
Laudes Dei filii.

3. Pax est facta in virtute
Huius almae virginis,
Quae aeternae suae vitae
Sitivit Deum luminis.

4. Deo nostro omnes sancti
Benedicant spiritus,
Qui urbem ab hostibus
Theclae decertantibus
Custodivit Dominus.

5. In te nobis benedicat
Tuis Deus filiis,
Virgo sancta, quae exsultas
Coram ipso gaudiis,
Quo oramus nos perducas
In caelorum gloriis.

Ad Benedictus.

A. Ave, virgo, flos decoris,
Martyr Dei, Thecla, choris
Copulata spirituum
Beatorum, tuae laudi
Qui instamus, nos exaudi,
Ducas nos ad Dominum.

Ad Magnificat.

A. Angelorum in excelsis
Ac sanctorum militum
Chori gaudent, nos in terris
Sanctum epithalamium
Adplaudamus Theclae thoris
Sanctarum sponso virginum.

Cod. Oenipontan. 783 anni 1480. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 inflexam. — **A** 3, 5 a morte tristi. — Ad Matut: Das Invitatorium ist verändert in:

Qui coronat in aeternum Theclam protomartyrem,
Virginum regem adoremus, venite exsultemus.

In 1. Noct. **A** 2, 5 nec a minis. — **A** 3, 5 scandit Thecla. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Adiuvavit. — In 3. Noct. **A** 1, 2 atrio eius. — In Laud. **A** 5, 5 Quo et oramus. — Ad Bened. **A**, 5 nos fehlt. — Die Hymnen siehe Anal. IV, Nr. 456–458.

74. De sancto Theobaldo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Mente pura, corde mundo
Resonemus et iucundo
In hoc festo, quo beatus
Est Theobaldus coronatus.

R. Gloriose Theobalde,
Gemma confessorum,
Te devote petit valde
Vox peregrinorum,
Sua vota praesentari
Te donante et notari
In aula caelorum,

V. Ubi digne sublimatus
Noster manes advocatus.

Ad Magnificat.

A. O praeclare confessorum
Gemma, Theobalde,
Fac amare viam morum,
Te precamur valde.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Pretiosum tunc erexit
Christus cornu, dum prospexit
Ad Pineti moenia
Tanta per exenia.
Theobaldi varias
Ibi dans reliquias.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dulcis, mitis et benigne,
Serve bone, Deo digne.
Theobalde, nunc memento,
Quo labore, quo tormento
Regnum Christi meruisti;
Tua prece nos dignare
Iesu Christo commendare.

Brev. Basileense imp. s. l. 1478. — Das übrige Officium de communi. Es scheinen aber diese in dem Basler Brevier erhaltenen Teile die Trümmer eines vollständigen Officiums zu sein. Wahrscheinlich entstammt demselben auch die A und das Invit., welches Cod. Colonien. 28. saec. 15 bietet:

A. Optime decertans pro Christo principe miles
Theobaldus superum promeruit bravium.
Hicque triumphato feliciter hoste maligno
Gaudet collegio digniter angelico.
Propterea cuncti modulantes vocibus odas
Dicamus cuncti: Gloria, Christe, tibi.

Invit. Adoretur flos Mariae,
Rex caelestis curiae,
Qui militem suum Theobaldum
Ab armis sublevavit ad caelum.

Dieselbe Quelle hat uns auch eine Strophe aus einem Hymnus auf den Heiligen erhalten: Item versus hymni:

Plus currit in certamine
Confessor iste sustinens,
Quam martyr ictus sufferens,
Mucrone fundens sanguinem.

75. De sancto Theodolo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Illustris civitas
Subiacet Alpibus,
Cuius amoenitas
Accolis omnibus
Grata videtur.

2. Hanc Sedunum ore pari
Iudicavit appellari
Patrum definitio.

3. Postquam occubuit
Praesul, quem habuit,
Dono caelestis gratiae
Sedunensis ecclesiae
Curam sumpsit Theodolus.

4. Iure Christi
praefertur ovibus
Gubernator,
qui dum virtutibus
Coruscat et miraculis,
Suis vilescit oculis.

5. Curam gerens ovium
Lumen subtus modium,
Quod flagrabat in pectore,
Non occultas, Theodole.

R. Qui tibi, Theodole,
celebri famulantur honore,
Qui tibi multimodas
impendunt carminis odas,
Secretum cordis
mundes a pulvere sordis,

V. Ut eorum tibi gratus
Habeatur famulatus,
Congeriem immanium
Procul repellas sordium.

Ad Magnificat.

A. Magnificum antistitem,
Cui gladium ancipitem
Propter incursus hostium
Commisit rector omnium,
Magnificemus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem,
Quo donante suum gregem
Sanctus rexit Theodolus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fructuosae arbori
Felicis Theodoli
Sermo vivus et utilis
Fertur esse consimilis.

2. Huius mundi blandimenta
Per ipsius documenta
Tamquam veneni poculum
Liquet sprevisse saeculum.

3. Pastor non mercenarius
Irrigabat propensius
Sermonum eloquio
Corda pio studio.

Responsoria.

1. Universae
fines Burgundiae,
Deo laudes
solvatis hodie,
Per quem regnat
in caeli solio
Praesul noster,
felix Burgundio,
Theodolus.

V. Plantatus est
in domo Domini,
Sociatus
sanctorum agmini,
Patri, nato
sanctoque flamini
Semper praesens.

2. Fama velox
ocius alite,
Cursum agens
directo tramite,
Seriatam
vitam Theodoli
In conspectu
denudat Karoli,

V. Ut honoris ad apicem
Suum Deus pontificem
Promoveret per indicem
Effectum.

3. Imperator
illustris Karolus,
Quem rex orci
nequam et subdolus
Turpi vinctum
tenebat crimine,
Liberatur
sancti iuvamine
Theodoli,

V. Dum in quodam concilio
Dolore tactus nimio
Precum sibi suffragio
Subveniri postulat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pro quantitate criminis,
Quod erat expers nominis,
Visum aeterni luminis
Amiserat.

2. Pudebat eum promere,
Quo laesus esset vulnere,
Nulli volens detegere
Culpam.

3. Authenticis praesulibus
Profitetur gemitibus,
Suspiriis et fletibus
Sui dolorem animi.

Responsoria.

1. Sancti patres
affectu patrio
Adhibentes
medelam saucio
Blande fovent
piis sermonibus
Pro commissis
tristem excessibus;
V. Demum quidam antistites
Ad loquendum praecipites
Videri volunt divites
Consolando.

2. Decem missas
quidam aut amplius,
Vel viginti
loquentes ditius,
Seu triginta
promittunt propere
Pro sanando
letali vulnere;
V. Praesul noster inclitus,
Humilis et tacitus,
Nihil est pollicitus
Sed alii.

3. Non latebit civitas
Supra montem posita
Neque iusti sanctitas
Hactenus abscondita;
Rex inquirit Karolus,
Quot missas Theodolus
Celebrare debeat.
V. Crimen inanis gloriae
Devitans et iactantiae
Nutu caelestis gratiae:
Solam, inquit, cantabo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hoc audito circumstantes,
De se magna suspicantes,
Habent quasi despectui
Doni virum exigui.

2. Arrogantes et elati
Coram rege congregati
Propter munus exiguum
Parvipendunt innocuum.

3. Reputatur idiota,
Cuius Deo mens devota,
Quod obtinere nititur,
Indelate consequitur.

Responsoria.

1. Prosperante
Dei clementia
Sunt reversi
patres ad propria
Missarumque
constricti debito
Iubent solvi,
quod debent, subdito,
V. Si quis forte sacerdotum,
Quod non erat cuiquam notum,
Regem ferret ad devotum
Revelante Domino.

2. Unus Deus
et simplex unitas,
Quod per partes
nequit pluralitas
Obtinere,
de lapsu Karoli
Manifestat
voto Theodoli;
V. Fusa prece pro peccato
Praeter usum perpetrato
Regi valde conturbato
Condonatur.

3. Per virtutem
superni numinis
Modum plene
cognoscens criminis
Regi refert
ipsius ordinem,
Seriatim
narrans originem;

V. Inde quaedam exenia,
Consulatum, regalia,
Praefecturam et alia
Suscepit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Thebaeorum legio
Detruncata gladio
Cum Christo regnat in caelis.

2. Ossa cuius Deo grata
Iacuerunt inhumata
Diu nudo sub aere.

3. Hinc in caelesti curia
Fit grandis querimonia
Sub altare Dei.

4. Propter causam huius rei
Revelatur servo Dei
Caeleste consilium.

5. Felix praesul divinitus
Evidenter admonitus
Tobiam imitatur.

Ad Benedictus.

A. Die praesul hodierna
Nexu liber saeculi,
Arce sedens in superna,
Dele culpam populi,
Ut nos solvat a peccatis
Fracta mole criminum,
More tuae pietatis
Deprecare Dominum.

Ad Magnificat.

A. Ossa legens beatorum
Legionis Thebaeorum
Agauno clauso rupibus
Sacris locasti manibus,
Summe praesul Theodole.

Alia Antiphona.

A. O gloriose pontifex,
Tuis devotus opifex,
Conserva nos a grandine,
A gelu et a fulgure,
Ut ubertate fructuum
Lauderis in perpetuum.

Brev. ms. Agaunense saec. 13. Cod. Londinen. Add. 1543. A. — Antiph. ms. Sedunense anni 1317. Cod. Valerian. s. n. B. — Antiph. ms. Sedunense anni 1319. Cod. Valerian. s. n. C. — Brev. ms. saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 13420. D. — Antiph. ms. S. Vincentii Bernen. saec. 15. Cod. Staviacen. s. n. E. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. F. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. G. — Brev. Lausanense imp. Gebennae 1509. H. — Brev. S. Petri Gebennen. imp. Gebennae 1556. I. — In 1. Vesp. Beginnen mit der **A** ad Magn. FG, mit dem Invit. I; die **AA** stehen in der 2. Vesp. F, das **R** ebenda FG. — **A** 2, 2 Iudicatur D. — **A** 3, 2 Praesul fehlt D. — **A** 4, 2 praefertur omnibus D. — **R**, 6 mundet D. — Ibid. 10 repellit D. — In 1. Noct. **A** 3, 1 Pastor nos H. — **R** 1, 10 est fehlt H. — **R** 1, 12 Sauciatus H. — **R** 2, 10 Deus suum H. — In 2. Noct. **A** 1, 1 qualitate H. — **A** 2, 1 eum proxime D. — **R** 1, 2 effectu proprio G. — **R** 1, 8 tristis D. — **R** 2, 11 Nil H. — In 3. Noct. **A** 1, 3 Hunc quasi D. — **A** 2, 4 innoxium D. — **A** 3, 1 Reputatus D. — **R** 1, 1 Properante H. — **R** 2, 10 fehlt H. — **R** 2, 11 perturbato H. — Ad Bened. **A**, 5 sqq. fehlen D. — In 2. Vesp. Super Ps. **A** Curam gerens ovium etc. H. — Zu der **A** O gloriose pontifex hat F die Rubrik: Dicitur bis. — Hymnen: ad Vesp. et Noct.: Chorus caelestis curiae (Mone III, 516); ad Laudes: Celsitudo sublimium (Mone l. c.).

76. De sancto Theodorico.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Theos unum sic et trinum,
Deum verum condivinum
Hunc laudate per omnia.

2. Oramus cum sacerdote
Theodorico devote
Passo in Antiochia.

3. Deus, ipsum qui respexit,
In patronum hunc transvexit
Ad chorum in Usecia.

4. Ritus Dei nominatus
Sanctus iste comprobatus
In passionis gloria.

5. Custoditor Dei dictus,
Deum sciens est condictus
Hic sanctus Theodoricus.

R. Triumphantem hierarchiam
Hic praesentat per sophiam
In hunc fusam per Messiam,
Dum mens eius per Eliam
Est ad caeli harmoniam:
Regnum mundi abdicavit,
Hymnum Deo decantavit,
Clare dum sic enarravit:
Volo pati, tunc se stravit
Sanctam propter symphoniam;
V. Albus corde candidatus,
Laetabundus, Deo gratus,
Bonitatis fonte natus
In sanctorum coetum datus.

Ad Magnificat.

A. Magnificat te Dominum
Cor, vox et sensus hominum
In hoc sacrosancto die,
De quo iubilemus pie.
Exsultemus, festum demus
Et in caelum resonemus,
Deo laudem decantemus,
Ut patris huius patria
Det caeli nobis atria,
Unum trinum adoremus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Templum hoc ingredientes
Deum et recognoscentes
In caelo vitam sentiant.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir, qui non abiit
In concilio impiorum.
Hic seminare exiit
Fidem Christi filiorum.

2. Quare fremuerunt gentes,
Quae hunc sanctum accusarunt?
Reges terrae nam praesentes
Propter fidem condemnarunt.

3. Domine, quid multiplicant
Huic sancto insurgentes,
Turbati remultiplicant
Sic in ipsum saevientes.

Responsoria.

1. Virtutibus nobilior,
Nobili virtuosior,
Coruscans est et clarior
In prodigiis et signis,
V. Nobilior, virtute prior
sanctus Theodoricus.

2. Christi fidem praedicavit,
Christi nomen dilatavit,
Cur hunc tortor carceravit
In latebris pessimis;
V. Laus pia verba Dei
sunt haec sancti Theodorici.

3. Post hoc ipsum fustigarunt,
Caesum virgis reportarunt
Tamquam pravo reclamarunt
Morituro in torculo;
V. Gloria donatur
sancto caeli Theodorico.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocarem super me
Vultus Dei verum lumen,
Transcendit verum tunc in me
Spiritus Domini numen.
2. Verba mea tunc percipit
Deus in excelso caelo,
Dum caro mortem suscipit,
Mors afflicta ensis telo.
3. Domine, Dominus noster,
Christianum praebe scutum,
Qui es conservator noster,
Dona regnum caeli tutum.

Responsoria.

1. Protomartyr Iuliani,
Abdicati Christiani,
Docet fidem Tiposani,
Qui pendet in eculeo.
V. Vincimus iniquum
sic sanctum per Theodoricum.
2. Octo pedum ultra vires
Membrorum traxerunt vires,
Nec in hoc amittit vires,
Nam Christus reformat vires;
V. Exora sancte
pro viribus o Theodorice.
3. Poenas hinc reiteravit,
Ferro carnem laceravit,
Ardens lampas tormentavit,
Nam se signat signo crucis;
V. De poenis sancto
salvemur cum Theodorico.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino confisus sum
Ex toto Christi fidelis,
Quando poenis affixus sum
Reponendo spem in caelis.
2. Domine, quis habitabit
Tuis in tabernaculis?
Is, qui terris resonabit
Coruscando miraculis.
3. Domine, in virtutibus
Divinis triumphaveram,
Propriis quando nutibus
Tormentis me submiseram.

Responsoria.

1. Tortores, qui in tormentis
Hunc viderunt sanctae mentis,
In sorte conversae gentis
Praedecedunt in gurgite,
V. Christo conversi
sic mersi sub fide Christi.
2. Praedicabat imprecando,
Immo verum prophetando
Malum finem vitae fando
Binis istis apostatis;
V. Imprecor hunc finem,
sanctus ait Theodoricus.
3. Se conspiciens devictum
Occidit per ensis ictum
Sanctum corpus praeconstrictum
Iulianus ad ultimum;
V. Est martyr victor,
male victus erat ibi tortor.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes demus Iesu Christo,
Nam caelum pro sancto isto
Paravit Antiochia.
2. Iubilum dat omnis orbis,
Nam bis mundavit a morbis
Quam plures in Usecia.
3. Deus in isto laudatur
Et laus eius adprobatur
Per fideles in Graecia.

4. Benedicta decantatur
Huius laus et hymnizatur
Devotis in Francia.

5. Laudate Deum caelorum
Et intrate laudis chorum
Vos de lingua Occitana.

Ad Benedictus.

A. Benedictus est Israel
In hoc summo Beseleel,
Qui praepes est ut Azael
Ad caelestem Ierusalem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus hodie,
Collaudemus cotidie
Unum trinum, summum bonum,
Sancti Theodorici donum,
Per quod sanctus est formatus,
In caelo canonizatus;
Uni trino supplicamus,
Ut cum hoc sancto vivamus,
In huius doni gaudio
Cum sanctorum tripudio;
Laus uni trino Domino.

Brev. Misnense imp. s. l. 1483. A. — Viatic. Misnensis imp. Lipsiae 1502. B. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. C. — In 1. Vesp. **A** 4, 1 Situ Dei A, Ritu Dei B; der Name des Heiligen ist in den Meifsner Brevieren stets Theodoricus geschrieben. Derselbe ist indes nach Ausweis des Versmafses (cfr. alle **VV**. der 1. und 2. Noct.) oft, meist sogar, viersilbig zu nehmen; in dieser Hinsicht ist beachtenswert, dafs A einmal (**R** 2, 6) Thiderice (Dietrich) schreibt. — **R**, 9 dum se B. — In 1. Noct. **A** 2, 3 accusaverunt AB. — **A** 2, 6 condemnaverunt AB. — **A** 3, 1 multiplicati A. — In 2. Noct. **A** 2, 1 concipit B. — **R** 2, 6 o Thiderice A. — Das Officium stammt offenbar aus Uzès (vgl. in 1. Vesp. **A** 3, 3; in Laud. **A** 2, 3 und A 4, 3, sowie **A** 5, 3 (langue d'oc); ein Brevier von Uzès ist nicht mehr bekannt. Zum Officium gehört der Hymnus Beatus auctor saeculi (Anal. XII, 236).

77. De sancto Theodoro.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laudate, o pueri,
Deum resonando,
Colentes Theodori
Festa iubilando.

R. O Theodore, insignis
Martyr, nobis pro indignis
Interpella regum regem,
Nos fovendo tuum gregem,
V. Poscens cuncta bona, bone,
Stes pro nobis, o patrone.

Ad Magnificat.

A. Magnificat hic Dominum
Sanctus, cordibus hominum
Dei magnificentiam
Inculcans et potentiam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cum Theodoro, venite,
Iubilemus Deo rite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir hic Domini
Legem scrutabatur,
Manu Deo non homini
Placere conabatur.

2. Quare nefandissimae
Gentes fremuerunt,
Dum hunc iniquissime
Sanctum perimerunt?

3. Domine, tu gloria,
Tu susceptor fortis

Huic es et victoria
Per agonem mortis.

Responsoria.

1. Sicut dumi frondescentes
Rosam gignunt, sic parentes
Clari clarum genuere
Theodorum, illustrem vere;
V. Infans gratia praeventus
Plus quam clarus est inventus.
2. Iste puer adulescens
Morum venustate crescens
Augebatur incrementis
Sanctis singulis momentis,
V. Iuvenilem nam aetatem
Vertit in maturitatem.
3. Hinc virtute roboratus
Recto gressu recti status
Tiro fortis placens Deo
Ambulavit coram eo;
V. Sic perfectus sic perfecta
Operatur atque recta.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocaret, visere
Deus hunc dignatur,
Angustiatum misere
Cor erigebatur.
2. Verba huius, Domine,
Mane audiebas,
Quem in tuo nomine
Orare sciebas?
3. Domine, magnifice
Laudem perfecisti,
Istum tam mirifice
Dum coronavisti.

Responsoria.

1. Demum Deo permittente
Paganismo saeviente
Brinca vinculavit istum
Sanctum confitentem Christum,
V. Ut sic aurum probaretur
Et in ignem mitteretur.
2. Fervens animositate
Nacta opportunitate
Paganorum deam vanam
Cremat ignibus Dianam,
V. Et dum cremaretur dea,
Templum uritur cum ea.
3. Ipsum hinc incarceratum,
Longa fama maceratum
Per se Christus visitavit
Atque pane caeli pavit,
V. In absconso fulget lumen
Sui visus in acumen.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino confidere
Miles hic solebat,
Per quem et collidere
Hostes praevalebat.
2. Domine, hic voluit
Tecum habitare,
Nam cor suum maluit
A dolo servare.
3. Domine, laetabitur
Hic in virtute tua,
Dum a te praemiabitur
Iuxta vota sua.

Responsoria.

1. Post a vinclis liberatur
Et a Publio temptatur
Verbis blandis atque duris,
Nihil tamen profuturis,
V. Amor namque aeternorum
Sitim tollit terrenorum.
2. Videns iudex quod se sprevit
Miles Dei, sic desaevit,
Legem mortis ut in eum
Ferret tamquam mortis reum;
V. Ipsum ergo concremavit
Lictor, iudex ut dictavit.
3. Sanctus iste concrematus
Igne mansit illibatus,
Immo vitam propter bonam
Trinam meruit coronam;

V. Erat enim virgo purus,
Doctor fidus, martyr durus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Theodorus induitur
Virtutibus divinis,
Unde non obruitur
Tyrannorum minis.
2. Deo cum lactitia
Cordis iubilavit,
Cuius abs maestitia
Portas nunc intravit.
3. Plus quam multipliciter
Ad Deum sitivit,
Reficitur feliciter
Iam, ut concupivit.
4. Deo benedicere
Dulce iudicabat,
Nunc datur prospicere
Clare, quem amabat.
5. Cordis in psalterio
Domino psallebat,
Hinc pro desiderio
Mercedem carpebat.

Ad Benedictus.

A. Benedictus, Domine,
Qui felici omine
Theodoro caeli gloriam
Das post mundi victoriam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Theodorus, qui amputavit
Hostis caput instar David
Multam faciens virtutem,
Nobis impetret salutem.

Brev. Constantiense imp. s. l. et a. (Handschriftlicher Eintrag im Exemplar des Stiftes Mehrerau, welches aus der Bibliothek von Churwald stammt) A. — Propr. ms. Uttenpurense saec. 16. (Handschriftl. Nachtrag im Brev. Casinense, Venetiis 1568, Exemplar zu St. Stephan in Augsburg.) B. — B hat monastische Form, die aber dem Officium nicht ursprünglich sein kann, da die nötigen Erweiterungen prosaisch oder entlehnt sind. Nur eine poetische **A** hat B mehr (die 4te der 2. Noct.):

Benedicam Dominum Deum resonando
Colendo Theodori festa iubilando.

Es genügt daher, die Lesarten zu verzeichnen: In 1. Vesp. **R**, 6 Sis pro nobis B. — Ad Magn. **A**, 1 sq. hic sanctus Dominum corde hominum B. — In 2. Noct. **A** 1, 3 misere fehlt A. — **R** 2, 1 Firmus animositate B. — **R** 3, 3 visitabat A. — In 3. Noct. **A** 3, 3 Hic virtute A. — **R** 1, 1 vinculis AB. — **R** 1, 5 namque fehlt AB. — Der Name ist mit Ausnahme von **R** in 1. Vesp. und dem Invit. dreisilbig zu lesen Theodorus (Theudorus). — Hymnus: Martyr egregie Deo dilecte (de Communi) B.

78. De sancto Timotheo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Omne genus harmoniae
Laudet Deum in hac die
Timothei apostoli,
Quem excelsi caeli aede
Sublimavit clara sede
Cum principibus populi.
2. Timotheum laudant gentes,
Quarum convertebat mentes
Ad Deum verbis condignis,
Fidem Christi praedicando,
Veritatem confirmando
Virtutibus ac signis.
3. Hoc nomen a praesagio
Sancto Timotheo datur,
Beneficus suffragio
Qui multis auxiliatur,

In mortis naufragio
Errantibus suffragatur.

4. Iste Pauli discipulus,
Post praedicator sedulus
Fidem Christi [praedicavit],
Qui ad aedificationes
Hierusalem dispersiones
Israel sic congregavit.

5. Meritorum copia
Cluens caeloıam gloria
Lucis a Christo sistitur
Et benedictus filiis
Veniarum auxiliis
Portis Sion inseritur.

R. O Timotheum radiis
Solis veri illustratum
Ac dono multifario
Sancti spiritus dotatum,
Linguaıum verbo vario
Cunctarum locupletatum,
Gentilium nefario
Rituique destinatum,
Ut fidei sacrario
Populum emendatum
Caeli locet diario
Per summae vitae statum;

V. Timothee, te sedulum
Sentiamus precatorem
Apud Christum, qui famulum
Te elegit in pastorem.

Ad Magnificat.

A. Exsultet nunc ecclesia
Mater meritis ornata,
Gaudeat tota Graecia
Virtutibus illustrata,
Lystris in Lycaonia,
Plaude [prole] de te nata,
Sed concine praeconia,
Ephesus, pie solata,
Timothei patrocinia
Sentiens multiplicata,
Bordeolem in Gallia,
Urbs fide renovata,
Laetare, Britannia,
Per apostolum renata,
Eius colat sollemnia
Plebs fide innovata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultet plebs, laudetur Deus,
Plaudat coetus angelorum,
Quod coniunctus Timotheus
Throno est apostolorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Alludit nato Graecia,
Lystris in Lycaonia
Ortus dedit initia,
Traxit per praeconia
Orbem quasi parentia
Ad Dei testimonia.

2. Prophetiae poculis
Inhians tantum oculis
Terrena consideravit,
Fide post illuminatus
Suavitatem vir beatus
Dei vidit et gustavit.

3. Omnis beati gloria
In crucis memoria
Exstiterat frequenter,
Qui meritis similibus
Cum populi principibus
Constitutus est gaudenter.

Responsoria.

1. Sollemnis doctor gentium
Sanctum fide roboravit,
Quem cum turbis credentium
Sancto spiritu dotavit,
Quem post linguis loquentium
Dominus magnificavit;

V. Talibus igitur signis
In se Christo perpetratis
Adhaerebat vir insignis,
Post doctrinis Pauli gratis.

2. O imitator sedule,
Comes Pauli discipule,
Qui respuisti terrena,
Et propter Dei filium
Elegisti exsilium
Linquens patriae amoena,
V. Linquere fac nos vitia
Et post mortis exitia
Da caeli loca serena.
3. Expositum periculis
Sequitur et miraculis
Paulum ad urbem Romanam
Timotheus, vir beatus,
Lorica fidei armatus,
Non timens gentem profanam,
V. Debita beneficia
Impendens et solatia
Paulus ob doctrinam sanam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Egressus rex et dominus
Per Timotheum subiecit
Gentes, quem sibi comminus
Coheredem fecit
Regni et nihilominus
Principibus adiecit.
2. In petra nunc exaltasti
Caelestis celsitudinis
Timotheum et fundasti
Ut turrim fortitudinis,
Deus, per quem effugasti
Hostesque sanctitudinis.
3. Opus Dei nuntiat
Intelligens eius facta,
Suasit, ut plebs excutiat
Idola mutefacta
Baptismumque suscipiat
Criminis delentem acta.

Responsoria.

1. Romae doctor gentium
Biennio disputavit
Et obsidem credentium
Ad Gallias destinavit
Sanctum, qui cor conantium
Verbo Dei irrigavit
Ac statum sic viventium
In melius mutavit;
V. Arguendo increpavit
Ex more docti mystici,
Verbum vitae seminavit
Iuxta praeceptum magistri.
2. Properavit apostolus
Ad Burduelem famosam,
Ubi fovebat populus
Sectam superstitiosam,
Hunc admonuit sedulus
Fidem Christi gloriosam,
Ut sumeret incredulus
Virtutibus copiosam;
V. Resistentes primo flexit
Beatus signis caelitus
Gallos, quos ad Deum vexit
Cum verbis evangelicis.
3. Orthodoxam dilatavit
Fidem verbis, baptizavit
Populos cum prioribus,
Ecclesias instauravit,
Presbyteros ordinavit
Ex clero meliori,
Timotheusque sanavit
Caecos, claudos et donavit
Remedia languoribus.
V. Hinc est, quod non immerito
Timotheus comparatur
Apostolis et debito
Cum honore veneratur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecce, columna polita
Dei aedificiorum,
Quam faex non exinanita
Nunquam sordet peccatorum,
Altat cornua [ignita]
Ad sedes regni polorum.

2. Iustis nova lux oritur,
Rectis corde laetitia,
Per Timotheum moritur
Sculptilium stultitia,
Gloria Dei colitur,
Exosa fit malitia.

3. Nimis hic testimonia
Cum praeceptis custodivit
Et omni sanctimonia
Beatus Deo servivit,
Eiciens daemonia
Iugum Domini subivit.

Responsoria.

1. Regnum intravit Britonum
Timotheus et Dominum
Iesum Christum praedicavit,
Plures deos annullando,
Sacro fonte baptizando
Pebem Deo dedicavit,
V. Instans sacris argumentis
Idola conversae gentis
Penitus exstirpavit.

2. Celeriter opinio
Beatique religio
Timothei intimatur
Lucio tunc, egregio
Viro, qui more regio
Britannis dominabatur,
V. Omnipotentis famulum,
Ut suae legis modulum
Narraret, rex deprecatur.

3. Nutu divino veritas
Fidei tunc dilatatur,
Caelestis cum claritas
Lucio manifestatur,
Angelica quem puritas
In somniis hinc hortatur,
Ut oboediens caritas
Timotheo tribuatur;
V. Evigilans absque schisma
Rex credulus esse coepit,
Sacrum fidei baptisma
Mox a sanctoque suscepit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Parata est Timotheo
Sedes cum magno decore
In caelis, propinqua Deo
Domino, qui cum amore
Regem [Lucium] cum eo
Suo convertit ab errore.

2. Factus hic Ephesiorum
Praesul per Paulum doctorem
Iussit oves pascuorum
Adorare creatorem
Et in laudibus hymnorum
Confiteri redemptorem.

3. Timothei anima
Vigilans ad te de luce,
Deus, sitivit intima
Tecum commori in cruce,
Quam ob rem sumit maxima
Gaudia [cum] Christo duce.

4. Omnes animae iustorum
Semper benedicant Deum,
Qui ad gaudia polorum
Transtulerat Timotheum.

5. Laudet Dominum de caelis
Omnis spiritus iustorum,
Quod vir prudens et fidelis
Cum crementis talentorum
Hostium ereptus telis
Intrat gaudium caelorum.

Ad Benedictus.

A. Cum in Pathmos insulam
Iohannes relegatur,
Ephesiorum infula
Timotheus sublimatur,
Suae plębis pericula
Timescens exsecrabatur
Deos spernendo idola,
A malignis post necatur
Et, ut Christo per saecula
Conregnet, victor levatur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Iam in salutari Dei
Exsultat spiritus Timothei
Cum Deo gaudens caelitus,
Cuius decorem faciem
Iam contemplatur divinitus,
Ipse nobis sacrae spei
Pacem concedat penitus,
Cuius festo requici
Honor praebetur debitus.

Brev. ms. Curiense (?) saec. 15. Cod. Archiv. Sangallen. Fabarien. IX. — In 1. Vesp. Sancto Timotheo datur. — R, 11 docet — Ad Magn. A, 5 Hystris. — Ibid. 11 lies Bordeolum? — In 1. Noct. A 3, 2 In fehlt. — R 1, 3 turbis gentium. — In 2. Noct. A 1, 5 Regni et caeli. — R 1, 1 Bonus doctor. — R 2, 1 Apparuit apostolus. — In 3. Noct. A 1, 4 sordes. — A 3, 3 omnia. — R 3, 4 Lupo manifestatur. — In Laud. Ad Bened. A, 7 Deo. — In 2. Vesp. Ad Magn. A, 9 Honore.

79. De sancto Thoma.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Dies adest veneranda,
In qua caeli non mutanda
Scandebat Thomas ardua.
2. In caelesti nempe luce
Est receptus Christo duce
Palea carnis mortua.
3. Iustos Deus sic dilexit,
Quod ad astra hos devexit,
Ubi pax et gratia.
4. Exaltat Deus mansuetum
Et superbo confert letum
In nefanda patria.
5. Iustus iure perseverat,
Nam qui erit, est et erat,
Huic regni dat atria.

Ad Magnificat.

A. Novum sidus caeli micat,
Cum se Thomas Christo dicat
Dono sancti spiritus,
O iudex futuri mundi,
Iuva, Stygis ne profundi
Nos demergat aditus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum
Adoremus Dominum,
Qui sibi apostolum
Elegit Thomam Didimum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ceu scribunt metrici,
vult triplex India dici.
2. Prima mare linit,
minus altera, tertia finit.
3. Rex Maurorum concipit
mittere legatum,
Mittit, proficiscitur,
fit cordis optatum.

Responsoria.

1. Venit Hierusalem
artis pro structore,
Huic narrat Dominus
Thomam pro maiore.
O quanta luce limina
resplendent polorum,
Cum Deo regnant agmina
qua apostolorum;
V. Qui eras, es, eris vere,
Confer illic nos gaudere.
2. Inter quos laudabilis
Thomas et amabilis
Laetatur crebro gaudio
Coniunctus Dei filio;
V. Iure illum veneratur,
Cuius lauro decoratur.

3. Propter iussum Domini
Pincerna servum ferit,
Qui in ripa rivuli
A fera raptus perit,
V. Cuius dextram canis prendit
Ac convivis hoc ostendit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ab Hebraea sonitus
magnus promovetur,
Dum videt, apostoli
quod verbum completur.
2. Rex, convivae pariter
nimis expavescunt,
Illic dum miracula
talia patescunt.
3. Rex perorat, copula
quod sua sanxetur,
Quibus favet, regium
votum hinc completur.

Responsoria.

1. Mira fides in Hebraea
Debet fari, cum sit rea
Et in reis suggestio,
Gesta credit non a dea
Vel a diis nec pharisaea,
Haec solvitur dum quaestio;
V. Iustus Deus est cuncta
Vindicans quoque delicta.
2. Christi virtus comprobatur,
Ab errore quod fugatur
Puer, regis filius,
Infra saepta consolatur,
Ubi more figuratur
Thomas summi nuntius;
V. Spiritus, ubi vult, spirat,
Hic deductos ad se gyrat.
3. Investigat rex structorem,
Quem optaret meliorem
Misso late nuntio,
Thomas adest, destinatur
Ad structuram, Indis datur
Salus regi nescio;
V. Hic egenis donat victum,
Peste gravi levat ictum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dilectus hic Domino
In messe laborat,
Ubi saeva rabies,
Illic mite rorat.
2. Dum sic longa tempora
Pro Christo certavit,
Cursum huius saeculi
Deo consummavit.
3. Caelum clara lampade
undique lustratur,
Qui in fine vicerit,
illic consolatur.

Responsoria.

1. Post decursum in condenso
Nesciens beato prenso
Tradit hunc tortoribus
Quatuor, hic similis
Caesus plagis a binis vagis
Finitur militibus;
V. Ovis saevis lupis datur,
Ubi sanctus cruciatur.
2. Postquam horum ense cadit,
Ad caeleste regnum vadit,
Ubi vera gaudia,
Locatur luce piorum
Iudexque datur reorum,
Iudicet ut omnia;
V. Ecce, verus Israelita
Ubi dolus non est.
3. O in quantis fulget ille,
Cuius manu rigant stillae
Sacrosancti lateris,
Quo palpato primum credit
Et ad mortem huic obedit
Viam docens aetheris,
V. Dominus, quod marte regnat,
Dum affirmant, iste negat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinctus est Dominus
Virtute pietatis,
Dum locatur Didimus
In luce claritatis.

2. In conspectu ipsius
Est dignus introire,
Non veretur gravia
Pro Christo qui subire.

3. Congregando triticum
Ad te, Deus, sitivit,
Adeptus est merito
Donum, quod cupivit.

4. Pater atque filius
Sint semper benedicti,
Qui cum sancto spiritu
Sunt unum et invicti.

5. Pia sonat contio
voce non obscura,
Ac creatorem omnium
collaudat creatura.

Ad Benedictus.

A. Solis cursu consummato
Corporeque iam allato
A turba fidelium
Terrae ac humo mandato,
Manus, pater, te beato,
Tangens latus regium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Omnis luctus expietur,
In apostoli laetetur
Quivis festo, qui fovetur
In caeli deliciis;
O beate, pie Thoma,
Verum Dei iam aroma,
Tu draconem saevum doma,
Ne subdat nos vitiis.

Brev. ms. Hermanni Morungen saec. 15. Cod. Cassellan. Ms. Theol. Fol. 145. — In 1. Vesp. A 2, 3 carnis mutua. — Ad Magn. A, 5 eva stygis ne. — In 1. Noct. A 1, 1 Seu. — A 3, 3 Mittitur. — R 3, 5 dexteram. — R 3, 6 Hac. — In 2. Noct. A 3, 2 lies sanetur? — R 1, 2 sari, fit. — R 2, 3 Puri regis. — R 2, 8 quaeque. — R 3, 4 domator; fehlt eine Silbe und der Reim. — R 3, 5 undis datur. — In 3. Noct. A 2, 3 Cursum lux saeculi. — A 3, 1 claro — R 3, 2 sacri sancti. — R 3, 8 affirmant apostoli iste. — In Laud. Ad Bened. A, 2 que fehlt. — Ibid. 4 sqq. Terrae mandato hac humando manus pater de beato tangens latus regum.

80. De sancto Thoma.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Assunt sollemnia
Thomae apostoli,
Deo praeconia
Solvant fideles populi.

2. Athletam Christi
fortem mirificavit,
Thomam apostolis
consortem Deus aggregavit.

3. Regis Christo militare
Sanctus Thomas studuit,
Signis miris coruscare
Divinitus meruit.

4. Nomen Christi gloriosum
Cunctos laudare monuit,
Omnem actum scelerosum
Plebem vitare docuit.

5. Iesus, salvator omnium,
Elegit Thomam apostolum,
Per cuius praeconium
Suum salvat populum.

Ad Magnificat.

A. O sancte Thoma, Iesu dilecte,
O caelestis aulae architecte,
Verae viti Christo inhaesisti,
Cuius palmes sacra exstitisti,

Tu clarus doctrina et miraculis,
Nos iuva suffragiis sedulis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem corde et ore
psallentes collaudemus,
Cum apostolo Thoma
confitentes adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Thomas errantem Indiam
Christi fidem instruxit,
Donans baptismi gratiam
Ad Deum multos perduxit.
2. Passionis dominicae
Bibit Thomas calicem,
Civis aulae angelicae
Apprehendit apicem.
3. Ad Indos ire renitentem
Dominus misit ad salvandum,
Ibi populum credentem
Et in caelis collocandum.

Responsoria.

1. Sancti Thomae apostoli
Veneranda sollemnia
Fideles celebrent populi
Cum devota laetitia;
V. In hac die decantemus,
Laudes Christo iubilemus.
2. Thomas a Christo dilectus
In Indiam est directus,
Ut errantes convertat gentes,
Fidem rectam suscipientes,
V. Quas de hostis fauce eruit
Et baptismi fonte abluit.
3. Praedicante
Christum apostolo
Rex accedit
cum omni populo,
Se iugo Christi subdidit,
V. Confractis profanis idolis
Et visis tot miraculis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancti Thomae pretiosa
Mors est coram Domino,
Cuius facie dulcorosa
Fruitur sine termino.
2. Miles Christi et amicus
Est gratus Deo apostolus,
Pius, mitis et pudicus,
Quo culpae non fuit dolus.
3. Vincula solvit vinctorum
Et caecos illuminat,
Morbos curat infirmorum,
Daemones exterminat.

Responsoria.

1. Hic apostolus insignis
Saeculum illuminavit
Doctrinis sanctis et signis
Et defunctos suscitavit,
V. Caecis visum restauravit,
Aegros varios sanavit.
2. Dominum resurrexisse
Thomas credere noluit,
Donec ipsius tangere
Loca clavorum meruit,
V. Quem videndo adoravit,
Deus meus, exclamavit.
3. O mira Dei clementia,
Qui discipulum non reprobavit,
Sed benigna paenitentia
Ad fidem revocavit
V. Et beatos non videntes
Esse dixit sed credentes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hostiam laudabilem
Sanctus Deo offerebat,
Per quam Christus placabilem
Se plebi exhibebat.

2. Captivorum liberator,
Sancte Thoma, exstitisti,
Perditorum reformator,
Prudens pastor gregis Christi.

3. Semen vitae seminasti,
Praedicator egregie,
Fructum multum reportasti
In regnum regis gloriae.

Responsoria.

1. Apostolus ab infidelibus
Carceris vinculis constringitur
Atque super laminas pedibus
Nudis ardentes stare cogitur,
V. In fornacem
flammeam mittitur,
Sed per Christum
illaesus egreditur.

2. Postquam clementia divina,
Per apostolum
multa signa fecit
Civitas Indiae Calamina
In ipsum truces
manus iniecit
Et diris lanceis interfecit.
V. Propter Christum,
quem praedicavit,
Et miraculis
quia coruscavit.

3. O felix Thoma apostole,
Lumen mundi
et iudex saeculi,
A delictorum absolve mole
Animas te
laudantis populi.
V. O pastor gregis
Christi indite,
Duc nos ad aeternae
gaudia vitae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In throno duodecimo
Assessor superni iudicis
Honore fulgens maximo,
Audi preces gregis supplicis.

2. Opifex mirabilis
Dispergendo multiplicat,
Fit caelis aula nobilis,
Quam in terris fabricat.

3. Dei comitante gratia
Ad Indos progreditur,
Triumphans redit cum gloria,
In caelis gaudens excipitur.

4. Carnis pellit illecebras,
Informat continentiam,
Errorum fugat tenebras
Ad caeli ducit patriam.

5. O quanta honorum gloria
Te Deus exaltavit,
Thoma, dum virtutum copia
Cunctarum te cumulavit.

Ad Benedictus.

A. O Christi amice eximie,
Tu terrena cuncta respuisti,
Ideo Dei dulci facie
In caelis frueris, ut sitisti,
Cuius summa gaudia hodie
Cum Christo regnaturus introisti.

Ad Magnificat.

A. O apostole beatissime,
Tu factus fidelis dupliciter,
O Thoma, singularis Didyme,
Videns et tangens Christum
feliciter,
O doctor, apostolorum optime,
Ora pro nobis Christum
iugiter.

Brev ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 20. — In 1. Vesp. Ad Magn., 6 Nos in vita suffragiis. — In 1. Noct. R 3, 4 universo populo. — In 2. Noct. A 3, 2 Et fehlt. — R 1, 6 variosque. — R 2, 1 sq. Thomas resurrexisse. — R 3, 3 poenitentia benigna. — In 3. Noct. R 2, 4 India. — R 2, 5 ipsum crucis. — In Laud. A 2, 3 Sic coelis aula. — Ein anderes

Officium auf den Heiligen, in welchem einzelne Reimanklänge unterlaufen, findet sich in Antiphon. ms. Raigradense $\frac{F}{K}$ I a 1 anni 1525. Die **A** ad Magnif. in 1. Vesp. lautet:

O vitis vitae bone palmes, Thoma beate,
Gestans maturos effuso sanguine botros,
Iesu, victor mortis, fac, ut plantemur in hortis
Ierusalem vivae, qua flores tu sine fine.

81. De sancto Thoma.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O Thoma, dux errantium,
Virtus infirmantium,
O fides dubitantium,
Ad caeli duc solatium.

2. Gratia regalis
lateris profluxit ab alis,
Dum palpans dixit:
meus es Deus; unde revixit.

3. O felix Thoma,
qui dulce virtutis aroma
Tactu sensisti
contrectans vulnera Christi,
Mollifica mentes
duras et labe carentes,
Ad caeli caulas
nos tecum transfer ad aulas.

4. O Thoma, fidelium
Consolator fidelis,
Te pie colentium
Esto memor in caelis,
Fer nobis suffragium,
Ut aeternum gaudium
Sit nobis in praemium.

Ad Magnificat.

A. O Thoma Didyme, Christum
Qui meruisti tangere,
Te precibus
Rogamus altisonis,
Succurre nobis miseris
Ne damnemur cum impiis
In adventu iudicis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Thomas, quem tangit,
Ut Deum pangit,
Illum laudemus,
Huic iubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inclita devotis
colimus sollemnia votis,
Didymi discipuli
caelestis regis amici.

2. Gloria, vera salus
susceptor tu, Deus, eius,
Ipsum magnificando,
iustificando, vocando.

3. Corde, manu mundus
Deum quaerit sitibundus,
Cuius amor satiat,
nec fastidit satiatus.

Responsoria.

1. Indorum magnus
pater hac est culmen adeptus,
Ut regat et pascat
ipsos sua per documenta,
V. Caelitus eligitur
Thomas et iustificatur.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. O tactor Christi vulnerum,
Sanato vulnus scelerum,

Ut quibus mens est credula,
His actio sit sedula;

V. In famulatu Christi,
Quem, Thoma, tetigisti,
Obtine, ne cor tepescat,
Sed semper amplius exardescat.

2. Quod Thomas, dilectus
Christi discipulus, dubitavit,
Hoc idcirco Christus
Provide dispensavit,
Ut haec dubietas
Fieret nostrae
fidei soliditas.

V. Carum suum
sic permisit errare,
Nos extraneos a fide
sic confirmare.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Benedic, Domine,
Tua dulcedine
Te benedicentes
Atque recolentes
Thomae praeconia,
Cuius victoria,
Fidei firmitas,
Spei sublimitas,
Ardor caritatis,
Dogma veritatis
Mundo dant vitae fercula
Per infinita saecula.

V. Consigna, fili Dei,
Nos famulantes ei,
Luce tuae faciei.

2. Thomae, cari tui,
haesitatione,
Iesu Christe, rex bone,
Nos a cordium fluctuatione,
Tu digneris absolvere
Omni tempore,

V. Ut qui te non videntes
Tibi credimus, te sequentes.
Tunc omnes beatificemur,
Quando in fine
huius mundi sistemur
Coram iudice,
Peccatorum vindice.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Orbem firmavit
fidei sedemque paravit,
Postquam palpavit
Thomas, de quo dubitavit.

2. Morte Iesu factus
incredulus ante protervit,
Sed tactu tactus
in laetitia sibi servit.

3. Christi virtutem
videt hic recipitque salutem,
Et Dominum iurat,
et vulnus vulnere curat.

4. Tiro dies octo
dubitans post hoc duce docto
Doctus, qui vicit
mortem, Dominum benedicit.

5. Laudat de caelis
Dominum iam mente fidelis
Caeli denique ius
capit in virtutibus eius.

Brev. ms. Garstense anni 1415. Cod. Lincen. F. p. 12. A. — Brev. ms. S. Crucis 320. saec. 15. B. — In 1. Vesp. Eine 5. prosaische **A** in A. — Ad Matut. Invit. 4 Et iubilemus B. — In 1. Noct. **R** 1, 2 hoc est B. — **R** 2, 1 Quod fehlt A. — In 3. Noct. **R** 2, 7 similitas A. — **R** 2, 10 omnes fehlt A. — **R** 2, 11 Quando fehlt B. — In Laud. **A** 1, 2 paravit fehlt A. — Alle im Vorstehenden fehlenden Teile sind prosaisch; insonderheit in 1. Noct. **AA** 4—6, **RR** 1, 3 und 4; in 2. Noct. **AA** 1—6, **RR** 3 und 4; in 3. Noct. ad Cant. **A**, **RR** 1 und 4.

82. De sancto Trudberto.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

O flos caelestis,
o Christi splendide testis,
Qui vernas roseo
per sidera celsa tropaeo,
Annue servorum
precibus, Trudberte, tuorum,
Ut nos, qui totis
colimus tua gaudia votis,
Ores in saeculum
gaudere per aethera tecum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudibus insomnes
vigilemus alacriter omnes,
Dulci dulcisono
modulantes ore Trudberto.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut fructum daret (in) tempore,
Vir alto natus genere
Patrem liquit cum patria,
Caeli requirens atria.
2. Non meditans inania
Trudbertus ex Hibernia
Cum fratre Romam exsulat
Et dona Dei postulat.
3. Cum clamavit (hic) ad Dominum,
(Ex) audivit factor hominum
Et pios fratres edocet,
Ubi se quisque collocet.
4. Non quaerit hic mendacium,
Sed iuxta Rheni fluvium
Desertum vallis eligit,
Otpertus ipsum colligit.
5. Hic mane miles astitit
Deo, sed hostis obstitit,
Per sanctitatis aemulos
Movendo zeli stimulos.
6. Securi caesus gloria
Coronatur, victoria
Per homicidas claruit,
Quorum pes fuga caruit.
7. Qui rectum sagittaverant
Obscureque peremerant,
In hos sagittae redeunt,
Dum Iudae more pereunt.

Responsoria.

1. Sanctus iste tuo, Christe,
Firmatus iuvamine,
Domum fines et affines
Contempsit mentis culmine,
V. Ut Abraham egressus est,
Quo monstrasti, ingressus est.
2. Apostolorum limina
In Roma, mundi domina,
Visitavit humiliter
Plorans et orans largiter;
V. Quod dictavit devotio,
Impetravit oratio.
3. Trudbertus Roma veniens
Et Otpertum inveniens
Secus Numagum fluvium
Primum locat hospitium,
V. Haec requies, quam elegit,
Vitae cursum hic peregit.
4. Quanta fulget
Trudbertus gloria
Hoc in mundo
caelique curia,
Sanitatum
probat frequentia:
V. Lepram mundat,
fugat daemonia,
Aegris eius
subvenit gratia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Dei tabernacula
Hic scandit sine macula,

De valle montem Domini,
Quam suo sacrat nomini.

2. Praeventus in dulcedine
Non laesus est putredine,
Et dum iam plures habuit
Mortis dies, non tabuit.

3. Deum in omni tempore
Benedicens a funere
Tot annis tabo vacuit
Et integer apparuit.

4. A timore inimici
Factus martyr est ereptus,
Dum in exitu felici
Regnum caeli est adeptus.

5. Multiplicans genimina
Virtutum caeli limina
Petivit laete germinans
Et victor pugnam terminans.

6. Palma florere clarius
Trudbertum caelo verius
Ordo virtutum praedicat,
Tot languidis dum medicat.

Responsoria.

1. Otpertus Dei famulum
Videns in Deo sedulum,
Sex viros eius proprio
Mancipavit obsequio;
V. Dat et vallem continuo
Possidendam perpetuo.

2. Protrahebat continua
In vesperum ieiunia,
Aqua, pane post vesperum
Corpus alebat tenerum;
V. Beati qui esuriunt
Iustitiam et sitiunt.

3. Pietatis sectatores
Plures habent derisores,
Dei cultor hoc Trudbertus
In famulis est expertus:
V. Dormientem occiderunt
Et martyrem effecerunt.

4. Vir plenus fortitudine
Agni lavit in sanguine
Stolam beatitatis
Martyribus cum beatis;
V. Beati eius oculi,
Qui vident regem saeculi.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Martyr Trudberte,
Christi miseratio per te
Nos a peccatis
solvat iungatque beatis.

Responsoria.

1. Agricola vitis, pater,
Palmitis est vitis mater;
Vera vitis Iesus Christus,
Palmes eius est Trudbertus;
V. Hic est, qui fert fructum multum,
Preces eius valent multum.

2. Vitis vitae sacer Christus,
Palmes eius est Trudbertus,
Per hunc in te maneamus,
Cuius festa celebramus;
V. Ipse martyr et confessor
Sit pro nobis intercessor.

3. Ut plus ferat
fructum Christicola,
Purgat eum
pater agricola;
Sic Trudbertus,
confessor antea,
Fructum tulit
martyris postea;
V. Confessio
ferens martyrium
Duplicavit
talentum creditum.

4. Verae vitis palmes mitis,
O Trudberte martyr, per te
Palmes virens sit et florens,
Sit beatum fructum ferens.
V. Sit in vite vera manens,
Summae vitae cantum canens.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Unanimes totis
celebrantes gaudia votis
Festa patris tanti
studio veneremur ovanti.

2. Qui post emeritae
certamina fortia vitae
Martyrii palmam
victor tulit inclitus almam.

3. Quem mox pompa meli
victricis in ardua caeli
A rege Christo
praelata die vehit isto.

4. Nunc inter superos
gaudet fortissimus heros,
Nobile purpurei
gestans insigne tropaei.

5. Martyr Trudberte,
Christi miseratio per te
Nos a peccatis
solvat iungatque beatis.

Ad Benedictus.

A. Vitis, Christe, verax,
vitae plantatio ferax,
In qua Trudbertus
quasi palmes abundat refertus,
Protulit electum
rutilante sanguine fructum,
Nobis propitius
concede precatibus eius,
Ne vacui fructu
damnemur perpete luctu.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O margaritam
pretiosa morte politam,
Suave rubens gemma,
flos dulcis, amabile stemma,
O sacer, o care
Christo Trudberte, precare
Nobis divinae
pietatis opem sine fine.

Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 52. saec. 15. — In 1. Vesp. Super ps. et ad Magn. Ant. prosaisch; die obige als R bezeichnet; wahrscheinlich ursprünglich A ad Magn., weil der A ad Ben. entsprechend. — In 1. Noct. hat die Handschrift 7 Antiphonen mit Angabe von 7 Psalmen, d. h. eine Antiphon und einen Psalm zu viel; da es sich aber nicht mit genügender Sicherheit ermitteln läßt, welche Antiphon zu tilgen, belasse ich die unrichtige Folge der Quelle. — R 3, 3 Nirmaga fluvium. — In Laud. Nach den obigen AA folgen noch fünf weitere:

1. Trudbertus algoribus
Confectus et laboribus
Etsi marcebat corpore,
Mentis vigebat robore.

2. Psallens hic in laetitia
Cordis Deo maestitia
Fugata, pro quo est patria
Spreta, eius intrat atria.

3. Caelesti pollens munere
Vir sanctus terrae onere
Desertae Domino sitivit,
Qui ipsum ex nomine scivit.

4. Laudetur hic a pueris
Trudbertus, quo letiferis
Carnis motibus non vincitur
Neque ipsis subicitur.

5. Exsultabat in gloria
Pius triumphatoria
Propitius cantantibus
In cymbalis sonantibus.

Zu diesem Officium die Hymnen: In 1. Vesp. et Laud.: Gaudio plenis animis (Anal. IV, p. 246); ferner die Hymnen Anal. IV, Nr. 462 ff.

83. De sancto Udalrico.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum
Angelorum et hominum,
Venerantes redivivum
Sancti patris et votivum
Udalrici transitum,
Per quem divina gratia
Suscitavit magnalia.
Quibus orbis illustratur,
Et beati compensatur
Confessoris meritum,
Terra, gens et patria.
Cuncta sint felicia;
Felix pater, nos exaudi
Congaudentes tuae laudi
Et perenni gloriae,
Per te sola solidetur
Et divisa reparetur
Unitas ecclesiae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Praesul Udalricus,
animo cum carne pudicus,
Regna subit vitae,
Christo iubilate, venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nobilis prosapiae
Puer Udalricus
Fructum tulit gratiae
Augustanae Rhaetiae,
Qua decurrit Lychus.

2. Dilingarum moenia
Hunc misere florem,
Cuius a fraglantia
Germinis Germania
Sacrum hausit rorem.

3. Matris in visceribus
Nondum seminatus,
Signis evidentibus
In salutem gentibus
Est praedestinatus.

4. Tum paternae gloriae
Fama resplendebat,
Cultui iustitiae
Copia militiae
Votis respondebat.

5. Hinc Romana limina
Pater visitavit
Et sanctorum numina
Fletu miscens lumina
Supplex exoravit.

6. Iam praeventa spiritu
Vidua devota,
Subolis intuitu
Caelitus commota,
Domus in introitu
Pandit iusta vota.

Responsoria.

1. Flos regalis sanguinis
Stemmate processit,
Quem praecelsi seminis
Alter Abram gessit,
Fide prolis incremento
Et iugali sacramento.
V. Nam in Sara fertili
Theoberga risit
Et in Anna sterili
Samuelem misit.

2. Infans in cunabulo
Cives inquietat
Et naturae speculo
Vagiens prophetat,
Quod in mundo fluctuante
Sit cum Moyse plorante;
V. Inter fletus aspidis
Ludit ad foramen
Robur augens validis,
Languidis levamen.

3. Lactis ab edulio
Puer est suspensus,

Quem divina sanctio
Movit ad ascensus,
Rationis primitivos
Ut sic sacros potet rivos;
V. Novus heres veteri
Isaac succedit,
Fortis quaerens fieri,
Fortes cibos edit.

4. Sacra post crepundia
Puer Deo gratus
Floruit facundia
Literis aptatus,
Sed detraxit theoriae
Dura lippitudo Liae;
V. Brevi noctis spatio
Caelitus docetur,
Quod docentis studio
Tardius habetur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Renuit conubia
Stabilis athleta,
Sancta vera nuntia
Detegit secreta
Et futura praescia
Veri fit propheta.

2. Heros dives merito
Vitans voluptatem,
Stupefactus subito
Didicit ex abdito
Causae pietatem.

3. Huius innocentia
Ioseph adaequatur,
Qui relinquens pallia
Fugit ab Aegyptia,
Mente ne labatur.

4. Prolis desiderio
Captus vehementer,
Damni sine vitio
Rato matrimonio
Gignit excellenter.

5. Indolis eximiae
Fert Hugbaldus natum,
Qui caelestis patriae
Ac futurae gloriae
Cepit principatum.

6. Patriarchis igitur
Primis comparatur,
Quibus sero nascitur
Foetus, qui diligitur,
Tener ablactatur.

Responsoria.

1. Vox caelestis gratiae
Puer[um] praesagit,
Dragmate scientiae
Quod nil foris agit,
Artis viget magistralis
Ubi vis et spiritalis;
V. Paulus sic caelestia
Percipit divina,
David ad regalia
Fungitur doctrina.

2. Thcoberga nobilis
Sponso viduata,
Bersabeae similis
Sedet desolata,
Cuius ad solacia
Natus adolevit,
Quem superna gratia
Spiritu replevit;
V. Trucidato vitio
Haeret paradiso,
Dans lamenta socio
Corde indiviso.

3. Caelitus ut Aaron
Praesul est electus,
Ut propugnet, in Sion
Plebis dux effectus,
Similis leoni Iudae,
Pelli Gedeonis udae;
V. Duros verbis arguit
Novus Heremias,
Muros urbis exstruit
Alter Nehemias.

4. O sanctorum consulem
Vita Seraphi[num],
Udalricum praesulem,
Qui dum ad divinum

Ministraret sacramentum,
Vidit gloriae conventum;
V. Super virum dexterae
Dextera descendit
Et sacrantis libere
Meritum ostendit.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Ave, pontifex benigne,
Ut te tui laudent digne,
Fac, ut semper exaltentur
Teque dulce glorientur.

Responsoria.

1. Superum frequentia
Sanctus hic stipatus
Fruitur scientia
Sempiterni status.
Conspicit magnalia
Divae maiestatis
Et futura proelia
Christianitatis;
V. Sic Iohannis oculo
Caelica perpendit,
Isaiae titulo
Dominum intendit.
2. Ardens intus caritate
[Praesul] venerabilis
Foris lucet pietate,
Signis admirabilis
Morbis omnibus medetur
Et oppressis miseretur;
V. Manibus angelicis
Flumina transivit,
Hostiis pacificis
Portum inquisivit.
3. Gigas iste nobilis,
Gigas vere fortis,
Currens via pugilis
Virginalis sortis,
Insignitus est tropaeo
Totus ambulans cum Deo;
V. Plus cucurrit in agone
Motus carnis conterens,
Quam athleta spe coronae
Necis ictum sufferens.
4. Vere felicem praesulem,
Vere fidei doctorem,
Quo parante Christo sacra
Dextra cum ipso superna
Ad firmanda plebis corda
Sacra consignavit sancta;
V. *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Salve, flos angelice,
Christus quem plantavit,
Vir, in quo magnifice
Dominus regnavit.
2. Dum sudares in lectica,
Prudens apis ut formica,
Sacri olei virtute
Vires tibi sunt statutae.
3. Helisaeus et Helias
Spiritales tibi vias
Praepararunt in fluentis
Mitigatis elementis.
4. Actu, moribus et vita,
Comis Christi parasita,
Fac nos semper benedici
Versus dolos inimici.
5. Omne spiramentum laudet
Regem caeli, per quem gaudet
Liber spiritus in caelis
Christi famuli fidelis.

Ad Benedictus.

A. Clarus mixtarum
caligine vir tenebrarum
Dum micat astrorum
non impar lumine morum,
Pascitur aurorae
stillantis gaudia rore,
Donec in extremo
satietur sole supremo.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gratulare, Suevia,
Nobilis patroni
Suscitans praeconia
Nova laude throni.

2. Ubi ludunt phialis
Summae hierarchiae,
Coram agno cymbalis
Resonantes pie.

3. Plaude, mater, filio
Plausu laetabunda,
Cuius patrocinio
Laudis es fecunda.

4. Ecce, vesper orbitis
Gyrat occidentem,
Dum vir tantis meritis
Solis implet gentem.

Ad Magnificat.

A. Eia, praesul alme Dei,
Sacerdotum gloria,
Qui charactere fidei
Morbos et daemonia,
Mortem pellis ut dici
Langueat malitia;
Gaude, cuius est iucundum
Nominis praeconium,
Chorum cerne laetabundum
Laudis ad obsequium,
Tabescentem fove mundum
Vitae dans subsidium,
Nos indignos speciali
Iam exemptos saeculo
Vel iustorum generali
Fac ascribi titulo.

Brev. ms. Monasticum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 51. — In 1. Noct. **A** 6, 3 Sobilis. — **R** 2, 1 cunabulis. — In 2. Noct. **A** 1, 6 sit propheta. — **A** 3, 1 innocentiam. — **A** 3, 4 ad Aegyptia. — **A** 4, 4 Ratro. — **A** 5, 4 Hec futurae. — **R** 1, 1 Hos caelestis. — **R** 1, 5 Artis niger. — **R** 4, 3 consulem. — In 3. Noct. Ad Cant. **A**, 4 lies duce?

84. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O Christi pietas,
Quae virgines sacras
Armat, pro te pati
possint ut milites armati.

2. O Christi sapientia,
In sanctis patientia
Mira, virgines carae
sequuntur te caritate.

3. O Christi bonitas,
Tuorum mira suavitas,
Virgines inermes
duras patiuntur sagittas.

4. O Christi amor, virgines
Claritate amabiles,
Pro te patiuntur
persecutorum ense plectuntur.

5. O Christi merces
Virginumque tuarum spes,
Corona paratur,
dum omnes martyrizantur.

R. O Christi miranda
Mira miracula,
Divae virgines iunguntur,
Pro te, Christe, patiuntur,
Fide sociatae,
Coloniae martyrizatae,

V. Ab huius possessa
daemonum cultura perpessa.

Ad Magnificat.

A. *O quam gloriosa est, Domine, societas in regno caelorum, dum epulantes gaudent convivae sine [fine] in mensa tua super frumento, vino et oleo nec ultra esurient.*

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virginum sacrarum
Adoremus Christum
Regem regum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Viam iustorum
Dominus plantavit suorum,
Dum iuxta aquarum
vincit Ursula frenum poenarum.
2. Praeceptum Domini
praedicantes ac mandatum,
Romam venientes
papam visitarunt.
3. Dominus has virgines
mire ditavit,
Ad stadium caelorum
lenissime has vocavit.

Responsoria.

1. Ursula praeclara
tu nasceris ex alta Sara,
Unda sacra[ta]
cum esses purificata,
Idolis spretis
laetaris iam cum beatis,
V. Dei tu cella
mellis, vinea, rubea stella.
2. Ursula speciosa,
tu sponso vernula rosa,
Sequeris [Christum]
miserum spernens mundum istum
V. Oleo retento,
apud sponsum nostri memento.
3. Ursula benigna,
virginum flos, suscipe, digna,
Preces tuorum,
iunge sociis supernorum,
Cum quibus laetaris
semper et in aevo bearis;
V. Ad limina sanctorum
ducunt agmina virginum chorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Voluntate bona
protectae luminis scuto
Iuste coronantur
positae nunc in loco tuto.
2. In universa terra
merita sanctorum pretiosa,
In Rheno trucidatae
gaudent nunc laureatae.
3. De habitaculis iustorum
hae sanctae virgines laetantur,
Sanguine Coloniae
fuso interficiuntur.

Responsoria.

1. Ursula devota,
sequuntur te agmina tota
Ad papam Urbanum,
regem spernentes profanum,
Christo ut iungantur,
apostolos visitare conantur,
V. Quia sic altissimo
[Domino] placuit Deo nostro.
2. Ursula, tu mitis
dulcis et es Sunamitis,
In cella Christi
sedem tuam posuisti,
Illuc duc servientes
tibi mundoque gementes,
V. Ut tecum Colonia
quiescamus patria sancta.
3. Ursula regina,
te laudant agmina trina
Martyrum, confessorum
ac virginum sacra[ta]rum,
V. Caelo quos iungis,
ubi cantant carmina laudis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae

1. Ursula columba,
cum angelis tunc laetaris,
Meritis gloriosa
caelo coronaris.
2. Regis gloriae
portas tu introisti,
Hostem et mundum
cum carne vicisti.
3. Omnes in Domino
laetamini recti corde,
Quorum peccata
deleta sunt cum sorde.

Responsoria.

1. Ursula mansueta
ducitur ad victimam laeta,
Ut nec praeceptis
regis alliciatur ac minis,
Morte dira [bona]
Christi consequitur dona;
V. Et victima Christi
mundum hunc supera[vi]sti.
2. Ursula beata
duc nos [quoque] ad dona grata,
Quo sponso tuta
inniteris ut columba
Corpore vulnerato
martyrio consummato,
V. Sis nobis, sponsa,
pia ad sponsum advocata.
3. Ursula laetabunda,
nostra tu gemebunda
Tolle et absterge
ac vincula nostra dele,
Ut liberi a peccatis
regno sociemur claritatis,
V. Ubi [nunc] gaudes,
cum sponso organis plaudes.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ursulam decore
induit Dominus et honore,
Sponsam dum pavit,
fide cinctam et ornavit.
2. In laetitia Domino
omnes fideles servite,
Cuius conspectu
dicunt omnes: iubilate.
3. Ad Dominum vigiles
cuncti convertite mentes,
Ursulam vigilem
voce cordis implorantes.
4. Omnia opera
Domino tunc benedixerunt,
Virginum spiritus
caeli dum susceperunt.
5. Deum in caelis
laudet mens fidelis,
Christus quia Ursulam
suam coronavit sponsam.

Ad Benedictus.

A. Ursula, lucens salus,
miserorum a turbine mundi
Libera servos
tuorum, oleo effuso
Sequeris digne
sponsum virginibus cum sacris,
Contemnens mundum istum,
Nobis miserrimis
in valle lacrimarum
Fove precibus
numeroque ancillarum.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ursula in sanctorum
locata splendore iustorum
Cum suis plaudet,
angelorum choro gaudet.
2. Generatio rectorum
benedicetur, Christe, tuorum,
Ursulam recto corde
reperis quoniam sine sorde.

3. Cum exsultatione
venient iubilando
Hae sacrae virgines
pro bonis supplicando.

4. Iustae tuo nomini,
Domine, confitebuntur,
Cum tuo vultu
gaudent et laetabuntur.

5. Filiae Sion
hodie Dominum laudabant,
Canticum novum
sonoris hymnis cantabant.

Ad Magnificat.

A. Ursula summi regis
filia decora,
Suavis et mitis,
praeclara et honesta,
Peccatis foedati
te supplices exoramus,
Mundo quoque pigri
laudes tibi canamus,
Christo ut iungas,
in mari (mundi) periclitatos
Ad tuas excubias
ducas cum beatis.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — In 1. Vesp. **A** 4, 4 ense patiuntur. — **R**, 3 Dira. — In 1. Noct. **R** 2, 4 misericis spernens. — **R** 3, 8 ducuntur agmina virginum tuorum; lies: ducunt agmina, virgo, tuorum? — In 2. Noct. **A** 1, 1 Voluntati boni. — **A** 1, 2 protecti. — **A** 1, 4 positi. — **A** 2, 3 trucidati. — **A** 2, 4 laureati. — **A** 3, 3 sq. fuso Coloniae. — **R** 1, 6 Lies Romam visitare oder Sanctos visitare? — **R** 2, 2 et sona mitis. — In 3. Noct. **R** 1, 7 Lies Ut victima? — **R** 3, 5 sq. Lies Ut liber peccatis regno socier? — In Laud. **A** 1, 3 pascit. — **A** 4, 1 Iusti. — Ad Bened. **A** ist durch und durch verdorben. — In 2. Vesp. **A** 1, 4 plaudet. — **A** 2, 4 lies reperis quia sine? — **A** 5, 4 sonoribus.

85. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

R. O praeclarae margaritae,
In supremo poli sitae,
Regi vitae iam unitae,
Nobis piae subvenite
Virgines,
V. O domnae gratae,
sponsae Domino sociatae,
Luce coronatae,
caelesti sede locatae.

Ad Magnificat.

A. Sponsus pulcher prae omnibus,
Rex et sponsus virginum,
Candidatis virginibus,
Purpureis per gladium,
Suum iunxit conubium,
Caeli iungendo civibus
Per passionis bravium
Super astris invexit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultent omnes hodie
Collaudando Dominum,
Qui summae stola gloriae
Coetum sacratum virginum
Decoravit eximie.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Diversis mundi partibus
Virgines quaeruntur,
Virginis aspectibus
Ursulae traduntur
Imbuendae.
2. Undenis milibus
Coetus consecratur,
In Dei legibus
Semper meditatur.

3. Spectaculum pulcherrimum
Turbae speculantur,
Coetum quod sanctissimum
Valde venerantur.

4. Ursula, virgo regia,
Moribus ornata,
Vera docta scientia
Verbi sparsit sata.

5. Mens earum dedita
Laudibus divinis,
Legi Dei subdita
Non terrentur minis.

Responsoria.

1. Virgo sancta pollicetur
Assentire nec veretur
Regi se copulari,
Si virginum coetus detur,
In quo crimen non habetur
Nec potest notari,
In consensu pari;
V. Virgineus coetus
adducitur undique laetus.

2. Munditia castitatis
Glutinoque caritatis
Conglutinantur virgines
Verae luci claritatis
V. Formaque sanctarum
monstrat bona virtus earum.

3. Elegit Deus nova bella,
Contra mundi principem
Pugnavit aetas tenella,
Vitam ducens caelibem
Cum puellis et puella
In hunc mundi tramitem.
V. Mundum spreverunt
et gaudia caelica quaerunt,
Sexum vicerunt
quia fortes mente fuerunt.

4. Inter sanctas speciosa
Fuit nomine Pinnosa,
Virgo flagrans velut rosa
Et inter mundi spinosa
Odorem fudit fragrantem,
V. Instruit haec mentes
sociarum recta sequentes.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exercitus virginum
Fortiter pugnantes
Ducem habent Dominum,
Ipsum imitantes
Sursum levant animum
Sursum contemplantes.

2. Amant Christum, mundum istum
Prorsus spernunt, quia cernunt
Penitus
Esse vanum et profanum,
Caelum quaerunt, mente gerunt
Dona sancti spiritus.

3. Mira Dei potentia,
Quae per mundi debilia
Mundi vicit fortia.

4. Naves scandunt, ore pandunt
Laudem creatori,
Inter undas maris mundas
Preces dicunt, benedicunt
Omnium rectori.

5. Gaude, mater ecclesia,
Oportet te gaudere,
Ad caelorum gaudia
Virgines pervenere.

6. Gaudent in caelis virgines
Sociatae,
Quae Christi vestigia
Imitatae
Ardenter pro eius amore
Sanguinem suum fuderunt
Ideo cum Christo regnare
Meruerunt.

Responsoria.

1. Rex Hunnorum impius
Virgines trucidavit,
Quas virginis filius
In caelo coronavit,
V. Christus dilectas,
virtutum culmine tectas.

2. Gaudet chorus caelestium
Consortio sanctarum,
In capite gestantium
Diadema praeclarum,
Quibus non deest lilium
Nec purpura rosarum,
V. Angelico more
fulgent ingenti decore.

3. Erubescite barbati,
Vitiorum ense strati,
Nam virginum candidati
Exercitus pugnaverunt
Et palmam promeruerunt;
V. Pectore sub fragili
certarunt corde virili.

4. Fulget dies laetitiae,
Virginum chorus hodie
De mundo triumphavit,
Quem super thronum gloriae
Totius rex iustitiae
Christus exaltavit,
V. Virgineus coetus,
divino robore fretus,
Coetibus angelicis
propriis sociatus amicis.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Descendit sponsus in hortum
Virginalium cohortum,
Aromata messuit
Ipsaque reposuit
In horreo caelesti.

Responsoria.

1. Per sexum femineum
Pectus frangens ferreum
Daemon viro dominatur,
Item per virgineum
Exercitum niveum
Iam omnino conculcatur.
V. Constanter, Christe,
moriens exercitus iste
Pro te certavit
nec te moriendo negavit.

2. Te, Christe, laudent omnia,
Qui solus mirabilia
Non cessas operari,
Tu membra virginalia,
Non ense, sed constantia
Docuisti bellari,
Has facis morte praevia
Ad caelorum palatia
Tecum sublimari:
V. Te dilexerunt,
te semper concupierunt,
Hasque tibi soli
iungis in arce poli.

3. O praeclarum cor sanctarum
Dignumque laudari,
Beatarum coetus harum
Indoctus bellari
Hostis trucis signo crucis
Caput amputavit,
Quas honore et decore
Christus coronavit;
V. Magnum tormentum
patiuntur more bidentum,
Murmure nec resonat
gladioque corpora donat.

4. Virginali sanguine
Tellus irrigatur,
Animarum lumine
Polus illustratur;
O praeclarae domina e,
Vos mundus precatur,
Ut vestro munimine
Christus amplectatur,
Sancto quarum agmine
Colonia laetatur.
V. Vestris magnificis
meritis, petimus, relevari,
Coetibus angelicis
meruistis quae sociari.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. O certamen, o luctamen
Beatarum feminarum,
Mundum vincunt, quia linquunt

Vivunt vita concupita
In aeternum.

Ad Benedictus.

A. Hodierna laetitia
Mundus illustratur,
Qua caelestis curia
Valde iucundatur.
Virginitatis lilia
Sponsus amplexatur,
Nuptiarum convivia
Celebrat nunc ecclesia,
Thalamus locatur,
Sponsus decorus gloria,
Sponsus daturus praemia
Sponsis sociatur.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Increpans ventos et mare,
Qui gubernat omnia,
Non desistit gubernare
Sanctas inter maria.

Ad Tertiam.

A. Per passionis gladium
Vocat Christus ad bravium
Electas bellatrices,
Quas suum per auxilium
Fecit esse victrices.

Ad Sextam.

A. Pius coetus et quietus
Virginum
Romam tendit, quo rependit
Laudem luci luminum.

Ad Nonam.

A. Per mortem duram
Vitam securam
Possident semper mansuram.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet virginum chorus,
Assumptus in gloria,
Quibus est vultus decorus,
Luce splendens nimia,
Immaculatusque thorus,
Speciali gratia
Christo iunctus in patria
In aeternum.

Brev. ms. Cistercien. Italic. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 343. — In 1. Noct. **A** 2, 3 In fehlt. — In Laud. Ad Bened. **A**, 7 convivia hlt. — Ibid. 8 celebrat fehlt. — Ad Sextam **A** 2 virginem.

86. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Iesu, corona virginum,
Qui pascis inter lilia,
Saeptus choreis agminum
Canentium subtilia,
Virgineum tripudium
Nos tua cum familia
Da cernere post terminum
Cursus et haec flebilia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In rege suae gloriae
Sion exsultent filiae,
Qui iubilum laetitiae
Caelo invexit hodie.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Novum creans super terram
rex creator omnium
Statum quendam supernorum
repraesentat civium.

2. Quae nec nubent nec nubentur,
angelis sunt similes,
Soli Christo, sponso suo,
adhaerentes virgines.

3. Dum in carne praeter carnem
vivunt, carnis vitia
Trucidantes immortali
vitae dant praeludia.

Responsoria.

1. Notus Deus in Iudaea
Terrarum per ambitum,
Nomen eius est ab ea
Diffusum magnificum,
Stirpe ductum quod a rea
Reis est sanificum,

V. Nomen eius
effusum oleum,
Amoris est
puellis vinculum.

2. Unguentorum in odore
Oleo iucundiore
Uncti prae consortibus
Pari virgines fervore
Aciei currunt more
Undecim in milibus;

V. Huius unctione tractae
nec marinos vertices
Obstupescunt, quos abhorrent
docti quique remiges.

3. Decem prudentes virgines,
Fide, forma formosae,
Ortu, virtute nobiles,
Amore viscerosae,
Sub Ursula sunt pariles
Electae quasi rosae;

V. Adiunctis plene singulis
Mille virginibus
Fit acies terribilis
Pudoris hostibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hoc in sexu fragili
Et per infirma mundi
Dominus in facili
Vult fortia confundi.

2. Patet hoc in Ursula
eius ac sodalibus,
Procul a Britannia
bellum adornantibus.

3. Nova bella Dominus
Disponens in puellis,
Ad conflictum eminus
Direxit in procellis.

Responsoria.

1. Quasi rosae transplantatae
Super rivos fluminis
Sponsae pausant delicatae
In amoeno litoris.
Mari, ventis agitatae
Locum ad certaminis;

V. Ventum suis de thesauris
mox producens Dominus,
Per marinos fluctus Rheni
invehit gurgitibus.

2. Isto mundo derelicto
Carnis rident iacula,
Nescientes in delicto
Thorum, absque macula
Totae pulchrae, sponso Christo
Fide nubent patula;

V. Vitiorum
calcato fomite
Angusti callis
currunt in tramite.

3. Mirabilis militia
Exercitus virginei,
Armata pudicitia
Carnis et cordis nivei,
Laetatur in saevitia
Percutientis mallei;

V. Turbam in virgineam
rabies Hunnorum
Saevit in ovilia
lupi ut agnorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Signorum hoc initium
Ostensum est virginibus,
Quod per diei spatium
Et noctis Rheni fluctibus
Invehuntur dulcibus.

2. Metropolim Germaniae,
Coloniam egregiam,
Futurae cives advenae
Cernentes figunt ancoram.

3. In portu quasi lilia,
Quae sunt in aquae transitu,
Undena salva milia
Quiescunt absque strepitu.

Responsoria.

1. Caede peracta virginum
Lictorum exterminium
Mox virtus ultrix scelerum
Persequitur divina,
Nam trucidatis similes
Se persequentes acies
In armis albis agiles
Gens cernit belluina;

V. Nutu Dei
fugatis hostibus
Pax redditur
concussis civibus.

2. Felix tellus,
felici sanguine
Quae roseo
madens ut flumine
Virgineo
dotatur agmine;

V. Extunc humus ossium
Custos beatorum,
Non admisit reliquum
Corpus defunctorum.

3. Haec est dies,
quam fecit Dominus,
Dies festus
caelorum civibus,
In qua nova
lux orta tristibus,
Pax terrenis,
laus sit caelestibus.

V. Puellari de triumpho
laudem canunt angeli,
Civitati pace data
gaudent cives singuli.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnans regnat Dominus,
Mundo factus comminus
Carnis per materiam
Quam traxit de virgine,
Virginum in agmine
Ludens multifariam.

2. Omnis terra iubilet,
Iubilando celebret
Festum virginale,
In quo canit curia
Virginum de gloria
Melos triumphale.

3. Ante lucem Dominum
Lucis coetus virginum
Exspectans cum lumine,
Ad agni convivium,
Dum est patens ostium,
Intrat laeto carmine.

4. Benedicant omnia
Sua Deum opera,
Bonus quia Dominus,
Angelorum ordines
Caelum, tellus, homines
Et quod his inferius.

5. Bonum canamus canticum,
Laudantes caeli dominum,
Qui facit mirabilia.
Iuvencularum virginum
In tympano canentium
Laus eius in ecclesia.

Ad Benedictus.

A. Assint caeli philomenae,
Ut concordis cantilenae
Resonemus vocibus

Laudis turmae tam serenae,
Sion arce quam amoenae
Collocavit Dominus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O victrices, amatrices
Serenorum cordium,
Quarum cinis sic affinis
Terrae sacrat gremium,
Quod exosi venenosi
Non paret vestigium,
Nos ad polum vitae solum
Transferte per meritum.

Brev. Grassense imp. s. l. et a. (1528). A. — Antiph. ms. Dominican. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Mus. Bononien. 4. B. — In B ist das Officium stark mit Teilen aus dem vorhergehenden Officium alteriert. — In 1. Vesp. hat B folgende A super Ps.:

Lauda Deum tuum,
devota Colonia,
Qui te laude fecit dignam
per undena milia
Virginalis coetus tibi
missi de Britannia.

In 1. Noct. AA aus dem vorhergehenden Officium B; ebenso R 1 und 2. — In 2. Noct. AA die der ersten Nocturn B. — R 1 Istae mundo etc. — R 2 entlehnt. — In 3. Noct. A 1 Metropolim Germaniae B. — A 2 In portu quasi lilia B. — A 3 entlehnt B. — R 1, 5 trucidans A. — R 1, 12 conciusis A. — R 1, Felix tellus B. — R 2 entlehnt B. — R 2, 5 Virginum A. — R 3, 6 orta est A. — In Laud. AA fehlen B bis auf einen Teil der letzten. — Ad Bened. A entlehnt B. — In 2. Vesp. Ad Magn. A 1 o matrices. A. — Ibid. 3 civis sic affinit A. — Ibid. 5 Quos A. — Ibid. 6 parit. Hymnus: Chorus novae Ierusalem A (Anal. XII, 253).

87. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laudate, puellae, Dominum,
Collaudate, omnes populi,
Anima, compone iubilum
Psalmi boni, laetum cantici,
Lauda Ierusalem optimum,
Assunt magni festa gaudii.

Ad Magnificat.

A. Cum sancta matre virgine
Sacra plaude, Ursula,
Et tecum tuae sociae,
Spiritu et anima
Magnificate sapide
Dominum per saecula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Agnum, sponsum virginum,
Adoremus Dominum,
Iesum Christum floridum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex ore sacro virginum
Iesu nomen praedicatur,
Et exemplo demonstratur,
Quod Dominus est omnium.
2. Caelo caeli puriores
Divinam laudem nuntiant,
Dum hi per orbem rutilant
Cum Ursula splendores.

3. Haec casta generatio
Pie Dominum requirit,
Montem caelicum acquirit
Sed magno cum solacio.

Responsoria.

1. Ortum ducens regium
Nata baptizatur,
Dei per praesagium
Ursula vocatur,
Quia magna virium
Iam praevidebatur;
V. Eva mater procreatur,
Viro suo praesentatur
Atque virago vocatur.
2. Venustas pulchra Ursulae
Diffunditur per climata,
[Filius] Regis Angliae
Requirit haec coniugia,
Sed florem pudicitiae
Servat habens iocalia;
V. Pulchra nimis adamatur,
Sera cum peregrinatur,
Viri domum transportatur.
3. Maestum patrem consolatur
Virgo prudens Ursula,
Regis voto annuatur,
Simulat sponsalia,
Non terrena [haec] causatur,
[Sed] diva per saecula;
V. Rebecca tradit poculum
Viro et iumentis
Paratque hospitium
Et lenit blandimentis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dextram tenuit regina
Spreta vanitate,
Ardens [flamma] Cherubina
Plena varietate.
2. Impetus per fluminum
Ducit turmam virginum,
Trahit ad spectaculum
Laetum coetum omnium.
3. Iactavit fundamenta
In monte deitatis
Sprevitque fomenta
Babylonis civitatis.

Responsoria.

1. Aetherea aethereum
Iubet baptizari
Et turbam multam virginum
Poscit sibi dari,
At ille subdit animum,
Ut possit copulari;
V. Rachel meruit amari
Et a viro praedotari,
Decet illum subiugari.
2. Agmen ducit virginum
Caelica regina,
Fingit fugam navium
Bellaque marina,
Est et hoc praeconium
Gloria divina;
V. Maria pulsat tympanum
Mari transvadato,
Laudisque sonat canticum
Hoste iam prostrato.
3. Sub vexillo angelorum
Cum catena puritatis
Ductrix sancta procliorum
Hostem sternit sanctitatis,
Haec est palma superorum
Et ruina pravitatis;
V. Bella gentis Iudaeorum
Gerit Debora ducissa,
Stravit agmen iniquorum
Et est facta prophetissa.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hostias puras tollite,
Virgines, Iesum vocate,
Christo vos sacrificate
Et donum eius colite.
2. O vos terrestres angeli,
Iesum Christum adorate,
En, ad haec estis vocatae
Pro festo Sion gaudii.

3. Immensa mirabilia
Fecit Deus noster magnus,
Trahens sibi nuptas agnus
Florum undecim milia.

Responsoria.

1. Cum sua turba pariter
Ad caput orbis graditur,
Salutis causa capit iter
[Virgo] sicque concluditur,
Pater favet celeriter
Et constans ipsam sequitur;
V. Hesther regni ad solium
Vadit, ut salvet populum,
Quod pandit per eloquium.
2. Creta turba magnis viris
Ad triumphum pergit sponte,
Ferit hostis modis diris
Statque Ursula in fronte,
Coronatur palmis miris
Cum suis in sancto monte;
V. Holofernem Iudith fortis
Stravit nece durae mortis
Et laetatur gratae sortis.
3. Gaudeamus exsultantes
Assunt agni nuptiae,
[Sunt] hae sponsae rutilantes
Nunc in regno gloriae.
Iubilemus conclamantes
Canticum laetitiae;
V. Iudas magnus Maccabaeus
Ducit sponsam vir Iudaeus,
Laete qua laudetur Deus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Qualis est dilectus tuus,
O pulchra mulierum,
Qualis est dilectus Deus?
Et quaeremus tecum verum.
2. Gaudens in Domino,
Ornata monilibus.
Iubilabo animo
Cum sanctis virginibus.
3. Sunt enim virgines,
Agnum quae sequuntur,
Et Deo virgines
Sibi assistuntur.
4. Angeli dominici.
Deo benedicite,
Terrestres nunc, caelici,
Hymnum Iesu dicite.
5. Iuvenes et virgines,
Dominum laudate.
Iuniores et senes,
Canticum dictate.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sit Dominus,
Qui visitavit et vocavit
Has virgines ab eminus,
Coronavit et locavit
In pace sibi comminus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Esurientes, Iesu, donis.
Beatam Ursulam [cum]
ceteris
Replens nunc in caelis bonis
Rex virginum, cum angelis,
Participes quarum coronis
Earum simus meritis.

Brev. ms. Praedicat. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B. VI 5 (1182). — In 1. Noct. **A** 3, 3 caelicum et eaquirit. — **R** 2, 8 Seratum peregrinatur. — In 2. Noct. **A** 2, 1 flumina. — In 3. Noct. **A** 2, 4 Proferto Sion. — **R** 1, 3 eine Silbe zu viel; **R** 1, 4 fehlen zwei Silben. — **R** 1, 5 Lies: Papa favet. — In Laud. Vor der ersten **A** liest man: Sapientia misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis (Prov. 9, 3). — **A** 3, 3 sq. verdorben. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 2 erhält durch cum eine Silbe zuviel; dasselbe wird aber vom Sinn gefordert.

88. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Flores nitent
candore niveo,
Emicantes
ut grata lilia,
Et coruscant
robore roseo,
Pulchre iuncta
gratiae gratia,
Dum ornatae
rore sanguineo
Virginali
vernant munditia.

2. Rex Notus Britanniae
Natam generavit,
Quae se regi gloriae
Voto dedicavit.

3. Agnum sine macula
Virgines laetantes
Sequuntur cum Ursula
Carmen modulantes.

4. Totus delectabilis
Christus et suavis
Amor, quo fit facilis
Labor cursus gravis.

5. Regis amor
decorem virginum
Mundum servat
a labe criminum
Et laborem
mulcet certaminum.

R. In caelesti iam gloria
Sanctissimarum virginum
Fulgent undecim milia,
Quae sertum gerunt germinum,

V. Incorruptae
carnis obsequium
Obtulerunt
atque martyrium.

Ad Magnificat.

A. Fructus novus
intacti uteri
Virginalem
sacravit gratiam,
Ut ablato
vitio veteri
Grato flore
ornet ecclesiam,
Haec Ursulam
angelis inseri
Digne fecit
et turbam sociam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem laudemus Dominum
Pro iucunda victoria,
Qui coetum ornat virginum
Binae coronae gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hortus virens et floridus
Omni redundans gratia,
Coetus virginum candidus
Sequens agni vestigia.

2. Sancta virgo Ursula
Saeculum abegit,
Agnum sine macula
Sponsum praeelegit.

3. Tenens scutum fidei
Cor suum firmavit,
Se regis siderei
Cultui dicavit.

Responsoria.

1. Ad caelestis
sponsi contuitum
Totum levans
Ursula spiritum

Caelibatus
firmat propositum
Omnem mundi
abdicans ambitum,
V. Gaudium saeculi
reputat gemitum
Et laudem populi
ventorum sonitum.

2. Nobilitas
et decor virginis
Sensus mentis
et morum gratia
Diffuderunt
gloriam nominis
Et puellae
grata praeconia.
V. Velox sonat
haec laus in Anglia,
Rex pro nato
petit conubia.

3. Spe concepta
de Dei munere
Audet virgo
patri consulere,
Ut se sponso
spondeat tradere
Pollicenti
se Christum colere;
V. Spondet gratis
mox arto foedere
Regis natus
fidem recipere.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Accessit haec condicio,
Ut puellarum contio
Numeri millenarii
Detur sub spe coniugii.

2. Cuncta libens
iuvenis adnuit,
Ac trieres
pater instituit,
Prout virgo
Ursula voluit.

3. Regiones dum undique
Gyrant, concurrunt agmina
Virginum, petunt denique
Apostolorum limina.

Responsoria.

1. Inspiratus
papa divinitus
Martyrium
praesciens caelitus,
Factus almi
ductor exercitus,
Praesulatum
reliquit penitus;
V. Sociatur
his coetus praesulum
Passionis
sumpturus titulum.

2. Vadit sic Christo praevio
Totus coetus Coloniam,
Ubi constanti proelio
Coronae cepit gloriam;
V. Iugum sprevit
sponsa coniugii,
Caelum scandens
cursu martyrii.

3. Rex caelestis admonuit
Regis Anglorum filium,
Sponsae, quam prius voluit,
Ne requirat coniugium,
Ut post hanc pergat, docuit,
Perfecturus martyrium;
V. Gratus pergit
et voluntarius
Sponsus Christo
parere promptius.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iuvenis beatus,
Qui nuptiis spretis
A Christo vocatus
Iunctus est athletis.

2. Novo bello Ursula
Superavit mundum,

Blandi calcans vincula
Spernens furibundum.

3. Iugum cum incredulo
Respuit subire
Meruitque iaculo
Felix interire.

Responsoria.

1. Bonum egit
certamen Ursula,
Quae contempsit
mundi fastigium,
Nulla prorsus
sensit piacula,
Pro virtute
sumpsit martyrium,
V. Vocans ad caeli praemium
Copiosum consortium.

2. Sanctus vita,
fama clarissimus,
Cyriacus,
pastor ecclesiae,
Nutu Dei
gregem, quem colimus,
Dux ad urbem
duxit Coloniae;
V. Sacer quoque
cuneus praesulum
Est adiunctus
ad laudis cumulum.

3. In supernis fulget choris
Sacrarum coetus virginum,
Deo psallens cunctis horis,
Quarum dulcedo carminum
Sanctis competit decoris,
Ignaris labis criminum;
V. Tota gaudet haec contio
In almae matris laudibus,
Cuius est nupta filio
Et decorata dotibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Haec est laeta festivitas,
Qua decorem ecclesiae
Auget virginum claritas,
Splendens fulgore gloriae.

2. Ornatus egregius,
Candor virginalis,
Quem decorat gratius
Cruor triumphalis.

3. Nova haec militia,
Qua infirmus sexus
Forti patientia
Vicit mundi nexus.

4. Oleum virginibus
Sacris abundavit,
Nuptiis regalibus
Ipsas sociavit.

5. Regnant beata agmina
Virginum in caelis,
Quae vicerunt certamina
Saeculi crudelis.

Ad Benedictus.

A. Sacris totus
orbis virginibus
Laetus psallat
undecim milibus,
Quas Ursula
miris virtutibus
Christo fecit
subditas laudibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ad honorem virginum
Cantet plebs fidelis,
Instans apud Dominum,
Ut horum tutelis
A cunctis nos criminum
Mundet corruptelis
Et post vitae terminum
Coronet in caelis.

Brev. ms. S. Sepulcri saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parmen. Palat. 186. A. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 354 (787). B. — In 1. Vesp. **AA** super Ps. stehen in 2. Vesp. B. — **A** 1, 7 Pulchra B, vita A. — **A** 1, 8 gratia gratiae A. — **A** 1, 11 sq. Virginalis munditia vernat B. — **A** 2, 1 Nochus A (sonst Deonotus genannt). — **A** 4, 4 pugnae gravis B. — **R** fehlt B. — Ad Magn. **A**, 5—8 in B:

Martyrem mundans a labe uteri (lies veteri)
Et decorans ut aulam regiam.

Ibid. 10 angelicis B. — Ibid. 11 et trabeam sociam. B. — Ad Matut. Invit. 1 collaudemus B. — Ibid. 2 Provocantem ad proelia B. — Ibid. 3 ornat fehlt B. — In 1. Noct. **A** 1, 2 Mira redundans B. — **R** 1, 8 abdicens B. — **R** 2, 3 Et sensus B. — **R** 2, 9 sonent A. — **R** 3, 8 credere B. — **R** 3, 9 sqq. in B:

V. Sic vocatus virginis opere
Natus regis spondet se credere.

In 2. Noct. **A** 2, 3 Aceries pater B. — **A** 3, 1 dum fehlt B. — **A** 3, 2 concurrunt undique agmina B. — **R** 1, 4 praenoscens B. — **R** 1, 5 Sanctus almi B. — **R** 1, 10 et his B. — **R** 2, 2 Coloniam fehlt B. — **R** 2, 5 Iustum sprevit B. — **R** 3, 4 Ne quaerat B. — **R** 3, 7 pergit ad martyrium B. — **R** 3, 10 promptius fehlt B. — In 3. Noct. **A** 3, 1 cum fehlt B. — **R** 1, 6 sentit B. — **R** 2, 1 Sanctus fama B. — **R** 2, 2 vita clarissimus B. — **R** 2, 11 Est fehlt B. — **R** 2, 12 ad laudis titulum B. — **R** 3, 10 doctibus A; das ganze **R** lautet in B:

R. In supernis fulget choris
Chorus sacrarum virginum,
Psallens laudibus [sonoris]
Laeta(n)tur ante Dominum,
Nullis prorsus cessat horis
Grata dulcedo carminum;
V. Tota cedit laus honoris
In almae matris gloriam,
Cuius natus dat decoris
Sacris puellis gratiam.

In Laud. **A** 1, 2 Quae AB. — **A** 2, 3 Quae decorant A. — **A** 3, 4 Vincit B. — A 4, 4 Ipsis B. — **A** 5, 3 Qui vinxerunt A. — Ad Bened. **A**, 1 totus fehlt A. — Ibid. 3 Laetus fehlt A. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 2 sqq. fehlen A.

89. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Agmina caelica dant
iubilamina cunctipotenti,
Virginibus sacris
qui praestat gaudia caeli.

R. Ursula perpendens
pro Christo dilaniari
Omnes concives
dat grates omnipotenti,

V. Sanguine sacrato
stagnabant undique campi.

Ad Magnificat.

A. O quam felices,
proprio qui sanguine tincti
Virginibus sacris
meruerunt adnumerari.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus salvatori Deo,
In quo vivunt beatae
Virgines et martyres.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Purpureos flores
caelesti rore madentes
Decreto Domini
famosa Britannia misit.
2. In cunis positae
baptismi fonte renatae
Et fidei verae
sunt legibus initiatae.
3. Has deitatis amor
sibi foederat ordine miro,
Dum retrahit mundo
festinat reddere caelo.
4. Tandem decursis
pariter puerilibus annis,
Ut Christo placeant,
tota virtute laborant.
5. Illam militiam
tunc Ursula sancta regebat,
Milibus undenis
constantem sorte beata.
6. Filia regis erat,
Britonum qui sceptra tenebat,
Dives opum, felix
qui tali prole vivebat.

Responsoria.

1. Milibus undenis
pro Christi nomine passis
Virginibus sacris
solvamus munia laudis,
V. Occurit sponsus
reddens sponsalia laetus.
2. Virginibus sacris
fit vox praenuntia mortis,
Signatur tellus,
gladius tortorque cruentus,
V. Pectora virginea
non frangunt talia dicta.
3. Clara Deo suboles,
communi laude ferenda,
In teneris membris
Domino servire studebat,
V. Haec generatio, florida natio
recta requirens.
4. Ecce, Britannia, mittit ad aethera
xenia clara,
Florida germina, labe carentia
sorte beata,
V. Civibus angelicis
sollemniter associata.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Agmina virginea,
sacro spiramine plena,
Terrea despiciunt
pro Christo cuncta relinquunt.
2. Accensis animis
pugnant cum principe mundi,
Quo iam devicto
currunt ad praemia regni.
3. Christi sponsae simul iunctae
Romam statim expetunt,
Hinc regressae Christo duce
Coloniam repetunt.
4. Ipsam urbem dux Hunnorum
obsidebat graviter
Ferro, flamma, fame cuncta
populans hostiliter.
5. Sicut oves lupi graves
non parcentes strangulant,
Sic, sic Hunni sponsas Christi
occidentes iugulant.
6. Agrippinenses
simul omnes exsilientes
Corpora sacra legunt
et terrae concito condunt.

Responsoria.

1. Clara Colonia dulcia pignora
laeta meretur,
Sanguine sanctarum
roseo super astra locatur,
V. Illas qui sequitur,
qui corde pio deprecatur.

2. Virgineos flores,
varios quae fertis honores,
Vincere quae nostis,
sed vinci non valuistis,
Reddite placatum
nobis, quem semper amastis,
V. Iam vox nostra sonat
nova cantica laude sonora.

3. Ducitur ante ducem
flos Ursula virginitatis,
Eius coniugium
dux expetit, respuit illum;
V. Regna, potestates,
claros spondebat honores.

4. A virgine se contemni
dux infrendens barbarus,
Dat decretum, quo regina
plectatur celerius,
V. Et sagitta mox percussa
caelum subit Ursula.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Hortus sponsarum
divinum spirat odorem
Et cor virgineum
caelestem semper amorem.

Responsoria.

1. Virginitatis honor,
decus ecclesiae patriaeque
Libertas capitur,
truncatur, dilaniatur
V. Hunnorum gladiis
grex floridus atque fidelis.

2. Virginei coetus,
centeno fenore fructum
Dum referunt, fuso
sanguine celsa petunt,
V. Ecce, puellarum
sacra corpora dum laceran-
tur.

3. Inter naves sacra virgo
Cordula delituit,
Sed in luce subsequente
morte vitam repperit,
V. Sanguine mox proprio
pro Christi nomine fuso.

4. Virgineas mentes
praevenit spiritus almus,
Has sibi mundavit,
mundando sanctificavit;
V. Victrices mundi
felici dote laetantur.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Sacra dies nobis
illuxit virtute celebris,
Qua sponsae Christi
devicto principe mundi
Sanguine perfusae
paradisum promerueruut.

Ad Sextam.

A. Virgineae mentes
perflarunt indole multas,
Iungantur superis
voto vitaque beatae.

Ad Nonam.

A. Ferro caesae caenum ponunt,
Recto gradu caelos petunt
Christum Deum iam visurae
Et cum ipso permansurae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virginibus caesis
et passim dilaniatis
Gens fugit infida
superum pugnante caterva.

Brev. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisin. 17994. A. — Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761). B. — Brev. ms. Choquense saec. 14. Cod. Bollandian. s. n. C. — Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Laudunen. 256. D. — Brev. ms. S. Mariae Trimmen. saec. 15. Cod. Coll.

ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 12. E. — Brev. ms. Nemacense saec. 15. Cod. Roman. 1188 (Sessor 137. F.). — Brev. ms. Victorinum saec. 16. Cod. Parisin. 14814. G. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1556. H.

In 1. Vesp. Super Ps. 5 **AA**: 1. Christi sponsae simul iunctae etc. EG; 2. Ipsam urbem dux Hunnorum etc. E; Sicut ovem lupi graves etc. G; 3. Sicut ovem lupi graves etc. E; Ferro caesae caenum ponunt etc. G; 4. Ferro caesae caenum ponunt E; Virginibus caesis et passim dilaniatis G; 5 Virginibus caesis etc. E; Ipsam urbem dux Hunnorum. G. — Ad Mag. **A** prosaisch EG:

O clemens deitas, tibi psallentium
Voces ne aspernaris, quaesumus,
Cum laudes sanctarum
Annuas recolimus virginum,
Quae tuo munere triumphantes saeculum
Cum palma martyrii hodie
Meruerunt ingredi thalamum,
Ubi magnificant nomen tuum
In aeternum.

Ad Matut. Invit. Agnum sponsum etc. EG. Regem virginum etc. F. — In 1. Noct. Ordnung der nichtmonastischen Breviere: **AA** 1 Purpureos flores; 2 In cuius positae; 3 Has deitatis amor. **RR** 1 Ecce Britannia; 2 Virginibus sacris; Millibus undenis. F dagegen: 1 Ursula perpendens; 2 Ducitur ante ducem; 3 Ecce Britannia. — **A** 1, 3 De croco Domini G. — **A** 2, 4 legibus nuntiatae F. — **A** 3, 1 Hanc deitatis. — **A** 5, 2 Ursula sorte regebat A. — **A** 5, 4 constante A, constanter G. — **R** 2, 6 talia detam G. — **R** 3, 1 subolis G. — **R** 4, 2 Exennia clara E, Sidera clara G. — In 2. Noct. Ordnung der nichtmonastischen Breviere: **AA** 1 Tandem decursis; 2 Illam militiam; 3 Filia regis erat. **RR** 1 Clara Dei suboles; 2 Virginitatis honor; 3 Virgineos flores. F dagegen: 1 Milibus undenis; 2 Virginibus sacris; 3 Virgineas mentes. — **A** 1, 4 cuncta fehlt G. — **A** 2, 3 Enim iam devicto G. — In 3. Noct. Ordnung der nichtmonastischen Breviere: **AA** 1 Agmina virginea; 2 Accensis animis; 3 Agmina caelica dant. F dagegen: 1 Christi sponsae simul iunctae; 2. Ipsam urbem dux Hunnorum; 3 Sicut oves lupi graves. — **RR** 1 Virginei coetus; 2 Clara Colonia; 3 Virgineas mentes. F dagegen: 1 Virgineos flores; 2 und 3 unleserlich. — **R** 2, 2 decus gloriae patriaeque G; ecclesiae pariterque A. — **R** 2, 3 Dum fehlt G. — **R** 3, 1 Inter natos A. — In Laud. **AA** prosaisch; ebenso die sonst fehlenden Teile. Die ursprüngliche (nicht monastische) Form des Officiums scheint nur die hexametrischen Teile zu begreifen. — Hiezu die Hymnen Anal. XII, Nr. 462, 463, 465.

90. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Nova bella virginum
Dominus elegit,
Ab extremis hominum
Quas sibi collegit.

2. Pugnant sexu fragiles
Caelitus imbutae,
Sed insuperabiles
Fidei virtute.

3. Beata militia,
Quae pro rege gloriae
De mundi malitia
Triumphavit hodie.

4. Non armis sed animis
Istas bellatrices
Effecit unanimis
Gratia victrices.

5. Fortiores hostibus
Feminae fuerunt,
Quae contemptis omnibus
Omnia vicerunt.

R. O beata virginum
Turma, quam divina
Illustravit gratia,

O olivae semper vivae,
Profluentes clementia,
Facite nos vere et sincere
Laudes vestras prosequi,
Ut post mortem sanctam sortem
Mereamur assequi.

V. Agite, o benignae,
Quod precamur,
Ut gaudere mereamur
In aeterna laetitia.

Ad Magnificat.

A. O flos campi
Et lilium convallium,
Iesu Christe, qui es sponsus
Et amator virginum,
Quam iucundum interesse
Semper tui conspectui,
Quem laudantes prosequuntur
Virginales cunei,
Ubi dulcis resonat melodia,
Virgo Ursula
simul cum Tamaria
Fequenter ingeminant:
Tibi, Christe, sit laus et gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ecce, nocte media
Factus est clamor:
Venit sponsi gratia,
Virginum amor,
Invitans filias
Secum ad nuptias,
Exite obviam
Ei ad gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tuo, Deus, nomine,
Quod est admirabile,
Sacrae promunt virgines
Melos ineffabile.

2. Harum voces audiuntur,
Quando Dei gloriam
Admirantur et loquuntur
Post belli victoriam.

3. Haec est generatio,
Quam virtutum Dominus
In caeli palatio
Summis iunxit civibus.

Responsoria.

1. Deonoto fuit nata
Placens cunctis, Deo grata
Ursula regalis,
Cuius mirae speciei
Plus mirandae fidei
Non erat aequalis;

V. Regi magno pulchra nimis
Desponsatur, dum instatur
Precibus et minis.

2. Virgo desiderium
Habens castitatis
Meditatur et miratur
Rem quasi mysterium
Suae voluntatis,

V. Deo secum disponente,
Quod tractabat firma mente.

3. Gloriosa trinitas,
Virginalis dignitas
In tua fulget gloria
Singulari gratia,
Tibi laus per saecula;

V. Sanctis nos socia,
factor, fautrice Maria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hominum prae filiis
Forma speciosum,
Circumsaeptum liliis
Regem generosum,
Regum laudant filiae.

2. Iuste Dei civitas
Est laetificata,
Cum tot sacra milia
Scandunt laureata
Thronum regis gloriae.

3. In aeternum has fundavit
Magnus et laudabilis,
Hora brevi quas prostravit
Tortor exsecrabilis.

Responsoria.

1. Vidit in somnis Dei virgo Ursula
Virum angelicae claritatis
Dicentem sibi: Romam omnes,
Ut vovistis, pervenietis,
Peractis votis huc iterum
Integro numero redietis,
Hic vero in Deo pausabitis.
V. Cervices vestras
Persecutori dabitis
Et per martyrii gloriam
Coronam iustitiae suscipietis.
2. Visionis Ursulae
Caelitus ostensae
Sacramento credulae
Simul inoffensae
Agone percurso confidunt
participes fieri coronae.
V. Caritate vulneratae,
Mori Christo sunt paratae.
3. In vasis suis oleum
Servant, in mentibus,
Dum surgunt nocte media
Electa sponso milia,
Praeelecto ex milibus
Occurrunt cum lampadibus.
V. Duc prece sanctarum
nos ad te, Christe, tuarum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Terram tuam, Domine,
Semper benedicis,
Quae laetatur hodie
Victis inimicis.
2. Fundamenta virginum
Montibus in sanctis
Collocata gladium
Non timent minantis.
3. Rectis corde gloria,
Iustis lux est orta,
Quarum in victoria
Mors perit absorpta.

Responsoria.

1. Verus pudicitiae auctor
et custos virginitatis,
Qui ex virgine natus
multos excitasti
Ad sanctum amorem
castitatis animos,
Qui es perpes
corona virginum,
Per merita
earum nos adiuva.
V. Fons vitae et origo
Totius bonitatis,
Duc nos ad portum salutis.
2. Istae sunt terribiles
Ut castrorum acies
Omnes ordinatae,
Quae tonsarum similes
Ascenderunt sanguinis
Unda dealbatae,
V. Ut columbae lacte lotae,
Sic revera pulchrae totae.
3. Iam triumpho potitae
virgines sanctae
Iam angelorum
choris admixtae,
Quaesumus, ut vestra
intercessione
Locus nobis
non negetur veniae,
V. Quoniam abundat iniquitas,
Iamque refrigescit caritas
Multorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus tribuit
his regnum salutis
Et eas induit
Decore virtutis,
Nam est laudabilis
Et sponsus nobilis.

2. Iubilate Deo,
Virgines sacratae,
Et nobis ab eo
Pacem postulate
Et suis ovibus
Pascuam omnibus.

3. Deus, vigilantes
Et in matutinis
Laudes tibi dantes
Sine fine finis
Rege fidelibus
Virginum precibus.

4. Benedicite Deum,
Viri laudabiles,
Et amate eum,
Feminae humiles,
Et in castitate
Vos semper servate.

5. Laudate Dominum,
Caelestes ordines
Et turbae virginum
Et omnes homines,
Ut salvet populum
Per omne saeculum.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, rex gloriae,
Qui palmam victoriae
Dedisti fragilibus
Et sexum sine viribus
Vincere fecisti
Daemonis virtutem;
Quarum precibus
Pie nobis supplicantibus
Tribuas salutem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O felix Germania,
Tam decoro germine
Virginum ornata,
Beata Colonia,
Pretioso sanguine
Martyrum dicata,
Vere iuste tu laetaris,
Quae thesauro super auro
Nobili ditaris.

Brev. Frisingense imp. Augustae 1491. — In 1. Vesp. R, 4 sqq. lies: O oliva semper viva, Profluens clementia, Fac nos vere et sincere Laudes tuas etc.? — In 2. Noct. A 1, 1 Dominum prae. — A 2, 1 Iustis. — R 1, 6 redietis schützt der Reim. — Das Officium enthält mancherlei Entlehnungen; zu diesen gehören auch die hier fortgelassenen AA zu den kleinen Horen und in 2. Vesp. super Ps. Hymnen: in 1. Vesp.: Hierusalem et Sion filiae (Anal. IV, 250); ad Complet : Festum nunc celebre (Mone III, 531); in 2. Vesp.: Gaude coelestis curia (Mone III, 545).

91. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Festum beatae Ursulae
De stirpe natae regia
Ecclesiae venerantur,
Per quam multae iuvenculae
Ex nobili prosapia
Ad Christum adunantur.

2. Regni terreni penitus
Contemptis pompis omnibus
Haec Christo dedicatur,
Sed doni missi caelitus
Crebris perfusa imbribus
Alteri desponsatur.

3. Britonum regis filia
Anglorum regis filio
Insigni est promissa,
Sed virginum collegia
Huiusmodi conubio
A Deo sunt provisa.

4. Sicque undena milia
Undenis sumptis classibus
Intrant mare propere,

Sed multa post praeludia
Relictis suis navibus
Romam pergunt prospere.

5. Hos et papa Britannicus
Divina fretus formula
Suscepit reverenter,
Quos totus ut Seraphicus
Spreta papali infula
Secutus est gaudenter.

Ad Magnificat.

A. O increata bonitas,
O virginalis puritas,
Fac nos digne venerari
Te agnum sine macula,
Quem sancta sequens Ursula
Tecum habet quietari,
Una cum eius agmine
Magnificans te Domine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi summo numinum
Latria tribuatur,
In quo solo virginum
Haec turba gloriatur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hi sunt flores purpurei
Ubique redolentes,
In summi ripa alvei
Hunc aestum non timentes.

2. Excelsi regis filio
Proceres ordinantur,
Qui virginum collegio
Purius adunantur.

3. Non timent sancti milia
Populi saevientis,
Cum sit in eis gratia
Domini protegentis.

Responsoria.

1. Immenso regi Ursula
Haec sponsa dedicatur,
Ut fundens lumen facula
Tota sic inflammatur,
Puritatisque normula
In ipsa declaratur,
V. Pulchra, prudens infantula,
Christi formata regula,
Ubique divulgatur.

2. Diffusa fama gratiae
Puellae venustatis,
Ad regem venit Angliae
Hic rumor probitatis,
Ut fiant, petit, nuptiae
Filio dignitatis;
V. Mittit regi Britanniae,
Patri tam gratae filiae,
Rex mirae feritatis.

3. Docta divo miraculo
Regis spopondit baiulo,
Quod petit, se facturam,
Dum se perfundat rivulo
Undae baptismi, annulo
Se dicit consensuram;
V. Undeno petit cumulo
Se virginumque naulo
Milleno vallaturam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hi caeli tabernacula
Intrant per iustitiam,
Qui cordis sine macula
Continent munditiam.

2. Mira dictavit Dominus
In sanctis suis terrae,
Conservans eos protinus
A malis saevae guerrae.

3. Haec undenorum milium
Casta generatio
Est Dominum quaerentium,
Cui benedictio.

Responsoria.

1. Relatu facto virginis
Rex tota cum familia

Iugo se subdit numinis
Fidei cum laetitia,
Vocatio fit agminis,
Parantur et navigia;
V. Dum latio fit faminis,
Principes alti nominis
Haec adeunt collegia.

2. Pontifices quam plurimi
Iunguntur his virginibus,
Multique magnanimi
Relictis suis domibus
Naves intrant castissimi
Beatis cum agminibus,
V. Undequaque clarissimi
Concurrunt et doctissimi
Altis spretis nominibus.

3. Acto bello pacifico
Hi monitu angelico
Simul convenerunt,
Cursu relicto classico
Pedestri qui viatico
Romam perrexerunt
V. Et spiritu vivifico
A papaque Cyriaco
Excepti exstiterunt.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exsultantes in Domino
Hos iustos veneremus,
Ut sic, quod decet omnino,
Rectos corde laudemus.

2. Super iustos respiciunt
Oculi deitatis
Et a feris custodiunt
Haec ossa puritatis.

3. Sanctis caesis virginibus
Mox Huri conturbantur
Et a caeli concivibus
Dei voce fugantur.

Responsoria.

1. Summo linquente praesule
Infulam papalem
Omnes ipso consule
Palmam ad realem
Pro fide tendunt sedule
Summe virtualem;
V. Sic obtinent iuvenculae
Una cum sponso Ursulae
Coronam laurealem.

2. Huri pravi, infideles
Audientes versipelles
Hunc coetum remeare,
In hos ruunt ut rebelles,
Qui festinant ut crudeles
Insontes sagittare;
V. Sic pro Christo hi fideles
Non reclamant, sed imbelles
Se optant illis dare.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Quam pulchrum est collegium,
Quod sequitur vestigium,
Quo Dominus regnavit,
Hoc Ursulae praeconium
Testatur et martyrium,
Cum suis quod probavit.

2. Sequuntur inter lilia
Undecim haec milia
Pascentes se in illis,
Devincunt trina proelia
Et respuunt haec vilia,
Psallunt Deo iubilis.

3. Dum sitiunt ad gloriam,
Inveniunt Coloniam,
Ab Huris quae vallatur,
Fundentibus saevitiam
In Christi mox familiam
Haec tota sagittatur.

4. Tres sunt status hic probati,
Igne tamen non cremati
Manentes in camino,
Hic virgines et praelati
Ac proceres copulati
Exsultantes Domino.

5. Undenis his in milibus
In modulis concentibus
Omnes Deum laudate,

Hoc convenit fidelibus,
Sic in beatis omnibus
Ideo laudem date.

Ad Benedictus.

A. O virgo prudens Ursula,
Luce perfundens saecula
Supernae claritatis,
Tui odoris normula
Post te traxisti vascula
Internae puritatis,
Ab ima duc nos, Ursula,
Ad summa tabernacula
Aeternae deitatis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Miris dies haec ornatur,
Nam flos albus purpuratur
In Christi rosario,
Fragrans odor exsufflatur,
Quo iuventus adunatur
Regi cursu vario,
Sexus duplex consecratur
Atque vere coronatur
Utroque martyrio,
Sic cum suis laureatur
Ac Ursula praemiatur
Immenso denario.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin 760. A. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Roman. 1476 (Sessor. 69). B. — In 1. Vesp. **A** 1, 1 sacratae Ursulae B. — **A** 2, 3 Hoc Christo A, Hae Christo B. — **A** 2, 5 perfuse A, perfusis umbribus B. — **A** 4, 1 militia B. — **A** 5, 1 Britamicus B. — **A** 5, 4 ut fehlt B. — In 1. Noct. **A** 3, 4 proregentis AB. — **R** 3, 1 divino B. — **R** 3, 3 factura B. — **R** 3, 4 perfundant B. — **R** 3, 8 virginesque B. — In 2. Noct. **R** 1, 6 ad navigia. — **R** 1, 9 audeunt B. — **R** 3, 3 Simul omnes convenerunt AB. — **R** 3, 7 Ex spiritu vivifico B. — **R** 3, 8 que fehlt A. — In 3. Noct. honoremus B. — **A** 3, 3 Et a celi cum civibus A; Et a celis concivibus B. — **R** 1, 1 liquente A. — **R** 2, 2 versi belles. — In Laud. **A** 3, 3 Huriis B.

92. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Collaudemus
in sexu fragili
Triumphalis
gratiae meritum,
Veneremur
infirmi vasculi
Tam constantis
virtutis exitum;
Ortum fini
iungunt mirabili,
Dum attingunt
gloriae terminum
Consequentes
sponsum et Dominum.

Ad Magnificat.

A. O admiranda novitas
Inauditae constantiae,
Mundum vincit fragilitas
Dono firmata gratiae,
Tormenta ridet castitas
Amore pudicitiae,
Sic via, vita, veritas
His stolam confert gloriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Agnum, sponsum virginum,
Omnes adoremus,
Spem, decus humilium
Omnes collaudemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pulchra generatio,
Casta, sancta, pura,

Caritas, devotio
Virginalis cura.

2. Agni rubent sanguine
Puellae candidatae,
Pari certant agmine
Hosti trucidatae.

3. Iesus, doctor, rex et rector
Sacri huius agminis,
Sit his ductor et protector
In campo certaminis.

Responsoria.

1. Chorus floris et odoris
Offerat exenia,
Dum pudoris et amoris
Accendit conubia,
Vota cordis, voces oris
Praebeat ecclesia;
Praeparetur iubilus,
Contempletur animus
Tanti festi gaudia;
V. Virgines Deo sacratae
Electae cum milibus,
Currunt sponso praeparatae
Accensis luminibus.

2. Christus Iesus,
amor, lex puritatis,
Dum descendit
nostris in terminis,
Unam quaerit,
et offeruntur satis
Margaritae
nostris ex nundinis:
Eius fulget
coronae claritas
Harum saepta
corona luminis.
V. Istas ignit stilla roris,
Et venustat laus candoris
Dei dante gratia.

3. Agno haerent indefesse,
Gaudent se legem implesse;
Hae per poenam carnis pressae,
Cum sic mori sit necesse,
Habent promissum bravium,
Dum tenent Dei filium;
V. Vident, stupent, admirantur,
Amant, ardent, satiantur
Nec carent esurie.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Summe summi
tu patris unice,
Collegisti
sacro cum agmine,
Quod sacraras
in matre virgine.

2. In amore
tuae dulcedinis
De te, stirpe
mundae propaginis,
Istis fructum
divae pinguedinis
Propinasti.

3. Gaude, sancta
mater ecclesia,
Generantur
tibi sollemnia,
Virginales
choros ex gratia
Praeparatos
cernis in gloria.

Responsoria.

1. Angelorum
acies ordinata,
Laetans exi
obviam puritati,
Tibi praestat
munera candidata
Vita nostra
subdita vanitati,
Sacros flores,
lilia tibi grata,
Quibus sertum
plecte divinitati.
V. Libens ergo suscipe,
Haec aeternae exhibe
Dona veritati.

2. Dantur in mundi devio
Grata lux, iubar inclitum,
Puro gratoque radio
Caeli decorant ambitum;
O puellare bravium,
O singulare praemium,
Mente, carne purificum,
Florem servando lubricum
Spernunt, tenent angelicum;
V. Quam felix, sancta Ursula,
Harum ductrix et primula.

3. Mundum replens
divino semine
Cultor, sator
nostri confinii
Format, firmat
in puro germine
Flores, fructus
immensi gaudii,
Normam dedit
sacri consilii
Nostrae carnis
tectus sub tegmine,
Homo Deus,
natus ex virgine;
V. Irroravit, fecundavit
Rore, dulcore gratiae,
Centenavit, ampliavit
Sacra fructum in acie.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hostis carnis et saeculi
Dira potestas vincitur,
In hac pugna mirabili
Corpus, cor, mens erigitur
In lucem, ducem, terminum
Iesum, coronam virginum,
Dulcem sponsum et Dominum.

2. Collaudemus, exaltemus
Iesum in hac victoria,
Qui pro terrenis perituris,
Caducis nilque valituris
Aeterna dedit praemia.

3. O quam dulcis et utilis
Et grata commutatio,
Dum finitur transitio
Aeterna datur mansio.

Responsoria.

1. Genetrix Dei, domina,
Regina caeli curiae,
Te sequuntur tot milia,
Dum virtutum et gratiae
Gratum odorem sentiunt,
In te latentem sitiunt,
Volunt, amant et cupiunt
V. Chorus hic sacer virginum
Fructum tuum uberrimum.

2. Ad caeleste convivium
Christus undena milia,
Purum, sacrum consortium,
Vocat in nocte media;
O quam felix conubium
Et quam felices nuptiae,
O quam immensum gaudium,
Quam beatae laetitiae,
Quae carnis carent carie!
V. Felix est aetas tenera
Et puellaris gratia
Donata tanta gloria.

3. Grata, felix
Ursula, Deo cara,
Per maerorum
transis in gaudium,
Tu de vita
poena, luctu amara,
Sponsa Christi,
scandis ad praemium;
Nos exsules
in valle tenebrosa,
Caecitatis
ductos per devium,
Suspirantes
in voce lacrimosa,
Recollige,
perduc ad bravium;
V. Tu virginum
choreis es praelata,
Virgo sacra,
Christoque sociata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Admiretur omnis aetas,
   Omne gyrum saeculi
   Laudis excedendo metas,
   Nam coronis gaudii
   Christus exhibendo laetas
   Coronat suas athletas
   Se dans finem bravii.

2. Rore caeli superfusae
   Copia charismatum
   Excedunt metas naturae,
   Dum praecedunt immaturae
   Ad opus tam arduum.

3. Eligendo praeparantur,
   Patiendo conquadrantur
   Petrae sanctuarii,
   Quibus altum et excelsum
   Sursum tendens in immensum
   Surgit aedificium
   Dei sacrificium.

4. Benedictus, qui elegit
   In hoc choro et perfecit
   Tantum opus gratiae,
   Dum per viam puritatis
   Simul et asperitatis
   Introduxit cum beatis
   Has in thronum gloriae.

5. Quia, virgo Ursula,
   Praemiaris exaltata
   Cum choris virgineis,
   Nobis opta sedula
   Praemia desiderata
   Sedibus aethereis,
   Prorsus nostris terminis
   Umbram pelle criminis.

Ad Benedictus.

A. Radio, quo decorantur
   Fidei et gratiae,
   Speciali roborantur
   Virtute constantiae,
   Spretis minis et promissis,
   Blandimentis non admissis
   Voce, voto,
   Corde toto
   Haerent regi gloriae,
   Sponso pudicitiae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Istas iungit,
   unit, vincit in gratiam
   Dulcor, amor,
   ardor superni decoris
   Pulcher, purus
   zelus interni viroris
   Has athletas
   scribit cives in patriam,
   Istas vocat
   trahit, vehit ad gloriam
   Iesus Christus,
   lux, dux aeterni splendoris,
   Ubi pressis
   in ista valle maeroris
   Obtineant
   eius misericordiam.

Antiph. ms. Lemovicense saec. 14. Cod. Parisin. 916. **A**. — Brev. ms. Avenionense saec 15. Cod. Lugdunen. 468. B. — Antiph. ms. S. Desiderii Avenionen. saec. 15. Cod. Avenionen. I. C. — Brev. ms. FF. Minorum de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. D. — Brev. ms. Dertusense saec. 15. Cod. Capit. Dertusen. s. n. E. — Brev. ms. Dertusense saec. 15. Cod. Capit. Dertusen s. n. F. — Brev. Tarraconense imp. Barcinonae 1484. G. — Brev. S. Mariae de Mercede imp. Barcinonae 1560. H.

In 1. Vesp.: **A** super Ps. fehlt BCEFG. — Ad Magn. **A**, 1 O fehlt A. — In 1. Noct.: **A** 1, 1 O pulchra BCEFG. — **R** 1, 1 Eurus floris A, et odoris fehlt A. — **R** 1, 3 et amoris fehlt A. — **R** 1, 3 Refectis lampadibus. EFGH. — **R** 2, 12 decore luminis BCEF. — **R** 2, 2 legem se EF. — In 2. Noct.: **A** 2, 3 te fehlt ABC. — **A** 3, 3 Geminantur BCEF. — **R** 1, 2 sq. acies cordi natale causas exi A. — **R** 1, 3 laetaris exi B; laeta exi E. — **R** 1, 6 candidata fehlt ABC. — **R** 1, 14 Haec fehlt A. — In 3. Noct. **A** 1, 7 Vestrum

sponsum E, Nostrum sponsum F. — R 3, 3 Per mortem A. — R 3, 4 ducta ad gaudium EF. — In Laud. A 3, 1 Rugiendo praeparantur A. — A 4, 7 Has fehlt A. — A 5, 6 In sedibus A. — In 2. Vesp.: ad Magn. A, 1 Ista A. — Ibid. 2 in gratia A. — Ibid. 6 nitoris C. — Hiezu die Hymnen Anal. XII, No. 456, 457, 458.

93. De sancta Ursula.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laetis canamus vocibus
Tot paradisi floribus,
Quas virginitas lilium,
Rosas fecit martyrium,
Quarum prece da, Domine,
Ut flore pudicitiae
Caro nostra refloreat,
Ne in aeternum pereat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Auctori vitae
psalmis iubilando venite,
Est quia virginei
decus ipse, corona tropaei.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Secus decursus fluminum
Stetit hoc germen virginum,
Quod nulli cedens turbini
Mansit in lege Domini.
2. Flos fulsit ex Britannia,
Ursula stirpe regia,
Auctrix fructus virginei,
Praedicans praeceptum Dei.
3. Signatur super has digne
Lux vultus tui, Domine,
Quas tyrannus collegerat,
Ut per tot unam auferat.

Responsoria.

1. Virgo regalis Ursula,
Vultu et animo pulchra,
Tyranno cuidam placuit,
Qui late praepotens fuit,
V. Mittens ergo nuptam Christo
Suo petebat filio.
2. Tyranni donis ac minis
Pater pulsatus virginis
Precibus fugit intimis
Ad turrim fortitudinis,
V. Hinc discrimen ecclesiae,
Hinc lapsum timens filiae.
3. Equitatui auctoris
In curribus Pharaonis,
Virginum grex, similaris
Post transitum alti maris,
V. Aegyptum spernens cum palmis
Domino canis in psalmis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Auribus percepit Deus,
Dum clamat grex virgineus,
Et tam Ursulam servavit,
Quam per hanc illas vocavit.
2. Oleum exstat effusum
Mirabile nomen tuum,
Hinc tot adulescentulae
Dilexerunt te, Domine.
3. Ad nihilum est deductus
Harum conspectu malignus,
Quae se fecerunt columbas
Caste ad fenestras suas
In foraminibus petrae,
In cavernis maceriae.

Responsoria.

1. Solatur patrem Ursula
Dei narrans oracula,
Iussa, ne hostem confutet,
Ut spe coniugii mutet,

V. Demandans quasi pro dote
Hunc ablui baptismate.

2. Spondet pater coniugium,
Commune fit tripudium,
Tyrannus Christo subditur,
Ut virgo iussit, agitur,

V. Missis undenis navibus
Cum tot virginum milibus.

3. Decurso iam triennio
Virgines dignae praemio
Natale solum deserunt
Seseque mari conferunt,

V. Hae verae Israelitae
Quaerentes patriam vitae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirificavit Dominus
Gratiam suam in illis,
Quia pars hereditatis
Earum est et calicis,
Martyrio candidatas
Caeli regno fecit dignas.

2. Quam pulchra generatio
Caelesti cum claritate
Vultum sponsi quaerentium,
Inventium, sequentium
Paradisi per lilia
Perpetuo candentia.

3. Sperantes in te, Domine,
Gratia tua protexit,
Ideoque te caelestem
Sponsum laudant et sequuntur
Laetantes et exsultantes
In paradisi gaudiis.

Responsoria.

1. Ad portum vehuntur Tilae,
Hinc ad arcem Coloniae,
Post haec linquentes trieres
Romam adeunt pedestres,

V. Ad sua bella caelibum
Implorare auxilium.

2. Dum Coloniam obsident,
Has Hunni redire vident,
Irruunt, virgines perimunt,
Statim ab urbe fugiunt,

V. Quos non armati milites
Ense terrebant virgines.

3. Urbs nova Ierusalem,
turbam tenet hanc socialem,
Sanguineque vivae
sua pallia lavit olivae
Atque stolas vino,
sic flore sacro micat bino,

V. Ad bona summa vacans
miserisque Deum prece placans.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. En, lectulum Salomonis
Ense munivit sermonis
Fortissima ex Israel,
Ursula, pulchra ut Rachel.

2. Hic quippe virginum coetus
Dei est sponsa et lectus,
In quo recubans quietus
Nobiles lucratur fetus.

3. Veni ergo, turba Dei,
Veni de Libano, veni
De vertice coronanda
Sanir, Hermon et Amana,
De cubilibus leonum
Et a montibus pardorum.

4. Benedictus es, Domine,
In firmamento caelorum,
Cuius amoris igne succensa
Beata martyr Ursula
Cum sui martyrii
Beatis consortibus
Crudeli morte viam
Aeternam commutavit.

5. Ecce, quam pulcher est dilectus
Iste ecclesiae sponsus,
Quem tot adulescentularum milia,
Roseis coronis decorata,
Sequuntur laudantes in excelsis.

Ad Benedictus.

A. Cum numero prudentum,
Virgines beatae, sponsum vestrum
Pro nobis Christum interpellate,
Ut ad amoris sui desiderium
Excitet dormitans cor nostrum,
Ne nos, quod intercessio
Vestra prohibeat,
Ad ianuam vestrae receptionis
Velut fatuas nesciat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificate Dominum
Omnes filii hominum,
Cuius est fortitudinis,
Si vincit pulvis et cinis;
Nam nostrum est, si perimus,
Tuum, Christe, si vincimus.
Vince mala firmans bona,
Ut cum hac virginum turba
Caelo simul conregnemus,
Quarum palmis congaudemus.

Viaticus ms. Iohannis Noriforensis ca. 1360. Cod. Mus. Bohem. s. n A. — Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. B. — Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 24. C. — Brev. ms. Augustin. Bohem. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2988. D. — Antiph. ms. Augiense saec. 12. Cod. Carolsruhan. Aug. 60. E. — Brev. ms. Lamprechtense saec. 13. Cod. Graecen. 134. F. — Brev. ms. S. Trinitatis Pictaven. saec. 15. Cod. Semin. Pictaven. s. n. G. — Brev. Wratislaviense imp. s. l. et a. H. — Brev. Zagrabiense imp. Venetiis 1511. I. — Brev. Pragense imp. Venetiis 1517. K. — EFG haben monastische Anordnung des Ganzen. — In 1. Vesp: Super. Ps. **A** in G:

Adest nobis annualis
Gaudiosa iucunditas,
Adest sacrarum virginum
Gloriosa sollemnitas,
Quae pro Christo
Sua corpora tradiderunt
Et coronas perpetuas
Suo sanguine meruerunt,
Quas felix Colonia
Possidet cum gloria,
Quarum, Christe, quaesumus,
Suffragiis et precibus
Iungamur pie gaudiis
Caelestibus.

D hat in 1. Vesp. 5 **AA**, nämlich: Sol novus ab insula etc: 2 Istarum collegio; 3 Digne gaudent homines; 4 Istae regi gloriae, 5 Quae dum piis mentibus. Vgl. alle 5 **AA** Anal. V. p. 240: — B hat folgendes **R**:

Plaudite, astra polorum,
Tanto collegio florum
Fulgide ornata;
O decus angelorum,
Nos laetos duc ad horum
Gloriosum chorum
In regna beata.
V. Post Ursulam gratam
adducentur tibi, Christe,
Britannorum natam,
gloriosae virgines istae.

In 1. Noct.: haben die monastischen Hss. 6 **AA**, nämlich aufser den drei der ersten noch die der zweiten Nocturn. **A** 1, 2 virgineum K. — **A** 2, 1 Sol fulsit ex D, Flos fulsit in K. — **A** 2, 4 praeceptum Domini A-K. — **R** 2, 2

Pater praefatus virginis K. — Die monastischen Hss. haben R 3 Solatur: patrem Ursula etc. R 4 Spondet pater coniugium etc. — In 2. Noct. Ordnung der AA und RR in EFG:

1. Vox turturis ut sonuit,
Vinea Christi floruit,
Dum germinant ut palmites
Per Ursulam tot virgines.

2. Cyprus et nardus cum croco,
Fistula cum cinnamomo,
Murra simul et aloe
Decus huius sunt vineae.

3. Inter haec flos virginalis
Gloria est specialis,
Unde maior quam angelis
Homini laus est in caelis.

(Diese 3 AA stehen auch in C. in der 3. Noct.) 4. En lectulam Salomonis etc. 5. Hic quippe virginum coetus etc. 6. Veni ergo turba Dei etc. — RR: 1. Decurso iam triennio etc. 2. Equitatui auctoris etc. 3. Ad portum veluntur Tilae etc. 4. Dum Coloniam obsident etc. — — R 1, 4 Vel spe coniugii nutet K; coniugium E. — In 3. Noct.: Ad Cantica A in EFG:

Istae sunt Dei calathus,
Supernis nuptiis aptus,
Ubi cantica dans nova
Gaudet sponsus super sponsa.

Die zwei ersten RR sind in diesen Hss. prosaisch; das dritte, das in den andern in der 1. Vesp. sich findet, lautet:

R. Annalis orbita votorum
Nobis suscitat gaudia,
Dum hac die tot virginea
Pro Christo caesa pandit milia,
V. Quarum in numero
Cum sua duce Ursula
Fulsere ut sidera
Pinnosa et Candida.

R 4 prosaisch in K. — In Laud. AA prosaisch CEFG. — A 3, 4 Seyr et Hermon K. — Ad Bened. A, 1 De numero K. — Das Officium befindet sich auch in Antiph. ms. Sanctense saec. 14. Cod. Capit. Sancten. s. n. add. saec. 14. und Rrev. Paulinorum imp. Parisiis 1540. Aus E bei Mone III, 524.

94. De duobus Valentinis.

In 1. Vesperis.

R. Principes bellatores,
Mundi, daemonis victores,
Praesul sacer Valentine,
Cum presbytero Romano
Fide sano,
Viro mentis caelestinae,
Miseros vestris precibus
Nos solvite a nexibus
Peccatorum,
V. Rogantes prece supplici,
Pravo a malo triplici
Liberemur, mortis horis
Situemur caeli choris.

Ad Magnificat.

A. Omnes generationes
Gratiarum actiones
Referant magnificando
Deum, qui altis sedibus
Poli locat in aedibus
Martyres exaltando.
Interamnis Valentinum
Praesulem, mente divinum,
Valentinumque Romanum,
Presbyterum diaphanum,
Ambos fide adornatos
Sanguineque laureatos
Romae sub imperatoribus
Diversisque temporibus;
Quibus loco sequestratis
Una est sollemnitatis
Communis dies, caeli quies.
Horum prece nos de nece
Aeternae mortis libera
Et cum eis nobis reis,
Christe, concede munera.

Ad Matutinum.

Invitatòrium.

Novum melos, carmen divinum
Decantemus summo regi,
Qui utrumque Valentinum
Dei inhiantem legi
Caelesti coniunxit gregi.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex honestis parentibus
Uterque Valentinus
Processit, quorum mentibus
Amor ferbuit divinus,
Per ardorem, vitae florem,
Redolevit amor binus.

2. Catholice sunt imbuti
Certos tenendo limites
Et baptismo restituti
Praecelsi Christi milites,
Sic virtute et salute
Effecti sunt praedivites.

3. Regulis liberalibus
Hi beati illustrati
Armisque spiritalibus
Contra impetus armati
Confiterunt, devicerunt
Actibus militaribus.

Responsoria.

1. Orthodoxa ecclesia
Celebret sollemnia
Aequinominorum,
Resonet harmonia,
Psallat clerus melodia
Honore Valentinorum.
Gratulentur aegrotantes,
Qui per ipsos sunt curati
A contagio membrorum,

V. Nam honorent et adorent
Sanctos sani et morbosi,
Qui ad curam effecturam
Votis sanctis operosi.

2. Ecce, fulgentes exemplis,
Gestis, factis Dei templis
Canonice sublimantur,
Ubi actus patrant almos
Et orando legunt psalmos,
Vestigia imitantur
Et sanctorum patrum iura
Servant diligenti cura
Et ad hanc suos hortantur;

V. His docetur gens vicina,
Cedit rabies beluina
Cum paganis tam profanis
Per doctrinam horum piam.

3. Alter sanctorum opifex
Ordinabatur pontifex
Interamnis civitatis,
Alter presbyter sacratur,
Per quem Roma illustratur
Fide christianitatis,
Ambo tamen dogmatizant
Sacro fonteque baptizant
Gentem paganitatis;

V. Incliti sanctique viri,
Per quos clarent actus miri
Nam perversos aqua mersos,
Dant perfectos et dilectos.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Noxium morbum curavit
Sanctus pontifex infantis,
Sed sacerdos illustravit
Caecam virtute tonantis,
Sic perfectos patres tantos
Signis salus redit tantis.

2. Rhetorem praesul Cratonem
Quaerit cum familia,
Coniugem et Ceremonem,
Per presbyterum filia
Uxorque pia Austeria
Christi petunt ovilia.

3. Infirmum dux visibilis
Prece praesul curavit,
Sed caecam invisibilis
Lux vera illuminavit
Sacerdotis, horum votis
Deus sic concordavit.

Responsoria.

1. Comperientes pagani,
Quod hi viri Christiani
Fecerunt miracula,
Sani petunt et aegroti,
Singuli per eos loti
Vitae sumunt consilia,
Ut attendunt, comprehendunt
Inaestimabilia;
V. Omnibus suadent vitare
Idola et adorare
Deum verum et sincerum
Cor habere et timere.
2. Persecutio immanis
Imminebat christianis
Ab imperatoribus,
Ob quod sancti mancipantur
Siti, fame macerantur
A saevis tortoribus,
Qui constantes perdurantes
Non cesserunt doloribus;
V. Erant hi viri cultores
Christique imitatores,
Pro Deo mortem pati
Sunt parati.
3. Claudius hunc fatigatum
Presbyterum et decollatum
Transmittit caeli floribus,
Placidus praesulem laesum
Virgis et capite caesum
Triumphatoribus;
Sic Christo grati immolati
Diversis sunt temporibus.
V. Caelis vecti sunt dilecti
Ab angelis hi milites
Laureati, munerati
Sunt inter caeli divites.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. A populo et sociis
Sanctus praesul humatur,
Sed famulae studiis
Presbyter tumulatur,
Sic ex more cum honore
Tumba bina praeparatur.
2. Tumbis dehinc ex amborum
Patent signa ingentia,
Nam sanantur morbidorum
Prorsus membra languentia,
Quod probatur et testatur
Populi confluentia.
3. Omnem sanant apoplexum
A caduca vertigine,
Hi confortant et perplexum
In mortis caligine,
Qui sic binis Valentinis
Servit ab origine.

Responsoria.

1. Romam ambo decollati
Valentini Deo grati
Te consecrabant sanguine,
De patribus tuis dole
Martyrumque festa cole
Laeto mentis conamine,
Ut sincero Deo vero
Te commendent oramine,
V. Euge, plora de beato
Praesule a te translato,
Deliquisti, ob hoc Christi
Valentinos (quod) non habes
binos.
2. Martyrum est transitus
Signis monstratus caelitus
Per multa mirabilia,
Nam se vivos ostenderunt
Omnibus, qui quaesierunt
Eorum auxilia,
Conferendo, tribuendo
Ineffabilia;
V. Ater Satanas fugatur,
Et reliquiis prostratur
Lues dira, Dei ira
Sic placatur et sedatur.
3. Ruituro Deus mundo
Foetulento, furibundo
Altas columnas statuit
Sic utrumque Valentinum,
Per quos verbum esse divinum
Fideles tunc non latuit,
Et caeleste manifeste
Regnum aeternum patuit;

V. Tales viros mundus vere
Non fuit dignus habere,
Quos ad astra Dei castra
Vocaverunt, susceperunt.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induti Christi milites
Cum caelico decore
Et gaudio praedivites
Virtutum cum candore
Sunt locati, adoptati
In sedibus honore.

2. Revera a praesagio
Valentini sunt vocati,
Valentes in suffragio
Humanae fragilitati,
Ob hoc hymnos Deo dignos
Canere simus parati.

3. Aestimabant meliorem
Dei misericordiam,
Quam vitam deteriorem
Cuperent et victoriam
Hi athletae, qui quiete
Carpunt vitae concordiam.

4. Servi Domini, divino
Benedicite vos regi,
Qui martyres de camino
Passionis unit legi,
Angelorum et sanctorum
Ut congaudeant gregi.

5. Consuetos exaltavit
Eis donando salutem,
Gloria quos decoravit
Deus per suam virtutem,
Renovando, reparando
Martyrium in salutem.

Ad Benedictus.

A. Cornu salutis erexit
Nobis Deus, qui respexit
Exaltando, visitando
Per utrumque Valentinum,
Vita, mente caelestinum,
Veram fidem informando
Ut intemerate
Et in sanctitate
Sic vivamus, serviamus
Domino cum timore.
Quam ob rem, fratres,
Veneremur patres
Sanctos tales, immortales
Cum cantici decore.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christi martyres beati,
Verba non acerba
Renovantur
In hos Valentinos,
Quae palavit, dum probravit
Discipulos incredulos,
Anastasin non credentes:
Eos signa sequuntur digna,
Qui in me credunt,
Daemones cedunt,
In meo nomine,
Sed non ab homine,
Novis loquentur linguis;
His claruere signis
Hi Valentini beati,
In terris olim locati,
Qui in throno caeli dono
Nunc fulgent coronati.

Brev. ms. Curiense (?) saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. — In 1. Vesp.: R, 11 Pravos. — Ad Magn. A, 4 in altis. — Ibid. 19 liberari. — In 1. Noct.: A 1, 3 in quorum. — A 2, 5 saluti. — A 3, 4 Contra hostis impetus. — R 1, 6 Valentini. — 1, 7 Lies: aegrotati? — R 1, 12 effectam. — R 3, 4 consacratur. — R 3, 10 que fehlt. — R 3, 13 Dat. — In 2. Noct.: A 1, 5 Lies Sic per dictos patres? — A 3, 1 Infremum. — A 3, 5 Sacerdos. — R 1, 2 viri sumunt Christiani. — R 2, 3 Ab fehlt. — R 3, 6 Lies Addit triumphatoribus oder iungit? — R 3, 9 Caeli necti. — In 3. Noct.: A 3, 3 et fehlt. — A 3, 5 binus Valentinus. — R 1, 7 Et sincero. — R 1, 9 Statt Euge stand wohl ur-

sprünglich ein Ortsname. — R 1, 10 ad te. — R 1, 11 Delinquisti. — In Laud.: A 2, 2 Valenti. — A 4, 3 Qui fehlt. — A 4, 5 et fehlt. — Ad bened. A, 12 Venerunt patres. — In 2. Vesp.: Ad Mag. A, 4 Valentinus. — Ibid. 5 dum properuit. — Ibid. 7 Anasti non credentibus.

95. De sancto Victore.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Aras, tura, deos
simulacraque, maxime
Victor,
Prae cruce vana putas.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus Dominum
Victori praemia dantem.

In 1. Nocturno.

Antiphona.

Felix perpetuo
gaudebis, Victor, honore.

Responsoria.

1. Non humana tibi
tollent incommoda pacem,
Nec iam terrori
Maximianus erit,
V. Iam nemo, Victor inclite,
Tibi nocebit amplius,
Securus omni tempore
Caeli penetras sidera.
2. Flagra, fames, carcer,
plumbi quoque flamma liquentis
Membrorum vires
non domuere tuas,
V. Divinitatis gratia
In te benigne splenduit,
O Victor, orbis principem
Ut prae Deo contemneres.
3. Quis tua narrabit,
Victor, miracula, quam sis
Integer in tantis
incolumisque malis?
V. Pro terreo stipendio
Aeterna sumis praemia
Brevique tristis tempore
Longum parasti gaudium.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

Non aestus, non imber erit
tibi noxius ullus.

Responsoria.

1. Post hoc regnanti
finem moriendo minaris,
Praedicens vitae
quam breve tempus erit;
V. Miranda Christi caritas,
Suis propinqua servulis,
In arduis doloribus
Dat spiritum propheticum.
2. Quin tua post mortem
canibus data membra cruentis,
Vindice sub gemino
tuta leone iacent.
V. Leo, feras qui maximas
Solet fugare saltibus,
Victoris incliti sacrum
Corpus tuetur sedulus.
3. Neglectum Christus
caelo misertus ab alto
Materno curam
funeris ipse dedit;
V. Sanctum dari, o nefas, canis
Praeter decorem et ordinem
Non passus est ullo modo
Vindex suorum altissimus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

Nec te carnificis
laedent tormenta nefandi.

Responsoria.

1. Tu patriae referes
primum decus, optime Victor,
Et Mauritanae
gloria gentis eris;
V. Da, sancte, nobis gratiam,
Ut te sequentes praevium
Digni superna gratia
Reddamur omni tempore.
2. Inde aliis notus
toto celebraberis orbe,
Multaque cum votis
gens tua templa petit,
V. Quicunque forte respicit
Mandata summi iudicis,
Sibi patronum te legat
Ad consequendam gloriam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Perpetuo Christi
flagras, o Victor, amore.
2. Impia sacrilegi
spernis mandata tyranni.
3. Nec prece nec pretio
neu poenis vinceris ullis.
4. Ergo iam victo
moriens simul hoste triumphas.
5. Exuvias propriam
refers ad sidera caedem.

Ad Benedictus.

A. Vincenti tibi manna datur
clam, Victor, Olympi
Ardua quo superas.

Officium S. Victoris, S. Octaviani etc. imp. s. l. et a. — Am Schlufs: Haec officia in universali ecclesia dici possunt auctoritate apostolica per breve Leonis X. die V. Novembris MCCCCCXIX concessum, in ecclesia vero Volaterrana et tota dioecesi mandatum. — Raphael Reverendis patribus Capituli Volaterrani salutem in Domino. Caritate in res divinas admoniti, patres reverendi, cum nonnulla in chori dispositione atque ordine minime decenter procedere conspexeritis, inter quae sunt ea, quae ad nostros pertinent patronos, non maiorum nostrorum, sed temporum illorum vitio literis iam pene deflorescentibus ita incongrue inepteque ac citra stili venustatem conscripta, ut inter officia divinia recipi non satis ex chori dignitate videatur, cum nec cantu clero satis apta nec intellectu legentibus facilia, neu denique auditu delectabilia sint, negotium mihi dedistis, ea, quantum fas fuerit, interpolandi. Ego vero, quamvis onus meis impar viribus bovique clientelas imponi cognoverim, pio tamen officio vestroque providentissimo consilio deesse quocunque modo fas minime putavi. Igitur breviter, quod iussistis, absolvi, ubi sic me accomodavi, ut ne ornandi causa ab historiae integritate discederem neve scripti veteris, alioquin veri, auctoritati praeter stili reconcinnationem ullo modo derogarem. Anno salutis Millesimo quingentesimo decimo nono, quinto Idus intercalares sub reverendis patribus N. N. — Folgen d. Namen d. Kapitels. — Darunter: „Raphaele Palario Decano“.

96. De sancto Victorino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dum ad aram Deo coram,
Sancte praesul, steteris,
Ora regem, iuva gregem,
Fer medelam miseris,
Qui te colunt vincti liga,
Gravi peccatorum,

Nempe nexum tam perplexum,
Fer regna ad caelorum,
Ut astare ad altare
Possimus totum aureum,
Funde precem, pelle necem,
Pro nobis ora Deum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi summo gloria
Invicto et honor detur,
Qui sanctos in victoria
Hic iuvat et tuetur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Legem Dei meditatur
Puro corde iugiter,
Ut lignum virens complantatur,
Fert vitae fructum dulciter.
2. Astiterunt Victorino
Praesul, clerus et populi,
Laudem uni Deo trino
Solvunt in prece seduli.
3. Tu susceptor es victorum,
Invicte agens proelia,
Post temptamen vitiorum
Fer robur et auxilia.

Responsoria.

1. Hic non surda capit aure
Sacra evangelia:
Si vis perfectus esse,
Me sequens vende omnia,
Genti Deus sic prodesse
Docens vult consilia;
V. Super mel et omnia,
Christe, tua eloquia
Dulcescunt ori intus.
2. Qui pro Christo Domino
linquit agros, terram,
Et potente cum hoste
agit duram guerram,
Nam castas ignit mentes,
Qui formosae in aspectu
Temptat vestrum velle,
V. Verbum dulce in affatu
Fraudis repletum felle.
3. Dudum iactus de supernis
In flamma es Averni,
Tamen stratus astu sternis
Pudoris vim interni;
Blandit iacens resupinus,
Casta non rupit foedera,
V. Sed vir simplex columbinus
Sensus planxit scelera.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deus sanctos mirificat,
Probat et dignificat
Carnis post certamen,
Exaudit sua gratia
Iustorum sacrificia,
Accepturus dat solamen.
2. Clamorem meum, Domine,
Exaudi et a crimine
Me velis expiare,
Ut corde puro iugiter
Te Iesum amans dulciter
Queam exclamare.
3. Domine, tu praesulem,
Ut tristem firmet exsulem,
Consoletur flentem,
Statuisti provide.
Te colat amans fervide
Sollerter docens mentem.

Responsoria.

1. Iam relictis domo, patre,
Tota suppellectili,
Solo est contentus fratre
Puro, valde humili,
Alternatim obsequentes
Servit alter alteri,
V. Se et suas dicant mentes
Deo voce celeri.

2. Audito evangelio
Christi salutari
Cordis ex desiderio
Coepit aspernari
Mundum cum decore
Et omni blandimento,
V. Eius semper laus in ore
Cum omni documento.
3. Victorinus pio corde
Revolvebat iugiter,
Absque labe, absque sorde
Ut Deum amet digniter,
Quaerit amans in amato
Iesu conformari,
V. Eius lege et mandato
Peroptans sociari.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confidens praesul Domino
Iustitias dilexit,
Qui vitam sine termino
Dans ipsum caelo vexit.
2. Purus sine macula
Valet introire
Aeterna tabernacula
Deo et servire.
3. Te Lutomysl per saecula
Te, Victor, benedicat,
Tu cleri lucens facula,
En, audi, laudes dicat.

Responsoria.

1. Laudans regem saeculorum
Voce delectabili
Pangit melos canticorum,
Via it mirabili
De virtute in virtutem,
In Sion Deum cernere,
V. Qui operatus est salutem
Ablato mundi scelere.
2. Cupiebat iam dissolvi
Et esse cum Christo,
Clamat clerus, clamat coetus:
Pater beatissime,
Mox absolve Victorinum,
Deus, hunc certissime;
V. Omni noxa liberatum
Liquit clementissime.
3. Caritatis cumulator
Carpis iam sublimia,
In coetu regni es laudator,
(Melos) tenes vitae bravia;
Pangit hymnos Augustinus,
Tuus consodalis;
Pro salute servulorum
Devote te colentium
V. Ora, ut sint sortes horum
Cum sortibus sanctorum
Post in aula regia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Haec cordali gaudio
Festa recolentes
Decore morum vario
Regi nunc canentes.
2. Nunc internali latria
Deo serviamus,
Ut in caeli patria
Sortem habeamus.
3. Ritu legis obsequendo
Deo vigilabat,
Ante lucem exsurgendo
Ipsum exorabat.
4. Iam sonora mente pura
Victor Deo plaudat,
Quem extollit creatura,
Omnis aetas laudat.
5. Canunt sacra agmina
Concentu melodiae
Laudis modulamina
Tibi, pater pie.

Ad Benedictus.

A. Spectemus nunc magnalia
Divinae maiestatis,
Nam vincula poenalia
Peccatis condonatis
Solvuntur mirabiliter
Igne caelo delapso,

Ruunt astantes pariter
Stante solo lapso,
Quem clemens Dei gratia
Revinctum sic monstravit.
Hunc sacra ad officia
Aptum acclamavit.
Eligens dignum praesulem
Amiterniae urbis;
Sese subdit humilem
Astantibus cum turbis;
Sit in aevum benedictus,
Qui visitavit plebem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Audi, praesul digne,
Vota et precamina,
Perduc tecum nos benigne
Ad sanctorum agmina,
Nostrae plebis pastor bonus,
Oves tuas nosce,
Lutomyslensis es patronus
Salutem nobis posce.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. — In 1. Noct. R 2, 2 agros terram linquit. — In 2. Noct. A 3, 3 Consoletur mentem. — In 3. Noct. R 1, 3 Plangit. — R 1, 4 Via iter. — R 3, 5 Lies: Severinus? oder sollte sich hier der Verfasser nennen? — In Laud. A 2, 1 Hunc internali.

97. De sancto Victorino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudes psallat praeconio
Virtutum tripudio,
Mater pangat ecclesia
Victorini sollemnia.

2. Clarus infans puer crescens
Castus, prudens adulescens,
Quem laudat chorus gentium.

3. Vita suae iuventutis
Plena Dei laudibus,
Vita eius spem salutis
Amans totis viribus,
Erogabat, quod habeat
Servis Christi fidelibus.

4. Victorinus post procellam
Rerum vastam petit [cellam]
Psallens Christo prece munda
Laudes voce cum iucunda.

5. Quando nactus praesularem
Victorinus dignitatem
Miturnia floruit,
Magnis signis, miris, dignis
Laudans Deum, quod per eum
Feliciter claruit;
Caecitatem, surditatem
Et mutorum perniciem
Ac claudorum, podagrorum
Sanat Dei pontifex.

R. Victorinus pio corde
Revolvebat iugiter,
Absque labe, absque sorde
Ut Deum amet digniter.
Quaerit amans in amato
Iesu confirmari,

V. Eius lege et mandato
Peroptans sociari.

Ad Magnificat.

A. Illustrisque martyr Christi
Pretiosus, praecellens opere,
Victorinus generose
Cuncta resignando
Et egenis cuncta dando
Magnificans Dominum,
Pro nobis orat
Dominum, qui cuncta coronat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus corde pio
Victorini Domino,
Qui hunc fecit antistitem
Tantis miraculis fulgentem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fuerunt duo germani,
Stirpes illustres Romani,
Victorinus, Severinus
In lege Domini ferventes.

2. Sanctissimae erant vitae
Isti duo eremitae,
Vigiles psalmodia
Renuebant inania.

3. Victorinus liberius
Serviturus Christo purus
Desertum poscit vastius
Prohibens fratribus
Multiloquium.

Responsoria.

1. Gloriosus Victorinus
Cum fratre suo Severino
Christi iussui Domino
Parere volentes
Ingressi sunt solitudinem
Propter mundi sollicitudinem
V. Et in circuitu perfectionis
Erogabant pauperibus
Facultates suae possessionis.

2. Servus Dei Victorinus
Se censens, quod sic minus
Satisfaceret eremiticae vitae,
Exorando cupiens solitarius
Monasticam habitationem
V. Inveniens situm loci
Subrupto lapide
Cellam sibi praeparavit.

3. Victorinus in spelunca
Iam suum firmaverat,
Incolatum, vox horrenda:
Vae, misera, sum perdenda,
Crudis feris esca deputanda.
V. Victorinus operam
dabat devotioni,
Toto corde insistebat
speculationi.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invoco te, Domine,
Serva me ab homine,
Hoc loco artitudinis
Sis virtus rectitudinis.

2. Sanctus ait Victorinus:
Verba mea audi, Deus,
Per crucis signationem,
Hanc seda temptationem.

3. Victorinus iam deprecatus
Sensit, quod sit sauciatus,
Tynthae hispidae contra vulnus
Petit remedium fratris.

Responsoria.

1. Concernens in se Victorinus
Inimici scintillam
Reseravit castra maxima,
Brevis sapor sceleris
Reddit calculum doloris:
Deus clemens sis mihi reo.
V. Super cellam Satanas
Confudebat sanctum,
Sanctus suspirans
Gemebundus resumebat.

2. Specu procreavit,
Quo et paenituit,
Cellam aperuit
Manus, scisso ligno clausit,
Quo per tres annos cibatus
A fratre sic vivebat
V. Praesul Victorinus,
Vis a luce mira
Ipsum liberavit
Et in cathedra sua collocavit.

3. Sanctus Victorinus
In praesulem electus
Fulsit signis variis
Sanando languidorum
Corpora, caecorum
Pandens clara
Luce luminaria,
Virtute divina gerebat
Dei dilectionem ad omnes,

V. Dilectus Deo et hominibus,
Fulcitus bonis operibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino confidendo
Victorinus et psallendo
Nunquam tamen desperavit,
Sed se poenae subrogavit
Voluntate propria.
2. Fac me tecum habitare,
Domine, quia memor fui
Iustitiae tuae solius.
3. Laetabor in virtute
Tua, Domine,
Et super salutare tuum
Exsultabit cor meum
In aeternum.

Responsoria.

1. Imperatore sub Nerva
Aureliani proterva
Mens irata fervide
Sanctum iubet Victorinum
Suspendere super rivum
Aquae valde foetidae.
V. Plebs implorat,
Sanctus orat:
O Domine,
Exaudi me
Pro te invocantibus.
2. O celebris archimandrita,
Spes et salus in hac vita,
O virtutum lucerna,
O pontifex venerande,
Fulci nos superna laude;
V. Praesta, pater, constantiae
Lucem, facem concordiae
Ad aeterna gaudia.
3. Felix sidus medicinae,
Lucens ut sol, Victorine,
Vera spes ecclesiae,
Hostis qui sis tutela,
Adversus morbos medela
Tempore angustiae;
V. Salve, praesul et patrone,
Tu sis salus nostrae coronae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mirabilis Dominus,
Quem sanctus Victorinus
In caeli laudat curia
Spreta mundi gloria.
2. Victorini constantia,
Quae servit cum laetitia
Christo, post exsilium
Sumpsit caeli praemium.
3. Virtutem Dei gloriae
Victorinus victoriae
In aethere contemplatur
Et cum sanctis gloriatur.
4. Sol, luna, benedicite
Et laudem Deo dicite,
Victorinus in caelestibus
Orat pro suis fidelibus.
5. Praesul alme Victorine,
Possessor caeli gloriae,
Te laudant turbae caelestinae,
Triumphantem hodie
Inter choros angelorum
Monarchiae,
Audi voces canentium.

Ad Benedictus.

A. Corpus terrae commendatur,
Anima caelo donatur
Per angelos deportata
Ad amoena caeli prata;
Voces sonant praelatorum,
Gaudent chori angelorum,
Dum Victorinus sanctorum
Adest contubernio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Felix ista patria,
Victorinus in qua natus,
Felicior, cui prodigiose
In praesulem datus

Felicissima Luthomisl, miraculose
Requiem ubi elegit;
O benigne tu patrone,
Ora pro nobis Deum.

Brev. ms. Plagense saec. 15. Cod. Plagen. s. n. — In 1. Vesp. **A** 3, 3 Vitta. — **A** 4, 2 Rerum vasa petit. — Ad Magn. **A**, 3 generosa. — Ibid. 8 ad Dominum. — In 1. Noct. **R** 2, 4 Manus manu. — In Laud. **A** 3, 2 Victorinum. — **A** 5, 6 Lies Coelestis monarchiae? — Hiezu der Hymnus Anal. IV, Nr. 480. In demselben ist 7, 1 zu lesen Csesar Nerva.

98. De sancta Wereburga.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo beata Dei,
cuius sacra festa diei
Corde celebramus,
rege nos prece, ne pereamus,
Esto tuis viva,
Wereburga, salus et oliva.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad fontem vitae,
sitientia corda, venite,
Cui moriens vivit,
sacra quem Wereburga sitivit.

Ad Nocturnos.

Ant. seu Resp.

1. Regis erat patris,
reginae filia matris,
Filia Sexburgae
sanctae mater Wereburgae.

2. Huius origo rosae
quam floruerit generose,
Ethelrida parens
testatur in ordine clarens,
Est cui Sexburga
soror et neptis Wereburga.

3. Linea regalis
Christo sanctimonialis,
Cui copulata datur
virgo Wereburga sa cata,
Intrat Eligensem
coetum vitando forensem.

4. Post obitum regis
Ulferi subiuga legis
Subdere cervicem
gaudet virgo genetricem,
Iamque Deo patri
fit praevia filia matri.

5. Rex Ethelredus,
iniens per saecula foedus
Cum Domino caeli,
monachus fit mente fideli,
Exemplum patruo
dat Wereburga suo.

6. Clauditur aucarum
cuneus gregis indomitarum,
Virginis huius agros
depopulantis et arva,
Quae veniam rogitant
nec tecta domestica vitant.

7. Agmina captiva
laxat pietatis oliva,
Et miseretur eis
virgo Wereburga choreis.

8. Cumque recessissent
volucres nec avem reperirent,
Quam puer occuluit,
quaeque retracta fuit;
Conveniunt, resonant,
per verba murmura donant,
Fit querela gravis,
ne revocetur avis.

9. Ad questus tales
abscondita redditur ales,

His Wereburga favet,
fur male facta pavet.

10. Cum pietatis homo
premeretur ab iniquitate,
Est egressa domo
sacra virgo fluens pietate.

11. Corruit ante pedes
supplex Wereburga lanistae,
Huic orans veniam
sed parcere noluit iste.

12. At dum sponsa Dei
scelus omne suae rabiei
Illi detexit,
Deus os post terga reflexit.

13. Luce sub aeterna
contemplans regna superna
Ante Dei faciem
perpetuumque diem,
Quo sponso plandis
dans illi cantica laudis.
Nos prece sidereo
da, Wereburga, Deo.

14. Sponsa redemptoris,
Corpus spoliata laboris,
Intrat promeritae
Wereburga cubilia vitae;
Laus sit honorque Deo,
quo fulgurat aucta tropaeo.

15. Mira Dei manus aetherei
facit intus et extra,
Dum veras firmasque seras
frangit sua dextra,
Stant foras insomnes,
intus sopor occupat omnes.
Corpus suscipiunt,
laeti de funere fiunt.

Cod. Londinen. (ol. S. Mariae de Ruford) Titus DXXIV. saec. 12. — In der Handschrift ist alles Vorstehende ohne Abteilung als ein fortlaufendes Gedicht geschrieben. Indes läfst der fehlende Zusammenhang und das sich deutlich als solches insinuierende Invitatorium erkennen, dafs ein Reimofficium vorliegt, ohne dafs es weiter möglich wäre zu bestimmen, welchen Platz in demselben die einzelnen sei es Antiphonen, sei es Responsorien einnahmen. —

99. De sancto Wilhelmo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, mater
fecunda liberis,
Quae serpentis
dum caput conteris,
Tuis caelos
alumnis aperis,
Quos victores
coniungis superis.

2. Grates Deo
reddamus seduli,
Qui sublatis
aerumnis saeculi,
Quod non novit
cor, auris, oculi,
Nostro gratis
concessit praesuli.

3. Sub aetate
Guillermus tenera
Blandis parcens
elegit aspera;
Dum virtuti
sic datur opera,
Legem carnis
lex domat altera.

4. Iam gaudere
nolens ad modicum
Adulescens
elongat publicum,
Mundum sibi
cognoscens vitricum
Pompam fugit,
evadit lubricum.

R. In agendis loco ducis
Instans preci verae lucis
Implorabat radios,

Crebro legit in scripturis,
Quibus doctus de futuris
Casus cavet noxios;
Sic praeventus de supernis
His scrutatur in lucernis
Motus mentis proprios.

V. Ut virtutum in affectu
Fetus gestet varios,
Virgas habet in aspectu
Gestus patrum praevios.

Ad Magnificat.

A. Magnifice
divinis laudibus
Vota reddat
exsultans anima,
A quo sumpsit
esse cum viribus,
Reparari
cum drachma decima,
Quam sponsavit
ornans monilibus
Et a paucis
vexit ad plurima,
Cum hanc iunxit
supernis civibus
Veritatis
iam cibans azyma.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsurgamus
mente iam sobria,
Nos populus
et oves Domini,
Pro collata
Guillermo gloria
Laudes eius
reddamus nomini.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christi paret
Guillermus legibus
Actu foris,
intus memoria,
Legem vitae
tenet in moribus,
Et in lingua
lex est clementia.

2. Helisaei
tenens consortium
Iugum spernit
ferre cum impiis,
Ne cum illo
portet repudium,
Qui pro iugis
se privat nuptiis.

3. Cor dilatat
diffusa caritas,
Quo plus iustum
artat afflictio,
Sic Hebraeis
surgit fecunditas,
Quanto maior
urget suppressio.

4. In conspectu
divino dirigit
Gressus mundam
percurrens orbitam,
Viam rectam
consultus eligit
Se per artam
restringens semitam.

5. Elevatur
ad nutum gratiae
Nostra spirans
ad auram aquila,
Escam mentis
contemplans acie
In superna
vitali simila.

6. Ut quiete
cum sponso dormiat,
Nidum sibi
ponit in arduo,
Montem petit,
ut turbam fugiat
Christo iunctus
amplexo mutuo.

Responsoria.

1. Primum sonet
in laude praesulis
Conditoris
honor et gloria,
Qui diffusis
donorum rivulis
Patrem nobis
dedit in patria,
Cuius vita
quam digna titulis,
Certa [nobis]
probant indicia.
V. Signis fulget fide plenus
Clarum gerens ortum, genus
Ex illustri Gallia.

2. Flos erumpens in novella
Planta puri corporis,
Ne laedatur a procella
Circumventi pectoris,
Munda transit carnis cella
Scirpi clausus in fiscella
Foedi fluxus temporis;
V. Non irrumpit cordis templum,
Quod fit casus in exemplum
Sub elapsu temporis.

3. Ne seducant mundi vana
Cor illustris pueri,
Sensus regit aetas cana,
Fiunt opes oneri,
Iam concepta mente sana
Mox exsurgens in montana
Subit raptu celeri;
V. Christum sequens pacis via
Nudus fugit cum Helia
Sub umbra iuniperi.

4. Igitur cum ambitu
Spreta mundi cura
Ductus est a spiritu
Sub claustri censura
Commutans cum habitu
Pro summis casura,
Per quod in introitu
Non formidat dura;
V. Spe suspensa muneris
Relevatur oneris
Amore pressura.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ingressurus
praesul oraculum
Mentis vultum
lavat a maculis,
Fons emanat
iugis per oculum,
Labrum supplet
factum de speculis.
2. Vitam petit,
quam dat dilectio,
Fides et spes,
his pro virtutibus
Quaerit pulsans,
sub hoc ternario
Tribus gaudet
amici panibus.
3. Super aquas
cum Noe fabricat
Arcam cordis
complens in cubitum,
Cum et mundi
contemptum applicat,
Actionis
finalem exitum.
4. Recte laudes
attollunt strenuum,
Quem non flectunt
a recto prospera,
Iuste gaudet
de fructu manuum,
Quem commendant
in portis prospera.
5. Hymnum dicat
praesens collegium,
Christum decent
ipsum praeconia,
Qui assumpsit
in regni solium

Patrem replens
bonis in gloria.

6. Huius odor
ut cedrus Libani
Vitae bonis,
mortis ad exteros,
Qui nunc gaudent
ad sonum organi,
Sed in puncto
ruunt ad inferos.

Responsoria.

1. Summo tendens in amore
Per voti expendium
Gradus coepit a timore,
Sic per septenarium
Scandens gustus in sapore
Firmat aedificium,
V. Factus summi nutu regis
Dux Karoliloci gregis
Pastor et praesidium.

2. Pater sanctus, dum consultum
Tenet solitudinis,
Pascens sibi consepultum
Summi gregem numinis,
Ut det palmes fructum multum,
Purgat mentem, corpus cultum
Iugo reddit ordinis;
V. Ne clamoris det tumultum
Terra deflens hominis.

3. Servit Iacob pro Rachele
Per vitae septennium,
Urit aestus, sed querelae
Sopit amor taedium,
Ad amplexus traxit Liae,
Gemens cedit fraudi piae
Morem videns patrium.
V. Delicati somnum thori
Turbat lippa, cum labori
Sanctum datur otium.

4. Adhuc latens in deserto
Lucerna sub modio
Dare lucem in aperto
Procedit in medio,
Minat oves gressu certo,
Vagam ponit in lacerto
Reportans ab invio;
V. Clamat vigil oculus,
Quod sit praesul sedulus
In ovili proprio.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. In canticis labiorum
Laudis sibi laxet lorum
Vox una laetantium,
Rachel plorans consolatur,
Vox in Rama iam mutatur
Maeroris in gaudium.

Responsoria.

1. Hic primatu fungitur
In sede Biturica,
Nec virtutum fabrica
Flatu laudis quatitur,
Supra petram figitur
In virtute modica;
V. Frustra rete iacitur,
Dum pennatis tenditur
In aspectu pedica.

2. Forma gregis populo
Gestis monstrat oculo
Leges aequitatis,
Mel perfectis pabulo,
Lac ad potum parvulo
Sub lingua primatis,
Verbum non adulterat,
Dum dictis aequiperat
Facta probitatis.
V. Iugum tollit umeris,
Quod imponit ceteris
Doctor veritatis.

3. Sub undenae pondus horae
Sudans ab infantia
Sero facto de labore
Vocatur ad praemia;
Denario gaudet pari
Stella fulgens singulari,
Sumpturus duplicia.

V. Nova iusto lux est orta,
Transit luctus, cum absorpta
Mors est in victoria.

4. Pater, precum in hac hora
Sub noctis silentio
Nostra tibi sit decora
Laus, placens devotio;
Sic concordent mens et ora,
Quod post mortem sine mora
Tu sis nostra portio.

V. Pater sancte, gregem fulci
Ducis prece tuo dulci
Nos fovens in gremio.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Vocem laudis
affectus iubilo
Deo solvens
te, grex, exhilara,
Melos cordis
cum vocis sibilo
Dat iucundum
psalmum cum cithara.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex invictus,
Dux patris ad bravium,
Qui conflictus vicit ictus
Graves ferens hostium,
Ut vi mortis arma fortis
Frangens, vires sontium,
Nos in portis ditet sortis
Dans supernae gaudium.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Primo mane
iunctus agricolis
Exit vitis
patris ad opera,
Nil commune
gerens cum subdolis
Diem portat
et aestus pondera.

Ad Tertiam.

A. Ter exponit verberi
Reducens itineri
Cum mago iumentum,
Fami, flagris, operi,
Carnis quaerens conteri
Lascivae fermentum.

Ad Sextam.

A. Sexta fiunt tenebrae,
Dum cor inflammatur,
In qua sancto celebre
Nomen occultatur,
Ne quid cernant palpebrae
Quo mens extollatur.

Ad Nonam.

A. Novem regis cubitorum
Lectulus ostenditur,
Cum coetibus angelorum
Novem praesul iungitur
Quo quiete post laborum
Aestus Deo fruitur.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Mane nobiscum vespere,
Ne nox subrepat scelerum,
Dans precum patris munere
Rectos progressus operum.

2. Agat cor vigil spiritu
Vices, dum pausant corpora
Litis sopito strepitu
Pacis succedant tempora.

3. Nullo iam fine clauditur
Vivens iusti memoria,
Cuius ubique spargitur
Lucens signorum gloria.

4. Mors in piscina corruit
Languens sub eius pedibus,
Opem, qua cunctis affluit,
Pastor non neget ovibus.

Ad Magnificat.

A. Magnificat
sponsum in numine
Sponsa, cuius
trina potentia
Trinitatis
splendet imagine,
Trinae dotis
iam fulgens gloria,
Pio cuius
sponsus precamine
Nos ascribat
ad vitae praemia.

Brev. ms. Wettingense saec. 13. Cod. Aaraugien. W 7. **A**. — Antiph. ms. Hilariense anni 1632. Cod. Hilarien. V. B. — In B fehlen Matutin und Laudes. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 sq. Quae caput serpentis conteris B. — **A** 3, 2 Guilelmus B. — Ad Prim. **A**, 6 cum fehlt B. — Ad Tert. **A**, 3 Cum in agone iumentum B. — In 2. Vesp. **A** 1, 2 fratris B. — **A** 2, 1 vigili B. — **A** 3, 4 signorum memoria B. — Hymnen: Ad Vesperas: Iesu corona celsior (Anal. IV, 259); Ad Complet.: Enixa est puerpera (Rom. Forsch. IV, 489); ad Tert: A solis ortus cardine (Ibid. 489 sq.). In **A** von anderer Hand die Worte beigefügt: „Frere Nicolas liger religieux de Barbenn.“ Ob dieselben auf den Verfasser hinweisen?

100. De una Electa.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laudemus Christum Dominum
In hac sancta famula,
Quae post carnis terminum
Inventa sine macula
Gaudet in regno luminum
Cum Christo in saecula,
Qui solvat mole criminum
Nos eius prece sedula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Corde et voce Deum
cuncti laudare venite,
Qui dedit aeterna
[Hedwigi] gaudia vitae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In sancta sua famula
Deum admirabilem
Laudemus mente sedula,
Omnibus laudabilem.
2. Ancillae Christi opera
Virtutum narrent aethera,
Caeli gaudent per saecula.
3. [Hedwigis] conversatio
Exstitit angelica,
Cuius nos oratio
Trahat ad regna caelica.

Responsoria.

1. Gaude, sponsa Iesu Christi,
Pro quo terrena sprevisti,
Sed ad Christum pervenisti,
Quem toto corde dilexisti.
V. De valle miseriae
Transisti ad regem gloriae.
2. Salve hostium triumphatrix,
Mundi, carnis superatrix,
Tu clara virtutum operatrix,
V. Salvatoris imitatrix,
Sis nostra pia suffragatrix.
3. Laus tibi Christe, rex amabilis,
Per quem triumphat sexus
fragilis,
Cui contra hostes victoriam
Das et virtutum gratiam.
V. Quia gloria virtutis sanctorum
Tu es, Iesu bone, et merces
eorum.

In 2. Nocturno.

Ad Magnificat.

1. Exaudi nos, Dei famula,
Et duc ad vera gaudia,

Memor esto te laudantium
Tui memorum fidelium.

2. Tu templum sancti spiritus,
Quod illustravit caelitus,
Nobis praeclara domina,
Defer Christi solamina.

3. Mors tua est triumphalis,
Memoria immortalis
Et gloria perennalis.

Responsoria.

1. Quae spretis mundi lubricis
Laetaris in hymnidicis
Choris angelorum canticis,
Audi preces plebis supplicis,
V. Fruens gaudiis caelicis
Et praemiis magnificis.

2. Haec Dei prudens famula
Laudavit usque ad mortem
Dominum mente sedula,
Quam sanctorum fecit consortem;
V. Translata ab exsilio,
Regnans in caeli solio.

3. Sancti spiritus unctio
Te salutis oleo unxit
Et divino solacio
Te sanctis suis coniunxit,
V. In caelesti hierarchia
Decoratam aeterna gloria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omni desiderio
Tendens ad caelestia
Omnis tua actio
Fulsit sanctimonia.

2. Humilium exaltatio
Est Christus et salvatio,
Filia Sion angelica
Audit exsultans cantica.

3. Quae Dominum iugiter
Toto corde dilexit,
Hanc ipse feliciter
Ad aethera provexit.

Responsoria.

1. Thesauro sui sanguinis
Margaritam comparavi,
Hanc Christus et in luminis
Perennis throno locavit,
V. Gratia sacri flaminis
[Hedwigem] sanctificavit.

2. Ave, veneranda domina,
Tu sanctitate eximia
Caeli transcendis limina,
Cum de maerore ad gaudia
Et de labore ad praemia
Translata es caelestia;
V. Perenni gaudes gaudio
Dei corregnans filio.

3. Nobis tua sollemnia
Devote recolentibus
Esto, mater, propitia
Nos tuis iuvans precibus,
V. In hac die laetitiae
Fer nobis donum gratiae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induta Dei famula
Virtutum pulchritudine
Regnat cum Christo per saecula
In caelesti lumine.

2. Haec de valle tristitiae
Intrans regnum laetitiae
Regnat cum rege gloriae.

3. Haec ad Christum iugiter
Pervenire sitivit,
Cui vivens feliciter
In sanctitate servivit.

4. Benedicimus Dominum,
Qui [Hedwigem] laudabilem
Post huius vitae terminum
Exaltavit humilem.

5. Senes cum iunioribus
Exaltent nomen Domini,
Qui nos [Hedwigis] precibus
Sanctorum iungat agmini.

Ad Benedictus.

A. Virtutibus decorata
[Hedwigis] Christo servivit,
Caritate inflammata
Iesum sponsum concupivit,
A quo gloria coronata
Caeli gaudium introivit,
Haec nos iuvet prece grata,
Quae cum Christo semper vivit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ancillam suam humilem,
Rex Christus exaltavit,
Dum post vitam flebilem
In caelo hanc locavit,
Quae nobis placabilem
Deum reddat, quem amavit.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. A. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. B. — Brev. ms. S. Annae Pragen. saec. 16. Cod. Pragen. XII D. 3. C. — Brev. FF. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. D. — A giebt das Officium als de s. Maria Aegyptiaca, C als de sancta Hedwige, BD als de communi. — In 1. Vesp. Super Ps. hat B die folgende **A**:

Dies adest laetitiae,
Qua carnis soluta nexibus
N. rex gloriae
Iunxit sanctorum coetibus,
Prece cuius, Iesu pie,
Nos iunge caeli civibus.

Ad Magn. **A**, 7 a mole C. — Ad Matut. das Invitatorium lautet in C:

Laudemus in saecula regem saeculorum,
Qui beatam Hedwigem, matrem orphanorum
Coaequavit meritis sanctorum.

In 3. Noct. **R** 1, 2 Hanc margaritam C. — **R** 2, 1 O veneranda C. — Hymnen: In 1 Vesp.: Gratuletur ecclesia (Anal. XXIII, Nr. 143); in Laud.: Haec summi regis famula (Ibid. Nr. 144).

ANHANG.

BRUCHSTÜCKE VON REIMOFFICIEN

in Cod. Colonien. 28.

1. Achatii et sociorum martyrum, 22 Iunii. 1° [fol. 97 b]. Zwei Antiphonen unbekannter Herkunft. **A** ad Magn.:

Magna laude,
Gaude, plaude,
Ecclesia, totis viribus,
Fecundata,
Decorata
Millenis martyribus,
Qui in cruce
Christo duce
Vicerunt minas gentilium,
Flagellati, morti dati
Sequuntur Dei filium,
Qui est vera salus [mera]
Spes et rector humilium.
Quem orate,
Impetrate,
Ut post carnis exsilium
Nobis pacem
Det veracem
Aeternum et auxilium.

A. O Achati, Hermolae,
Elyethes, Menelae,
Et Albine, duces fortes,
Impetrate nos consortes
Esse sempiternae lucis
Per virtutem vestrae crucis.

2° [fol. 168a]. Noch folgendes **R** gleichfalls unbestimmter Herkunft:

R. Adest dies veneranda,
Digna laude celebranda,
Qua mundana exsilia
Transcendunt decem milia.
V. Ista dies laeta conservetur sine meta.

2. Adriani martyris, 4. Martii, [fol. 142b]. Zwei **AA**, die beide dem Officium Anal. XXV, Nr. 4 fremd sind:

A. Pie martyr et modeste,
Congaudes sanctis honeste,
Amictus [es] alba veste
Nunquam transitorie;
Nos supplices laudantes te
Conserves ab omni peste
Et perducas ad caeleste
Iubar verae gloriae.

A. Magne martyr Adriane,
Flos Graecorum, odor Galliae,
Detergat nostra crimina
Tua cruoris purpura,
Ut Deum nostra anima
Magnificet per saecula.

3. Agricii, episcopi Trevirensis et confessoris, 13. Ian. [fol. 58a]. Inv., **A** ad Magn. in 1. Vesp., **A** ad Magn. in 2. Vesp., **A** ad Bened. aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 5.

4. Alardi abbatis, 2. Ian. [fol. 237a]. Folgende Verse, die einem Officium, die aber auch einer Sequenz oder einem Hymnus entnommen sein können:

O virum nobilem,
De terra caelibem,
De terra genitum
Iam caelo redditum;
O pater celebris,
Alarde, filiis
Adesto precibus
Nostris et laudibus,
Pulsis serpentibus
Et malis omnibus
Opem fer, quaesumus,
Nobis assiduus.

5. Albani, presbyteri et martyris, 21. Juni [fol. 55a]. Folgende Bruchstücke eines unbekannten Officiums:

Inv. Sanctorum regi iubilemus laude celebri,
Qui dedit Albano secum regnare beato.

A. Celebret laetus sollemnia gaudia coetus
Martyris Albani caelo terraque sacrati.

A. Inclitus Albanus, fidei virtute probatus,
Exponendo fidem sectas damnabat ibidem.
In manibus sumptum caput a cervice revulsum
Illuc adducit, ubi nunc in pace quiescit.

6. Albini [sic], protomartyris Britanniae, 22. Junii [fol. 65b]. Auf das Inv. ein **R** und **A**, die sämtlich prosaisch sind, folgt:

Inclitus Albinus, non vulpinus sed ovinus,
Mentes vulpinas prece corrigat atque lupinas.

Salve, sancte pater, Britannorum genteque martyr,
Cis eras atque pater tu marquetyrum modo frater,
Proque tuis caris dominantem namque precaris.

Ave, protomartyr Anglorum,
Miles regis angelorum,
O Albine, flos martyrum
Velut rosa vel lilium,
Funde preces ad Dominum
Pro salute fidelium.

Da letztere **A** de communi und auf viele Heilige angewandt ist, den vorstehenden Leoninischen Versen aber nicht anzusehen ist, ob sie zum Officium zählen oder nicht, bleibt es zweifelhaft, ob dies zum Teil rhythmisch war oder nicht.

7. Alexandri, martyris Lugdunensis, 24. Apr. [fol. 153a]. Eine **A**, ad Nunc dimittis?

A. Ave, clemens martyr Christi,
Sancte Alexander,
Serto fulgens aureo,
Audi preces humilium
Ad te pie clamantium;
Conserva nos vigilantes
Et custodi dormientes,
Ut in Christo vigilemus
Et in pace quiescamus.

8. Alexii confessoris, 17. Julii, [fol. 90b]. Nur folgende Verse ohne Bezeichnung und unbekannter Herkunft:

O lilium munditiae Relinquens sponsae thorum,
O rosa patientiae Probra ferens servorum,
Diu latens es viola Factus humilitatis,
Iunge potens caelicola Nos, Alexi, beatis.

9. Ambrosii, episcopi Mediolanensis, 1° 4. Aprilis [fol. 57b]. In keinem der bekannten Officien finden sich die Bruchstücke unserer Hs.:

Inv. Cuncti laetemur, Christum regem veneremur,
Qui dedit Ambrosio regna superna pio.

A. Magnificat ecclesia
Te vota per fidelia,
Christe Iesu salvator,
Per quem nobis Ambrosius
Veritatis egregius
Est datus praedicator,
Obscuras qui prophetarum
Nobis voces fecit clarum
Lumen voce sedula
Huius prece duc in caelos
Nos, Deus, ut tibi melos
Solvamus per saecula.

A. O praesul admirabilis,
Doctor veritatis,
Vere desiderabilis
Odor suavitatis,
Nobis sis affabilis
Motu caritatis,
Ambrosi amabilis,
Et da claritatis
Regnum, ne nos instabilis
Mundus vanitatis
Abstrahat a pabulis
Verae deitatis.

Am Rande ist sodann ohne nähere Bezeichung nachgetragen:

Ave, Ambrosi, doctor egregie,
Clarum lumen militantis ecclesiae,
Digne sacerdos et pontifex,
Deo placens bonorum opifex,
Tuis nunc dignis meritis
Solve nos nexu criminis
Et post cursum huius vitae
Participes facias
Sempiternae vitae.

Hierauf folgen noch vier Strophen ex hymno. Die erste beginnt mit den Worten: Ambrosius, vir fidelis.

2° 7. Dec. [fol. 220a]. **A** O flos cleri principalis, übertragen von Augustin; vgl. Anal. V, S. 137.

10. Amoris confessoris, 8. Oct. 1° [fol. 62a]. Nur das Invitatorium ist metrisch:

Sanctus Amor sensu verbo factisque beatus,
Usibus hic frugi propriis et largus egenis.

2° Zwei weitere prosaische **AA** [fol. 87b]. — 3° [fol. 201 a]:

R. Adiuva nos, pater sancte,
Te rogamus, Amor pie,
Et tu semper miserere
Orantium toto corde.
V. Funde preces Domino pro nobis,
Alme Amor, in saecula.

A. O Amor, venerande confessor,
Caelestis patriae adoptivus possessor,
Contra malignos spiritus
Sis nobis defensor,
Et pro delictis, quaesumus,
Apud Doum pius intercessor.

11. Annae, matris B. M. V., ohne Datum, [fol. 235a]. Zwei **AA** und ein **R** aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 19.

12. Aniani, episcopi Aurelianensis, 17. Nov. et 14. Jun. [fol. 62b]. Inv. **A** ad Bened., **A** ad Magn. 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XIII. Nr. 10.

13. Annonis, archiep. Colonien, 4. Decemb. [fol. 52b]. Inc.: In Annonis annua veneratione. Invit., 1 **A**, 2 **RR** u. eine pros. **A** aus dem Reimoff. Anal. XIII, Nr. 11. Am Schlusse noch:

O rosa rubens, vernula,
Candescens mundi lilium,
Fecundi fructus plantula
Anno, pontifex Christi,
Gregem fratrum simplicium
Aspiciens, compatiens
Fove, quos genuisti.

Derselbe wieder [fol. 75a]. 1 **A** und 2 **RR** aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 11.

14. Anscharii, episcopi et confessoris, 2. Feb. [fol. 237b]. **A** ad Magn. 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 12.

15. Anselmi, archiepiscopi et confessoris, 21. Apr. [fol. 82b]. Nur eine **A**:

Inclite doctor, ave, praeceptor idonee, salve
Tu lumen caecis, tu das vestigia claudis,
Solamen maestis precibus pia vice rependis;
O praesul pie, Anselme, nobis miserere.

16. Antonii, abbatis et confessoris, 17. Jan. 1° [fol. 93b]. Die rhythmische **A** ad. Magn. Dies ista celebris etc. sowie das Invit. Iubilemus voto pari gehören zu einem verbreiteten, im übrigen aber ganz prosaischen Officium. Vgl. z. B. Brev. Romanum completissimum, Venetiis 1525, S. 251 u. f. — 2° [fol. 128b]. Eine unbekannte **A**: Collaudantes veneremur Beatum Antonium etc.

17. Antonii, confessoris ordinis minorum, 13. Junii [fol. 59b]. Invit. und 1 **A** aus dem Offic. Anal. V, Nr. 42; Strophe 1 des Hymnus En gratulemur hodie Mone III, 203.

18. Apolloniae virginis, martyris, 9. Feb. 1° [fol. 111b]. Die **A** Christi martyr (al. Virgo Christi) egregia, Anal. XXV, S. 108, sowie die folgende:

O martyr Apollonia,
Quae malens per incendia
Christi sequi vestigia
Quam verba fari turpia,
Dolorem passa dentium
Tu culpas tolle mentium
Pro nobis orans Dominum,
Ut caeli det fastigium.

2° [fol. 137b]. Eine **A** unbekannter Herkunft, an die sich wieder Virgo Christi egregia etc. anschliefst:

A. Laetetur mater ecclesia
In hac die sacra
Beatae virginis
Apolloniae sanctificata,
Quae hodie ad aethereum
Thalamum sublimata
Apud Christum regnat coronata.
O beata Apollonia,
O pia consolatrix miserorum,
Intercede pro nobis ad Dominum.

19. Arnoldi confessoris, citharoedis, 18. Julii, [fol. 111a]. **A** ad Magn. 2. Vesp. aus dem Offic. Anal. XXV, Nr. 38 in zwei **AA** aufgelöst.

20. Arsenii, 19. Julii, [fol. 177b]. Ein **R** ungewisser Herkunft:

R. Exemplar morum nec non speculum monachorum,
Arseni (pater) clarum nos duc per iter tibi;
Huius deserti fac nos intendere bellis,
Ut tecum certi iungamur in aethere stellis.
V. Cernere fac tecum Christum gaudereque secum,
In quem desiderant angeli prospicere.

21. Asellae virginis, 6. Dec. [242a]. Die folgenden Verse werden in der Handschrift als *Rigmus* bezeichnet.

Virginis Asellae statum
A te dudum approbatum,
Immo prius in se natum
Ac deinde consummatum,
Bone Deus, memorantes
Et ob eam te laudantes,
Quantum possumus, precamur,
Ut hic ita mereamur
Vivere, quod per eandem
Plene te fruamur tandem.

22. Attalae virginis, 3. Dec. [fol. 115b]. Nur eine **A**:

Insigni laude gaude, pia contio, plaude,
Plebs, Attalae festo iubilum de corde modesto.
Luce sub hac caelis fuit insita virgo fidelis;
Haec favet aegrotis, sanos fovet optima notis.

23. Athelberti, regis Angliae et martyris, 20. Maii [fol. 83a]. Zwei **AA**, die auf ein Officium zu deuten scheinen:

A. Salve, martyr Athelberte,
Flos et decus Angliae,
Hoste strato detur per te
Tuae pax ecclesiae,
Apud Christum impetretur
Cum augmento gratiae.

A. Inclinatos tuae laudi,
Rex et martyr, nos exaudi,
Tua prece placa Deum
Et offensum da placatum
Summi regis filium.

24. Athelberti, regis Cantiae et confessoris, 24. Febr. [fol. 83a]. Zwei **AA** eines unbekannten Officiums, die erste augenscheinlich **A** ad Magnificat:

A. Magnificat miraculis
Athelbertum divinitas,
In quo cunctorum oculis
David fulsit humilitas,
Salomonis serenitas
Et Ezechiae veritas,
Quem gratiarum titulis
Sollemnem fecit populis
Iosiae benignitas.

A. Rex Athelbertus angelis
Coniunctus in caelestibus
Suos alumnos protegat
Et Anglis pacem tribuat,
Ut Christo semper serviant
Et serviendo gaudeant.

25. Auctoris, episcopi Trevirensis, 20. Aug. [fol. 221b]. Die zwei ersten **AA** und das **R** der 1. Vesper aus dem Officium Anal. XIII., Nr. 16.

26. Augustini, episcopi Cantuariensis, confessoris, 26. Maii [fol. 83a]. Folgende **A**, die dem Officium Anal. XIII, Nr. 17 fremd ist:

Anglorum primas et pontificalis honestas,
Augustine pater, meritis nos protege semper,
Ne laedat zabulus, commisit quos tibi Christus.

27. Aureae virginis, abbatissae, 4. Oct. [fol. 76b]. Zwei **AA**, wie es scheint, aus einem Officium:

A. Sicut bona margarita
decoratur laurea,
Sic virginum fulget chorus
et ornatur Aurea.

A. Beata virgo Aurea,
Fulgens in choro virginum,
Compta caelesti laurea,
Pro nobis ora Dominum.

28. Autberti, episcopi Cameracensis et confessoris, 13. Dec. [fol. 58b]. Invit., **A** und **R**. Nur das Invit. ist in gereimten Hexametern abgefafst, **R** und **A** prosaisch, wie das ganze Officium. Dann folgt Str. 1 aus dem Hymnus Autberte praesul inclite (Anal. XII, Nr. 151); endlich:

Ave, pontifex Autberte,
Cuius virtutes expertae
Renident et solamina,
Quae fiunt illis apertae,
Qui pulsu fidei certae
Tua quaerunt iuvamina.

Per te gratia divina
Lapsis confert levamina,
Rogamus sancte, pater te,
Fer opem, da precamina
Pro nobis et gravamina
Procul a nobis averte.

V. Christi confessor caelos, Autberte, decorans,
Sis intercessor pro nobis iugiter orans.

Ob dies Stück ein **R**, ein Tropus oder etwa ein Reimgebet, bleibt ungewifs.

29. Barbarae, virginis ac martyris, 4. Dec. [fol. 92b]. Invit.: Adoremus regem regum, Anal. XXV, S. 120. Dann folgen zwei **AA** unbekannter Herkunft, von denen die zweite als **A** ad Magn. bezeichnet ist:

A. Laus, honor, benedictio,
Salus, gratiarum actio
Sit nunc atque perpetuo
Glorioso Dei filio,
Qui Barbarae hoc certamine
Digne pro merito
In sui caeli palatio
Caelesti coronavit bravio.

A. Virgo, cuius magna devotio,
Cuius oris iusta confessio
Testificata et scripta est sanguine proprio,
Obtineas nobis a Dei filio,
Ut nobis tribuatur peccatorum remissio,
Et finito praesentis huius [vitae] exsilio
Nobis concedat in caeli solio
Tecum sanctorum beato frui consortio.

Hierauf **A** ad Magn.: O pulchra praecipuum etc. Anal. XVIII, S. 31.

30. Bartholomaei apostoli, 1° 24. Aug. [fol. 99b]. **A** 1 und **R** 1 aus der 1. Noct. des Officiums Anal. V, Nr. 50; nachgetragen zwei prosaische **AA**.

2° in crastino conceptionis, [fol. 234b], translat. Eine **A** unbekannter Herkunft: Audi servorum clemens pia vota tuorum etc., die dem angezogenen Officium fremd ist.

31. Basini, episcopi et confessoris, Kal. Jan. [fol. 62b]. Alles prosaisch. Am Rande: O praesul admirabilis etc. wie oben bei Ambrosius.

32. Basini, episcopi et confessoris, 4. Martii. [fol. 142b]. Nur eine A ungewifser Herkunft:

A. Salve, praesul Deo digne
Basis templi, o Basine,
Funde preces creatori,
Nostro parcat ut errori
In hac vita misera.

33. Beati presbyteri, 26. Julii, [fol. 180a]. Zwei AA, wie es scheint, aus einem Officium, aber entlehnt:

A. Magna te Deum cantica
Clara decent per omnia,
Cuius virtute dexterae
Sanctus(Beatus) splendet in aethere;
Eius nos, Iesu, precibus
Peccati solve nexibus.

A. O sancte pater Beate,
Nos a mundi munda sorde,
Aufer offendicula,
Inter hostes via tuta
Deduc nos [iam] resoluta
Peccatorum nebula.

34. Benedicti, abbatis et confessoris, 1° 21. Martii, [fol. 95a]. A ad Magn. und Invit. aus dem Officium Anal. XXV, Nr. 145.
2° 11. Julii [fol. 175b], translat. Zwei AA unbekannter Herkunft:

A. Ave, pater Benedicte,
Monachorum dux invicte,
Tuis nos suffragiis
Deo notos fac et gratos
Ac monastice probatos
Vitae testimoniis.

A. Sanctissime Benedicte,
Egregie dux invicte,
Perduc nos ad viam rectam,
Ad regionem electam.

35. Benigni, episcopi et martyris, 1. Nov. [fol. 64b]. Aus einem von Anal. XVIII, Nr. 13 verschiedenen Officium:

Inv. Martyris egregii recolentes festa Benigni
Psallamus Christo, quem decet omnis honor.

R. Sancte Benigne, Christi martyr,
Audi rogantes servulos etc.

Da dies R auf zahllose Heilige verwertet ward, bleibt es zweifelhaft, ob ein Reimofficium vorliegt.

36. Berlindis virginis, Idibus Sept. [fol. 239b].

O pia Berlendis nobis insiste tuendis,
Iam assumpsisti sponsalia dulcia Christi,
Inclita sponsa Dei, memor esto per omnia nostri,
Ut tua precatio sit consolatio nostra.
Sancta Dei, tenebras dignare repellere nostras
Acquirens nobis aeternae gaudia lucis.

37. Bernhardini, ordinis Minorum, 20. Maii, [fol. 106a]. Folgende A oder Invit. [?] unbekannter Herkunft:

Patris sancti Bernhardini
Memoriam recolamus,
Tamquam vel [l. veri?] peregrini
Patriam repetamus.

Darauf folgt die **A**: (O) splendor pudicitiae etc. Anal. XXV, S. 159.

38. Bertini abbatis, [fol. 191b]. Verse unbestimmter Herkunft, mit V. bezeichnet:

Gloria sanctorum, Deus, accipe vota tuorum
Nosque tuas laudes in Bertino venerantes
Respice placatus nostros solvendo reatus.

39. Bertulphi confessoris, ohne Datum, [fol. 235b]. Invit., eine **A** und ein (prosaisches) **R** aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 25.

40. Bernwardi, episcopi et confessoris, 1° 20. Nov. [fol. 221a]. Invit., drei **AA**, ein **R** aus dem Officium Anal. V. Nr. 53.
2° 16. Aug. [fol. 221b], translat. Bernwardus vita, moribus etc. als **A** bezeichnet, eine Str. aus dem Hymnus Anal. XI, Nr, 149; dann **A** O gemma Saxoniae etc. Anal. V, S. 157.

41. Bibianae (Vivianae), virginis et martyris, 2. Dec. [fol. 115b]. Nur folgende **A** (Sequenz?):

Ave, summi regis sponsa,
Sancta virgo Viviana,
Martyr caelo coronata
Cum caelesti gloria,
Supplicamus, nos commenda
Christo regi, gloriosa,
Ut a vita aerumnosa
Ducat ad caelestia.

42. Birgittae viduae, 23. Julii, [fol. 108b]. **A** Rosa rorans bonitatem etc. Anal. XXV, S. 162; **A** O Birgitta, murrae gutta etc. ebenda S. 165; **A** Ministrans pauperibus etc. ibid. p. 163.

43. Blasii, episcopi et martyris, 3. Feb. [fol. 77b]. **A** Ave praesul honestatis etc. Anal. XVI, S. 62.

44. Calixti, papae et martyris, 14. Oct. [fol. 60a]. Aus einem von Anal. XVIII, Nr. 17 verschiedenen Officium:

Inv. Omnes iubilemus
Deumque laudemus
Mortis pro victoria,
Qui Calixto sedem
Dedit in mercedem
Cum sanctis in gloria.

A. O rex Christe, da, quod iste
Martyr bonus sit patronus,
Iuvet nos precamine,
Ut tuorum sanctorum
In coetu sine metu
Simus mortis ab examine.

A. O Calixte, quo felix [te]
Supernorum gaudiorum
Condelectat portio,
Nos gaudentes
Et psallentes
De te tibi
Iungas [ibi]
(In) sanctorum consortio.

45. Cannici abbatis, 11. Oct. [fol. 202b]. **A** ad Magn. 1. Vesp. aus dem Officium Anal. XXV, S. 185 und die **A** Ave confessor nobilis etc. a. a. O. S. 187.

46. Castoris, presbyteri et confessoris, 4. Feb. 1° [fol. 54b]. **A** ad Magn., Invit. **AA** ad Bened. et Magn. 2. Vesp. aus dem Offic. Anal. XIII, Nr. 32.
2° [fol. 89b]. **R** Sanctus Castor a puero etc. Anal. l. c. sq., das aber als **A** bezeichnet ist; dann **A** ad Magn. in 2. Vesp.

47. Claraе virginis, 12. Aug. 1° [fol. 89a]. **A** Francisci pia [l. prima] plantula etc. Anal. V, S. 158, sowie eine unbekannte **A**: Instar solis speciosa, Clara virgo generosa etc.
2° [fol. 184b]. Die **A** Salve sponsa Dei etc. a. a. O. S. 159.

48. Colendae virginis, 13. Maii [fol. 223b]. Nachtrag einer späteren Hand (saec. $^{15}/_{16}$):

Speciosa iam in caelis
Virgo simplex et fidelis
Coram Deo gratulatur,
Iam in sponso delectatur.
Iam videt, quod optaverat,
Iam habet, quod amaverat.
Haec amando triumphavit
Et in fine transvolavit
Ad palmam victoriae,
Ubi cum sanctis ceteris
Oret pro nobis miseris
Regem caelestis gloriae.

49. Colomanni martyris, 13. Oct. 1° [fol. 203a]. **R** Iesu sequens vestigia etc. Anal. XIII, S. 96. — 2° [fol. 220b]. **A** Benedictus sit Dominus etc. l. c. p. 98.

50. Columbae, virginis et martyris, 31. Dec. [fol. 56b]. Enthält Inv., **R**, **A** eines unbekannten Officiums. Da aber **R** und **A** prosaisch sind, dürfte das Officium ganz oder doch zum Teile ein prosaisches gewesen sein. Das Inv. lautet:

Emicat alma dies, Christi depromite laudes,
Sanguine qui sponsam voluit decorare Columbam.

51. Conceptionis B. M. V. 8. Dec. 1° [fol. 116]. **R** Hodie concepta est etc. Anal. V, S. 51; **A**: Ave, decus virgineum etc. Ibid. p. 47. Aufserdem die **A**:

Salve, virgo gratiosa,
Mater Dei gloriosa
In caelesti curia,
Tota pulchra, praeelecta,
Sine labe es concepta
Speciali gratia.

2° Octava Conceptionis B. M. V. [fol. 118b]. Folgende Verse ohne Bezeichnung und ungewisser Herkunft:

O Maria, mater pia,
Finis et exordium,
Posce natum, ut optatum
Det nobis remedium,
Quo sanati sauciati
Sine sorde vulnerum
Transferamur et ducamur
In sanctorum numerum.

52. Cornelii, papae et martyris, 14. Sept. [fol. 71a]. Auf zwei prosaische **AA** folgt eine rhythmische, aus der ein Schlufs auf ein ebensolches Officium nicht zu ziehen ist:

A. O praesul honorabilis,
O martyr venerabilis,
Praesenta summo numini
Preces devotas populi,
Ut nobis per tua merita
Pandatur caeli ianua.

53. Coronae spineae Domini nostri, 4. Maii, [fol. 96 a]. Invit: Iubilemus hodie, Anal. V, S. 40 und **A** ad Magn.: Consecrator coronae spineae ibd. p. 42 in not.

54. Cuthberti, episcopi Lindisfarnensis, confessoris, 20. Martii 1° [fol. 81 a] Zwei **AA**, von denen die eine prosaisch, die andere rhythmische de communi ist: Ave praesul gloriose, Ave sidus iam caeleste etc. — 2° [fol. 146 a]. Eine **A**; ob einem Officium entnommen?

A. Qui Raphaelem
Tobiae dedit medicum,
Cuthberti genu languidum
Suum sanat per angelum.

55. Cyriaci martyris et sociorum, 16. Martii et 8. Aug. [fol 85 b].

A. Vir inclitus Cyriacus,
Martyr Domini pretiosus,
Succensus igne divini amoris
Constanter sustinuit supplicia passionis,
Aeternam meruit palmam
Et sempiternam coronam.

56. Cyrilli episcopi, 5. Martii, [fol. 225 a]. Invit. aus dem Officium Anal. XXV, Nr. 82 sowie eine **A** unbekannter Herkunft: O Cyrille patriarcha, incola Carmeli etc.

57. Dalmatii, 7. Dec. [fol. 241 b].

A. O amande vir Dalmati,
Quamvis eras hic probati
Moris et unius prorsus,
Tyrannorum tamen morsus
Propter fidem te vexarunt
Nimis et martyrizarunt;
Poscimus, ut per te demur
Tales hic, ut hinc salvemur
Tecum Deo famulantes,
Exsultantes, iubilantes.

58. Divisionis apostolorum, 15. Julii, [fol. 98 b]. Zwei **AA** aus dem Officium Anal. V, Nr. 22.

59. Dominici confessoris, 1° 5. Aug. [fol. 90 b]. Nur die **A**: O lumen ecclesiae etc. Anal. XXV, S. 241. — 2° 24. Maii [fol. 162 a], translat. **AA** ad. Magn. 1. et 2. Vesp. aus Anal. XXV, Nr. 86.

60. Donati martyris, 7. Aug. [fol. 183 a]. Die **A** super Psalmos 1. Vesp.: Celsa sancti praesulis etc. aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 40.

61. Dorotheae, virginis ac martyris, 6. Feb. [fol. 94 a]. **A**: Ave, gemma virtuosa etc. und Invit. aus dem Officium Anal. V, Nr. 56.

62. Dunstani, archiepiscopi Cantuariensis, confessoris, 19. Maii, 1° [fol. 83b]. Nur eine **A**, aus der wohl nicht auf ein rhythmisches Officium geschlossen werden kann:

Euge nunc, Dunstane pie,
Ex hominibus assumpte,
(Arch)angelis Dei coniuncte,
Nostri, pater, memorare
Et pro nobis preces funde,
Ut in aevum [te] laudare
Possimus (Deum) perenniter.

Läfst man die Worte *laudare* und *perenniter* ihre Stellen wechseln, wird der Rhythmus der beiden letzten Zeilen hergestellt.

2° [fol. 160b]. Folgende, das „Ave regina caelorum" imitierende Verse sind dem Officium S. Edmundi (Anal. XIII, Nr. 43) entlehnt:

Ave, gemma confessorum,
Ave, dux et doctor morum,
Salve sanctitatis rosa,
Mundi lampas luminosa.
Gaude, pater pietatis,
Summae sidus honestatis.
Vale, vernans flos Dunstane,
Et pro nobis preces funde.

63. Duthaci, episcopi et confessoris, 8. Martii, [fol. 143b]. Ein **R** und zwei **AA** eines verlorenen schottischen Reimofficiums:

R. O sancte Duchate,
Confessor mitissime,
Deprecamur te,
Serve Christi, devotissime,
Ut plebs tua tuis precibus
Suscipiatur in caelestibus.
V. Qui laetaris in militiae
Caeli contubernio.

A. Omnes a periculo
Fideles salvantur,
Qui devotis precibus
Duchatum precantur.

A. Deum benedicite,
cunctae creaturae,
Qui Duchato contulit
caelum sui iure.

64. Dympnae virginis, 15. Maii, [fol. 159b]. Zwei **AA**, welche in dem Officium der Heiligen Anal. XXV, Nr. 87 fehlen:

A. O castitatis lilium,
Virgo, decus regium,
Sponsa Christi Dympna,
Celebrantes tua sollemnia
Post hoc merendi spatium
Supernis iunge civibus.

A. Ave virgo speciosa
Ave, martyr gloriosa,
O Dympna egregia,
Patri carnis odiosa,
Christo regi gratiosa
Fidei constantia,
Tua prece pretiosa
Nos a morte aerumnosa
Vera duc ad gaudia.

65. Edmundi, episcopi et confessoris, 16. Nov. [fol. 81b]. Die beiden **AA** der ersten Vesper. Dann folgt:

A. Ave, mire [!] clarissime Sanctorum confessorum,
Ave, decor dignissime Rector[um] et pastorum,
Ave tutor piissime Cunctorum afflictorum,
Edmunde sanctissime, Patrone Anglicorum,
Virtutem tuam exprime In tutela servorum.

66. Edmundi, regis et martyris, 20. Nov. [fol. 213a]. Nur folgende **A**, dieselbe, die auch weiter unten bei Edward:

Ave, rex gentis Anglorum,
(Ave) miles regis angelorum,
O Edmunde, flos martyrum
Velut rosa vel lilium,
Funde preces [ad Dominum]
Pro salute fidelium.

[fol. 81a] steht dann noch irrig unter Edmund, Bischof, das folgende, vielleicht einer Sequenz entnommene Bruchstück:

Confessor Christi Edmunde,
[Tu] pro nobis preces funde
Mariae, virgini(s) fecundae
Deitatis gratia.

Maria, regina mundi,
Per preces regis Edmundi
Munda nos, ut simus mundi
In Dei praesentia.

67. Edwardi, regis et confessoris, 7. Jan. [fol. 70b]. Zwei **AA**:

A. Ave, sancte rex Edwarde, inter caeli lilia
Meritis tuis exornas regnantes in gloria,
Nos omnes te diligentes duc ad vera gaudia.

A. O decus ecclesiae, Pie rex Anglorum,
Exemplar iustitiae, Lex et norma morum,
Post finem angustiae, Mortis et laborum
Praesta dono gratiae Regnum beatorum.

68. Edwardi, regis et martyris, 18. Jan. [fol. 70a]. Drei **AA**, von denen eine prosaisch, eine andere de communi, eine dritte rhythmisch ist. Ob Bruchstücke eines Officiums vorliegen, scheint zweifelhaft. Die beiden letztgenannten **AA** lauten:

A. Rex, per quem ecclesia fuit sublimata,
Per quem tota Anglia est [l. fuit] honorata,
Cui semper iustitia fuit comitata,
Nobis Christi gratia da regna beata.

A. Ave, rex gentis Anglorum,
Miles regis angelorum,
O Edwarde, flos martyrum
Velut rosa vel lilium,
Funde preces ad Dominum
Pro salute fidelium.

69. Elisabeth viduae, 19. Nov. [fol. 105b]. **A** ad Magn. und Inv. aus dem Officium Anal. XXV, Nr. 90.

70. Elisaei, prophetae et confessoris, 14. Junii, [fol. 85b]. **A** ad Magn. (2. Vesp.) und **A** ad Bened. aus Anal. XXV, Nr. 94; **A** ad Magn. (2. Vesp.) aus Anal. XXV, Nr. 95. Aufserdem:

A. O Helizee, propheta nobilis,
Carmelitarum pater nobilis[!],
Christo corregnans in caelestibus,
Confer opem tuis supplicibus.

71. Elyphii martyris, 16. Oct. [fol. 103a]. Aus einem unbekannten Officium:

Inv. Ad laudes vitae cuncti iubilando venite,
Qui fovet Eliphium pro Christi nomine passum.

A. O magna et gloriosa
Regis aeterni purpura,
Inclite martyr Elyphi,
Caelum, terram(que) perornasti
Hinc merito, hinc exemplo;
Unde nobis prece sancta
Posce vitam in saecula.

72. Elzearii, dĩe Cosmae et Damiani, [fol. 234b]. **A** ad Magn. und **R** 1. der 1. Noct aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 44.

73. Emmerici confessoris, 3. Sept. [fol. 191a]. **A** ad Magn. Ave, flos nobilium etc. Anal. V, S. 166.

74. Erasmi, episcopi et martyris, 3. Junii [fol. 78a]. Folgende Teile eines unbekannten Reimofficiums:

Invitatorium.
Imitemur affectanter
Christum vocis iubilo,
Ut Erasmi glorianter
Laetemur suffragio.

A. Erasmi ob meritis[!]
Coronam se diligentibus
Confert vitae Dominus,
Sicut promisit patribus,
Abrahae et semini eius.

A. Adest dies laetitiae,
Qua Dominus respexit,
Cum ex valle maestitiae
Erasmum erexit.

A. O martyr Christi inclite,
Precibus assidue
Ora pro desolatis,
Ut [1: Et], quam optamus, veniae
Conferre nobis tribue
Vitam cum beatis.

75. Erici, regis Sueciae et martyris, 18. Maii, 1° [fol. 91a]. **A** Ave, martyr pretiose etc. Anal. XXV, S. 286. — 2° [fol. 160b]. **A** 1 der 1. Vesp. und **R** 2 der 2. Noct. ibid. p. 285 sq.

76. Erkenwaldi, episcopi et confessoris, ultimo Aprilis [fol. 73a]; nur eine **A**:

O decus insigne nostrum pastorque benigne,
O lux Londoniae, pater Erkenwalde beate,
Qui super astra gaudes [1: sedes] Deum spectare per aevum,
Aspice laetantes tua gaudia nos celebrantes
Et tecum vitae fac participes sine fine.

77. Eskilli, episcopi et martyris, 6. Oct. [fol. 201a]. **A** ad Bened. aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 1, aber mit dem Anfang: O pontifex egregie, fidei lucerna.

78. Ethelredis, virginis nobilissimae, 23. Junii [fol. 75b]. Nur eine **A**:

Flos regalis Ethelreda,
Sponsa, virgo, vidua,
Monialis, abbatissa,
Regina dulciflua,
Mente, carne non marcescis
Vivens neque mortua,
Famulorum sis tuorum
Adiutrix assidua.

79. Eugeniae, virginis et martyris, 5. Dec. [fol. 218a]. Zwei **AA** unbekannter Herkunft:

A. Eugenia clarissima,
Virilis abbas femina,
Spreta turpi Melantia
Pro luxus elephantia
Gaudet caelesti curia.
Parentes eius idola
Philippus atque Claudia
Damnant in Alexandria
Reperta cara filia
Pudica cum familia
Negando mundi vilia.

A. Christus propter Eugeniam
Convertit Alexandriam
Praestando sibi gratiam,
Confundens idolatriam.

80. Eulaliae, virginis et martyris, 10. Dec. [fol. 117a]. Nur eine **A**:

O Eulalia formosa,
Sponsa Christi gratiosa,
Plena caeli gaudiis,
Quem tu semper dilexisti,
Pro quo mori non sprevisti,
Placa nobis miseris.

Darauf: Item 12. Feb.:

A. Tertia iam dena moriens Eulalia plena
More, boni vena fuit orbi, luna serena.
Nuda flagellatur, oleo sua mamma crematur,
Plumbo temptatur, ignita calce probatur,
In fornace Iesum caelestem palpitat esum,
Quae nos prece pia perducat in aethera summa.

81. Euphemiae virginis, 16. Sept. et 13. Apr. [fol. 222a]. Zwei **AA** und ein **R** aus dem Officium Anal. V, Nr. 59.

82. Eutropii episcopi et martyris, 18. Jan. [fol. 70a]. **R** 2 der 3. Noct. aus dem Officium Anal. XIII, S. 136.

83. Evergisli, episcopi Coloniensis et martyris, 1° 24. Oct. [fol. 104a]. Aus einem verlorenen Officium:

A. Assunt nobis festa
Sancti Evergisli sollemnia,
Cuius veneranda victoria
Martyrum refulget in gloria;
Per eius pretiosa vulnera,
Christe, tuis condona scelera.

Inv. Collaudemus regem sempiternum
Qui regit terram, mare, infernum,
Cuius ope currens in stadio
Evergislus fulsit martyrio.

R. O martyr digne meritis praesulque benigne,
Evergisle, Dei nos praesenta faciei,
V. Martyr eximie, nobis[1]) placato regem gloriae.

2° 38. Martii [fol. 147b], in translatione. Eine weitere **A**:

A. Caelitus admonitus Bruno meritis redimitus,
Praesul vicesimus quartus vel nomine primus,
Exstitit almarum translator reliquiarum.

Diese **A** könnte indes auch zu den eingangs charakterisierten Distichen unserer Quelle gehören.

[1]) Vielleicht zu lesen: Martyr nobis eximie; der V. bestünde dann aus jambischen Dimetern.

84. Evodii, episcopi et martyris, 6. Maii, [fol. 231a]. Folgende Verse die dem Officium Anal. XXVI, Nr. 5 fremd sind:

Ave, pontifex Evodi,
Dudum sic amator modi
Et insignis martyr Christi
Christo dante qui fuisti
Et nunc secum coronatus
Es aeterneque beatus,
Poscimus, pro nobis ora,
Ne laedamur mortis hora.

85. Ewaldorum martyrum, presbyterorum, 1° 3. Oct. [fol. 101b]. Inv., **A** ad Magn., **R** 3 der 3. Noct. aus dem Officium Anal. V, Nr. 60.

2° 16. Nov. [fol. 216b], translat. 4 **AA** aus den Laudes und **A** ad Magn. 2. Vesp. aus demselben Officium.

86. Farae virginis, 7. Dec. [fol. 242a]. Folgende Verse ohne Bezeichnung und schwerlich in liturgischem Gebrauch:

Farae, virginis praeclarae,
Cuius festa celebrare
Gestaque commemorare
Convenit et honorare,
Quae contempta pompa mundi
Se decrevit agni mundi
Semet osculo parare
Ac servitiis aptare.
Quaesumus, o virgo Fara,
Sit ut nobis vita clara.

87. Firmini, episcopi Ambianensis et martyris, 25. Sept. [fol. 197b]. Folgende **A**, die in den Officien Anal. XIII, Nr. 52—54 nicht vorkommt:

A. Martyr invictissime,
(Firmine) pontifex egregie,
Pius adesto servulis,
Te [pie] deprecantibus
Dissolve nexus criminum
Tu, sancte (pater), apud Domiuum,
Ut tecum in caelestibus
Sanctorum iungamur coetibus.

88. Floriani martyris, 4. Maii [fol. 156a]. Eine **A**, die in dem Officium Anal. XXVI, Nr. 11 nicht vorkommt und deren Herkunft unermittelt; nach dem mangelhaften Reime zwischen Vers 2 und 4 vielleicht Entlehnung:

A. Rosa florens martyrii,
Inclite (martyr) Floriane,
Fragrans ad instar lilii,
Virtutum candore,
Sucurre nobis miseris,
Ut supplantatis vitiis
Tandem erigamur
Et meritorum (fulti) floribus
Beatis caeli civibus
Feliciter iungamur.

89. Florini 17. Nov. [fol. 212 b]. Ein **R** unbekannter Herkunft:

R. O pie Florine, flos caelice, cui sine fine
Pro meritis perpes vernat super aethera merces,
Nobis clementem precibus fac cunctipotentem,
V. Ut sibi nos vere det nunc semperque placere.

90. Francisci confessoris, 4. Oct. [fol. 102 a]. Invit., **AA** ad Magn. A. et 2. Vesp. aus dem Officium Anal. V, Nr. 61.

91. Fusciani et sociorum martyrum, 11. Dec. [fol. 118 a]. **AA** ad Magn in 1. et. 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 56.
2° [fol. 237 b]. Dieselben **AA** nochmals.

92. Gangolphi martyris, 13. Maii 1° [fol. 64 a]. Aus einem leider unbekannten Officium:

Inv. Ad laudem Domini vigiles iubilando venite,
Munere cuius habet Gangulphus gaudia vitae.

R. O decus ecclesiae, martyr pie, sancte patrone,
Te collaudantes audi, Gangulphe, clientes.
V. Post finem carnis nobis fer gaudia lucis.

A. Fulget sole Deo, cuius virtute tropaeo
Est sublimatus et luminis arce locatus,
Qui prece nostrorum propellat taetra malorum.

2° [fol. 89 a] noch eine weitere **A** in anderem Versmafs:

A. O Gangulphe pie, bone, Cordis nostri cellulas
Purga iuvans in agone Tuos prece vernulas
Trinitatique compone, Laudes ut dent sedulas.

93. Gatiani, episcopi Turonensis, 16. Dec. [fol. 238 a]. Zwei **AA**, die wohl keiner Historia entlehnt sind.

A. Copiosae caritatis Gatiane pontifex,
Tu qui rerum perditarum gaudes privilegio,
Nobis redde, supplicamus, bona quae perdidimus,
Ut exutos gravi carne iungas caeli civibus.

A. Ave, decus Turonense, Gatiane, praesul pie,
Signum lampadis accensae Peregrinis huius viae,
Consors lucis et immensae Iungeris hierarchiae,
Da pro nobis iam propense Christo preces et Mariae.

94. Genovefae virginis, 3. Jan. [fol. 124 a]. Aufser einer prosaischen die **A** ad Magn. des Officiums Anal. XVIII, Nr. 26.

95. Gerardi, abbatis Broniensis, 3. Oct. [fol. 222 b]. Folgende zweifellos einer historia entnommene Bruchstücke:

A. O Gerarde, pater alme,
Gregi tuo vires palmae
Da virtutis cum bravio,
In conspectu summi regis
Ut tu pastor tui gregis.
Gratuleris consortio.

R. Alma stirpe natus miles fuit iste beatus
Christi castrorum, dux ter sex coenobiorum.
His petimus castris nos cingat et inserat astris.
V. *Quos pavit in innocentia cordis et in intellectibus manuum suarum deduxit.*

A. Miles emeritus, meritorum lumine clarus,
Ad fontem vivum sitiens plenusque dierum
Deposito fragilis tandem velamine carnis
Christi lucifluam Iesu transmigrat ad aulam.

A. Alme pater, caeli sidus, pia spes miserorum,
Ante Deum caeli fer vota precesque tuorum.

96. Gerardi, episcopi Tullensis et confessoris, ohne Datum, [fol. 111a]. **AA** ad Magn. et Bened. aus dem Officium Anal. XVIII, Nr. 31.

97. Gerlaci, confessoris et eremitae, 5. Jan. [fol. 64b]. Die Bruchstücke seines Officiums sind mitgeteilt Anal. XIII, S. 8.

98. Germani, episcopi Parisiensis, 28. Maii [fol. 162b].

R. O Germane, pastor pie, morum virens plantula,
Summi regis te collaudant frequenter miracula,
Hostis saeva da prudenter praecavere iacula,
V. Poscas nobis apud Deum vitam prece sedula.

99. Gerulphi pueri, martyris in Flandria, 21. Sept. [fol. 196]. **A** ad Magn. der 2. Vesp. Anal. XXVI, S. 66.

100. Gisleni, episcopi et confessoris, 8. Oct. [fol. 202a]. **A** ad Magn. 1. Vesp. Anal. XIII, S. 154.

101. Godefridi comitis, confessoris, eodem die [i. e. 13. Jan. fol. 127b]. Wie es scheint aus einem Officium:

R. O quanta (Godefridus) comes gratia
Per clara fulget merita,
Qui solum per intuitum
Effugavit daemonium.
V. In Domino Deo virtutum
Ipse ad nihilum deduxit inimicum.

A. Felix dies hodierna,
In qua laetus ad superna
Ascendit Godefridus,
Cuius meritis praeclaris
Salvet nos a [cunctis] malis
Iesus, Dei filius.

102. Godolenae virginis, 5. Julii [fol. 173a]. Eine **A** ungewisser Herkunft:

A. Ave, martyr speciosa,
Christi sponsa [gloriosa],
Godolena sanctissima,
Stirpe nata generosa,
Virgo florens velut rosa,
Nutu Dei conservata,
Virgo manens immaculata
Viri per malitiam,
Post per ipsum iugulata
Et a servis es necata
Caelo tradens animam;
Unde, martyr memorata,
Nostri memor sis, beata,
Tui facientibus memoriam.

103. Goaris, presbyteri et confessoris, 6. Julii, [fol. 89b]. Zwei, wie es scheint, einem unbekannten Officium entnommene **AA**:

A. Laude Deo digna celebremus mente benigna
Hic confessoris sollemnia sancta Goaris,
Ut mereamur eum nos semper habere patronum.

A. Pastor summe Deus, nos respice propitiatus
Pro confessoris sancti virtute Goaris
Et nos custodi, cum pace tuere perenni.

104. Gregorii, papae et confessoris, 12. Martii, [fol. 94b]. Invit., zwei **AA**, ein **R** aus dem Officium Anal. V, Nr. 64.

105. Gregorii, presbyteri et martyris, 22. Dec. [fol. 119b]. Nur folgende **A**:

Martyr Gregori,
Cor adaequans ori
Vota supplicum attende
Et veri amoris in nobis ignem
tuis precibus accende.

106. Gudilae virginis, 8. Jan. 1° [fol. 61b]. Invit., eine metrische und eine prosaische **A** aus dem Offic. Anal. XXVI, Nr. 27. — 2° [fol. 126a]. **A** O pia virgo Gudila, tuis confer suffragia etc. aus demselben Officium.

107. Gummari confessoris, 11. Oct. [fol. 88b]. Eine **A**:

Ortus stirpe generosa Gummarus emicuit,
Qui virtutum speciosa Menti puer imbuit,
In spineto velut rosa Mundi falsi floruit.

Dann: Item in eius festo servetur istud suffragium:

Eia, dulcis, eia, care,
Tuis assis hic, Gummare,
Festis insistentibus,
Et hic laudes inchoare
Quos fecisti, consummare
Fac cum caeli civibus.

108. Harlindis et Relindis virginum, 6. Febr. 1° [fol. 115a]. Nur:

A. Virginis Harlindis meritis precibusque Relindis
Nunc famulis miserere tuis, bone Christe, modestis.

2° [fol. 136b]. noch folgendes **R**:

R. Castitatis margaritae,
Harlindis atque Relindis (beatae),
In corona Iesu sitae
Nitentes vero signis,
Per vos saxa
Sunt in flores versa,
Sex obsessi liberati,
Caeci, claudi sunt sanati
Divina clementia.
V. Virginis Harlindis
meritis precibusque Relindis
Nunc famulis miserere tuis,
bone Christe, in saecula saeculorum [sic].

109. Hedwigis viduae, ducissae, 15. Okt. [fol. 78a]. 1 R, 1 A und die Prosa der 1. Noct. aus dem Offic. Anal. XXVI, Nr. 28.

110. Helenae reginae, 18. Aug. [fol. 76a]. Auf drei prosaische AA folgt eine rhythmische, die sich in den Anal. IV, XVII und XVIII mitgeteilten Officien auf die Heilige nicht findet:

Haec inventrix sanctae crucis
Adimplevit opus lucis
  Pio cordis desiderio,
Sacrosanctam passionem
Crucis per adinventionem
  Omni venerata studio;
Gaudet ergo nunc in caelis
Dispensatrix haec fidelis
  Inter angelorum milia.

111. Henrici, imperatoris et confessoris, 13. Julii, [fol. 88b]. Aufser einer prosaischen A folgende Verse:

Imperatorum speculum,
  Henrice rex Al(a)manniae,
Cunctis relinquens titulum
  Sanctitatis eximiae,
Prece iuvans in saeculum
Devotum tibi populum.

112. Heriberti, archiepiscopi Coloniensis et confessoris, 16. Martii [fol. 73b]. Nur eine A:

Ave, vitae dux iustorum,
Lux ad lucem confessorum,
O confessor, flos pastorum,
Heriberte, vas odorum,
Funde preces flori florum
Pro salute miserorum.

113. Hermelli martyris, 3. Aug. [fol. 223b]. Eine A ungewisser Herkunft:

Gaude, martyr o Hermelle,
Caruisti quia felle,
Iunctus nunc supernae cellae
Frueris divino melle;
Adversa nobis repelle,
Te precamur, o Hermelle.

114. Hieronymi, presbyteri et confessoris, 1° 30. Sept. [fol. 57a]. Einem unbekannten Officium gehören die folgenden Bruchstücke an:

Inv. Veneremur praeceptorem,
  Christum regem gloriae,
Ieronymum qui doctorem
  Providit ecclesiae.

A. In laudem Dei de caelis
  Consurgat omnis fidelis
  Et exsultet spiritus,
Ieronymus, mundi lumen,
Die quo caeli cacumen
  Petiit emeritus,
Qui nos sancta iuvet prece,
Ut de peccatorum faece
  Trahamur divinitus.

2° 9. Maii [fol. 231a], translat. A ad Magn. 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 40.

115. Hildegardis virginis, 17. Sept. [fol. 195b]. Folgende A, wahrscheinlich zum Benedictus und somit aus einem uns nicht erhaltenen Officium:

A. Benedictus es, Domine,
In benedicta virgine
(Hildegarde),
Cuius et habitaculum
Lustrasti per miraculum,
Quo clara [lux] apparuit,
Dum soluta carne fuit.

116. Honorati, episcopi Arelatensis, confessoris, 16. Ian. [fol. 128a]. Aus einem unbekannten Officium zwei **AA**:

A. Fulgens adest Honorati praesulis sollemnitas
Cuius virtutum fulgori solis cedit claritas,
Quo consorte caelum stupet, quo patrono terra gaudet.
Honorate, pro devotis intercede, quaesumus,
Et solutos faece carnis caeli iunge cantibus.

A. O praeclare Dei pontifex,
O pie cunctorum opifex
Te quaerentium,
Honorate, flos praesulum,
A Christo, rege gloriae,
Implorans locum veniae
Nos felici munere
Da beate vivere.

117. Huberti, episcopi et confessoris, 1° 3. Nov. [fol. 110a]. **R** O Huberte pastor pie etc. Anal. XXVI, S. 121, als **A** bezeichnet; dann die prosa l. c. p. 123; endlich folgende **A**:

O Huberte, ubertatem Morum nobis tribue,
Corporalem sanitatem Infirmis restitue
Orans summam maiestatem Pro nobis continue.

2° 30. Maii [fol. 163a], translat. Aufser einer prosaischen folgende zwei **AA**:

A. Petri clerus iucundetur
Cum laude praeconii,
(Hodie Leodium)
Praesens corpus veneretur
Praesulis eximii,
Ut eidem suffragetur
Ope patrocinii.

A. Apertum est monumentum
Gloriosi corporis,
Nullum sensit detrimentum
Vestustate temporis,
Sed illaesum est inventum
Os cum membris ceteris.

118. Hugonis, episcopi Gratianopolitani, 1. Apr. [fol. 148b].

A. O lumen ecclesiae,
Doctor veritatis,
Rosa patientiae,
Ebur castitatis,
Aquam sapientiae
Propinasti gratis,
Fundator Carthusiae,
Praedicator gratiae,
(Hugo) iunge nos beatis.

Gaude perpetuo, praedulcis, amabilis Hugo,
Tu meritis plenus fidei pietate serenus,
Illustris donis divinae cognitionis,
Mundi calcator, Christi fervens imitator,
Iustitiae forma, morum rectissima norma.
O pater, exora pro nobis mortis in hora,
Ut simus digni postrema luce beari.

119. Hugonis, episcopi Lincolniensis et confessoris, 17. Nov. 1 [fol. 72a]. Nur eine rhythmische **A** (oder Hymnenstrophe?):

Ex finibus Burgundiae
Exortum claro sanguine,
Virtutum plenum gratia
Hugonem tenet Anglia.

2° [fol. 85a] drei **AA**, die dem Officium Anal. XVIII, Nr. 97 fremd sind:

A. Hugo [iugo] subiugatus Est a pueritia,
Sanctitate sublimatus Est virtutum gratia,
Artiorem imitatus Vitam in Carthusia,
Hinc honore(m) praesulatus Functus in ecclesia;
Admiranda decoratus Signorum potentia
Aegros sanat miseratus Et pellit daemonia.
Nostros deleat reatus Ipsius clementia
Per quem fruitur beatus Hugo caeli gloria.

A. Confessor Domini Hugo vitam angelicam gerens in terris
Speculum bonorum operum factus est mundo,
Et ideo cum Christo iam sine fine gaudet in caelo.

Die dritte **A** bezieht sich auf die Translatio des Heiligen, 6. Oct.

A. O Hugo, confessor Christi,
Exora pro mundo tristi,
Qui nuper translatus fuisti
In villa Lincolniae.

3° [fol. 212b]. Eine weitere **A** gleichfalls unbekannter Herkunft:

A. Praecipuus meritis et sanguine clarus avorum,
Carthusiae decus fuit Hugo, semita morum,
Servet ab illicitis nos actibus atque sacrorum
Nos faciat monitis attentos eloquiorum.

120. Ieronis 17. Aug. [fol. 186a]. Nur eine **A** unbestimmter Herkunft; sodann eines der eingangs charakterisierten Distichen.

A. Sancti Ieronis gloria
Clarescit laude populi,
Aeterna in memoria
Est in saeculum saeculi.

121. Ignatii, episcopi et martyris, 1. Feb. [fol. 133a]. Eine **A** unbekannter Herkunft, wahrscheinlich Entlehnung:

A. Victor migrat laetabundus
Ad regnum post miserias
Christi mensus vestigia,
Quam beatus, quam iucundus
Intrat ad agni nuptias,
Mira pandunt prodigia;
Eia, ergo totus mundus
Petat fundens lacrimas
Tanti patris suffragia.

122. Inventionis capitis s. Iohannis B., 24. Febr. [fol. 141a]. Nur eine **A** unbestimmter Herkunft:

Truncato in Arabia
Praecursore tumulatur
Caput eius in Aelia,
Quae Ierusalem vocatur,

Illic demum demonstratur,
Qui in specu morabatur,
Marcello cuidam monacho,
Transfertur honorifice
Ab eodem pontifice,
Qui praeerat civitati.

123. Joachim confessoris, 1° 16. Sept. [fol. 194b]. Das Inv.: Deo cuncti iubilemus etc. Anal. XXVI, S. 140. Dann:

Salve, sancte Ioachim virgini dans esse,
Sed hoc per miraculum de radice Iesse,
Te ergo devotius duximus rogare,
Preces nostras citius Mariae praesentare,
Ut ipsa de filio velit impetrare
Nos patris palatio simul corregnare.

2° 9. Dec. [fol. 220a]. Folgende A unbekannten Ursprungs:

A. O Ioachim, exsulta gaudio (magno)
Iam veteri carens opprobrio,
(Anna) uxor tua concepit (tibi) filiam,
Quae convertit legem in gratiam.

124. Iodoci, presbyteri et confessoris, 13. Dec. [fol. 53b].

A. Exsultet caelum laudibus,
Resultet terra plausibus,
Divi(ni) Iudoci merita
Festa declarant inclita,
Qui iunctus caeli civibus
Triumphat in caelestibus.

Inv. Regi totius gloriae
Iucunde iubilemus,
Cum iubilo laetitiae
Iudocum invocemus.

A. O Iudoce, miserorum
Portus et refugium,
Medicina languidorum
Ad te dirigentium
Vota sua, da suorum
Postulata cordium.

Diese Bruchstücke, augenscheinlich einem Reimofficium entlehnt, gehören zu keinem der drei Officien Anal. XXVI, 49, 50 und 50b.

125. Iohannis, archiepiscopi Eboracensis, Beverlaci, 7. Maii [fol. 80b]. Nur eine A, ob aus einem Officium?

Ave, doctor nobilis,
Praesul Eboraci,
Dux vitae laudabilis,
Tutor Beverlaci,
Erue nos precibus
Ab hoste fallaci,
Salvans a carceribus
Infernalis laci.

126. Iohannis et Pauli martyrum, 29. Iunii [fol. 97b.], eine prosaische A; dann folgendes

R. Virtutum pannis oratio sancti Iohannis
Et Pauli nudos decoret faciens mage sudos;
V. Iohannes, Paule, nos vestrae iungite aulae.

127. Iohannis, prioris regularium, 10. Oct. [fol. 240b].

A. Iohannes sanctissime,
hospes gratiarum,
Oppressis refugium,
fons deliciarum,
Supplicantem populum
redde Deo carum,
Ut post mortem habeat
visum Dei clarum.

Pater amantissime,
gemma confessorum,
Rutilas ut lucifer
in coetu sanctorum,
Nos ascribe supplices
sorti beatorum
Et fac nos participes
gaudii caelorum.

128. Iohannis, Reversionis de exsilio 1° 3. Dec. [fol. 115b]. **A** Christus suum discipulum etc. Anal. XXVI, S. 160.

2° 26. Sept. [fol. 198a]. Folgendes **R** nachgetragen, das a. a. O. fehlt:

R. Iohannes [apostolus] proscriptus exsilio,
Destitutus undique humano exsilio [l: auxilio],
Cum esset in spiritu die sub dominico,
Relevatur Dei visione caelestique colloquio.
V. Hic dum apud Ephesum Docet evangelium,
Ob fidei constantiam Relegatur ad insulam

129. Iosephi, nutricis Domini et confessoris, 19. Martii, 1° [fol. 94b]. Folgende Teile eines unbekannten Officiums:

Inv. Collaudemus adorando Iesum, Dei filium,
Qui Mariam desponsando Ioseph dat consilium.

R. O magna viri sanctitas,
O Ioseph alma dignitas,
O digna laude castitas,
Mentis carnisque puritas,
Quam summa Dei bonitas
Elegit et aeternitas;
V. In Ioseph larga pietas
Fulgebat et humilitas.

2° [fol. 145b]. Zwei **AA**, von denen die erste aus den **AA** 1, 2 und 5 der 1. Vesp. des Officiums Anal. XXVI, Nr. 61, zusammengesetzt ist; die zweite besteht aus der 5. **A** ad Laudes, Anal. XXVI, S. 174, und der folgenden **A** (ad Benedictus?):

A. Nazarenus Iesus dictus
Sit rex clemens benedictus,
Qui Ioseph de domo David
Visitando coronavit
Sponsum Mariae regium,
Suum dulcem nutricium,
Dans illi pacis oscula
Per saeculorum saecula.

130. Irmgardis virginis, 4. Sept. [fol. 191a]. Folgende als **A** bezeichnete Verse, die indes auch einer Sequenz entnommen sein könnten:

A. O Irmgardis, virgo Christi,
Hoc a Iesu meruisti
Tuis sanctis precibus:
(Quod) qui te quaerunt corde puro
Illos(que) salvas in futuro
Tuo adiuvamine.

131. Irminae virginis, abatissae Trevirensis, 24. Dec. [fol. 119b]. Zwei **AA**, die um so mehr auf die Existenz eines Reimofficiums schliefsen lassen, als die zweite augenscheinlich eine **A** ad Magn. ist:

A. Filiae Sion, plaudite,
Festum diem ducite
Regis regum pro gloria
In Irminae memoria,
Quae virgo stirpis regiae
Regem dilexit gloriae.

A. Magnificat Dominum
Angelorum et hominum
Nostra devota anima
In venerenda Irmina,
Quam et hic magnificasti
Et in caelis coronasti.

132. Iulianae, virginis martyris, 16. Febr. [fol. 139b]. Eine **A** und ein **R** die sich in den Officien. Anal. XXVI, Nr. 64 und 65 nicht finden:

A. Iuliana, virgo grata,
Afflictorum advocata
Et adiutrix, sis rogata,
Ut defectus et peccata
Per te nobis sint ablata.

R. Instantes laudi Iulianae nos, Deus, audi,
In qua magna . . . . , qui potens es, operaris,
Ut fragilis sexus nulla formidine flexus
A te vellatur, sed et ense prius moriatur.
V. In cuius festo nobis [pie] semper adesto
Nosque post cursum [huius] vitae trahe sursum.

133. Iuliani, episcopi Cenomannensis, confessoris, 27. Ian. [fol. 68b]. Folgende als **A** bezeichnete Zeilen, die indes augenscheinlich nicht liturgisch sind und daher kein Reimofficium anzeigen:

Hospes Christi, Iuliane,
Fundo preces tibi mane,
Ut me velis conservare
Atque tecum provocare
In tuo hospitio.

134. Ivonis, presbyteri et confessoris, 19. Maii 1° [fol. 79a]. Drei **AA** aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 67. — 2° [fol. 160b]. Zwei **AA**, die in den vier Anal. XIII mitgeteilten Officien nicht vorkommen; die zweite scheint nicht liturgisch zu sein.

A. O decus Britanniae,
Laus advocatorum,
Assertor iustitiae,
Regula iustorum,
Vera lux ecclesiae,
Exemplar bonorum
Dux misericordiae
Ivo, forma morum,
Te canentes hodie
In valle dolorum
De faece nequitiae
Ad statum iustorum
Reduc dono gratiae,
Ut cum electorum
Numero et [1: in] requie
Iungamur polorum.

A. [O] confessor Dei mitis
Et sedator magnae litis
Semper cum iustitia,
Ivo, per amorem Christi
Advocatus tu fuisti
Detestando vitia,
Pauperum tu pie causas
Direxisti propter pausas;
Divitum (tu) sprevisti dona
Cunctaque terrena bona
Simul transitoria.
Nobis [1: Mihi] vero advocatus
Sis in morte dum citati [1: citatus]
Fuerim(us) peremptorie,
Ut iudex mitigetur
. . . . . detur(que)
Corona victoriae.

135. Kanuti, ducis Slaviae [!] et martyris, 7. Ian. [fol. 87a]. Eine **A**, die dem Officium Anal. XXVI, Nr. 67 fehlt:

A. Ave, martyr, dux Danorum,
Kanute, qui proditorum
Armis saevis nectus es,
Nos expertes peccatorum
Hinc ad sedes fac polorum
Scandere, quo vectus es.

136. Kanuti, regis Daciae et martyris, 10. Iulii, 1° [fol. 87a]. Ein R, welches in dem Officium Anal. XXVI, Nr. 68 fehlt:

R. O felix Kanute,
Iam de tua gloria secure,
Nostris miseriis curam impende,
Per Christum excusa
Mala, quae fecimus,
V. Et obtine bona,
Quae poscimus.

2° [fol. 175a]. A Ave, martyr praecipue etc. Anal. XXVI, S. 194.

137. Karoli, imperatoris ac confessoris, 28. Ian. [fol. 87a]. Zwei AA aus dem Officium Anal. 25, Nr. 66.

138. Katharinae, virginis et martyris, 25. Nov. [fol. 106a]. Zwei AA aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 69.

139. Kentigerni, episcopi et confessoris, ohne Datum [fol. 127a]. Folgende zwei AA, die dem Officium Anal. XXVI, Nr. 76 fehlen:

A. Eia, laudes decantemus,
Iubilemus Domino,
Kentigernum venerantes
Laudum cum praeconio.

A. Sacrosanctam Kentigernus
Servans parsimoniam
Fame, siti et algore
Eius pavit animam,
Dum in aquis decantaret
Frigidus psalterium
Ac quatriduano cibo
Foveret corpusculum.
Ipsum omnes proclamemus
Cum precum instantia,
(Ut) de mortis terrore ducat
Nos ad caeli gaudia.

140. Kunegundis, virginis ac imperatricis, 3. Martii [fol. 90b]. Zwei AA unbekannter Herkunft:

A. Castitatis florens rosa,
Kunegundis, nostra prosa
Devotis tuis precibus
In Christi sonet auribus.

A. O claritatis speculum
Totum illustrans saeculum,
Tibi radius solaris
Procedenti ad altaris
Sacrificium ministrat
In manus tegumento;
Dulcis, nostrum memento.

Dann die beiden AA ad Magn. aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 77.

141. Kunerae, virginis et martyris, 12. Iun. et 28. Oct. 1° [fol. 114a]. Eine **A** eines unbekannten Officiums:

A. O superni regis
Sponsa laetabunda,
O devotae gentis
Cella praelucida,
O Kunera splendida,
Rubens instar rosae,
Sis subventrix sedula
Gentis onerosae.

2° [fol. 166a]. Folgende Verse, als **A** bezeichnet:

A. Kunera, virgo nobilis,
Pauperum solamen,
Nobis peccatoribus
Sis sedulum iuvamen.

142. Ladislai regis, 27. Iunii. [fol. 169b]. **A** 5. der Laudes und **A** ad Magn. der 2. Vesp. des Officiums Anal. XXVI, Nr. 78.

143. Lamberti, episcopi et martyris, 17. Sept. [fol. 100b]. **A** ad Magn. und Invit. aus dem Officium Anal. XXVII, Nr. 79.

144. Lanceae Domini, feria sexta post octavam paschae [fol. 51a]. Inc.: In splendore fulgurantis hastae etc. Fünf **AA** und 2 **RR** aus dem Reimofficium Anal. V, Nr. 7.

145. Leocadiae virginis, 9. Dez. [fol. 244b]. Folgende Verse unbestimmter Herkunft:

Leocadia beata,
Virgo Christi demonstrata,
Dure nimis macerata,
Carcere sed liberata
Sine poena graviore,
Poscimus, ut pio more
Nostra modo sis adiutrix
Et adversus mala tutrix,
Qua virtute potiamur
Et salute perfruamur.

146. Leodegarii, episcopi et martyris, 2. Oct. [fol. 199a]. **R** O benigna Dei semper etc. Anal. XVIII, S. 118. Dann:

A. Testis o Domini, Leodegari, famulos nunc
Et semper meritis, precibus (que) tuearis opimis,

wo V. 1 wahrscheinlich zu lesen: famulos nunc Leodegari.

147. Leonhardi confessoris, 6. Nov. [fol. 104b]. Alles prosaisch aufser folgender **A**:

Sacra Leonhardi recolentes festa beati
Nomen [Christe] tuum laudemus, quem tibi carum
In terra signis extollis, in aethere donis,
Cuius nos meritis a cladibus eripe cunctis.

148. Leopardi martyris, Aquisgrani quiescentis, 30. Sept. [fol. 91b].

Exsultemus omnes in Domino
Spiritali iucunditate
In beati Leopardi
Veneranda sollemnitate,

De cuius martyrii gloria
Caelestis congaudet curia.

Das Stück, welches in der Hs. keine Bezeichnung trägt, scheint wohl am ehesten ein Introitus auf die Melodie „Gaudeamus omnes“ zu sein. Dann folgt:

R. Nobili stirpe progenitus
Fuit in urbe Romana
Beatus Leopardus;
Hic aetate sub tenera
Plenus erat Dei gratia,
V. Pulchra facie,
Eleganti corpore.

149. Liborii, episcopi et confessoris, 23. Iulii [fol. 108b]. Die hier mitgeteilten Verse sind keinem Officium entlehnt, sondern bilden die Schlufsstrophe der Sequenz: Eia militemus Deo, Kehrein Nr. 638.

150. Livini, episcopi et martyris, 12. Nov. 1° [fol. 211b]. Invit.: Personis trinum etc. aus Anal. XXVI, Nr. 88. Aufserdem **A** ad Magnif. in 2. Vesp. Anal. XXVI, S. 289.

2° [fol. 226b]. Folgende Verse, die eher der Schlufs einer Sequenz zu sein scheinen:

Levine martyr nos praeclare
Prece tua tueare
Ab aeterno taedio
Facque Christum nos amare,
Ut dignemur iubilare
In perenni gaudio.

151. Lubentii, presbyteri et confessoris, 6. Febr. [fol. 136a]. Drei **AA** aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 89.

152. Ludgeri episcopi, 26. Martii et 3. Oct. 1° [fol. 59a]. Invit. und 2 **RR** aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 91. — 2° [fol. 199a]. **R** 3 der 3. Noct. vgl. ebenda.

153. Ludmillae viduae, 15. Sept. [fol. 194b]. **A** ad Magn. 2. Vesp. Anal. V, S. 198.

154. Ludovici, episcopi et confessoris, 19. Aug. [fol. 66a]. Invit., 2 **RR**, 2 **AA** aus Anal. XXVI, Nr. 92.

155. Ludovici, regis Franciae, 25. Aug. 1° [fol. 71b]. Eine **A** aus Anal. XIII, Nr. 71. Dann:

(O) felix corona Franciae
Ludovici virtutibus,
Cuius corona gloriae
Fulget in caelestibus.

O vir egregie,
Quondam rex Franciae,
Ludovice pie,
Cum rege gloriae
Triumphas hodie
Pro pace, requie
Regni, ecclesiae
Christum deprecare.

Hierauf folgen nach einer prosaischen die **AA** Ludovice rex Francorum und O martyr desiderio, Anal. XIII, S. 187. — 2° [fol. 87b]. **A** Magnificat miraculis etc. Anal. XIII, S 187.

156. Lupi, episcopi Trecensis et confessoris, 29. Iulii [fol. 57a]. Folgende Bruchstücke eines unbekannten Officiums:

Inv. In Christo Iesu
iubilat ecclesia,
Qui sanctum Lupum
vexit ad caelestia.

R. Lupi sancti sollemnia
recolamus digne
Eiusque insignia
replicantes pie,
Quoniam tripudiat
in caelis sine fine.
V. Nomen eius scriptum
datur astris et est benedictum.

R. Lupe, sancte pontifex,
Nostrae salutis opifex,
Succurre nobis miseris
Tuis cum auxiliis,
Ut mereamur perfrui
Gaudiis aeternis.
V. Hoc cito da munus,
qui regnas trinus et unus.

A. Sursum corda suscitentur
In laudum praeconia,
Ut condigne venerentur
Sancti Lupi sollemnia.

157. Luthardi, comitis Cliviensis et confessoris, 15 Sept. [fol. 88b]. **A** Salve, sancte pater etc. aus dem leider unvollständigen Officium Anal. XXVI, Nr. 95.

158. Macarii, Alexandrini abbatis, 2. Ian. [folg. 124a]. Aus einem sonst unbekannten Officium:

R. O praeclara caeli stella,
Machare pater, seda bella,
In eremo quae patimur,
Ignis ardet, mordet serpens,
Gravat labor, aret torpens
Mens, Amalech insequitur;
V. Duc ad montem visionis,
Terram ad promissionis,
Supernam Ierusalem.

A. Gaude, cultor eremi,
Qui virtute Domini
Supplantasti vitia,
Mundum et daemonia;
Per te lapsos erigat,
Per te vagos dirigat,
Per te nostra vulnera
Sanet Deus omnia.

159. Maccabaeorum, 7 fratrum martyrum, Kal. Aug. 1° [fol. 90a]. Neben der Collecte nur folgendes:

Viri fortes Maccabaei
Pro servanda lege Dei
Dura corporis pati,
Ecce, sunt parati,
Septiformis gratia
Spiritus induti
Certant pro iustitia
Caelitus adiuti.

2° [fol. 181b]. Drei weitere **AA**:

A. Viri fortes Maccabaei
Pro servanda lege Dei
Pati dira corporis
Tormenta sunt parati.

A. O martyrum primitiae,
Sancti Maccabaei,
Pro zelo iustitiae
Strenui Iudaei,
Mirae patientiae,
Viri magnae spei,
Impetretis gratiae
Nobis donum Dei.

A. Consummatis filiis
Confecta suppliciis
Mater migrat ad coronam
Cunctis post se laudis bonam
Relinquens materiam
Et exemplum forte
Merendi perpetuam
Vitam brevi morte.

160. Machuti, episcopi et confessoris, 15. Nov. [fol. 73a]. Vier als **AA** bezeichnete Distichen, zum Teil dem Hymnus des Fortunatus Anal. XI, Nr. 365 entlehnt und mit Fehlern versehen, die hier belassen:

Inter Christicolas, quos actio vexit ad astra
Pars tibi pro meritis magne, Machute, pater.
Quidam caecus venit, rapuit palpando salutem,
In mediis tenebris fulsit aperta dies.
Alius quidam veniens, dum veherent membra sancta feretro,
Subtractum meruit caecus habere diem.
Compedibus validis alter manicisque ligatus
Mox tetigit peplum, ferrea vincla cadunt.

161. Marcellini presbyteri et Petri exorcistae, 2. Iunii [fol. 164a]. Zwei **AA** ad Magnificat und ad Benedictus aus einem unbekannten Reimofficium, wahrscheinlich aus Seligenstadt.

A. Magnificet virtutum Dominum
Angelorum chorus et hominum,
Cuius dedit consortem gratia
Marcellino Petrum in gloria,
Pari gaudent triumpho gemini
Triumphantes sub ictu gladii.

A. Benedictus sis verus oriens,
Qui salutem a patre prodiens
Operaris mundi sub termino
Pari binos donans martyrio,
Quorum sacris astantes laudibus
Sine fine iuvemur precibus.

162. Marci evangelistae, 25. Apr. [fol. 153a].

A. Evangelista summi regis,
Nos dita cordis opibus,
Memento, Marce, tui gregis
Supernis reple dapibus,
Doctrinam doce verae legis
Et attrahe caelestibus.

163. Margaretae, virginis et martyris, 13. vel 30. Iulii, 1° [fol. 97b]. Nach dem Invitatorium:

Virginum sponso, inbilemus Iesu Christo hodie,
Suo quo sacro (sanctam) Margaretam sociavit thalamo.

folgt die **A** ad Magn. 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 3. Hierauf ist folgendes nachgetragen:

Ave, virgo, Christi sponsa,
Ave, Deo praeelecta,
Sanctissima Margareta,
Perfer nostra clemens vota
In[tra] thalami secreta,
Qno cum sponso gaudes laeta.

Inv. Mentes pronae votis laetae
In agone Margaretae
Modulantes iubilent.

2° [fol. 176a]. **A** ad Magnif. aus dem Officium Anal. XXVII, Nr. 3.

164. Mariae Aegyptiacae, martyris paenitentiae, 9. Apr. 1° [fol. 95a]. **A** ad Magn., Invit., und 2 **AA** aus dem Officium Anal. XXIII, Nr. 8; dann:

A. O Maria, mater pia,
Paenitentium quae es via
Supplicantes die isto
Nos commenda Iesu Christo,

Qui te claram virtutibus
Locavit in caelestibus.

2° [fol. 150a]. **R** 3 der 3. Noct. aus demselben Officium, Anal. XXVIII, Nr. 8.

165. Mariae Iacobi, scilicet minoris, matris, 2. Iulii [fol. 96b]. Die **A** ad Mag. Anal. XVI, S. 151 und die **A**: Nomine, quo gaudes etc. Ibid. p. 150.

166. Mariae Iacobi et Mariae Salome, die translationis, 25. Maii [fol. 96b]. **A** ad Mag., **AA** 1 und 2 der 1. Noct., **A** ad Magn. 2. Vesp. des Offic. Anal. V, Nr. 25. Dann:

A. O felix prosapia
Ex regali germine
David propagata,
Beata Provincia
Sub Mariae nomine
Stellis illustrata,
Digne gaudes, villa maris,
Quae duabus filiabus
Annae venustaris.

167. Mariae Magdalenae, translationis, 20. Martii [fol. 146a]. Eine **A** aus unbekanntem Officium, aus der zugleich die Heimat desselben zu erkennen ist:

A. Gaude prole, Bethania,
Gaude matre, Marsilia,
Urbs Aquensis, Provincia
Per Magdalenam credula;
Veseliace, iubila
Fruens eius praesentia.

168. Mariae Salome, matris Iohannis ac Iacobi maioris, 22. Oct. [fol. 97a]. **A** Virginei floris mater etc., **R** Sollemni festo etc., **A** Nomine, quo gaudes etc. **A** Eia, Maria, vale etc. alle Anal. XVI, S. 150.

169. Marthae virginis, hospitae Christi, 29. Iulii [fol. 99a]. Alles prosaisch oder nicht-liturgisch bis auf das Inv. des Officiums Anal. XXVII, Nr. 20.

170. Materni, episcopi et confessoris, 14. Sept. [fol. 78b]. Drei **AA** aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 21.

171. Matthiae apostoli, 24. Feb. [fol. 94a]. Drei prosaische **AA** und ein Invit. in Hexametern aus einem sonst prosaischen Officium.

172. Maturini confessoris, 1. Nov. [fol. 208b]. Die folgenden Verse, die keine Bezeichnung tragen:

Confessor magnifice,
Sancte Maturine,
Dux hominum,
Cuius meritis mirifice
Curantur energumeni,
Qui repellis mirifice [!]
Malorum fraudes spiritum,
Te rogamus, alme pater,
Ora pro nobis Dominum,
Ut purgati gratifice
Prorsus a labe criminum
Vivamus beatifice
Post huius vitae terminum.

173. Mauritii ac sociorum martyrum, 22. Sept. [fol. 101a]. **A** ad Magn., Invit., **R** 3 Noct. 2 aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 22.

174. Maurorum martyrum, 1° 15. Oct. [fol. 92a]. **A** ad Magn., Invit., **R** 3 Noct. 3, **A** ad Bened. aus dem Officium Anal. XXVI, Nr. 26.

2° 25. Junii [fol. 169a], translat. Das **R**: Transfert Anno castigatus etc. Anal. XXVI, S. 78, aber als **A** bezeichnet.

175. Maximi, episcopi Regiensis, 27. Nov. [fol. 236b]. Folgende Teile einer Historia:

R. Virtutum signis resplendens pastor herilis
Reddidit incolumes fidei medicamine plures,
V. Vir pius et mitis rivos stillans pietatis
Undique debilibus mellifluis precibus.

A. Ave, gemma sacerdotum, ave, sidus aureum,
Hierusalem inter cives refulgens ut lucifer,
Audi preces, audi vota, suscipe praeconia
Et caelorum nobis regna obtine perpetua.

A. Stella fulgens matutina inter caeli lumina,
Veri solis illustrata, o Maxime, gloria,
Residentes mortis umbra Adae culpa visita
Lumen eis impetrando et pacis remedia.

176. Mechtildis virginis, ohne Datum [fol. 221a]; eine **A**: Gloriosa iam per orbem etc. entlehnt aus Anal. XVIII, Nr. 57.

177. Meinulphi, diaconi et confessoris, 1° 5. Oct. [fol. 102a]. Aus einem verlorenen Officium:

R. Magnis Meinulphum attollamus laudibus
Pravitatis nostrae purgatis erroribus,
Ut in auribus caelestium
Gratae sint voces psallentium.
V. Non est speciosa laus in ore peccatorum.

Item Alleluia Missae.

Confessor pretiose Meinulphe,
Precibus tuis nobis suffragare
Et pro tuo grege Deum deprecare.

Ex sequentia.

Hunc patronum veneremur,
Dulci voce modulemur
In eius sollemniis,
Apud Christum sublevemur,
Ne damnemur, ut meremur,
Ipsius suffragiis.

2° 26. Sept. [fol. 197b]. Hier wird noch das folgende **R** nachgetragen

R. Petra scissa monumenti
Signo docet evidenti
De sepulcro transferendas
Corporis reliquias
In sanctorum consortium
In salutem omnium.

V. Congaudet populus,
Dum exsultant caelitus
Ossa humiliata.

178. Melchiadis, papae et martyris, 10.Dez. [fol. 244b]. Die folgenden Verse ohne Bezeichnung erinnern eher an ein Reimgebet, denn an eine **A** aus einem Officium:

Ave, papa gloriose,
Pascens tuos virtuose
Per virtutum meritum,
Quem nec poenae dolorosae
Nec blanditiae dolosae
Vicerunt carnificum,
Superans victoriose,
Quidquid es iniuriose
Passus per martyrium,
Spreto quo laboriose
Mox ad vitae gaudiosae
Transisti consortium.

179. Mildrethae virginis, 13. Julii [fol. 240a].

Gaude, virgo gloriosa.
In Christi tui gloria,
Mildretha benignissima,
Proles regum clarissima,
Merciorum margarita,
Cantuariae corona,
Totius Angliae stella
Radians et trans maria,
Fave cunctis prece pia.

180. Monicae viduae, 4. Maii et 9. Apr. [fol. 115a]. Die beiden an diesem Ort mitgeteilten Strophen scheinen eher Bruchstücke (Schlufs) einer mir unbekannten Sequenz zu sein:

Gaude, mater tantae lucis,
Augustini, nostri ducis,
Doctoris eximii,
Parens carne, sed plus corde
Tuo fletu dum a sorde
Lavatur exitii.
Tu pro nobis Deum ora,
Ut extrema mortis hora
In matre catholica
Fide recta fixi stemus,
Nato tuo corregnemus,
O beata Monica.

181. Monulphi et Gundulphi fratrum, episcoporum ac confessorum, 16. Iulii, [fol. 88a]. **R** 2 der 1. Noct. aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 26.

182. Moysetis, episcopi et confessoris, 7. Febr. [fol. 137a]. Zwei **AA** unbestimmbarer Herkunft; vgl. aber weiter oben Nr. 37.

A. Patris sancti Moysetis
Memoriam recolamus
Et auxilii divini
Tamquam veri peregrini
Patriam repetamus.

A. Salve, confessor inclite,
Moyses beatissime,
Caelesti fulgens schemate,
Qui facis Christo credulam
Saracenorum gentem asperam.

183. Nicetii, episcopi Trevirensis (depositio), 5. Dec. [fol. 116a]. Aufser einer prosaischen folgende **A**:

O Niceti, pater sancte,
Nos ab hoste supplantante
Et ab omni peste mala
Tuae tege precis ala
Et a pestilentia.

184. Nicolai, episcopi et confessoris, 6. Dec. [fol. 93a]. Die beiden **AA** O pastor aeterne etc. und Copiosae caritatis etc., die keinem Reimofficium entlehnt sind, sondern in dem gewöhnlichen, im übrigen prosaischen Officium sich finden.

185. Niniani, episcopi Scotici, 16. Sept. [fol. 195a]. **R** der 2. Vesp. des Officiums Anal. XXVII, Nr. 31: Nos qui sumus involuti etc. mit folgender Abweichung: 2, Deviantes et imbuti.

186. Noytburgis virginis, in vigilia omnium sanctorum [fol. 56b]. Folgende Teile eines leider unbekannten Officiums:

Inv. Ut pateant multis Noitburgis culmina sanctae,
Hymnemus cuncti Domino, qui contulit ante.

[A]. El sibi praetendit caelos, stellas quoque pandit,
Non hunc offendit, ideoque per aethera scandit.

[A]. Christo cantate, mihi congaudete, fideles,
Ipsum laudate dantes laudes Danielis.

R. O pia Noitburgis, fallentes impetus urge,
Sponso, quo frueris, pro nostro robore surge,
Urbs es cunctorum de mundo tribulatorum,

V. Ergo servorum semper miserere tuorum.

Item. Omnibus invicta Noitburgis sit benedicta,
Nam mundum vicit, merito Dominum benedicit,
Ad thronum vecta, quia fecit hic opera recta.

187. Odiliae virginis, 13. Dec. [fol. 109b]. Ob die mitgeteilten **AA** einem Officium entlehnt sind, ist mindestens zweifelhaft. Die erste derselben steht im Hortulus animae, vgl. Mone III, 468; die zweite ist eine Umbildung der **A** auf Apollonia, Mone III, 204:

Christi virgo egregia,
Pro nobis sta Odilia,
Funde preces ad Dominum,
Ne pro reatu criminum
Vexemur morbo luminum.

Hiezu noch das Invitatorium:

Magnum regem Christum, sponsum
adoremus virginum,
Qui beatae Odiliae
dedit vincere saeculum.

188. Odulphi, presbyteri et confessoris, 12. Iunii. 1° [fol. 60a]. Invit. und 1. **A** aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 35. Dann Strophe 1, 3 und 4 aus dem Hymnus Anal. XI, Nr. 188, wobei 1, 1 geändert ist in: Ave, Odulphe, sanctorum, 1, 3 in: Lux vera gentis Frisiae.

2° [fol. 89b]. Zwei Strophen aus demselben Hymnus, dann:

A. Laborum dura series
Coronae fit materies,
Odulphum Deus coronavit,
Nam legitime certavit.

189. Onufrii eremitae, 11. Iunii [fol. 165b]. Nur folgende Verse ohne Bezeichnung:

(O) beate pater Onufri,
Tuo semper assis gregi,
Tui sumus, o patrone,
(Ut) ad paradisi gaudia
Perducamur ad gloriam.

190. Osithae, virginis et martyris, 4. Iunii [fol. 223a]. Folgende Teile eines uns nicht erhaltenen Officiums:

A. O flos virginum Anglorum,
Ositha, precantibus
Placa regem angelorum
Pro tuis supplicibus.

R. Ad tyrannum
Ositha trahitur
Et de lege
sua conquaeritur,
Clamans Christum
cervice plectitur.

V. Caelum subit,
dum sanguis funditur,
Christo vivit,
dum mundo moritur.

A. Virginis corpus erectum
Baiulando manibus
Virtute divina sectum
Caput firmis gressibus
Ad apostolorum templum
Properat, virginibus
Nobile praebens exemplum
[Eam] imitantibus.

191. Osmundi, episcopi et confessoris, 3. Decemb. 1° [fol. 84b]. Collecte und eine **A**, mitgeteilt Anal. XIII, S. 7. — 2° [fol. 116a]. Dieselbe **A** nochmals.

192. Oswaldi, regis et martyris, 5. Aug. [fol. 84a]. Nur eine **A**, die dem Officium, Anal. XIII, Nr. 81, fremd ist:

A. O martyr ineffabilis,
Oswalde, testis indomabilis,
Hic te dies terris exuit
Et cum triumpho in senatu caeli recondidit.
Intercede pro nobis in caelis,
Qui post te suspiramus in terris.

193. Ottonis episcopi, 2. Iulii, [fol. 171b]. **A** 1. Noct. 1. aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 37, sowie eine zweite mit dem Anfange: Gens Pomerana laetetur.

194. Pantaleonis martyris, transl. 6. Febr. [fol. 136b]. Nur folgende als **A** bezeichnete Verse ungewisser Herkunft:

Vox de caelis docet dona,
Quibus martyr cum corona
Praenitet in praemio,
Pantaeleimon vocatur,
Liberator multis datur
Caelo gaudet pervio;
Quo patrono liberetur,
Liberata conservetur
[Praesens] nostra contio.

195. Patriarcharum et prophetarum, 6. Oct. [fol. 82a]. Aufser zwei Kollekten folgende zwei **AA**:

A. Vos quoque, sancti patriarchae
Et prophetae, poscite
Nobis a Deo indulgentiam,
Puram conscientiam
Et sanctam perseverantiam
Vitamque aeternam.

A. Patriarchae cum prophetis,
Ante thronum vos gaudetis
Agni Dei, quem amastis
Atque mundo prophetastis
Nasciturum virgine,

Rogo vestram sanctitatem,
Ut ad Dei claritatem
Preces vestrae me perducant,
Nec me mala hic seducant,
Quae latent in homine.

Letzteres ist aber keine Antiphon, sondern augenscheinlich ein Bruchstück aus einem Reimgebet. Ein Reimofficium de patriarchis ist deshalb hier nicht anzunehmen.

196. Paulae viduae, 26. Ian. [fol. 131b]. Eine **A** Eia, mater, nos agnosce etc., dem verbreiteten Hymnus der hl. Elisabeth entlehnt. Vgl. Mone III, S. 286.

197. Pauli, primi eremitae et confessoris, 10. Ian. [fol. 53a]. Invitatorium:

Iubilemus eremitarum Domino,
Qui Paulum ab eremo
Iunxit caeli gaudio.

A. O Paule, pater eximie,
Eremitarum primitiae,
Tu sanctitatis speculum,
Vanum fugasti saeculum,
Te pastum esca caelica
Caterva (Lies Cors?) transvexit angelica
Cum choris apostolicis,
Cum coetibus propheticis;
Nos auctos tuis precibus
Adiunge caeli civibus.

Diese Bruchstücke finden sich nicht in den beiden, in diesem Bande mitgeteilten Officien des Heiligen, scheinen also einem dritten Officium entlehnt.

198. Paulini, diaconi et martyris, 4. Maii [fol. 55b]. Folgende Bruchstücke eines unbekannten Officiums:

Invitatorium.

Iubilemus exsultando
Summo regi Domino
Cum Paulino venerando,
Martyre sanctissimo.

R. Christi levita maxime,
Nobis auxiliare,
Pauline, martyr optime,
Nos regere dignare,
Pater, a malis intime
Nos stude liberare,

V. Ut tibi devotissime
Possimus inclinare.

A. Habentibus fiduciam
In te, Pauline maximam
Deposce nobis veniam
Apud Dei clementiam,
Ipsius ut per gratiam
Vitam ducamus optimam,
Qua relucremur patriam,
Caelestem quoque gloriam.

R. Cursum suum consummavit
Et accepit bravium,
Martyr miles subintravit
Almi regis atrium,
Ubi nimis exsultavit
Cernens Dei filium,
Sanctus, sanctus triplicavit
Confitendo Dominum.

V. Cum Paulinus exspiravit,
Prompsit dulce canticum.

199. Petri Caelestini papae V. et confessoris, 19. Maii [fol. 74b]. **A** ad Bened. et Magn. in 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 46; dazwischen mehrere Strophen aus den Hymnen Anal. IV, Nr. 414 und 417.

200. Petri, episcopi Tarentasiensis, 8. Maii [fol. 157b]. **AA** ad Magn. 1. Vesp., **R** 2 Noct. 2., **A** ad Magn. 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 49.

201. Petri, martyris O. Domin. 29. Apr. [fol. 90a]. **AA** ad Magn. ex. 1. et 2. Vesp. aus dem Officium Anal. XXVIII, Nr. 48.

202. Pharahildis virginis, Idus Ian. [fol. 234a]. Invit., ein **R** und vier **AA**, von denen zwei zu einer verschmolzen sind, aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 83.

203. Pirmini episcopi, 2. Nov. [fol. 209a]. Folgende Verse ohne Bezeichnung:

Gaude, felix ecclesia,
Quae parturis tot pignora,
Quae Deo canunt carmina
In caelesti hierarchia.
Ex quibus est (beatus) Pirmin[i]us,
Cuius nos festum colimus,
Non minor, sed eximius,
Ut credimus,
Cuius doctrina aurea
Tota fulget provincia;
Cuius odor dum fraglabat,
Omnes fide confortabat.
Cuncti cui proclamamus:
Hoc qui die te laudamus,
Sancte Praesul (Pirmine) nos tuere,
Duc(que) ad fontem lucis verae.

204. Potentini, Felicii ac Simplicii martyrum, ohne Datum [fol. 127a]. **A** Surge martyr Potentine etc. Anal. XIII, S. 220; **A** Viri fortes et decori etc., ibid. p. 219; **A** Ad instar carbunculi etc., ibid. p. 217.

205. Praecordii, presbyterei et confessoris, 1. Febr. [fol. 237a]. Translat. Eine **A** unbestimmter Herkunft:

A. Sume decus proprii, Precorde beate, triumphi,
O sacer, aeternis par super astra choris;
Respice devotam festiva laude catervam
Propitiumque tuis redde Deum famulis.

206. Praesentationis B. M. V., 20. Nov. [fol. 213b]. Zwei **AA** und zwei **RR** aus dem Officium Anal. XXIV, Nr. 25.

207. Priscae, virginis et martyris, 18. Ian. [fol. 129b]. Zwei **AA**, von denen mindestens die letztere entlehnt ist:

A. Ave, Prisca Deo digna,
Virgo dulcis et benigna,
Ave, martyr pretiosa,
Felix valde et formosa,
Posce nobis gaudia,
Quae possides cum gloria.

A. Solaris dum volvitur orbita,
Votiva recurrunt festa,
In quibus et Domini
recitantur magnalia,
Et sanctae Priscae
retractantur merita.

208. Procopii abbatis, 3. Iuli [fol. 172b]. Folgende **A** unbekannter Herkunft:

O Christi confessor egregie,
Lumen praeclarum ecclesiae,
Nostrae deliciae,
Flos et decus Bohemorum,
Gemma et salus
Procopiensium monachorum,

Procopi beatissime,
Iunctus hodie
Coetibus angelorum,
Ora pro nobis regem caelorum.

209. Quinque vulnerum Christi, 4. Iunii [fol. 164a]. **A** Assunt sacrosancta festa, Anal. XXIV, S. 20. Dann:

A. Sex millena sexcentena
. . . . . vulnera
Sexagena atque sena
illis aggregata
Nobis a gehenna
sint tutela grata.

210. Quirini martyris, tribuni, 30. Martii [fol. 112a]. Neben einer prosaischen folgende 2 **AA**, die aber auch Hymnenstrophen sein könnten:

Quirine, martyr inclite,
Dignare nos invisere,
Ut cum superno munere
Deo queamus psallere.

Quirine, dux militiae,
Aufer pondus malitiae,
Nunc duc per gubernaculum,
Post ad caeli cenaculum.

211. Reinoldi martyris, 7. Ian. [fol. 53b]. Diese Bruchstücke sind bei dem Officium Anal. XVIII, Nr. 60 verwertet.

212. Remacli episcopi, 3. Sept. [fol. 190b]. Folgende als **A** bezeichnete Verse, die indes aller Wahrscheinlichkeit nach einer Sequenz entnommen zu sein scheinen:

A. O Remacle, vernans rosa,
Grata tibi sit haec prosa
Tu nos Christo die isto
Clementer concilia.
Praesul magnae dignitatis,
Ora fontem pietatis,
Ut nos omnes a peccatis
Mundet data venia.

213. Richardi, episcopi et confessoris, 3. Apr. 1° [fol. 83b]. Nur eine **A**, die sich als eine Nachahmung des *Ave regina caelorum* zu erkennen giebt:

Ave, coheres caelorum,
Ave, Richarde, lux Anglorum;
Salve, cleri norma,
Ex quo nitet vitae forma;
Gaude, gloriose,
Inter sanctos speciose;
Vale voce canora
Et caelesti dono nos semper irrora.

2 [fol. 149a] steht dasselbe noch einmal.

214. Richardi, episcopi et martyris, ohne Datum [fol. 82b]. Nur das Folgende, das eher wie der Schluſs einer Sequenz aussieht:

O Richarde, qui tot signa
Praestas aegris laude digna,
Sacra manu nos consigna,
Qui plantamus fenum, ligna,
Purga prece nos benigna,
Ut fruamur gloria.

215. Roberti martyris pueri, 24. Apr. [fol. 152b].

A. Ave, martyr gloriose,
Infans Christo pretiose,
Laude dignus hominum,
Flos infantum, o Roberte
Beate [l. Sancte], sint acceptae per te
Preces (nostrae) ante Dominum.

216. Romani militis, martyris, 9. Aug. [fol. 183 b]. Nur ein **R** unbestimmter Herkunft:

R. Protege, Romane precantes seroque mane,
Ne scelus immane queat hos seducere vane,
V. Nobiscum remane sine fine, beate Romane.

217. Rumoldi, episcopi et martyris, 1° 19. Apr. [fol. 60b]. Invit. **A** ad Magn., **A** 3 ad Laudes aus dem Offic. Anal. XIII, Nr. 88.

2° Kal. Iul. [fol. 88a]. Invitatorium ebendaher.

3° [fol. 171a]. **A** ad Magn. 2. Vesp. ebenda; sodann:

Rumoldus, vir inclitus,
Regis Scotiae filius,
Archiepiscopus Hiberniae
Ac gubernator Mechliniae.

218. Salvii, episcopi et martyris, 26. Iunii [fol. 107a]. Zwei **AA** aus einem unbekannten Officium:

A. Flos praesulum Salvi,
Pie tu nos exaudi
Hodie, cotidie
Detententos in loco, in die
Impie,
Ut tuo precamine
Possimus obtinere
Donum tuae gratiae
In cordis requie
Non devie.

A. Natus ab Aquitania,
Translatus in Hannonia
Devicerat immania,
Assumptus est in gloria.

219. Sebaldi confessoris, 19. Aug. 1° [fol. 114a]. **A** ad Magn. des Officiums Anal. XVIII, Nr. 64. — 2° [fol. 186b]:

A. O Sebalde, Christi verna,
Duc nos ad gaudia aeterna,
Ut nos ibi mixti choris
Perpetuis vivamus horis
Et laetemur in perenni gloria.

220. Servatii, episcopi Tungrensis, 13. Maii. 1° [fol. 52a]. Inc.: In laudem Domini resonent vox carmen et hymni. Invit., 1 **A**, 1 **R** aus dem Reimoff. Anal. V, Nr. 77.

2° [fol. 96a]. Eine prosaische **A** ad Magn. und die **A**: Inclite Servati etc. Anal. V, S. 216, mit diesen Abweichungen: Zeile 5 requiem, quae summa laborum est; Zeile 7 sq.: Doxa patri genitoque proli cum pneumate sancto.

221. Severi, episcopi Ravennen. et confess. 22. Oct. [fol. 56a]. Folgende Bruchstücke eines unbekannten Officiums:

Inv. Auctorem vitae, Christum laudare venite,
Pontificem verum qui vexit ad astra Severum.

A. Instrue, Christe pie, nos vera laude sophiae,
Tecum laetemur prece patronique iuvemur.

R. O Dei clementia,
Intuere vota pia
Et dignare nos tueri
Precibus pii Severi,
Per patronum qui adiutis
Verae dona des salutis.
V. Nos ope Severi
digneris, Christe, tueri.

Item in commemoratione ipsius et uxoris suae ac filiae 1. Febr.

R. Transmigrata ex saeculo
Vincentia sepelitur,
Post haec sorte simili
Filia potitur,
V. Ex mandatis sancti patris
Comprimuntur ossa matris
Et dant locum filiae.

R. Celebrata missa rite,
Consummato cursu vitae,
Sacrosanctum dum complevit
Praesul donum gratiae,
Inter ossa requievit
Uxoris et filiae,
V. Corpus cuius hic putrescit,
Spiritus in te quiescit.

222. Severi, presbyteri et confessoris, 15. Febr. [fol. 54b]. Folgende Bruchstücke eines unbekannten Reimofficiums:

Invit. Adoremus Christum regem,
confessorum dominum,
Qui aeterna sanctum Severum
coronavit gloria.

A. (Tu pater) mysticae plantator vineae
O sacer sacerdos Severe,
Tuam hanc visita vineam
Devotam tibi famulam [1: familiam]
Fac tuis precibus perfici,
Quam plantavit dextera Dei.

223. Severini, episcopi Coloniensis et confessoris, 23. Oct. [fol. 104a]. Aus einem verlorenen Officium:

A. Sancte pater Severine,
Nostris precibus intende
Et pro nobis ora Deum,
Qui te nobis instituit
Doctorem atque patronum.

A. Sancte pater Severine,
Praesul urbis Agrippinae,
Ora Deum, ut nos tecum
Gaudeamus sine fine.

A. Pater sancte Severine,
Maiestati offer trinae
Preces pro familia,
Ut mundati suo rore
Vitiorum a squalore
Fecundemur gratia.

224. Sigfridi, episcopi et confessoris, 16. Febr. [fol. 139a]. Zwei AA, von denen zweifelhaft ist, ob sie zu dem Officium des Heiligen Anal. XXVIII, Nr. 68 gehören oder zu einem anderen.

A. Adest dies gloriosa,
Digna laude pretiosa
Pro Sigfridi gaudiosa
Praesulis memoria,
Qui pro vita virtuosa
Et doctrina radiosa
Deportavit copiosa
In supernis praemia.

Per cuius patrocinia
Nobis Dei clementia
Praestet aeterna gaudia.

A. Pie pater et patrone,
Tua interventione
Nos a malis liberari
Et procures collocari
Sine terminatione
Tecum caeli mansione.

225. Silvestri papae et confessoris, ultimo Dec. [fol. 59b]. Aus einem unbekannten Officium:

Inv. Iubilemus exsultantes
Summum Deum venerantes,
Qui Silvestrum sublimavit
Et secum glorificavit.

A. Silvester, vir beatus,
Legem meditatus
Semper summi Dei,
Ut sol mundo luxit,
Caesarem instruxit
Fide sanctae spei.

R. O per omnia laude dignum
Praesulem sanctum et benignum,
Qui divina gratia
In agnum lupum mutavit,
Christi vineam dilatavit
Per terrarum spatia.

V. *Magnificavit eum Dominus in conspectu regum et dedit illi coronam gloriae.*

A. O Silvester bone
Dulcis et patrone,
Nunc pro nobis Deum,
Adi orans eum,
Ut per tua festa
Nostra male gesta
Tergat, ut ducamur
Post haec, quo fruamur
Dono suae gratiae
Laeta sua facie.

226. Simonis comitis et sociorum martyrum 4. Aug. [fol. 84b]. Aufser der Kollekte nur eine **A**, mitgeteilt Anal. XIII, S. 7.

227. Stanislai [episcopi Cracoviensis], 8. Maii [fol. 157b]. **A** ad Magn. 1. Vesp. aus dem Officium Anal. V, Nr. 81.

228. Swiberti, episcopi et confessoris, 1. Mart. [fol. 55a]. Inc.: De patroni gloria nostri gloriemur. 3 **AA** und Invit. aus dem Offic. Anal. V, Nr. 82.

229. Theobaldi confessoris, 30. Iunii [fol. 108a]. Vgl. das Officium Anal. XXVIII, Nr. 74 in der Note.

230. Theodardi, episcopi et martyris, 10. Sept. [fol. 193a]. Aufser einer prosaischen **A** folgende nachträglich beigefügten Verse:

O Theodarde inclite,
Patrone Deo grate,
Omni virtute praedite,
Iam digne sublimate,
Martyr Dei pretiose,
Praedicator gratiose,
Magnae vir prudentiae,
Toto corde dilexisti,
Pro quo mortem pertulisti,
Christum, regem gloriae.

231. Theodulphi, presbyteri ac monachi, 2. Maii [fol. 155a].

A. O decus Germaniae, norma sanctitatis,
Astans invocantibus vultu bonitatis
Vita desperantibus signis salvantur [1: ades?] gratis,
(Per te) Theodolphe, (pater) inclite, nos iunge cum beatis,

232. Thomae de Aquino confessoris, 7. Martii, 1° [fol. 91a]. **A**: Doctor Thomas repletus gratia etc. Anal. V, S. 231.
2 Translatio, 31. Ian. [fol. 132a]. Ein **R** als **A** bezeichnet aus dem Officium Anal. V, Nr. 84; ein **R** aus dem Officium Anal. V, Nr. 85.

233. Thomae, archiepiscopi Cantuariensis et martiyris, 1° 29. Dec. [fol. 76b]. **A** 5 ex Laud., **A** ad Bened. aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 93, **A** ad Magn. aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 95 und folgende Verse, die eher einer Sequenz oder einem Reimgebete entlehnt scheinen:

O Thoma, decus Anglorum,
Qui foves ius clericorum,
Exaudi preces tuorum
Adiuvante Maria.

2 7. Iulii [fol. 173b]. **A** Annus adest pacis etc. Anal. XIII, S. 246; **A** Felix locus, felix ecclesia etc. ebenda S. 239; beiden geht vorher:

A. Ave, decus angelicum,
Consors angelorum,
Speculum mirificum
Christi confessorum,
Thoma, praesul inclite
Martyr et invicte,
Da per tua suffragia
Nobis aeterna gaudia.

234. Thomae, episcopi Herfordensis et confessoris, 2. Oct. [fol. 83b]. Nur eine **A** aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 95.

235. Thomae, comitis Lancastriae et martyris, 22. Martii, 1° [fol. 84b]. Aufser der Kollekte nur eine **A**, mitgeteilt Anal. XIII, S. 7. Eine andere **A** und eine andere Kollekte findet man in Wright, Political Songs of England, S. 268. Ebenda zwei Prosen, eine Sequenz und einen Hymnus S. 269 ff. — 2° [fol. 146a]. Eine weitere **A** nachgetragen:

A. Miles Christi gloriose,
Laus, spes, tutor Angliae,
Flecte gentis criminosae
Dura corda [gratiae],
Fac discordes gratiose
Reduci concordiae,
Ne sternatur plebs [dolose]
Empta Christi sanguine.

236. Trium regum, 1 11. Ian. [fol. 126b]. Folgende **A**, die in dem Officium Anal. V, Nr. 23 fehlt:

O reges beatissimi,
O magi prudentissimi,
Iaspar, Melchior, Balthasar,
Qui recenter Christum natum
In praesepi reclinatum
Fideliter quaerentes
Bethlehem repperistis,
Sedulum ipsis precibus
Exorate felicibus,
Nos ut misericorditer
Vestrum per auxilium
Ducat ac veraciter
Latum caeli fastigium
Praestet et perpes bravium,
Ut laetemur perenniter.

2° 23. Iuli [fol. 178b]. **A** Magorum praesentia etc. Anal. V, S. 77.

237. Trudonis, episcopi et confessoris, 23. Nov. [fol. 214a]. Zwei **AA** aus dem Officium Anal. XIII, Nr. 96.

238. Udalrici, episcopi et confessoris, 4. Iulii, [fol. 65a]. Invit. und **R** aus Officium Anal. XXVIII, 83, sowie **A** ad Bened. aus Anal. V, Nr. 86.

239. Urbani papae, 25. Maii, [fol. 162a]. Folgende **A** (vielleicht Bruchstück einer Sequenz?):

Iustus, mitis, simplex, rectus,
Deum timens et perfectus,
Deo claruit dilectus
Urbanus et hominibus.

240. Ursmari episcopi et confessoris, 19. Apr. 1° [fol. 60b]. Invit. 2 **AA**, 1 **R** alle prosaisch. Dann:

Salve, noster o patrone,
Salve, praesul optime,
Salve cum sanctis, Ursmare,
Salve, pastor inclite,
Salve iam cum Christo regnans,
Salve nostri memorans.

Bis auf diese Zeilen scheint das Officium ein nicht rhythmisches gewesen zu sein. — 2° [fol. 87b]. 19. Maii vel 18 eiusdem. 2 prosaische **AA**.

241. Ursulae, virginis et martyris ac sodalium, 21. Oct. 1° [fol. 103a]. Die **A** Flos fulsit ex Britannia etc. aus der 1. Noct. des Officiums Laetis canamus vocibus.

2° Translatio, 31. Ian. [fol. 132a]. Drei **AA** eines unbekannten Officiums:

A. Arae Dei dum (astaret) insertus
Sanctus praesul Cunibertus,
Missam caelo per columbam
Ursulae cognovit tumbam.

A. Trium virginum reliquiae
Quibusdam dono traditae,
Sed minus digne habitae
Reponunt se Coloniae.

A. Istae regi gloriae
Carae margaritae
Inventae sunt hodie
Longius quaesitae.

242. Valerii, episcopi Trevirensis, confessoris, 29. Ian. [fol. 132b]: Nur eine **A** unbekannter Herkunft:

O virtutum speculum,
Valeri gemma praesulum,
Tuo nos precamine
Purgatos a crimine
Ad intransitorias
Transmitte delicias.

243. Victorini, episcopi et martyris, 2. Nov. [fol. 208b]. Folgende Verse ohne Bezeichnung und unbekannter Herkunft:

Ave, praesul Victorine,
Cui fiebant multae minae,
Dum hic eras propter fidem,
Quam docebas, et hoc [l: ob] idem
Opus martyr es effectus
Et ad arcem caeli vectus.
Quotquot ita [l: id] commemoramus,
Toto corde supplicamus,
Ut pro nobis exorare
Velis et nos adiuvare.

244. Vincentii levitae et martyris, 22. Ian. [fol. 67a]. Zwei **AA**, von denen zweifelhaft bleibt, ob sie einem rhythmischen Officium entlehnt sind, weil die zweite derselben auf viele Heilige angewandt erscheint.

A. Purpuratur ecclesia
Sanguine Vincentii
Rutilante per varia
Genera supplicii,
Quem non flexit angustia
Cruenti martyrii.

A. Ave, martyr gloriose,
Ave sidus iam caeleste
Decorans, Vincenti, caelum,
Nos guberna visens humum,
Quo laetemur triumphantes,
Te patronum venerantes.

245. Vincentii, ordinis Praedicatorum, 5. Apr. [fol. 149b.] Zwei **AA** ad Magn. 2. Vesp. und **A** 1 der 3. Noct. aus dem Officium Anal. V, Nr. 91.

246. Visitatonis B. M. V. 2. Iulii [fol. 171b]. Das **R** O praeclara stella maris etc. Anal. XXIV, S. 94 aber als **A** bezeichnet.

247. Walburgis virginis et abatissae, 1. Maii [fol. 65a]. Aus einem unbekannten Officium:

Inv. Regi sponsoque virginum
Iubilet plebs fidelium
In hac sponsae memoria,
Quam coronavit gloria.

A. Hodiernae lucis sollemnia
Congaudendo colat ecclesia,
Qua Walburgis exuta corpore
Triumphali ditatur munere.

Aufserdem ein prosaisches **R**. Vielleicht waren also die **AA** des Officiums rhythmisch, die **RR** nicht.

248. Wenzeslai martyris, 28. Sept. [fol. 198a]. **AA** ad Magn. der 1. und 2. Vesp. aus dem Officium Anal. V, Nr. 96; letztere **A** als **R** bezeichnet.

249. Weomadi, episcopi Trevirensis, 8. Nov. [fol. 210b]:

Weomade, praesul Dei,
In peccatis multum rei,
Nos tuere, te precamur,
In gehennam ne ducamur,
Sed per tua praeclara merita
Perducamur ad vitae gaudia.

250. Wiberti, monachi et confessoris, 23. Maii [fol. 161b]. Eine **A** eines unbekannten Officiums, jedenfalls ad Magnificat:

A. Magnificando Deum Wibertum magnificemus,
Magna Deum dantem, Wibertum magna merentem.
Sancte Wiberte, tuis, oramus, ut auxilieris.

251. Widonis confessoris, 12. Sept. [fol. 238a]. Folgende Verse ungewissere Bestimmung:

Ave, sancte peregrine,
Wido, vitae tu divinae
Exemplar et flosculum,
Te colentes fac ruinae
Ne subsint, sed sine fine
Regnent post hoc saeculum.

Te patronum nam donavit
Nobis Deus, quem dotavit
Perpulchris miraculis,
Fuga scelus, quod nos stravit,
Vitam pande, quae te pavit
Ereptum de maculis.

252. Wilhelmi, archiepiscopi Eboracensis et confessoris, 8. Iunii, 1. [fol. 82b]. Nur eine prosaische **A**; am Rande:

O praesul Wilhelme pie,
Fac, nos per preces Mariae
Ut finito duro die
Iungamur ad gaudia.

Woher diese Zeilen, die dem Officium Anal. XIII, Nr. 99 fremd sind, genommen, ob aus einem Officium oder einer Sequenz, bleibt ungewifs.

2° [fol. 164 b]. **A** Ave, praesul gloriose, ave sidus iam caeleste etc. Entlehnung.

253. Wilhelmi, comitis et confessoris, 10. Febr. 1° [fol. 88a]. **A** O comes Pictaviae etc. Anal. V, S. 266; **R** Spe patroni gaudeamus etc. ibid.

2° [fol. 138a]. Folgende **AA** unbekannter Herkunft:

A. O Wilhelme, caeli civis et noster patrone,
In Sion reduceris spreta Babylone,
Qui pro solitudinis luctu et maerore
Coronatus gloria gaudes et honore,
Da nobis auxilium, ut sic gradiamur
Mundi per exsilium, ut Deo fruamur.

Hierauf: O comes Pictaviae, Peregrine Tusciae etc. Dann:

O Wilhelme pater, nos ad nova gaudia transfer,
Tu caelos aperi, ne pereant miseri.
Tu spreto mundo transisti corde iucundo
Ad regnum vitae dans exemplum bonae vitae.

254. Wironis, episcopi et confessoris, 8. Maii [fol. 158a]. Eine **A**, entlehnt?

A. Ex hoc mundi stadio
Vitae dignus praemio
Migrans vir beatus (Wiro),
Corpore deposito
Fide, vitae merito
Plenus et probatus,
Sanctorum consortio
Vero gaudet gaudio
Christo sociatus.

255. Zachariae, 5. Nov. [fol. 209b]. Folgende Verse ungewisser Herkunft ohne Bezeichnung:

O praeclare Zacharia,
Cuius vita fuit pia
Statusque sacerdotalis
Deum placans et a malis
Plebem expians orando;
Propter quae nunc exorando
Poscimus, ut [ex]orante
Te pro nobis a vastante
Vitio sic emundemur,
Quod virtute decoremur.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

Nr.		Seite
1.	De sancta Margareta	11
2.	De sancta Margareta	14
3.	De sancta Margareta	17
4.	De sancta Margareta	20
5 a	De sancta Margareta	24
5 b.	De sancta Margareta	25
6.	De s. Margareta Hungarica	25
7.	De s Maria Aegyptiaca	28
8.	De s. Maria Aegyptiaca	31
9.	De s. Maria Magdalena	34
10.	De s. Maria Magdalena	35
11.	De s. Maria Salome	36
12.	De ss. Marino et Ammiano	38
13.	De sancto Mario	39
14.	De sancta Martha	41
15.	De sancta Martha	45
16.	De sancta Martha	47
17.	De sancta Martha	50
18.	De sancta Martha	52
19.	De sancta Martha	55
20.	De sancta Martha	58
21.	De sancto Materno	61
22.	De sancto Mauritio	63
23.	De s. Mauritio Turonensi	66
24.	De s. Mauro Parentino	70
25.	De sancto Matthaeo	71
26.	De ss. Monulpho et Gundulpho	75
27.	De sancta Monica	77
28.	De sancto Morando	80
29.	In Translat. s. Nicolai	82
29 b.	De sancto Nicolao	85
30.	De s. Nicolao Lincopensi	85
31.	De sancto Niniano	87
32.	De sancta Oda	91
33.	De sancto Odgero	94
34.	De sancta Odrada	96
35.	De sancto Odulpho	99
36.	De sancta Ottilia	101
37.	De sancto Ottone	103
38.	De sancto Pancratio	106
39.	In Festo Patronorum Hildesheimensium	107
40.	In Festo Patronorum Salisburgensium	110
41.	In Festo Patronorum Emmeramensium	112
42.	In Festo Patronorum Regni Sueciae	115
43.	In Conversione s. Pauli	118
44.	De s. Paulo Eremita	121
45.	In Transl. s. Pauli Erem.	125
46.	De s. Petro Caelestino	127
47.	In Transl. s. Petri Caelest.	134
48.	De s. Petro Martyre	135
49.	De s. Petro Tarentasiensi	137
50.	De sancto Placido	139
51.	De sancto Placido	142
52.	De ss. Praeiecto et Amarino	145
53.	De ss. Quinque Martyribus	148
54.	De ss. Quinque Martyribus	151
55.	De sancto Quirino	153
56.	De sancto Quirino	156
57.	De sancta Quiteria	159
58	De sancta Regenflede	162
59.	De sancta Regiswinde	165
60.	De sancto Reinoldo	166
61.	De sanctis Reliquiis	169
62.	De sancto Richardo	171

Nr.		Seite
62 a.	De sancto Saviniano	174
63.	De sancta Scholastica	176
64.	De sancto Sebaldo	178
65.	De sancto Severino	181
66.	De sancto Sigeberto	182
67.	De sancto Sigfrido	183
68.	De sancto Sigfrido	186
69.	De sancto Sigismundo	187
70.	De sancto Sixto	189
71.	De sancto Stephano	192
72.	De sancto Sozomeno	196
73.	De sancta Thecla	199
74.	De sancto Theobaldo	202
75.	De sancto Theodolo	203
76.	De sancto Theodoro	207
77.	De sancto Theodoro	209
78.	De sancto Timotheo	211
79.	De sancto Thoma	215
80.	De sancto Thoma	217
81.	De sancto Thoma	220
82.	De sancto Trudberto	222
83.	De sancto Udalrico	225
84.	De sancta Ursula	228
85.	De sancta Ursula	231
86.	De sancta Ursula	234
87.	De sancta Ursula	237
88.	De sancta Ursula	240
89.	De sancta Ursula	243
90.	De sancta Ursula	246
91.	De sancta Ursula	249
92.	De sancta Ursula	252
93.	De sancta Ursula	256
94.	De ss. Valentinis	259
95.	De sancto Victore	263
96.	De sancto Victorino	264
97.	De sancto Victorino	267
98.	De sancta Wereburga	270
99.	De sancto Wilhelmo	271
100.	De una Electa	276

Anhang.

Nr.		Seite
1.	De sancto Achatio	281
2.	De sancto Adriano	281
3.	De sancto Agricio	281
4.	De sancto Alardo	281
5.	De sancto Albano	282
6.	De sancto Albino	282
7.	De sancto Alexandro	282
8.	De sancto Alexio	282
9.	De sancto Ambrosio	283
10.	De sancto Amore	283
11.	De sancta Anna	283
12.	De sancto Aniano	283
13.	De sancto Annone	283
14.	De sancto Anschario	284
15.	De sancto Anselmo	284
16.	De sancto Antonio Abbate	284
17.	De sancto Antonio Patavino	284
18.	De sancta Apollonia	284
19.	De sancto Arnoldo	284
20.	De sancto Arsenio	284
21.	De sancta Asella	285
22.	De sancta Attala	285
23.	De s. Athelberto Mart.	285
24.	De s. Athelberto Conf.	285
25.	De sancto Auctore	285
26.	De s. Augustino Cantuarien.	286
27.	De sancta Aurea	286
28.	De sancto Autberto	286
29.	De sancta Barbara	286
30.	De sancto Bartholomaeo	286
31.	De sancto Basino	287
32.	De s. Basino Trevirensi	287
33.	De sancto Beato	287
34.	De sancto Benedicto	287
35.	De sancto Benigno	287
36.	De sancta Berlinde	287
37.	De sancto Bernhardino	287
38.	De sancto Bertino	288
39.	De sancto Bertulpho	288
40.	De sancto Bernwardo	288
41.	De sancta Bibiana	288
42.	De sancta Birgitta	288
43.	De sancto Blasio	288
44.	De sancto Calixto	288
45.	De sancto Cannico	288
46.	De sancto Castore	289
47.	De sancta Clara	289
48.	De sancta Colenda	289
49.	De sancto Colomanno	289
50.	De sancta Columba	289
51.	De Conceptione B. M. V.	289
52.	De sancto Cornelio	289
53.	De Corona spinea	290
54.	De sancto Cuthberto	290

Nr.		Seite
55.	De sancto Cyriaco	290
56.	De sancto Cyrillo	290
57.	De sancto Dalmatio	290
58.	De Divisione Apostolorum	290
59.	De sancto Dominico	290
60.	De sancto Donato	290
61.	De sancta Dorothea	291
62.	De sancto Dunstano	291
63.	De sancto Duthaco	291
64.	De sancta Dympna	291
65.	De sancto Edmundo Episc.	291
66.	De sancto Edmundo Mart.	292
67.	De sancto Edwardo Conf.	292
68.	De sancto Edwardo Mart.	292
69.	De sancta Elisabeth	292
70.	De sancto Elisaeo	292
71.	De sancto Elyphio	292
72.	De sancto Elzeario	293
73.	De sancto Emerico	293
74.	De sancto Erasmo	293
75.	De sancto Erico	293
76.	De sancto Ercenwaldo	293
77.	De sancto Eskillo	293
78.	De sancta Ethelrede	293
79.	De sancta Eugenia	293
80.	De sancta Eulalia	294
81.	De sancta Euphemia	294
82.	De sancto Eutropio	294
83.	De sancto Evergislo	294
84.	De sancto Evodio	295
85.	De sanctis Ewaldis	295
86.	De sancta Fara	295
87.	De sancto Firmino	295
88.	De sancto Floriano	295
89.	De sancto Florino	296
90.	De sancto Francisco	296
91.	De sancto Fusciano	296
92.	De sancto Gangolpho	296
93.	De sancto Gatiano	296
94.	De sancta Genevefa	296
95.	De s. Gerardo Broniensi	296
96.	De s. Gerardo Tullensi	297
97.	De sancto Gerlaco	297
98.	De sancto Germano	297
99.	De sancto Gerulpho	297
100.	De sancto Gisleno	297
101.	De sancto Godefredo	297
102.	De sancta Godolena	297
103.	De sancto Goare	298
104.	De sancto Gregorio M.	298
105.	De s. Gregorio Martyre	298
106.	De sancta Gudila	298
107.	De sancto Gummaro	298
108.	De ss. Harlinde et Relinde	298
109.	De sancta Hedwige	299
110.	De sancta Helena	299
111.	De sancto Henrico	299
112.	De sancto Heriberto	299
113.	De sancto Hermello	299
114.	De sancto Hieronymo	299
115.	De sancto Hildegarde	299
116.	De sancto Honorato	300
117.	De sancto Huberto	300
118.	De s. Hugono Gratianop.	300
119.	De s. Hugone Lincolnien	301
120.	De sancto Ierone	301
121.	De sancto Ignatio	301
122.	De Inventione capitis s. Iohannis Bapt.	301
123.	De sancto Ioachim	302
124.	De sancto Iodoco	302
125.	De s. Iohanne Eboracensi	302
126.	De ss. Iohanne et Paulo	302
127.	De s. Iohanne Priore	302
128	De Reversione s. Iohannis	303
129.	De sancto Ioseph	303
130.	De sancta Irmgarde	303
131.	De sancta Irmina	303
132.	De sancta Iuliana	304
133.	De sancto Iuliano	304
134.	De sancto Ivone	304
135.	De sancto Kanuto Duce	304
136.	De sancto Kanuto Rege	305
137.	De sancto Karolo Magno	305
138.	De sancta Katharina	305
139.	De sancto Kentigerno	305
140.	De sancta Kunegunde	305
141.	De sancta Kunera	306
142.	De sancto Ladislao	306
143.	De sancto Lamberto	306
144.	De Lancea Domini	306
145.	De sancta Leocadia	306
146.	De sancto Leodegario	306
147.	De sancto Leonhardo	306
148.	De sancto Leopardo	306
149.	De sancto Liborio	307
150.	De sancto Livino	307
151.	De sancto Lubentio	307
152.	De sancto Ludgero	307
153.	De sancta Ludmilla	307
154.	De sancto Ludovici Episc.	307
155.	De sancto Ludovico Rege	307

Nr.		Seite
156.	De sancto Lupo	308
157.	De sancto Luthardo	308
158.	De sancto Macario	308
159.	De sanctis Maccabaeis	308
160	De sancto Machuto	308
161.	De sancto Marcellino	309
162.	De sancta Marco	309
163.	De sancta Margareta	309
164.	De s. Maria Aegyptiaca	309
165.	De s. Maria Iacobi	310
166.	De ss. Maria Iacobi et Salome	310
167.	De s. Maria Magdalena	310
168.	De s. Maria Salome	310
169.	De sancta Martha	310
170.	De sancto Materno	310
171.	De sancto Matthia	310
172.	De sancto Maturino	310
173.	De sancto Mauritio	311
174.	De sanctis Mauris	311
175.	De sancto Maximo	311
176.	De sancta Mechtilde	311
177.	De sancto Meinulpho	311
178.	De sancto Melchiade	312
179.	De sancta Mildretha	312
180.	De sancta Monica	312
181.	De ss. Monulpho et Gundulpho	312
182.	De sancto Moysete	312
183.	De sancto Nicetio	312
184.	De sancto Nicolao	313
185.	De sancto Niniano	313
186.	De sancta Noitburge	313
187.	De sancta Odilia	313
188.	De sancto Odulpho	313
189.	De sancto Onufrio	313
190.	De sancta Ositha	314
191.	De sancto Osmundo	314
192.	De sancto Oswaldo	314
193.	De sancto Ottone	314
194.	De sancto Pantaleone	314
195.	De ss. Patriarchis et Prophetis	314
196.	De sancta Paula	315
197.	De s. Paulo Eremita	315
198.	De sancto Paulino	315
199.	De s. Petro Caelestino	315
200.	De s. Petro Tarentasiensi	315
201.	De s. Petro Martyre	316
202.	De sancta Pharahilde	316
203.	De sancto Pirmino	316
204.	De ss. Potentino et Sociis	316
205.	De sancto Praecordio	316
206.	De Praesentatione BMV.	316
207.	De sancta Prisca	316
208.	De sancta Procopio	316
209.	De Quinque Vulneribus D. N.	317
210.	De sancto Quirino	317
211.	De sancto Reinoldo	317
212.	De sancto Remaclo	317
213.	De sancto Richardo Conf.	317
214.	De sancto Richardo Mart.	317
215.	De sancto Roberto	318
216.	De sancto Romano	318
217.	De sancto Rumoldo	318
218.	De sancto Salvio	318
219.	De sancto Sebaldo	318
220.	De sancto Servatio	318
221.	De s. Severo Ravenate	319
222.	De s. Severo Presbytero	319
223.	De sancto Severino	319
224.	De sancto Sigfrido	319
225.	De sancto Silvestro	320
226.	De sancto Simone	320
227.	De sancto Stanislao	320
228.	De sancto Swiberto	320
229.	De sancto Theobaldo	320
230.	De sancto Theodardo	320
231.	De sancto Theodulpho	320
232.	De s. Thoma Aquinate	321
233.	De s. Thoma Cantuariensi	321
234.	De s. Thoma Herfordensi	321
235.	De s. Thoma Lancastrensi	321
236.	De ss. Tribus Regibus	321
237.	De sancto Trudone	321
238.	De sancto Udalrico	322
239.	De sancto Urbano	322
240.	De sancto Ursmaro	322
241.	De sancta Ursula	322
242.	De sancto Valerio	322
243.	De sancto Victorino	322
244.	De sancto Vincentio	323
245.	De s. Vincentio Ferrerio	323
246.	De Visitatione BMV.	323
247.	De sancta Walburge	323
248.	De sancto Wenceslao	323
249.	De sancto Weomado	323
250.	De sancto Wiberto	323
251.	De sancto Widone	323
252.	De s. Wilhelmo Eboracensi	323
253.	De s. Wilhelmo Magno	324
254.	De sancto Wirone	324
255.	De sancto Zacharia	324

II. Verbal-Index.

	Seite
Adest dies gloriosa	319
Adest dies laetabunda	96
Adest dies laetabundus	187
Adest dies veneranda	281
Adest digna praeconiis	24
Adiuva nos pater sancte	283
Ad laudem Domini vigiles	296
Ad laudes vitae cuncti	292
Ad Morandi venerandi	80
Adoremus Christum regem	319
Agmina caelica dant iubilamina	243
Almi laudes confessoris	171
Anglorum primas et pontificalis	286
Arae Dei dum insertus	322
Aras tura deos simulacraque	263
Assunt nobis festa sancti	294
Assunt sollemnia Thomae	217
Auctorem vitae Christum	319
Aurora Iesu rutilans	34
Ave Ambrosi doctor egregie	283
Ave clemens martyr Christi	282
Ave coheres caelorum	317
Ave decus angelicum	321
Ave doctor nobilis	302
Ave dulcedo pauperum	153
Ave gemma confessorum	291
Ave martyr gloriose	318
Ave martyr speciose	297
Ave mire clarissime	291
Ave papa gloriose	312
Ave pater Benedicte	287
Ave pontifex Autberte	286
Ave pontifex Evodi	295
Ave praesul Victorine	322
Ave Prisca Deo digna	316
Ave rex gentis Anglorum	292
Ave sancte peregrine	323
Ave sancte rex Edwarde	292
Ave summi regis sponsa	288
Ave virgo Christi sponsa	309
Ave vitae dux iustorum	299
Benedictus es Domine	300
Caelitus admonitus Bruno	294
Castitatis florens rosa	305
Castitatis margaritae	298
Celebret ecclesia Martyris	70
Celsa sancti praesulis	290
Chorus novae militiae	121
Christe tuis famulis	85
Christicolae ad sanctos	110
Christi virgo egregia	313
Christo sit pia laus	85
Collaetetur turba fidelium	135
Collaudemus adorando	303
Collaudemus in sexu	252
Confessor Christi Edmunde	292
Confessor Christi Stephane	192
Confessor magnifice	310
Confessor pretiose Meinulphe	311
Consilio pontificum	182
Copiosae caritatis Gatiane	296
Cuncti laetemur Christum	283
Dies adest veneranda	215
Dum ad aram Deo coram	264
Ecce dies clara moritur	156
Eia laudes decantemus	305
Electorum memoriam	107
Emicat alma dies	289
En illuxit lux celebris	45
Eugenia clarissima	294
Euge nunc Dunstane pie	291
Evangelista summi regis	309
Exemplar morum nec non	284
Ex finibus Burgundiae	301
Ex hoc mundi stadio	324
Ex regali germine	66
Exsulta Ierusalem et laetere	77
Exsulta pater monachorum	142
Exsultemus omnes in Domino	306
Exsultet caelum laudibus	302
Exsultet urbs Bethania	55
Farae virginis praeclarae	295
Festum beatae Ursulae	249
Filiae Sion plaudite	304
Flores nitent candore niveo	88
Flos praesulum Salvi	318
Flos regalis Ethelreda	293
Fulgens adest Honorati	300
Gaudeamus et caelestis	75
Gaude caelum terra plaude	25
Gaude felix ecclesia	316
Gaude felix visitata	58
Gaude martyr o Hermelle	299
Gaude mater fecunda liberis	271
Gaude mater tantae lucis	312
Gaude prole Bethania	310
Gaude virgo gloriosa	312
Gloria virtus lex spes gratia	38

	Seite
Gloriosos laudemus milites. . .	196
Gratuletur ecclesia	162
Haec inventrix sanctae crucis .	299
Hodie rex gloriae.	41
Hodie virgo pretiosa	14
Hospes Christi Iuliane	304
Hugo iugo subiugatus.	301
Hunc patronum veneremur. . .	311
Iesu corona virginum	234
Iesu praemium regnantium. . .	112
Illustris civitas subiacet	203
Imitemur affectanter.	293
Imperatorum speculum	299
In caelesti patria.	106
In Christo Iesu iubilat	308
Inclite confessor Christi	125
Inclite doctor ave praeceptor. .	284
Inclitus Albinus non vulpinus .	282
In Dei sedes dextera et caeli .	127
In sanctis mirabilem	189
Insigni laude gaude.	285
Instanti sollemnio.	31
Inter Christicolas quos actio . .	308
Iohannes apostolus proscriptus .	303
Iohannes sanctissime hospes . .	302
Iste sanctus in papatu	131
Iubilemus eremitarum	315
Iubilemus exsultando	315
Iubilemus exsultantes	320
Iucundare ex novella	25
Iucundare mater ecclesia . . .	115
Iuliana virgo grata	304
Iustus mitis simplex rectus . .	322
Laborum dura series	313
Laetare Taxandria	91
Laetetur mater ecclesia	284
Laetis canamus vocibus	256
Laudate Deum pueri	169
Laudate o pueri Deum	209
Laudate puellae Dominum . . .	237
Laude Deo digna celebremus. .	298
Laudemus Christum Dominum .	276
Laudes psallat praeconio . . .	97
Laus honor benedictio	286
Leocadia beata virgo Christi. .	306
Levine martyr nos praeclare. .	307
Magna laude gaude plaude . .	281
Magna te Deum cantica. . . .	287
Magnificando Deum Wibertum .	323
Magnificat miraculis	285
Magnificemus Dominum	225
Magnificemus Dominum	39
Magnificet Dominum	166
Magnificet virtutum Dominum .	309
Magnis Meinulphum attollamus.	311
Magnum regem Christum . . .	313
Mariae Salomae merita	36
Martyr Gregori cor adaequans .	298
Martyr invictissime pontifex . .	295
Martyris egregii recolentes. . .	287
Martyris invicti Placidi	139
Martyrum sollemnia celebrent .	22
Mater laetare Aegyptiacae . . .	28
Mente pura corde mundo . . .	202
Mentes et linguas excitet . . .	181
Miles Christi gloriose	321
Militans Christo ecclesia. . . .	99
Nobili stirpe progenitus	307
Nova bella virginum	246
Novus sol progreditur	186
Nuremberg attoleris	178
O amande vir Dalmati	290
O beate pater Onufri	313
O castitatis lilium	291
O Christi confessor egregie . .	316
O Christi pietas quae virgines .	228
O decus Britanniae.	304
O decus Germaniae	320
O decus insigne nostrum . . .	293
O doctrix et didascala	176
O Eulalia formosa.	294
O felix corona Franciae	307
O felix Kanute iam de tua . .	305
O felix prosapia ex regali . . .	310
O flos caelestis o Christi . . .	222
O flos virginum Anglorum . . .	314
O Gerarde pater alme	296
O Germane pastor pie	297
O gloriosum lumen	118
O Helizee propheta	292
O Huberte ubertatem	300
O Ioachim exsulta gaudio . . .	302
O Irmgardis virgo Christi . . .	303
O lilium munditiae	282
O lumen ecclesiae doctor . . .	300
O magnum et memorandum . .	103
O Margareta caelorum virgo. .	17
O Maria mater pia Finis . . .	289
O Maria mater pia Paenitentium	309
O martyr Apollonia.	284
O martyr ineffabilis.	314
Omne genus harmoniae	211

	Seite
Omnes iubilemus Deumque	288
O Niceti pater sancte	312
O pater Odgere Tua de	94
O pia Berlindis	287
O pie Florine flos caelice	296
O praeclara caeli stella	308
O praeclarae margaritae	231
O praeclara sponsa Christi	36
O praeclare Zacharia	324
O praesul honorabilis	290
O praesul Wilhelme pie	323
O quam praedigna quam felix	52
O quanta comes gratia	297
O reges beatissimi	321
O Remacle vernans rosa	317
O Richarde qui tot signa	317
O rosa rubens vernula	284
Ortus stirpe generosa	298
O sancte Duchate	291
O sancte Saviniane	174
O Sebalde Christi verna	318
O sidus angelicum	11
O superni regis sponsa	306
O Theodarde inclite	320
O Thoma decus Anglorum	321
O Thoma dux errantium	220
Ovans agat haec contio	87
O vir egregie quondam rex	307
O virtutum speculum	322
O virum nobilem De terra	282
O Wilhelme caeli civis	324
Patriarchae cum prophetis	314
Patris sancti Bernhardini	288
Patris sancti Moysetis	312
Petri clerus iucundetur	300
Pie martyr et modeste	281
Plebs fidelis veneretur	47
Praeclaram nunc victoriam	145
Praecipuus meritis et sanguine	301
Principes bellatores Mundi	259
Protege Romane precantes	318
Purpuratur ecclesia	323
Qui potenter magna fecit	159
Qui Raphaelem Tobiae	290
Quirine dux militiae	317
Quirine martyr inclite	317
Recensentes mira Dei	71
Recolamus gaudia	61
Regem caelorum Dominum	34
Regem qui altat minores	151
Regi sponsoque virginum	323
Rex per quem ecclesia	292
Rosa florens martyrii	295
Rumoldus vir inclitus	318
Sacra Leonhardi recolentes	306
Salve clemens hospita	50
Salve confessor inclite	312
Salve martyr Athelberte	285
Salve noster o patrone	322
Salve praesul Deo digne	287
Salve sancte Joachim	302
Salve virgo gratiosa Mater	289
Sancte pater Severine	319
Sancti Jeronis gloria	301
Sancti per festa Nicolai	84
Sanctorum regi iubilemus	282
Sanctus Amor sensu	283
Sanctus Sigfridus Angliae	183
Sex millena sexcentena	317
Sicut bona margarita	286
Speciosa iam in caelis	289
Sume decus proprii	316
Summe sacerdos inclite	82
Summi regis ad honorem	20
Tecum Thecla splendor	199
Theos unum sic et trinum	207
Te Petrus decorat	137
Tertia iam dena moriens	294
Testis o Domini Leodegari	306
Truncato in Arabia	301
Ut pateant multis	313
Veneremur praeceptorem	299
Victor migrat laetabundus	301
Virginis Asellae statum	285
Virginis Harlindis meritis	298
Virginum sponso iubilemus	309
Virgo beata Dei cuius sacra	270
Viri fortes Maccabaei	308
Vir inclitus Cyriacus	290
Virtus Christi iam panditur	148
Virtutis florem large	165
Virtutum pannis oratio	302
Virtutum signis resplendens	311
Vos quoque sancti patriarchae	314
Vox de caelis docet dona	314
Weomade praesul Dei	323

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXIX.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Zweite Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Zweite Folge.

Aus

handschriftlichen Gebetbüchern

herausgegeben

von

Clemens Blume
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

VORWORT.

Der vorige Band brachte die Gruppe der liturgisch und kulturgeschichtlich höchst interessanten Reimofficien zum Abschlufs. Als ergänzender Zusatz dürfte der Hinweis auf eine formelle Eigenschaft dieser eigentümlichen Dichtungsart, nämlich die **Akrostichis**, angezeigt sein.

Abecedarien, Wort- und Satzakrostichen sind in der griechischen und lateinischen, insbesondere in der Hymnen-Dichtung keineswegs etwas Unbekanntes[1]). In den Analecta Hymnica sind manche Akrostichen durch Fettdruck der betreffenden Buchstaben kenntlich gemacht. Bei den Reimofficien ist letzteres unterblieben. Aus der gleich zu besprechenden Art und Weise, wie der Name des Verfassers oder der gefeierten Heiligen oft in die verschiedenen Teile der Reimofficien verwebt wurde, erklärt sich leicht, dafs bei der ersten Herausgabe mehr als ein Akrostich übersehen wurde. Bei einzelnen Officien liefs sich die erwähnte Kunstform durch Fettdruck nicht hinreichend kenntlich machen, da die zugehörigen Hymnen mit hineinzuziehen sind, diese aber aus praktischen Rücksichten schon in den Hymnenbänden zum Abdruck gelangt waren. Im Interesse einer gleichmäfsigen Behandlung blieben daher bei den Historiae Rhythmicae die Akrostichen ganz unberücksichtigt und sollen nunmehr alle zusammengestellt werden.

Die höchst interessanten Aufschlüsse oder wenigstens Fingerzeige, welche die Akrostichen betreffs der Textkritik und noch

[1]) Vgl. Krummbacher, Gesch. d. Byzantin. Litteratur. 2. München 1897. S. 697 ff., woselbst auch die noch recht magere einschlägige Litteratur verzeichnet ist.

mehr betreffs des Ursprunges einzelner Reimofficien und zugehöriger Hymnen gaben, regten uns an, auch die übrigen Dichtungen in den Analecta und anderen Hymnensammlungen auf die Akrostichis hin einer sorgfältigen Prüfung zu unterziehen. Die Ausbeute war überraschend grofs. Vor der Hand möge es genügen, die einzelnen Akrostichen, sowohl bekannte — und das sind relativ wenige — als bislang völlig unbeachtete einfach aufzuzählen. Wie dieselben zu verwerten, und wie die vielfach noch vagen Autorenangaben näher zu bestimmen und der Litteraturgeschichte einzugliedern sind, mufs späterer Untersuchung vorbehalten bleiben.

1) **Akrostichen in den Reimofficien.** Träger des Akrostichons sind bald die Antiphonen der Nocturnen mit Überspringung der Responsorien und Versikeln, bald umgekehrt nur die Responsorien. Hierzu stimmt die Thatsache, dafs oftmals durch die Antiphonen eines Officiums sich ein ganz anderer Faden der Erzählung zieht als durch die Responsorien. Ein hierher gehöriges Beispiel von ganz besonderem Interesse ist das Officium auf die hl. Eusebia (Anal. XIII, Nr. 49), woselbst das Akrostichon erst durch alle Antiphonen der drei Nocturnen, darauf durch die Responsorien geht. — Einige Officien weisen blofs in den Antiphonen der Laudes ein Akrostichon auf, andere in jenen der 1. Vesper. Die einen sind durch das ganze Officium hindurch mit Einschlufs der zugehörigen Hymnen akrostichisch; die anderen schliefsen die Hymnen aus, oder enthalten in letzteren selbständige Akrostichen, ein Fingerzeig, dafs die Hymnen nicht wesentlich zum corpus der Historia rhythmica gehören. Andere Eigentümlichkeiten sind für aufmerksame Beobachter leicht erkenntlich; nur darauf sei besonders hingewiesen, dafs manchmal zur Bildung des Akrostichons nicht blofs der Anfangsbuchstabe, sondern die zwei oder drei ersten Buchstaben bezw. die Anfangssilbe eines Verses verwendet wurden. — Ebenso ist hier Abstand genommen von der stellenweise im Interesse des Akrostichons nötigen Textveränderung, da textkritische Ergänzungen und Korrekturen beim Abschlufs unserer Publikationen in einem eigenen Abschnitt zusammengestellt werden sollen.

Nur das Festgeheimnis oder die gefeierten Heiligen sind akrostichisch erwähnt:

V, 4: **Corpus Christi** (RR der Nocturnen).

XIII, 16: **Autor** (AA der 1. Vesp.).

XIII, 49: **Felix virgo Eusebia, ora pro nobis** (AA der Nocturnen, dann RR der Nocturnen und AA der Laudes).

XVIII, 25: **Gabriel** (AA 1. Vesp. et ad Magn.); abermals „**Gabriel**" (RR ad Nocturn.).

XXV, 6: **Agatha** (AA 1. Vesp.).

XXV, 74: **Clara** (AA 1. Vesp.).

XXVIII, 30: **Lincopens[is] Nicolaus** (RR der 3 Nocturnen, AA der Laudes).

XXVIII, 76: **Theodericus** (AA 1. Vesp.); darauf **Thidericus** (Die einzelnen Verse des R in 1. Vesp.).

Der Verfasser des Officiums wird in folgenden Akrostichen genannt:

V, 43: „**Historiam hanc fecit Procopius**" (AA, RR, VV der Nocturnen); die AA der Laudes und 2. Vesp. ergeben das rätselhafte Wort **Capelpe**; ob ein Eigenname?

V, 48: „**In honore virginis Barbarae Henricus**" (AA und RR der 1. Vesp., Nocturnen und Laudes).

V, 52: „**Petrus Rodulfus theologus Acpeatus [?]**" (Invit., AA, RR, VV ad Noct. et Laudes).

V, 53: „**Albertus de Dammone me dat suo pio patrono**" (Rhythmischer Hexameter; Invitat., AA, RR, VV ad Noct., Laud. et Vesp.). Vgl. den Hymnus in Anal. XI, 149 mit dem Akrostichon „Alber[tus]."

V, 91: „**Martialis Auribelli fecit**" (Hymnus ad 1. Vesp. — bei Mone III, S. 555 —; AA ad Noct. et Laud.) Vgl. Analecta XXV, S. 8.

XVII, 23: „**Simon**" (AA 1. Vesp. Alle anderen AA, RR und VV beginnen mit S, dazwischen vereinzelt I, O, N; wohl „Simon"? Auch die AA ad Laudes dürften wohl so zu ändern sein, dafs abermals das Akrostichon „Simon" sich ergiebt.

XVIII, 11: „**Michaelis**" (AA und RR der 1. Noct.). — Die AA, RR und VV der 2. Nocturn enthalten die unerklärliche Form „Valeuptci"; ob ein verderbtes Akrostich?

XVIII, 38: „**Roger**" [?] (AA ad Laudes).

XVIII, 87: „**Leonardus**" (RR der drei Nocturnen).

XXIV, 25: „**Frater Rossagnus** [Rostagnus?] **virginem toto corde magnificat.**" (AA, RR, VV, angefangen von der 1. Vesper mit Einschlufs der zugehörigen Hymnen zur 1. Vesp. [Mone II, N. 42, Str. 1—4 + Doxol.] und zur Nocturn [Anal. IV, 79] bis zum 2. R der 3. Nocturn). Vgl. XXVIII, 88.

XXIV, 29: „**Adam Cardi[nalis]** . . . . . **Ostiens[is]**“ (**AA** 1. Vesp., Magnif., Invitat., 1. Noct. . . . . **RR** und **VV** der 3. Noct. und Anfang der Laudes).

XXIV, 38: „**Philippus**“ (**AA** 1. Vesp., Magnif., **AA** 1. Noct.).

XXIV, 69: „**Oliverius**“ (**RR** der 3 Nocturnen).

XXV, 14: „**Necro**“ (**RR** der 3. Nocturn). Vgl. XXVIII, 7, 57, 78 und 94.

XXVI, 35: „**Ignac**“ (**AA** der 1. Vesp.); abermals „**Ignacius**“ (**RR** der 3 Nocturnen).

XXVI, 36: „**Michael**“ (**AA** ad Laud., Bened., Magnif.). Vgl. XVIII. 11.

XXVI, 38: „**Jeronymus doctor eximius, Petrus de Viterbo . . Frater . . . Nicolaus, Johannes, Andreas**“ (**AA** 1. Vesp.; Hymnus 1. Vesp. [Anal. XVI, 249]; **A** ad Magnif.; Hymnus ad Noct. [Anal. XVI, 250]; **AA, RR, VV** ad 1. et 2. Noct.; 3. Nocturn und Laudes unklar; **AA** 2. Vesp.; Hymnus 2. Vesp. [Anal. XVI, 252]; **A** ad Magn.; Parvae horae).

XXVI, 64: „**Juliana virgo, ora pro me Michaele**“ (**AA** super Psalm., ad Magn., Invitat.: **AA** et **RR** ad Noct. et Laud., Bened., Magnif.). Rhythm. Hexameter.

XXVIII, 7: „**Mariae Heinricus Necro me fecit**“ (**AA** 1. Vesp., Magnif., nicht Invitat., **AA** und **RR** der 3 Nocturnen). Vgl. die Note zu XXV, 14.

XXVIII, 53: „**Ulricus**“ (**RR** der Nocturnen).

XXVIII, 57: „**Quiteria, ora pro Hainrico Necrone**“ (**A** zum Magnif., Invitat., **AA** 4—6 und **RR** der 1. Noct.; **AA** 1—3 und **RR** der 2. Nocturn; **AA** 4—6 der 2. und **RR** der 3. Noct., **AA** der Laudes, Bened.; **AA** 1—3 der 1. Noct.). Einzelne Teile des Officiums sind demnach sichtlich verschoben; vgl. XXV, 14.

XXVIII, 71: „**Raimundus**“ (Invitat., **AA** der 3 Nocturnen).

XXVIII, 78: „**O Thimotee** [sic!], **apostole Dei, ora pro Heinrico Ne[crone]**“ (**AA, R** und **V** der 1. Vesp., Magnif., Invitat., **AA, RR** und **VV** der 3 Nocturnen). Die **AA** der Laudes sind offenbar verderbt; vgl. XXV, 14.

XXVIII, 88: „**Fratri Jacobo frater Rostagnus** [Rossagnus?], **Sacris virginibus sit honor magnus**“ (**AA, RR** und **VV**, angefangen von der 1. Vesp. mit Einschlufs des Hymnus zur 1. Vesp., zur Nocturn und zu den Laudes [Anal. XXII, 467 ff.]). — Vgl. XXIV, 25.

XXVIII, 94: „**[Orate] pro Necrone Hainrico peccatore martyres**“ (**R** und **V** 1. Vesp., **A** ad Magnif., Invitat.; **AA** et **RR** ad Noct.). Wahrscheinlich fehlen 5 **AA** der 1. Vesp. mit dem Akrostichon „Orate“.

Ferner ist ein für Ort und Zeit der Abfassung des Officiums interessantes Akrostichon zu verzeichnen:

XXVIII, 72: „Generosam Constantiam, reginam Jerosolyme et Cipri, duc ad gloriam“ (**AA**, **RR** und **VV** der 1. Vesp., Invit., Nocturnen und Laudes mit Einschlufs der zugehörigen Hymnen zur 1. Vesp., Noct. und Laud. [Anal. XXII, 435 ff.]).

Schliefslich verdient XXVI, 3 als Abecedar Beachtung; er enthält in den **AA** der 3 Nocturnen die Buchstaben A — J. — Ebenso V, 14 die Buchstaben A — J als Doppelakrostichon in den **RR** und **VV** der Noct.

2) Die **Akrostichen in den Hymnen** im engeren Sinne des Wortes sind recht zahlreich, bezeichnen aber verhältnismäfsig selten die Namen der Verfasser und diese durchweg so allgemein, dafs wenig Aussicht vorhanden ist, sie näher bestimmen zu können.

Der Name der Heiligen bezw. des Festes ist akrostichisch angegeben:

IV, 95: Achacius.
IV, 115: Agnes.
IV, 159: [Apoll]onia.
IV, 169: Ba[r]bara; doppelt[1]).
IV, 171: Barbara.
IV, 172: Barbara.
IV, 191: Benedictus.
IV, 195: Benedictus.
IV, 196: Benedictus.
IV, 234: Elisabeth; doppelt.
IV, 245: Erasmus.
IV, 312: Katherina.
IV, 317: Caterina.
IV, 318: [K]aterina.
IV, 335: Leopoldus.
IV, 337: Livinus.
IV, 343: Ludmilla.
IV, 356: Malachias.
IV, 364 + 357: Margareta.
IV, 365: [Mel]ania.
IV, 381: Martha.
IV, 408: Odilia.
IV, 491: [Wilh]elm.
XI, 314: Liborius.
XI, 450: Laus martirum.
XI, 500: Sixtus.
XII, 109 + 110: Gaudia Mariae.
XII, 171: Castor.
XIV a, 74: Michael.
XIV a, 115: Cosmas, Damianus.
XVI, 110: Antonius.
XVI, 431: Raphael.
XIX, 126: Barbara.
XIX, 164: Castor.
XIX, 308—310: Lazarus, amicus Jhesu.
XIX, 367: Marcialis, apostolus Cristi.
XIX, 388: Moder[annus].
XXII, 29 + 30: Alexander.
XXII, 78: Babillas.
XXII, 86: Benignus.
XXII, 138: Domitilla.
XXII, 190: Grata.
XXII, 191: Grata; Doppelakrostichon.
XXII, 211: Confaessor [sic!].
XXII, 226: Januarius.
XXII, 241: Johannes.
XXII, 275: Leonardus.
XXII, 283—285: Lucia, martyr, virgo.
XXII, 485: Vincentius.
XXII, 489: Zenobius.
XXIII, 36: Corona Dei.

[1]) In den Anfangs- und Schlufsversen der Strophen. In letzteren fehlt das a der ersten Silbe, also: B[a]rbara. Demnach sind vom ursprünglichen Hymnus die Verse 2,2—3,2 ausgefallen; 2, 4 mufs mit A, 3, 1 mit R beginnen. Der mangelnde Reim vom jetzigen Vers 2. 1 und 2, 2 bezeichnet die Stelle der Lücke.

XXIII, 169: Aga[tha].
XXIII, 182: Ambrosius.
XXIII, 222: Benedictus.
XXIII, 412: [Mar]gareta.
XXIII, 430: Mauriti[us]; oder Vocativ?
XXIII, 444: Odrada.
XXIII, 461+462: Quiteria.
XXVII, 119: Facundi, Primitivi.
XXVII, 151: Marcellus; Doppelakrostichon.
XXVII, 169: Judas; vierfaches Akrostichon. Simon; vierfaches Telestichon.
XXVII, 191: Imnus primitiarum.

Der Verfasser des Hymnus wird akrostichisch genannt:

IV, 91: Johannes.
IV, 127: Hainricus.
IV, 147: Johannes.
IV, 185: Marcmann.
IV. 295: Conradus.
IV, 399: Jacobus.
IV, 446+447: Adam Prandotae. Vgl. bei den Seqenzen IX, 340.
IV, 480: Wenceslaus.
XI, 213: Orofnes[?].
XI, 492: Eberhardus.
XVI, 28: Johannes.
XVI, 66: Johannes.
XVI, 280: Garsias.
XIX, 88+89: Johannes de Roma.
XIX, 96: Rufinus.
XIX, 157+158: Gauterius.
XIX, 474: Durantus.
XXII, 140: Adam.
XXII, 176: Johan[n]es.
XXII, 238: Otto.
XXIII, 235: Bernardus.
XXIII, 239: Conradus.
XXIII, 243: Urgero[?].
XXIII, 263: Johannes.
XXIII, 337: Ghiselerus.
XXIII, 425: Ulricus.
XXIII, 524: Eberhardus.
XXVII, 92: Orientius.
XXVII, 97: Ecce ymnus Bartholomei apostoli, quem fecit Leo Melfitanus.
XXVII, 113: Eulogius.
XXVII, 118: Albarus te rogat sa[l]ves.

Bemerkenswert sind ferner folgende Akrostichen, von denen die drei ersteren den Verlust zugehöriger Hymnen oder Hymnenstücke ahnen lassen:

XII, 122: Fecit.
XVI, 419+420: Regi mundo.
XXII, 9: Dono.
XXIII, 26+27: Ducissa Sacsonie.
XXVII, 130: O rex regum, regem piium Maurecatum aexaudi, cui probe hoc tuo amore prebe.

Schliefslich eine ziemliche Anzahl von Abecedarien:

II, 13: Umfafst die Buchstaben A—T.
II, 23: Ein Stück vom Abcdar des Sedulius.
II, 60: A—J; X, Y.
II, 107: A—T; A doppelt.
II, 134: A—Z; folgen weitere 12 Strophen.
IV, 5: A—E.
IV, 75: A—F.
XI, 175: A—E.
XII, 2: A—Z.
XII, 236: A—Z.
XIV a, 11: A—S.
XIV a, 19: A—Z.
XIV a, 40: A—H.
XIV a, 72: A—V.
XIV a, 84—86: A—Z.

XIVa, 137: A—D.
XVI, 183: A—G.
XVI, 425: A—K.
XIX, 6: A—X.
XIX, 7: A—L.
XIX, 8: A—L; Doppelakrostichon.
XIX, 22: A—Z.
XIX, 62: A—H.
XIX, 63: A—Z.
XIX, 392: A—Z.
XIX, 470: A—Z + Amen.
XXII, 85: A—Z.
XXII, 500: A—Z.
XXIII, 8: A—Z.
XXIII, 10: A—Z.
XXIII, 29: A—Z.
XXIII, 31: A—G.
XXIII, 70: A—V.
XXIII, 74: A—S.
XXIII, 75: A—U.
XXIII, 77: A—F.
XXIII, 78: A—D.
XXIII, 204: A—Z.
XXIII, 220: A—Z.
XXIII, 451u.452 + IV, 413: A—X.
XXIII, 455: A—F.
XXIII, 495: A—G.
XXIII, 530: A—Z.
XXVII, 6: A—Z.
XXVII, 9: A—Z.
XXVII, 16: A—Z.
XXVII, 108: A—H.

Aus der Hymnensammlung Mones sei hingewiesen auf III, Nr. 780 (= Daniel I, 87), woselbst das nicht beachtete Akrostichon einen gewissen Maximianus als Verfasser nennt.

3. Die **Akrostichen in den Sequenzen** sind unter anderem dadurch merkwürdig, dafs sie nur den Sequenzen der zweiten Epoche eigen sind; wenigstens ist es uns bislang nicht geglückt, in den Prosen der ersten Periode eines aufzufinden, wohl in Nachahmungen derselben. Die Autorenangaben sind vielfach bestimmter, als bei den Hymnen und versprechen so eine Bereicherung der Litteratur.

Auf die Heiligen oder Festgeheimnisse haben zunächst Bezug die Akrostichen:

VIII, 48: **Ave Maria.**
VIII, 63: **Maria.**
VIII, 117: **Decem milia martirum.**
VIII, 192: **O Joachim.**
VIII, 230: **Maria Magdalena.**
IX, 8: **Jesus, Maria, Amen.**
IX, 37: **Ascensio Dei.**
IX, 43: **Salve, Jesu pie.**
IX, 56: **Nativitas Marie.**
IX, 110: **Sanctus Egidius.**
IX, 81: **Mater Dei Maria.**
IX, 201: **Piae Erntrudis.**
IX, 238: **Joachimus.**
IX, 258: **Josep[h], nutricius Jesu.**
IX, 311: **Nicolae.**
IX, 372: **O bone Zeno, ora pro nobis.**
X, 112: **Salve, regina misericordiae.**
X, 123: **Virgo Maria.**
X, 157: **Sanctus Egidius.**
X, 245: **Germanus, Autisiodorensis episcopus.**
X, 295: **Catherina.**
X, 335: **Martinus.**
X, 365: **Nicolaus.**

Als Verfasser sind akrostichisch genannt:

VIII, 114: **Johannes Resal.**
VIII, 159: **Cigtendorf.**
VIII, 259: **Osdo me fecit.**
IX, 123: **Johannes Ortis, Carmelit[a].**
IX, 145: **Adam Suinca de Zelona.**
IX, 162: **Abbas Ortolfus.**
IX, 164: **Heinricus de Rinhusen.**
IX, 208: **Sirius de An...ci-ci[?].**
IX. 226: **Johan de Wippervurde fecit.**
IX, 244: **Alanzous[?].**
IX, 281: **Leopoldus, Conradus**[1]**.**
IX, 282: **Laaslius[?].**
IX, 283: **Banq[u]alis[?].**
IX, 314: **Hainrici.**
IX, 340: **Prandota Adam pio donat.** Vgl. Anal. IV, 446f.
IX, 379: **Frater Marcus.**
X, 59: **Johannes Millet.**
X, 92: **Johannes Scouto.**
X, 186: **Guillaume Chastelain.**

Unter Misset-Weale's Sequenzen findet sich (I, 41) ein interessantes, als solches nicht erkanntes Akrostichon, das uns als Verfasser der Sequenz „**F[r]ater Simon Berthier, ordinis predicatorum**“ nennt; ebenso I, 147: **Johannes Bernard.** Die sonst noch bei den erwähnten Herausgebern sich vorfindenden Akrosticha, welche alle übersehen wurden, bezeichnen die Heiligen der betreffenden Sequenz, nämlich I, 368: Germanus, Autisiodorensis episcopus (= Anal. X, 245); II, 466: **Balthildis regina**; II, 557: **Gaugericus.** — Aus Mone's Sammlung sind als Verfasser von Sequenzen (die Akrostichen von Heiligennamen übergehe ich einstweilen) nachzutragen: II, 364: **Rinardus** und III, 972: **Arnoldus.** Vielleicht aber ist erstere Dichtung eine Cantio, letztere ein Reimgebet. —

Zur Vervollständigung der Liste von Sequenzen-Verfassern seien schon gleich hier dahingehörende Akrostichen erwähnt, welche in den demnächst von uns zu publizierenden Sequentiae Ineditae vorkommen werden:

Johannes Lauchein.
Lippoldus Steinberg.
Kilianus Gregorius.
Frater Matheus fecit.
Johannes Tritemius.
Johannes Polonie.
Johannes Volf Polonie.
Johannes Resal (oder de Sal? cfr. VIII, 114).
Jacobus de Nussia fecit.
Matthias Walram Jamati[?].
Marcmannus; cfr. IV, 185.
Matthias.
Matthaeus Hummel.
Procopius fec[it].
Sanccius Basesii.
Winandus doctor edidit me.

[1]) „Conradus“ ist gebildet aus den Initialen der einzelnen Worte der Schlufsstrophe, der Name des von ihm gefeierten hl. „Leopoldus“ aus den Initialen der Strophen. Ähnliches ist mehrmals beim Aufsuchen der Akrostichen zu beachten.

Als Abecedare sind unter den Sequenzen nur zwei zu verzeichnen, nämlich VIII, 45, die Buchstaben A—K, und IX, 174, die Buchstaben A—Y umfassend. — Ferner ist das interessante Akrostichon „**Philibertus, Margareta**“ in der Sequenz de Sindone Domini (Anal. IX, 22) zu vermerken; auch Morel (Nr. 63) bringt diese Sequenz, ohne vom Akrostichon Notiz zu nehmen.

4. Die **Akrostichen in den Cantionen** bieten des Lehrreichen recht vieles.

Heiligennamen sind selten durch das Akrostichon bezeichnet:

II, IV, 7: **Jacobus.**
II, IV, 24: **Dorothea.**
III, 56: **Katherina.**
III, II, 1: **Johannes Baptista.**
III, II, 2: **Petrus claviger celorum.**
III, II, 18: **Dorothea.**
III, II, 25: **Scolastica.**
III, III, 9: **Jesus.**
III, III, 9: **Maria.**
XXI, 30: **Jesus.**

Abecedare sind nur durch zwei Nummern vertreten: XX, 1 und XX, 218, beide die Buchstaben A—D umfassend.

Reicher ist der Zuwachs, den durch die Akrostichen unsere Kenntnis von den Verfassern der Cantiones erhält:

I, 28: **Jacobu[s].**
I, 31: **Johan[n]es f[ecit].**
I, 33: **Johannes.**
I, 71: **Crisostomus,**
I, 76: **Dorota.** Czechisch = Dorothea.
I, 90: **Johannes de Przibram.**
I, 91: **Johannes.**
I, 92: **Johannes.**
I, 95: **Johannes.**
I, 105: **Martinus de Rociczana** (letzteres aus den Initialen der Wörter in der Schlufsstrophe; vgl. IX, 281.
I, 114: **Paulus est nomen.**
I, 129: **Simon.**
I, 138: **Venceslaus.**
I, 140: **Victorinus.**
I, 144: **Vincentius.**
II, IV, 14: **Petrus.**
II, IV, 16: **Jacobus.**
II, IV, 23: **Petrus.**
II, IV, 26: **Johannes.**
II, IV, 29: **Nicol[a]us.**
II, IV, 35: **Petrus Cobilca[?].**
I, 19: Dorothea, Virgo beata, **Nicolai** suscipe vota.
I, 101: Maria beata, **Viti** suscipe vota.

Dazu kommen I, 82 „**Flos muri**“ und I, 209 „**Papilio**“, beides wahrscheinlich Übersetzungen eines czechischen Familiennamens. Diese Vermutung wird bestärkt durch den Umstand, dafs wir in den Nummern I, 200 sowie I, 203 und I, 208 dem Akrostichon „**Motail**“ begegnen, in letzterer Nummer freilich nur,

wenn wir die Strophenpaare umstellen, also 2, 1; 4, 3; 6, 5. Wie begründet diese Umstellung sei, geht aus der Note hervor, die mein College Dreves bereits unabhängig vom Akrostichon zu jener Cantio gemacht hat. „Motail" ist nämlich die ältere Schreibweise für das czechische „motejl" = „Schmetterling", also identisch mit dem eben erwähnten „papilio". Ob auch das eigentümliche Akrostichon „**Suile**" (I, 132) auf gleiche Weise zu erklären sei, bleibe dahingestellt; der Eigenname des Poeten wäre dann allerdings wenig poetisch.

Unklar und zweifelhaft bleiben die Akrostichen, falls es wirklich solche sind:

I, 30: **Joacim Laucnis.**
I, 89: **Jodoomeus.**
I, 131: **Sunitram.**
II, IV, 15: **Laneaugrasidius.**

Nicht minder auffallend ist das Akrostich I, 38: **Nicolao Scico**, in dessen zweitem Bestandteile wohl niemand einen Namen vermuten würde, wenn nicht II, IV, 22 in umgekehrter Folge mit einer einzigen Variante sich die gleiche Form: **Scici Nicolao** vorfände. —

In der Sammlung von Klemming bezeichnen 2 Akrostichen den Verfasser der Cantio: II, S. 8: **Thomas fecit** und II, S. 68: **Johannes.** Betreffs des zuletzt erwähnten Liedes „Jesus Christus nostra salus" ist viel für und gegen diskutiert worden, ob Johannes Hus der Verfasser sei; das Akrostichon dürfte den sicheren Ausschlag geben.

5. Von den **Reimgebeten** und **Leseliedern** sind erst wenige publiziert.

Zunächst seien angeführt die Spruchakrostichen bei Conrad von Gaming und Albert von Prag. Sie wurden bereits gehörigen Ortes durch den Druck hervorgehoben und seien nur der Vollständigkeit halber kurz wiederholt:

III, 1: **Amictus Clarissime Virginis Marie. Amen.**
III, 3: **Annulus Beate Virginis Marie.**
III, 4: **Sit thronus iste, pia, tibi gratus, sancta Maria.** — Hexameter.
III, 5: **Ortulus iste, pia, placeat tibi, virgo Maria.** — Hexameter.
III, II, 4: **Johannes Evangelista, ora pro me Deum.**
III, II, 8: **Salve, Leonarde.**

Zwei Abecedare (XV, 49 und 225) umfassen die Buchstaben A — Z.

Ferner sind folgende Akrostichen zu verzeichnen, welche den Namen der betreffenden Heiligen nennen:

XV, 144: Agneta.
XV, 149: Angelus.
XV, 160: Benedictus.
XV, 165: Bernardus.
XV, 172: Dorothea.
XV, 173: Dorothea.
XV, 176: Erndrudis.
XV, 182: Hedwigis.

Schliefslich das Spruchakrostichon:

XV, 214: Sancte Rudberte, ora pro nobis omnibus tuam sanctitatem confitentibus ac invocantibus. Amen. Pie pater felix. Amen.

Ein sehr beachtenswertes Akrostichon, das freilich dem Herausgeber des betreffenden Reimgebetes allem Anschein nach entgangen ist, findet sich in Milchsacks Hymnensammlung, Nr. CXXI, S. 143 ff. (s. Anhang dieses Bandes):

J. Franco, scolaster Meschedensis, servitor alme virginis Marie humilis et devotus ista collegit et ea domino Johanni pape xxjj misit.

Vorläufig mögen diese Angaben betreffs der Akrostichen genügen. Eines mufs noch betont werden. In der Rubrik „Verfasser von Hymnen“ ist vielleicht der eine oder andere Name zu tilgen. Ist nämlich z. B. ein Hymnus auf den hl. Johannes seinem Inhalt nach sehr allgemein gehalten, ohne etwas Specifisches aus dessen Leben zu erhalten, und zeigen die Anfangsbuchstaben das Akrostichon Conradus, so vermuten wir zunächst in letzterem den Verfasser. Aber es kann sehr gut der Hymnus ursprünglich auf den h. Conradus gedichtet und dann auf Johannes angewandt sein.

* * *

Der vorliegende Band schliefst sich zunächst an die in Analecta XV begonnenen „Pia Dictamina“ als zweite Folge an und enthält Reimgebete, die sich passend in fünf Gruppen oder Reihen gliedern liefsen.

Die erste Gruppe ist einem niederländischen, vormals Alberdinck-Thym gehörigen, handschriftlichen Gebetbuche des 15. Jahrh. (281 foll. 10,8 × 7,5 cm) entnommen, das für ein Brigittinerinnenkloster und zwar des Bistumes Utrecht geschrieben worden. Letzteren Umstand bezeugen in der Allerheiligen-Litanei die Namen Willibrordus, Lebuinus, Radbodus, Odulphus; ersteren die Anrufung in derselben Litanei: Ut ordinem nostrum, beatissimae semper

virgini dedicatum, in tua inclita pietate exaltare et conservare digneris, sowie die Kollekte im Totenofficium „pro fratribus et sororibus“ des Ordens. Die Lieder folgen sich in der Handschrift in der hier beibehaltenen Ordnung und rühren, wie ein aufmerksamer Vergleich zeigt, von ein und demselben, leider unbekannten Verfasser her. Zwischen diese Lieder eingeschoben (zwischen Nr. 19 u. 20) erscheint der Rhythmus „Ave (al. Salve) sancta facies nostri redemptoris“ (bei Mone I, 156); auf dieselben folgen alsdann in der Handschrift noch: Salve mundi salutare als „planctus beati Bernardi abbatis“ bezeichnet; Stabat mater dolorosa: „Sequitur quaedam devotissima oratio de dolore beatissimae genitricis Dei et perpetuae virginis Mariae“; Omnibus consideratis: „Sequitur devota oratio ad singulas plagas piissimi redemptoris, Domini nostri Jesu Christi“; Christus Deus homo natus: „Sequitur devotus rigmus dominicae passionis“; Stabat iuxta Christi crucem: „Alia oratio de dolore beatae Mariae virginis“. Hierauf: Quindecim collectae sive orationes illius praeclarissimae beatae Birgittae viduae, die sieben Bufspsalmen, die Allerheiligenlitanei, das Totenofficium und die Tagzeiten der allerseligsten Jungfrau.

Die zweite und dritte Gruppe, beide englischen Handschriften (Arundel 201 und 203) entnommen, stammen gleichfalls beide von zwei unbekannten Verfassern.

In der vierten Gruppe sind kurze Heiligenlieder zusammengestellt, welche, wie alle Nummern der dritten Reihe (ausgenommen Nr. 159), durch sämtliche Strophen mit dem Grufsworte Gaude beginnen und der Mehrzahl nach aus Cod. Leodien. 395 stammen. Dieselben dürften trotz anscheinender Ähnlichkeit von mehreren oder selbst vielen Verfassern herrühren.

Die fünfte Gruppe bietet eine Folge von Heiligenliedern, die sämtlich einer Handschrift entnommen sind. Nur wenige derselben fanden sich in einem Wolfenbütteler Kodex wieder. Manche dieser Lieder verraten ein und denselben Verfasser, andere rühren augenscheinlich von verschiedenen Autoren her.

Wien, Epiphanie 1898.

Clemens Blume.

PIA DICTAMINA.

ERSTE GRUPPE.

1. De ss. Trinitate.

1. Ave, sancta trinitas,
Semper adoranda,
Vere simplex unitas,
Digne veneranda,
Ave, summa bonitas,
Iugiter optanda,
Ave, constans veritas,
Sedule laudanda.

2. Ave, clara deitas,
Undique coruscans,
Tu perfecta caritas,
Omnia adunans,
Tu fons sapientiae,
Animas illustrans,
Noctes ignorantiae
Penitus propulsans.

3. Ave, pax tutissima
Omnis creaturae,
Tu es lux purissima
Humanae naturae,
Et vita verissima,
Dator vitae purae
Atque lex rectissima
Cuncta regens iure.

4. Ave, lumen gloriae
Omnium sanctorum,
Tu dulcedo gratiae,
Honor electorum,
Rorem da clementiae,
Firma spes errorum,
Manu duc potentiae
Culmen ad caelorum.

5. Gloria sit trinitati,
Laus aeterna unitati,
Grates summae maiestati
Horumque divinitati,
Salus magnae potestati,
Virtus sit et bonitati
Ab omni tua creatura,
Quae subsistit in natura.

2. Oratio ad Patrem.

1. Ave, pater, summe Deus,
Tu qui es creator meus,
Fac me digne te laudare
Et cum sanctis adorare.

2. Ave, pater summum bonum,
A te exit omne donum,
In te spero vero Deo,
Gratiam da mihi reo.

3. Ave, splendor angelorum,
Gloria es electorum,
Fac me iuste ambulare
Et a malis declinare.

4. Ave, virtus aeternalis,
Tu plasmator generalis,
Tibi nunquam da abesse,
Sed me tecum semper esse.

Praesta hoc, aeterne Deus,
Tu qui es creator meus.

3. Oratio devota ad Filium.

1. Ave, salus, Iesu Christe,
Qui repellis omne triste,
Ave, Iesu, rex sanctorum,
Lux aeterna beatorum.

2. Ave, Iesu, fons virtutum,
Iter praesta mihi tutum,
Speculum es angelorum,
Fac me sanctum et decorum.

3. Ave, Iesu, verbum patris
Filius et castae matris,
Verus agnus immolatus,
Da, ut in te sim beatus.

4. Ave, Iesu, ave, pie,
Salva me in mortis die
Et ob tuam passionem
Da tui fruitionem.

Praesta hoc, aeterne Deus,
Tu qui es redemptor meus.

4. Oratio ad sanctum Spiritum.

1. Ave, tu, sancte spiritus,
Veni et purga funditus
Corda nostra a peccatis,
Fac nos templum deitatis.

2. Ave, patris, nati flamen,
Nobis maestis sis solamen,
Dona flumen gratiarum,
Dulce fac nunc cor amarum.

3. Ave, benedictum numen,
Fer in nobis tuum lumen,
Ut peccata cognoscamus
Et deflere valeamus.

4. Ave, pneuma, cum honore,
Nos fecunda tuo rore,
Visita nos tuis donis,
Colloca in caeli thronis.

Praesta hoc, aeterne Deus,
Tu sanctificator meus.

5. Oratio ad sanctam Trinitatem.

1. Ave, beata trinitas,
In esse simplex unitas,
Te adorat altitudo
Caeli, terrae latitudo.

2. Ave, tu summa bonitas,
Te colit omnis entitas,
Fac me sanctum atque bonum,
Quod excellit mundi donum.

3. Ave, summa pulchritudo,
Vera es beatitudo,
Tu es pax aeternitatis,
Vitam da felicitatis.

4. Ave, vera lux caelorum,
Tu es merces electorum,
Salva nos hic viatores,
Fac nos caeli possessores.

Praesta hoc, aeterne Deus,
Tu glorificator meus.

Ad Dominum N. I. Ch.

6. Oratio Prima.

1. Ave, Iesu fili Dei,
In te sperant omnes rei,
Munda nos ab omni sorde,
Hoc rogamus toto corde.

2. Ave, dulcis panis, Iesu,
Dulcior es omni esu,
Te da nobis esurire,
Summum bonum fac sitire.

3. Ave, Iesu, princeps fortis,
Triumphator dirae mortis,
Hostem da hic debellare,
Contra eum fortes stare.

4. Ave, Iesu salutaris,
Pius esto tuis caris,
Eos semper consolando,
Caeli regnum conferendo.

7. Oratio Secunda.

1. Ave, Iesu, pastor bone,
Esto nobis spes coronae,
Pasce cibo spiritali
Tuos nec non corporali.

2. Ave, Iesu, candor lucis,
Passus diram mortem crucis,
Te laudamus voce pari
Pro tam dono singulari.

3. Ave, Iesu, lux erranti,
Tu solamen es maerenti,
Sis dulcedo nostrae menti,
Consolator paenitenti.

4. Ave, Iesu o benigne,
Te adorat homo digne,
Quem a morte redemisti,
Nos in caelo iube sisti.

Pie Iesu, preces audi
Et me nunc in his exaudi.

8. Oratio Tertia.

1. Ave, Iesu, pausa mentis,
Tu levamen es egentis,
Ad te stillat nostra sitis,
Quia tu es vera vitis.

2. Ave, Iesu, fons amoris,
Tu es verus rex honoris,
Te honorat omnis status,
Reis esto nunc placatus.

3. Ave, Iesu, dulce nomen,
Carum super omne omen,
Dulce es in omni ore,
Cor te gestat in amore.

4. Ave, Iesu, decor caeli,
Mente precor te fideli,
Gratiam tu mihi dona,
Regni caeli confer bona.

Pie Iesu, preces audi
Et me nunc in his exaudi.

9. Oratio Quarta.

1. Ave, Iesu, iudex vere,
Nostri semper miserere,
Pietas nam tecum crevit,
Gratia te adimplevit.

2. Ave, Iesu, dator legis,
Tu ubique cuncta regis,
Da, ut cor ad te inclinem,
Rege me in bonum finem.

3. Ave, Iesu, salus orbis,
Purga nos a cunctis morbis,
Medicus tu es caelestis,
Et succurre nobis maestis.

4. Ave, Iesu, lux sanctorum,
Gaudium es angelorum,
Salva me per tuam mortem
Cum electis fac consortem.

Pie Iesu, preces audi
Et me nunc in his exaudi.

10. Oratio Quinta.

1. Ave, Iesu, reparator
Huius mundi et salvator,
Gratiae tu stilla fontem
Super me et fac insontem.

2. Ave, Iesu, vitae fructus,
Peccatorum aufer fluctus,
Mel amoris da gustare,
Cor in te fac respirare.

3. Ave, Iesu, caeli rector,
Mihi semper sis protector,
Tibi do devotas laudes,
Procul pelle hostis fraudes.

4. Ave, Iesu, ductor meus,
Verus homo, verus Deus,
Te da mihi hic amare
Et in caelo corregnare.

Praesta hoc, aeterne Deus,
Tu qui es redemptor meus.

Sequuntur septem orationes ad spiritum sanctum pro acquirenda fide, spe et caritate nec [non] ceteris necessariis.

11. Oratio Prima.

1. Ave, tu alme spiritus,
Corda perfla divinitus
Ad peccata conterendum
Atque pure confitendum.

2. Ave, verum mentis lumen,
Gratiae infunde flumen,
Quae nos firmet fide recta,
Caritate, spe perfecta.

3. Ave, summum Dei donum,
A te cunctis venit bonum,
Nos fecunda aquis vivis
Et virtutum tuis rivis.

4. Ave, mitis ardor cordis,
Sentes a me pelle sordis,
Praesta spem securitatis
Sedem et felicitatis.

Omnipotens o alme Deus,
Da, quod peto a te reus.

12. Oratio Secunda.

1. Ave, sacrosanctum flamen,
Tristibus sis consolamen,
Spiritus es caritatis
Mirae et suavitatis.

2. Ave, vivus fons aquarum,
Educ fontem lacrimarum
De aerumna condolendo
Et ad Deum anhelando.

3. Ave, sancte consolator,
Animae vivificator,
Serva nos ab illusore
Caecitatis ac stupore.

4. Ave, felix fecundator,
Aridorum irrigator,
Riga nos in cunctis bonis,
Dita nos cum tuis donis.

Omnipotens o alme Deus,
Da, quod peto a te reus.

13. Oratio Tertia.

1. Ave, spiritus sanctitatis,
Sis director voluntatis
Opus bonum inchoando
Et beate consummando.

2. Ave nunc, consiliator,
Veni felix renovator,
Frontes nostras tu consigna,
Nece serva a maligna.

3. Ave, dator scientiae,
Infusor sapientiae,
Robur hosti resistendi
Da et arma triumphandi.

4. Ave, luxus exstirpator,
Animi fructificator,
Nunc accende hic affectum.
Duc me tui ad aspectum.

14. Oratio Quarta.

1. Ave, creator spiritus,
Illustrans corda caelitus,
Tu magister veritatis,
Pelle hostem falsitatis.

2. Ave, lux tu benedicta,
Nostra purga hic delicta
Et succurre in dolore,
Sis iuvamen in labore.

3. Ave, splendor claritatis.
Deus summae maiestatis,
Clarum praesta intellectum
Et timoris da profectum.

4. Ave, caritatis ignis,
Iustis veni et benignis,
Ure sordes pravitatis,
Locum da aeternitatis.

Omnipotens o alme Deus,
Da, quod peto a te reus.

15. Oratio Quinta.

1. Ave, pneuma tu sacratum,
Calefac cor frigidatum,
Fuga umbram vanitatis,
Vitam praesta sanctitatis.

2. Ave, caeli tu fundator,
Angelorum confirmator,
Inspirator prophetarum
Et castarum puellarum.

3. Ave, vox apostolorum,
Dulcis hospes confessorum,
Martyrum es roborator
Et doctorum informator.

4. Ave, pie retributor,
Tu ubique sis adiutor,
Meritis ut adcrescamus,
Caelum ut possideamus.

Omnipotens o alme Deus,
Da, quod peto a te reus.

16. Oratio Sexta.

1. Ave, tu benignitatis
Spiritus et deitatis,
Fac nos vere adorare
Deum et glorificare.

2. Ave, sancte perscrutator,
Secretorum revelator,
Leva ad superna mentes,
Ut sint illic quiescentes.

3. Ave, vitae ornamentum,
Omnis boni fundamentum,
Tu es donum gloriosum,
Nullum ita pretiosum.

4. Ave, doctor tu subtilis,
Doce me, quamvis sim vilis,
Vias vitae ambulare
Et beatis corregnare.

Omnipotens o alme Deus,
Da, quod peto a te reus.

17. Oratio Septima.

1. Ave, pneuma sancte Deus,
Te nunc precor, licet reus,
Dona veram libertatem
Et felicem ubertatem.

2. Ave, fons tu bonitatis,
Iam da rorem pietatis
Orphanis et tribulatis,
Sis curator vulneratis.

3. Ave, dulcis relevator,
Puri cordis es amator,
Fac in nobis tuum templum
Et in caritate amplum.

4. Ave, semper principalis,
Spiritus summe vitalis,
Mihi comes sis fidelis,
Tecum esse da in caelis.

Praesta hoc, aeterne Deus,
Tu sanctificator meus.

18. Haec sequens oratio ad sanctum spiritum potest dici per se, quoniam non correspondet praescriptis.

1. Ave, sacrosanctum flamen,
Maestorum dulce consolamen,
Mentes nostras illumina,
Veni, infusor sacrae unctionis,
Dator summae benedictionis,
Da gratiarum flumina.

2. Alme spiritus, nos emunda,
In virtutibus nos fecunda,
Ut Deo semper placeamus,
Veni, dulce . . . . nomen,
Orna nos tu, sanctum numen,
Ut iuste, pie incedamus.

3. O summe patris et nati flamen,
Divini amoris tu es ligamen,
Alliga nos altissimo,
Ave, sanctae vitae spiraculum,
Fac nos tuum habitaculum
In cultu sanctissimo.

4. Corda nostra tuo rore
Tu asperge, quod ex ore
Te laudemus iugiter,
Fac nos Deo iubilare,
Grates semper enarrare
Pro bonis datis dulciter.

5. Auge nobis caritatem,
Fidem, spem et pietatem
Per tuam clementiam,
Tuam doce bonitatem,
Fuga omnem pravitatem,
Dona sapientiam.

6. Veni, tu purificator
Animae et consolator,
Da unctionem cordibus.
Veni, tu illuminator,
Divinorum revelator,
Accende cor caelestibus.

7. Veni, tu fidelis tutor,
Nunc et semper sis adiutor
In omni opere bono,
Tu nobiscum sis inceptor,
Menti nostrae sis praeceptor
Cum tuo felici dono.

Da opus bonum inchoare,
Fideliter continuare
Ad deitatis gloriam.

19. Oratio ad reverendam faciem Salvatoris Iesu Christi.

1. Ave, florens vultus Christi,
Pro me sputa suscepisti,
Nunc in caelo fulges clare,
Sancti gaudent te amare.

2. Salve, splendor firmamenti,
Da virtutem nostrae menti,
Dirum hostem procul pelle,
Ne venenet bonum velle.

3. Gaude, decor angelorum,
Coetus laudat te sanctorum.
Confer nobis te sitire,
Post hanc vitam ad te ire.

4. Vale, tu cum omni laude,
In extremis tu adplaude,
Fac splendere lumen gratum,
Dum cor iacet infirmatum.

5. Rogo te, ne avertaris,
Sed tunc me intuearis,
Miserere sicut pater,
Iesu, nostrae carnis frater.

6. Vultum tuum da videre
Et nos in te congaudere,
Hic in terra et in caelo,
Quo videris sine velo.

Praesta hoc, aeterne Deus,
Tu qui es redemptor meus.

20. Incipit devotus rigmus de gloriosa cruce nostri redemptoris.

1. Ave, lignum sanctae crucis,
In te stetit auctor lucis
Protoplaustum redimendo,
Eius hostem condemnando.

2. Ave, lignum benedictum,
Tollens mundi maledictum,
Tu es arbor salutaris,
Quae a cunctis veneraris.

3. Ave, summi Dei thronus,
In quo grave mundi onus
Est ablatum poenis duris,
Ordo sic exegit iuris.

4. Ave, lignum vitae verae,
Te laudamus nunc sincere
Vocis atque cordis laude,
Serva nos ab omni fraude.

O Iesu, propter tuam crucem
Duc nos ad te veram lucem.

21. Oratio Altera.

1. Ave, crux sancti honoris,
Tu es virga creatoris,
Qua percussus est temptator
Et lapsorum accusator.

2. Ave, signum elevatum,
Virus hostis . . datum
Christi plebem securando,
Omne malum profugando.

3. Ave, crux tu virtuosa,
Cunctis tu sis gratiosa,
Fide qui te contemplantur,
Morsu hydri mox sanantur.

4. Ave, ramus pulcher flore,
Cunctos vincens in vigore,
Fructum portans sanctitatis
Vitam et felicitatis.

O Christe, per tuam crucem
Duc nos ad aeternam lucem.

22. **Incipit pulcherrima et devotissima oratio rigmatice composita de intemerata et in aeternum benedicta, gloriosissima virgine Maria, genetrice redemptoris, Domini nostri Iesu Christi.**

1. Ave, florum flos Maria,
Laus ab omni hierarchia
Tibi datur ad honorem,
Tuae prolis da amorem.

2. Salve, Christi Dei mater,
Te elegit Deus pater,
Spiritus te fecundavit,
Omni dono exornavit.

3. Gaude, virgo singularis,
Super omnes tu laudaris,
Inter cunctos es decora,
Gratiam in nobis rora.

4. Vale, virgo exaltata,
Super omnes Deo grata,
Mei semper miserere,
Tecum semper da manere.

O Maria, virgo pia,
Me nunc salva hic in via.

23. **Alia oratio de Domina.**

1. Ave, mater salvatoris,
O Maria, flos honoris,
Expers peccatorum faece,
Me tu munda sancta prece.

2. Salve, virgo, florens rosa,
Tu oliva speciosa,
Portans nobis pacis ramum,
Hostis qui collisit hamum.

3. Gaude, montis ardens dumus,
Salutaris vitae humus,
Gestans panem angelorum,
Ad solamen miserorum.

4. Vale, trinitatis hortus,
Peccatorum felix portus,
O Maria, me tuere,
Regnum caeli fac habere.

Tecum semper da laetari,
A te nunquam separari.

24. **Sequitur devota oratio rigmatice composita de angelicis spiritibus.**

1. Avete, coetus angelorum,
Quos confirmavit rex caelorum
Ad suae laudis maiestatem
Et hominum felicitatem.

2. Salvete, nostri purgatores
Et sensuum illustratores,
Ardentes summa caritate,
Lucentes pura veritate.

3. Gaudete, duces regionum
Et stantes ante Dei thronum,
Vos decet laus cum summo Deo,
Hunc exorate pro me reo.

4. Valete, caeli principatus
Et omnis ordo Deo gratus,
Hoc nobis semper supplicantes,
Ut simus vobis corregnantes.

25. **Oratio secunda ad Angelos.**

1. Avete, sancti angeli,
Virtutes et archangeli,
Vos throni atque Cherubim,
Omnes chori cum Seraphim.

2. Salvete, summi milites,
Estote nobis comites
Contra fraudes temptatoris
Nocte, die, cunctis horis.

3. Gaudete, caeli agmina,
Vos decet laudent carmina,
Preces Deo praesentate,
Vultum Dei vos placate.

4. Valete, clara specula,
Honor vobis in saecula,
Rogate nobis miseris,
Ut sedes sit cum superis.

O creator, preces audi
Et per eos nos exaudi.

26. Sequitur devotus rigmus de proprio angelo.

1. Ave, angele caelestis,
Datus custos atque testis,
Coram summo rege Deo
Sis defensor mihi reo.

2. Salve, nobilis minister,
Dexter sis atque sinister,
Contra hostem saevientem
Corpus serva atque mentem.

3. Gaude, civis supernalis,
Serva me a cunctis malis,
Da in bonis me florere,
Deo semper complacere.

4. Vale, Dei contemplator,
Animarum adamator,
Duc in Dei claritatem
Me post mortis gravitatem.

27. Oratio secunda ad Angelum proprium.

1. Ave, angele fidelis,
Datus vigil es de caelis
Me ubique protegendo,
Semper tibi me commendo.

2. Salve, comes reverende,
Tu a malis me defende,
Tela hostis a me pelle,
Serva me ab eius felle.

3. Gaude, qui es Deo gratus,
Honor tibi sit collatus,
Malum pelle, bonum ora,
Assis mihi omni hora.

4. Vale, princeps, pugil bone,
Firmam spem da in agone,
Culmen caeli advolare,
Tecum semper iubilare.

O creator, preces audi
Et per eum me exaudi.

28. Oratio ad sanctos Patriarchas.

1. Avete, sancti patriarchae,
In caeli Deus regnans arce
In fide vos illuminavit,
Ab aevo et praedestinavit.

2. Salvete, viri honorandi,
In cunctis bonis commendandi,
In fide vera nos fundate
Et caritate o firmate.

3. Gaudete, senes atque patres,
Secundum carnem nostri fratres,
In sancta vita conversati,
Per vos nunc simus Deo grati.

4. Valete, viri gloriosi,
In pietate operosi,
Orate nobis sanctum statum
Hinc denuo glorificatum.

29. Oratio devota ad Prophetas in generali.

1. Avete, fideles prophetae,
Summi Dei veri athletae,
Spiritus sancti pleni rore,
Sit vobis laus ab omni ore.

2. Salvete, sancti vos praeclari,
Maturi sensu atque gnari,
Rogate nobis intellectum
Et in bonis nunc profectum.

3. Gaudete, Dei secretorum
Conscii et mysteriorum,
Peccata mundi arguistis
Et Iesum Christum vos sitistis.

4. Valete, viri luminosi,
Estote nobis favorosi,
Ut gratia perseveremus
Et electis corregnemus.

30. Incipit devota oratio de omnibus Apostolis Domini nostri Iesu Christi in generali.

1. Avete, caeli senatores
Ecclesiarumque rectores,
Apostoli vos gloriosi,
In gaudio nunc speciosi.

2. Salvete, mundi vos columnae,
Pastores orbis et alumnae,
Vineta Christi hic plantastis,
Doctrinis sacris irrigastis.

3. Gaudete, mundi veri duces,
Per eos, Christe, nos adduces
Ad verum statum salvandorum
Vitando poenas damnandorum.

4. Valete, vos amici Dei,
Estote robur nostrae spei,
Ut gratiam hic habeamus
Et gloriam possideamus.

31. Oratio devota ad unum Apostolum.

1. Ave, clare splendor mundi,
Nos rogamus te immundi,
Ut nos purges cunctis malis
Et defendas tuis alis.

2. Salve, civis tu sanctorum,
Nobis esto virtus morum,
Cum electis da sperare
Et ad Deum anhelare.

3. Gaude, princeps supernorum,
Vera lux es mundanorum,
Mitem da te invocanti,
Praesta patronum te roganti.

4. Vale, N, cum summo Deo,
Ora tu pro statu meo,
Deo semper ut placebo,
Tecum vitam et tenebo.

32. Oratio ad Evangelistas.

1. Avete, vos evangelistae
Summi atque theologistae,
A pneumate irradiati
Et in figuris praesignati.

2. Salvete, celsi vos doctores,
Gestorum Christi conscriptores
Rorantium per mundum late,
Testantium nunc Deum rate.

3. Gaudete, nubes roridantes
Ecclesiamque irrigantes,
Cordibus nostris arefactis
Stillate rivum caeli lactis.

4. Valete, scribae veritatis
Et actuum divinitatis,
Nunc regi regum supplicate
Et regnum eius postulate.

33. Oratio ad Discipulos.

1. Avete, Christi discipuli,
Divinae legis baiuli,
Doctrina Dei saginati
Et plena fide confirmati.

2. Salvete, mundi unitores
Electi orbisque pastores,
Pro fide Christi hic certastis,
Quem puro corde praeamastis.

3. Gaudete, mundi fundamenta,
Gerentes Christi documenta,
Orate nobis vitae fructum,
Auferte omnis mali luctum.

4. Valete, sancti nunc potentes,
Vos maestos sitis consolantes,
Ad portum caeli nos ducentes,
Semper cum Deo permanentes.

34. Ad Martyres.

1. Avete, sancti coronati,
Vos martyres Deo sacrati,
In albis stolis rutilantes,
Post agnum rubra veste stantes.

2. Salvete, Christi veri testes,
Gestantes claritatis vestes,
Splendore Dei exornati,
Dulcedine inebriati.

3. Gaudete, vos triumphatores,
Calcantes mundi hic honores,
Virtutum dona exorate,
Honorem caeli flagitate.

4. Valete, terrae contemptores
Et summi boni amatores,
Pro poenis nunc glorificati,
Orate, ut simus beati.

35. De uno Martyre in communi.

1. Ave, martyr tu impollens (!),
Crucem Christi diram tollens,
Fide recta tu certasti
Et tormenta superasti.

2. Salve, pugil hic armatus.
Duris poenis non prostratus,
Da virtute nos pugnare
Vitia et superare.

3. Gaude, victor tu insignis,
Protege nos a malignis,
Artam viam da sectari
Et te sanctum imitari.

4. Vale, martyr sublimatus,
Digne modo coronatus,
Da cum Deo ambulare
Et cum sanctis habitare.

36. Ad Confessores.

1. Avete, sancti confessores.
Sanctae fidei defensores,
Praecones summae veritatis,
Virentes flore caritatis.

2. Salvete, mundi vos doctores
Et eremi vastae cultores,
In Dei cultu floruistis,
Labentem mundum despexistis.

3. Gaudete, Christi sacerdotes,
Orate nobis Dei dotes,
Ut floreamus omni dono,
Habentes spem de summo bono.

4. Valete, Dei laudatores.
Nunc date morum vitae flores,
Ut Deo semper placeamus
Et regnum Dei habeamus.

37. Ad unum Confessorem.

1. Ave, N, confessor bone,
Iustus propter spem coronae,
Tu fidelis dispensator,
In commissis erogator.

2. Salve, prudens in labore,
Fructum sperans pro sudore,
Merces multa est nunc data,
Supra modum quam sperata.

3. Gaude, fortis tu certator,
Omnis pugnae triumphator,
Laudem Dei exaltasti,
Te da sequi, quo volasti.

4. Vale, serve, qui ivisti
Nunc ad mensam Iesu Christi,
Da nos tecum saturari
Et in aevum commorari.

O creator preces audi etc.

38. De virginibus oratio.

1. Avete, gemmae virginales,
In fide Christo speciales,
Cum caritate deauratae,
Virtute omni coronatae.

2. Salvete, sponsae reginales,
Summi regis contubernales,
Tyrannos fide devicistis
Nec poenas diras timuistis.

3. Gaudete, rosae purpuratae,
In caelo Christo copulatae,
Nunc eius vultum contemplantes,
Pro nobis sitis exorantes.

4. Valete, nymphae sapientes,
Cum angelis tripudiantes,
Ad choros vestros nos levate
Fruendo semper deitate.

39. Ad unam virginem oratio.

1. Ave, virgo sponsa Christi,
Quae terrena respuisti,
Summo Deo placuisti,
Cui fidem custodisti.

2. Salve, Dei tu dilecta,
Gratia hic circumtecta,
Inter sanctas nunc provecta,
Purga, quae sunt hic infecta.

3. Gaude, templum deitatis,
Tu es lampas claritatis,
Ora, virgo puritatis,
Nobis vitam sanctitatis.

4. Vale, sponsa coronata,
Super caelos exaltata,
Regna caeli tibi data
Posce nobis, virgo grata.

40. Oratio ad omnes sanctos in generali.

1. Avete, omnes caeli cives,
Caelorum rex in omnes dives
Vos gaudio magnificavit
Et gloria nunc sublimavit.

2. Salvete, sancti virtuosi,
Splendore Dei speciosi,
Fruentes nunc suavitate
Stillante de divinitate.

3. Gaudete, sancti simul iusti,
Tormentis mundi non exusti,
Sit vobis honor salutaris,
Devota laus et singularis.

4. Valete, omnes coetus caeli,
Vos deprecor mente fideli,
Virtutum date nunc ornatum,
Post vitam statum tunc beatum.

O creator, preces audi
Et per eos nos exaudi.

Sequuntur orationes rigmaticae ad diversos sanctos sanctasque.

41. De beata Maria virgine oratio prima.

1. Ave, virgo tu Maria,
Caeli regis mater pia,
Te honorat ierarchia
Inaudita harmonia.

2. Salve, templum deitatis,
Honor summae maiestatis,
Speculum es claritatis,
In quo nil impuritatis.

3. Gaude, virgo semper pura,
Sit de nobis tibi cura,
Tela hostis frange dura,
Nostra ne cadat natura.

4. Vale, rectrix angelorum
Et domatrix tartarorum,
Veniam da peccatorum
Atque locum beatorum.

O Maria, mater pia,
Me tu salva hic in via.

42. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, caelum trinitatis,
Maria flos amoenitatis,
Lux aeternae claritatis,
Terra es fertilitatis.

2. Salve, fons, qui stillas melle,
Lava nos peccati felle,
Fac nos puros instar stellae,
Dum vivamus in hac valle.

3. Gaude, paradisus Dei,
Ancora es sanctae spei,
Ad quam currunt omnes rei,
Esto memor semper mei.

4. Vale, vas perfectionis,
Mater benedictionis,
Scala sis ascensionis
Ad arcem fruitionis.

O Maria, preces audi
Et me nunc in his exaudi.

43. Hanc orationem deprecatoriam revelavit beata Maria beatae Birgittae.

1. Gaude, virgo gloriosa,
Verbum verbo concepisti,
Gaude, tellus fructuosa,
Fructum vitae protulisti.

2. Gaude, rosa, sponsa Christi,
Vernans [Christo] resurgente,
Gaude, mater gloriosa,
[Christo] caelos ascendente.

3. Gaude, fruens deliciis
Nunc rosa iuncta lilio,
Emunda nos a vitiis
Et iunge tuo filio.

44. Oratio ad s. Ioseph.

1. Ave, Ioseph, Deo gratus,
De regali stirpe natus,
Honor tibi est collatus,
Sponsus es Mariae datus.

2. Salve, Ioseph praeelectus,
Cunctis sanctis es praefectus,
Purus virgo nec infectus,
Da, ut Deo sim dilectus.

3. Gaude, pater Iesu Christi
Putativus, quem nutristi
Et Mariam custodisti,
Serva nos a morte tristi.

4. Vale, sponsus tu Mariae,
Nos commenda hic Messiae,
Quae rogamus, adfer pie,
Frui da aeterno die.

O creator, preces audi
Et per eum nos exaudi.

45. Oratio secunda ad eundem.

1. Ave, Ioseph, vir perfectus,
Iustus, sanctus atque rectus,
Deus, qui creata regit,
Te ab aevo praeelegit.

2. Salve, Ioseph, vir probatus,
Flos virtutum nominatus,
Me virtute fac pollere,
A peccatis et tuere.

3. Gaude, Ioseph, de honore,
Quod Mariae cum amore
Servivisti in hac vita,
Fac, ut mala sint oblita.

4. Vale, heres supernorum
Tuque princeps es thronorum,
Gratiam da hac in via,
Gloriam da cum Maria.

O creator, preces audi
Et per eum nos exaudi.

46. Oratio ad s. Ioachim.

1. Ave, sancte patriarcha
Ioachim, de quo est archa,
Unde natus caeliarcha,
Orbis rector et monarcha.

2. Salve, tutor egenorum,
Pelle nubem vitiorum,
Da virorem animorum
Veniamque peccatorum.

3. Gaude, pater tu Mariae,
Te honorant ierarchiae
Novo cantu melodiae,
Roga Deum omni die.

4. Vale, iuste tu patrone,
Assis nobis in agone,
Et da, Iesu, pastor bone,
Eius prece spem coronae.

47. Oratio secunda ad eundem.

1. Ave, Mariae genitor,
Cunctarum rerum cognitor
Ab aeterno te amavit,
Gratiae prolem donavit.

2. Salve, pater venerande
Toti mundo et amande,
Posce prolem cum uxore,
Ut vivamus cum honore.

3. Gaude, iuste tenens statum,
Fac et nostrum Deo gratum,
Quem ducamus in virtute,
Assis nobis semper tute.

4. Vale, potens nunc in caelo,
Christi vultum sine velo
Da post mortem speculari
Et in aevum gratulari.

O creator, preces audi
Et per eum nos exaudi.

1, 2 rerumque cognitor. — 1, 4 prolem cum donavit.

48. Ad sanctam Annam, matrem matris salvatoris, oratio.

1. Ave, mater sancta Anna,
Magis pulchra quam Susanna,
Proles tua velut canna
Nobis dedit caeli manna.

2. Salve, radix nostrae spei,
De qua orta mater Dei,
Per quam salvi fiunt rei,
Sis cum prole memor mei.

3. Gaude, nutrix orphanorum,
Placa regem angelorum,
Ut a faece peccatorum
Corda lavet miserorum.

4. Vale, Anna, cum honore,
Dei gaudens in splendore,
Da videre in decore
Caeli regem cum favore.

49. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, Anna, pia mater,
Te elegit Deus pater,
Filius te adamavit,
Spiritus sanctificavit.

2. Salve, matutina stella,
Ex te orta est fiscella,
Quae inclusit in se solem,
Auferentem mundi molem.

3. Gaude, radix nostrae sortis,
Sis tutamen hora mortis.
Pelle hostem virulentum,
Duc ad caeli nos concentum.

4. Vale, nostra consolatrix,
Cum Maria sis oratrix,
Ut vescamur caeli esu
Et fruamur pio Iesu.

50. De tribus regibus.

1. Avete, reges gloriosi,
Prae cunctis mundi generosi,
Praeclare Iasper, rex virtutum,
O Melchior, honoris scutum,
Et Balthasar dans iter tutum.

2. Salvete, magi illustrati,
Per novam stellam iucundati,
Quae duxit ad praesaepe Christi,
Solamen sitis mihi tristi.

3. Gaudete, primi confessores,
Nam fidei primaevos flores
Virtuti Christi obtulistis,
In donis Deum cognovistis.

4. Valete, reges sapientes,
In gloria nunc triumphantes,
Pro nobis semper exorate,
Caelorum regna impetrate.

51. Ad s. Johannem Baptistam.

1. Ave, Christi tu baptista,
Regni Dei praeconista,
Qui Iohannes es vocatus,
Utero sanctificatus.

2. Salve, mundi tu lucerna,
Te produxit lux superna,
In deserto hic vixisti,
Parce carnem aluisti.

3. Gaude, summus prophetarum,
Angelis qui differs parum,
Homo missus in salutem,
Da cor sanctum et virtutem.

4. Vale, coram Deo magnus
Et Iohannes mitis agnus,
Gaudia tu confer vitae
Caritatis infinitae.

52. Sequitur oratio ad sanctum Petrum apostolum.

1. Ave, lux apostolorum,
Sancte Petre, dux iustorum,
Caelicis repletus donis,
Acer malis, pius bonis.

2. Salve, pastor principalis,
Medicus es divinalis,
Tuas oves pie sana.
Morsus lupi tu complana.

3. Gaude, princeps Romanorum
Caputque apostolorum,
Dona nobis rectum statum,
Deo vero semper gratum.

4. Vale, caeli nunc possessor,
Iudicis es tu assessor,
Tuis servis miserere,
Fac cum Deo permanere.

53. Oratio ad eundem.

1. Ave, claviger caelorum,
Sancte Petre, flos bonorum,
Tu es forma peccatorum,
Ne desperet grex lapsorum.

2. Salve, Petre tu benigne,
Caritatis flagrans igne,
Corda nostra fac ardere,
Summo Deo adhaerere.

3. Gaude, Petre, de honore,
Quo nunc fulges in decore,
Tuis servis da spem veram,
Fidem rectam et sinceram.

4. Vale, summe princeps caeli,
Nos commenda vero Heli,
Posce nobis tecum esse,
Caeli choris interesse.

54. Ad sanctum Paulum apostolum.

1. Ave, vas electionis,
Sancte Paule, plenus donis,
Contemplator summi throni,
Sis largitor veri doni.

2. Salve, dulcis praedicator.
Tenebrarum effugator,
Raptus qui in paradisum,
Illuc verte nostrum visum.

3. Gaude, potens operator,
Mortuorum suscitator,
Gratiae nunc confer rivum,
Dei donis fac me vivum.

4. Vale, mundi triumphator,
Iam in caelis habitator,
Iesu Christi dona sortem,
Tecum vitam da post mortem.

55. Oratio secunda.

1. Ave, Paule, doctor legis,
Nuntius es summi regis,
Caeli lux cum tibi fulsit,
Ab errore te evulsit.

2. Salve, disertus orator,
Veritatis es plantator,
Vasta orbis perlustrasti,
Fidem Christi seminasti.

3. Gaude, lumen gloriosum,
Cunctis iustis gaudiosum,
Gratiarum posce flumen,
Perduc nos ad verum lumen.

4. Vale, lampas tu sanctorum.
Tuba mundi, lux doctorum,
Dona statum electorum
Et coronam beatorum.

56. Sequitur oratio de sancto Andrea apostolo.

1. Ave, felix tu Andrea,
Martyr factus sub Egea,
Gaudens suscepisti crucem,
In hoc sequens Christum ducem.

2. Salve, mitis homo Dei,
Memor esto semper mei
Apud Deum veram lucem,
Hostem ut expellat trucem.

3. Gaude, sancte praedicator,
Summi Dei aemulator,
Dona zęlum tui regis
Et sectari vias legis.

4. Vale, sancte tu Andrea,
Cor decorum in me crea,
Nunc in caelo exaltatus,
Da, ut tecum sim beatus.

57. Ad sanctum Iacobum maiorem.

1. Ave, fili Zebedaei,
Iacobe, amator Dei,
Sordes mundi supplantasti,
Cor virtute adornasti.

2. Salve, Christi imitator,
Seductorum repugnator,
Tu Philetum convertisti,
Dire vinctum quem solvisti.

3. Gaude, qui strinxisti hostes,
Signa cruce nostros postes,
Ne draconum virus laedat,
Omne malum per te cedat.

4. Vale, decor Hispanorum,
Placa regem angelorum,
Ut in caelo det regnare
Gloria fruendo clare.

58. Ad sanctum Matthaeum apostolum.

1. Ave, rex aeterne Deus,
Te secutus est Matthaeus,
Tibi prompte oboedivit,
Vocem tuam cum audivit.

2. Salve, mundum qui liquisti,
Christi lucrum acquisisti,
Factus es evangelista
Felix et theologista.

3. Gaude, verbi Dei sator,
Castitatis adamator,
Fac nos Deo oboedire,
Lucra mundi fastidire.

4. Vale, prudens commutator
Et fidelis dispensator,
Dei gaudes bonitate,
Fac nos frui deitate.

59. De sancto Iohanne evangelista.

1. Ave, sancte o Iohannes,
Virgo florens velut magnes,
Tu in cena quievisti
Supra pectus Iesu Christi.

2. Salve, doctor tu profundus,
Similem non habet mundus,
Supra omnes hic volasti,
Prolem patri coaequasti.

3. Gaude, rosa caritatis,
Lilium es castitatis,
Fac me castum, Deo carum,
In divinis da cor gnarum.

4. Vale, custos o Mariae,
Protege me omni die
A ruina peccatorum,
Duc ad arcem beatorum.

60. Ad sanctum Iacobum minorem.

1. Ave, fili tu Alphaei,
Similis es proli Dei
Iacobusque recte fatus,
Iustus vere nominatus.

2. Salve, frater Iesu Christi,
Sanctitate floruisti,
Posce vitae puritatem
Dei atque claritatem.

3. Gaude, flos apostolorum,
Pollens dignitate morum,
Iter Dei ambulasti,
Multos fide illustrasti.

4. Vale, mali supplantator,
Omnis boni cumulator,
Mihi para caeli aedem,
Tecum praesta coheredem.

61. Ad sanctum Bartholomaeum apostolum oratio.

1. Ave, sancte Bartholomaee,
Spes salutis mentis meae,
Ortus stirpe de regali,
Palma florens triumphali.

2. Salve, felix qui strinxisti
Deos vanos, qui fregisti,
Tuo tremunt in affatu,
Gravi strident ululatu.

3. Gaude, martyr rubricatus,
Pelle vivus spoliatus,
Stola caeli nunc dotatus,
Sanctae vitae da ornatus.

4. Vale, splendor tu [caelestis],
Clemens esto nobis maestis,
Tua prece confer rite
Gaudia caelestis vitae.

62. Ad sanctum Philippum apostolum oratio.

1. Ave, vera lampas mundi,
O Philippe, nos immundi
Te laudamus voce pari,
Laus sit Deo salutari.

2. Salve, Dei secretalis,
Esto nobis liberalis
Christi donum partiendo,
Omne malum removendo.

3. Gaude, fervens praedicator,
Idolorum desolator,
Infirmorum solidator,
Nostri semper sis amator.

4. Vale, etc. fehlt.

63. Ad sanctum Thomam apostolum oratio.

1. Ave, Thoma, firmus fide,
Cuncta mala hic collide,
Tu patronus es Indorum,
His dedisti viam morum.

2. Salve, sparsor doctrinarum
Ad salutem animarum,
Regis prolem convertisti,
Castae vitae quam dedisti.

3. Gaude, fidus Christi servus,
Semper pronus, non protervus,
Mortem pro quo suscepisti
Et coronam meruisti.

4. Vale, Thoma, lumen mundi,
Tu qui sensus es profundi,
Nobis posce tecum esse,
Ubi regnat flos de Iesse.

64. Ad sanctum Simonem apostolum.

1. Ave, Simon Cananaee,
Sis protector vitae meae,
Clarens dono prophetiae,
Oboedire da Messiae.

2. Salve, Simon, simplex agnus,
Te dilexit Deus magnus,
Cui fide adhaesisti
Et mundana respuisti.

3. Gaude, fervens Christi zelo,
Serva nos ab hostis telo,
Gratiam da iustae vitae,
Pacem mentis et cor mite.

4. Vale, caeli tu colonus,
Tu Aegypti es patronus,
Peccatorum dona planctum,
Finem bonum, statum sanctum.

65. Ad sanctum Iudam Thaddaeum.

1. Ave, Iuda tu Thaddaee,
Purga sordes mentis meae,
Tu es natus de Alphaeo,
Par et Iudae Maccabaeo.
2. Salve, Iuda, vas virtutum,
Pelle hostem nunc versutum.
Iubilum da laudis Dei,
Robur confer Maccabaei.
3. Gaude, salus Persidarum
Gentium et aliarum,
Quas hic Christo acquisisti,
Fide recta instruxisti.
4. Vale, fortis proeliator,
Nostri sis nunc defensator,
Christum tu cum sanctis ora,
Tecum ut sim mortis hora.

66. Ad sanctum Matthiam oratio.

1. Ave, sancte o Matthia,
Mire flores hic in via,
Propter tuam sanctitatem
Datus es ad dignitatem.
2. Salve, tu Israelita
Sine dolo in hac vita,
Lege Christi floruisti,
Omne malum horruisti.
3. Gaude, tutor Treverorum,
Clarum lumen mundanorum,
Cunctos fidem docuisti,
Multis signis claruisti.
4. Vale, potens tu Matthia
Nunc in caeli hierarchia,
Gratiae hic confer sortes,
Duc nos caeli ad cohortes.

Expliciunt orationes de apostolis in generali et speciali. Incipiunt ad sanctos martyres et primo:

67. Ad protomartyrem sanctum Stephanum.

1. Ave, martyr principalis,
Stephane, ut flos vernalis
Erupisti pullulare.
Fidem Christi praedicare.
2. Salve, primus levitarum,
Plenus rore gratiarum,
Tu Iudaeos confutasti,
Christum Deum adprobasti.
3. Gaude, tu qui micuisti,
Angelus acsi fuisti,
Gratia, quae tibi data,
Per te nobis sit collata.
4. Vale, miles coronatus,
Frange hostis nunc conatus,
Da perfectum Dei zelum
Et cum sanctis summum caelum.

68. Ad sanctum Laurentium martyrem.

1. Ave, martyr honorande,
O Laurenti praeamande,
Praedicator veritatis,
Florens gemma honestatis.
2. Salve, fulgens velut aurum,
Sanctae vitae tu thesaurum
Tuo statu ostendisti,
Cum prae cunctis micuisti.
3. Gaude, martyr igni datus,
Multis plagis es probatus,
Fortis cuncta superasti,
Spe mercedis tolerasti.
4. Vale, martyr Deo gratus,
Da, ut sim per te purgatus
Omni labe vitiorum
Sperans sedem electorum.

69. Oratio secunda ad eundem.

1. Ave, sancte o Laurenti,
Martyr pius es poscenti,
Erogator thesaurorum
Dans in manus egenorum.
2. Salve, martyr laureatus,
Super omnes Deo gratus,
Da nunc bona operari,
Ut speremus coronari.
3. Gaude, Christi tu levita,
Protege nos hic in vita,
Contra saevi hostis tela
Salutaris sis medela.
4. Vale, victor gloriosus,
Sis ad Deum gratiosus,
Ut cum sanctis det mercedem
Et post vitam caeli aedem.

70. Ad victoriosissimum martyrem Christi, sanctum Vincentium.

1. Ave, felix tu Vincenti,
Formam praebens patienti,
Daciano concertasti,
Mite in te cor servasti.
2. Salve, fortis tu bellator
Fideique defensator,
Virgas fustes pertulisti,
Crates ignis non sprevisti.
3. Gaude, miles virtuose,
Te honorat iubilose
Omnis coetus mundialis
Pariter et supernalis.
4. Vale, constans servus Christi,
Serva nos ab hoste tristi,
Semitas da vitae bonae
Et cum sanctis spem coronae.

71. Ad sanctum Blasium.

1. Ave, Blasi, martyr pie,
Honor tibi omni die,
Tu fidelis sis patronus,
Peccatorum aufer onus.
2. Salve, Blasi virtuose,
Mira agens vigorose,
Corpori da sanitatem,
Menti praesta sanctitatem.
3. Gaude, praesul coronatus,
Inter sanctos Deo gratus,
Tu pro nobis semper ora,
Gratiam da sine mora.
4. Vale, sancte tu patrone,
Da futurae spem coronae,
Tecum semper da laetari
Et cum sanctis coronari.

72. Ad sanctum Georgium martyrem.

1. Ave, miles Iesu Christi,
Tu Georgi, qui fuisti,
Vera fide confirmatus,
Dei donis roboratus.
2. Salve, fortis triumphator,
Tyrannorum superator,
Da virtutum Dei scutum,
Caeli iter para tutum.
3. Gaude, gloriose miles,
Nos abiectos atque viles
Tuis armis nunc defensa,
Serva Dei ab offensa.
4. Vale, tu Georgi pie,
Da triumphum omni die,
Mundi mala superare
Et cum sanctis habitare.

73. Oratio ad sanctum Adrianum.

1. Ave, Adriane gloriose,
Martyr sancte et formose,
Hostiam te obtulisti
Deo, cui credidisti.

2. Salve, martyr Deo dignus,
Mitis, pius et benignus,
Tua prece munda sordes,
Sana aegros et vecordes.

3. Gaude, martyr, de honore,
Da solamen in maerore,
Gratiam da et virtutem
Nunc usque in senectutem.

4. Vale, tu amice Dei,
Memor esto, precor, mei,
Deus ut sit semper mecum
Et cor meum semper tecum.

74. Ad sanctum Erasmum.

1. Ave, martyr pretiose,
O Erasme gloriose,
Quam constanter hic certasti.
Dum tyrannos superasti.

2. Salve, praesul benedictus,
Multis poenis non convictus,
Tandem dire visceratus,
Inter sanctos es translatus.

3. Gaude, potens apud Deum,
Omne malum pelle meum,
Tua dona fac lucere
In me semper et habere.

4. Vale, martyr sublimatus,
Cum honore coronatus,
Gratia da hic gaudere
Et cum Christo permanere.

75. Ad sanctum NN.

1. Ave, Deus boni dator,
Qui NN es creator,
Nasci sanctum quem fecisti,
Cui mira ostendisti.

2. Salve, praesul exaltatus,
Deo dignus, plebi gratus.
Hostia tu factus Christi,
Salva nos in vita tristi.

3. Gaude, martyr praemunitus,
In agone exauditus,
Nobis da, quod impetrasti,
Dum in morte exorasti.

4. Vale, pastor gloriose,
Respice nos favorose,
Ut nunc bonis floreamus
Et cum Deo gaudeamus.

76. Ad sanctum Christophorum martyrem oratio.

1. Ave, sancte Christophore,
Iesum secutus propere,
Cuncta bona respuisti,
Summo Deo servivisti.

2. Salve, Christi baiulator,
A quo factus praedicator
Multas turmas convertisti
Poenas diras et subisti.

3. Gaude, martyr tu invictus,
A me semper benedictus,
Gratiae nunc confer rorem,
Verum Dei et amorem.

4. Vale, consors supernorum,
Tela frange perversorum,
Da nunc sancte conversari
Et post vitam mox beari.

77. Ad decem milia martyrum devota oratio sequitur.

1. Ave, turba virtualis
Deciesque millenalis,
Angelus quam visitavit
Et in fide informavit.

2. Salve, chorus tu sacratus
Martyrum nunc Deo gratus,
Christi poenis conformatus,
Miro modo roboratus.

3. Gaude, cohors veneranda,
Omni laude extollenda,
Praesta dona, quae rogasti,
Cum ad caelos evolasti.

4. Vale, benedictus coetus,
Deus quem suscepit laetus,
Semper redde me securum,
Tecum caelum possessurum.

78. Ad Thebaeos.

1. Ave, chorus Thebaeorum
Martyrum, quos rex caelorum
Firma fide roboravit
Et coronam praeparavit.

2. Salve, princeps generose,
O Mauriti gloriose,
Tibi laus cum tua gente
Honor atque pura mente.

3. Gaude, agmen virtuosum,
Semper Deo gratiosum,
Da virtutem tuis vernis
Et laetari cum supernis.

4. Vale, coetus Thebaealis,
Serva nos a cunctis malis,
Mentibus da nunc decorem,
Caeli tecum da honorem.

79. Ad victoriosum militem Christi sanctum Sebastianum.

1. Ave, cultor christianae
Fidei, Sebastiane,
Integram quam hic servasti,
Opere et demonstrasti.

2. Salve, praeelecte miles,
In peccatis nos seniles
Gratia divina munda,
Ne ruamus ad profunda.

3. Gaude, martyr tu praeclare,
Datus neci tam amarae,
Serva nos ab omni peste,
Orna vos virtutis veste.

4. Vale, miserorum tutor,
Nobis semper sis adiutor,
O Sebastiane bone,
Caeli iunge nos coronae.

80. Ad sanctum Cosmam et Damianum.

1. Ave, sancte Damiane,
Et tu, Cosma christiane,
Martyresque Deo digni,
Medici cunctis benigni.

2. Salve, virtus fraternalis
Nec infecta ullis malis,
Manus Dei quam erexit
Et in poenis hic protexit.

3. Gaude, salus nunc amborum,
Quos honorat plebs iustorum,
Nobis date sospitatem
Et cum cunctis caritatem.

4. Vale, Damiane pie,
Et tu, Cosma, omni die,
Florem date nunc virtutum
Et in caelum iter tutum.

81. Ad sanctum Dionysium sequitur devota oratio.

1. Ave, sacer Dionysi,
Vernans flos es paradisi,
Doctus in philosophia
Summo data a Messia.

2. Salve, doctor, qui scripsisti
De divinis, quae vidisti
Intellectu elevato,
Dei donis illustrato.

3. Gaude, sollers praedicator,
Sancti Pauli imitator,
Grandes poenas sustulisti
Propter fidem Iesu Christi.

4. Vale, sancte Dionysi,
Fructum gustans paradisi,
Fac nos tecum epulari,
Vultum Dei speculari.

82. Ad sanctum Valentinum.

1. Ave, sancte Valentine,
A te fluxit lux doctrinae,
Tu valenter praedicasti
Et pro fide dimicasti.

2. Salve, felix qui trivisti
Idola et erexisti
Fidem nostri salvatoris,
Da valere cunctis horis.

3. Gaude, martyr Iesu Christi,
Caecis lumen tribuisti,
Aegrotorum es sanator,
Nostri semper sis curator.

4. Vale, pater venerande
Presbyter et honorande,
Fac me bonis abundare
Et in caelis corregnare.

83. Incipit devota oratio ad sanctum Panthaleonem.

1. Ave, felix medicorum,
Panthaleon, decor, morum
Medicinam reliquisti,
Fidem Christi suscepisti.

2. Salve, martyr, qui sanasti
Aegros, caecos illustrasti,
Morbos nostros pie sana,
Pestes mentis tu complana.

3. Gaude, martyr tormentatus
Multis poenis nec lassatus,
Sed a Christo consolatus.
In adversis sis paratus.

4. Vale, fidus consolator,
Gratiae sis implorator,
Pium praesta te roganti,
Iungi Deo nos salvanti.

84. Ad sanctum Petrum martyrem oratio.

1. Ave, martyr sancte Petre,
Firmus fide instar petrae,
Quam constanter praedicasti,
Miris signis demonstrasti.

2. Salve, doctor o fidelis,
Semper habens cor in caelis,
Infideles conturbasti,
Haereses dum exstirpasti.

3. Gaude, pugil Christi fortis,
Nihil timens poenam mortis,
Fac nos Deum hic timere
Eius velle et implere.

4. Vale, felix tu athleta,
Christi purgans hic vineta,
Munda sordes vitiorum
Ad concentum duc caelorum.

85. Ad sanctum Nicasium.

1. Ave, tu Nicasi digne,
Inflammatus Dei igne,
Te nunc laudo corde, ore
Oculorum pro splendore.

2. Salve, martyr, qui privatus
Oculis, sed nil tristatus,
Laetus poenam suscepisti
Et coronam meruisti.

3. Gaude, boni potens dator,
Clari visus sis allator,
Me non spernas te colentem,
In te firmam spem habentem.

4. Vale, sancte nunc antistes,
Te rogamus nunc assistes
Nostrae preci, ut salvemur
Semper tecum et laetemur.

86. Ad sanctum Vitum martyrem oratio.

1. Ave, martyr, sancte Vite,
Fide pollens valde rite,
Da gustare vinum vitae,
Quod a Christo fluit vite.

2. Salve, puer animosus,
Mente valde generosus,
In virtute speciosus,
Sis ad Deum gratiosus.

3. Gaude, quia micuisti
Signis claris, dum vixisti,
Et nunc caelos introisti,
Christi vultum invenisti.

4. Vale, Dei tu athleta,
Nos ad caeli duc roseta,
Frui Deo mente laeta
Contemplari et secreta.

87. Oratio secunda ad sanctum Vitum.

1. Ave, martyr gloriose,
Vite praeelecte,
Floruisti virtuose,
Cum vixisti recte.

2. Grandes poenas tu subisti
Deo te firmante,
Manum sanam tribuisti
Hoste te rogante.

3. Dei virtus demonstratur,
Patrem dum sanasti,
Satan procul tunc fugatur,
Deum cum orasti.

4. Poenas ignis et leonem
Fide devicisti,
Hostis minas et mucronem
Nihil timuisti.

5. Tandem pollens cunctis bonis
Caelum introisti,
Ubi plenus Dei donis
Mira invenisti.

6. Roga, martyr, puritatem
Corporis et mentis
Et virtutis ubertatem
Vitam exorna[n]tis,

7. Ut nos pura mente sursum
Possimus volare,
Dei laudes post hunc cursum
Semper decantare,

8. Et cum choris angelorum
Sedule gaudere,
Regem mundi et caelorum
Iugiter videre.

88. Ad sanctum Eustachium devotus rigmus sequitur.

1. Ave, felix militaris,
O Eustachi, qui vocaris
Pater sanctae pietatis,
Miseris dans dona gratis.

2. Salve, martyr specialis,
Inauditis mundi malis
Multis annis es probatus,
Tandem inde revocatus.

3. Gaude, victor dirae mortis,
Propugnator esto fortis
Contra cuncta nocitura,
Pronus sis in omni cura.

4. Vale, tua cum cohorte,
O Eustachi, pia sorte,
Quam petisti, fac potiri,
Deo semper da uniri.

89. Ad sanctum Augustinum oratio.

1. Ave, doctor Augustine,
Splendor, oro, fons divine,
Plenum vas sis medicinae
His, quos culpae pungunt spinae.

2. Salve, praesul laureatus,
Trinitati summe gratus,
Fonte vitae iam potatus,
Da felices incolatus.

3. Gaude, Dei contemplator,
Veritatis explanator,
Novae legis propugnator,
Haeresis et expugnator.

4. Vale, clara lux polorum,
Sertum ferens angelorum,
Stilla nobis mel caelorum
Et fac nos cives sanctorum.

90. Oratio secunda ad eundem.

1. Ave, civis tu caelestis.
Fer solamen nobis maestis,
Ut nos ornet caeli vestis,
Hostis ne nos tangat pestis.

2. Salve, aquila solaris,
Tua mens ut fundus maris,
Trinum unum tu rimaris,
Hinc Zeraphim similaris.

3. Gaude, decus confessorum,
Tu supremus es doctorum,
Serva gregem miserorum
A ruina damnatorum.

4. Vale, praesul Hipponensis
Civis et Carthaginensis,
Tuis frui da expensis
Et nos iunge caeli mensis.

91. Ad sanctum Gregorium.

1. Ave, sancte tu Gregori,
Summo places creatori,
Laudes posce nostro ori,
Quas psallamus redemptori.

2. Salve, princeps clericorum,
Ortus stirpe senatorum,
Duc in viam rectam morum,
Claude portas inferorum.

3. Gaude, doctor veritatis,
Scire da humilitatis
Donum, confer caritatis
Et candorem puritatis.

4. Vale, stella matutina,
Aegrotorum medicina,
Da ut mente columbina
Evolemus ad divina.

92. Oratio secunda ad eundem.

1. Ave, pastor miserorum,
Pasce gregem clericorum
Cibis sacris angelorum
Et da vinum electorum.

2. Salve, mitis in flagellis,
Ne mergamur in procellis,
Da virtutem in duellis,
Dum impugnat versipellis.

3. Gaude tu, qui suscepisti
Iesum Christum, quem vidisti,
Dum egenos collegisti,
Serva nos a fame tristi.

4. Vale, decor clericalis,
Esto nobis liberalis,
Ut corona triumphalis
Nobis detur et regalis.

93. Sequitur devota oratio de gloriosissimo confessore Christi beato Iheronimo.

1. Ave, sancte Iheronime,
Doctorum celeberrime,
Pravos monens acerrime,
Ne pereant celerrime.

2. Salve, summe cardinalis,
Dos quem zeli spiritalis
Plene lavit cunctis malis,
Ut mens esset divinalis.

3. Gaude, verus dominator,
Senis legis es translator
Fideique defensator
Et errorum exstirpator.

4. Vale, clarum mundi lumen,
Quod succendit Dei numen.
Gratiarum funde flumen,
Menti nostrae da acumen.

94. Oratio ad eundem.

1. Ave, doctor tu insignis,
In quo Dei arsit ignis
Precibusque fave dignis
Et custodi a malignis.

2. Salve, Deo tu dilectus,
Sanctitate praeelectus,
Favo caeli iam refectus,
Da, ut sim ad te erectus.

3. Gaude, terrae eremita,
Poli sed iam coenobita,
Da, ut nostra labens vita
Tua prece sit munita.

4. Vale, scriba trinitatis,
Sis pater fidelitatis
Apud Deum maiestatis,
Ut locemur cum beatis.

95. Ad sanctum Ambrosium.

1. Ave, sancte tu Ambrosi,
Proles viri generosi,
Te laudamus aerumnosi
Gratia defectuosi.

2. Salve, miro modo natus,
Apum grege es signatus,
Quod sis doctor melleatus,
Malis ferus, bonis gratus.

3. Gaude, doctor tu sublimis,
Pasce stantes nos in imis
Sacris cibis et opimis,
Ut levemur pressi nimis.

4. Vale, virtus clericorum,
Direxit te rex caelorum,
Posce opem meritorum
Atque sedem electorum.

96. Ad eundem oratio secunda.

1. Ave, lumen Romanornm
Et lucerna Meylanorum,
Terror es haereticorum
Et fuga daemoniorum.

2. Salve, doctor benedictus,
Purus virgo semper dictus,
Prava sorde non convictus,
Diri hostis pelle ictus.

3. Gaude, pugil in agone,
Cerne ad nos, pastor bone,
Da certare spe coronae
Fidei cum pugione.

4. Vale, praesul fulgens vita,
Flore morum hoc polita,
Da progressum sequi ita,
Sit mens nostra tecum sita.

97. Ad sanctum Augustinum.

1. Ave, sancte Augustine,
Splendor lucis tu divinae.
Mundum plene irrigasti
Dogmate, quo coruscasti.

2. Praestans [rorem] riga mentes.
Gratia ut sint florentes,
Sis defensor in agone,
Da cum sanctis spem coronae.

98. Ad sanctum Gregorium.

1. Ave, tu Gregori pie,
Plebem tuam omni die
Vigilanter custodisti,
Viam dei ostendisti.

2. Tuo sancto nunc precatu
Munda mentes a reatu,
Vivere da virtuose,
Tecum esse gloriose.

99. Ad sanctum Ambrosium.

1. Ave, iuste tu Ambrosi,
Lux o mundi tenebrosi,
Quem errore expurgasti
Et doctrina illustrasti.

2. Gratiae nunc confer rorem,
Vultus Dei da splendorem
Tecum semper contemplari
Et in aevum collaetari.

100. Ad gloriosum Iheronimum.

1. Ave, felix Iheronime
Doctorumque sanctissime,
Tu es templum deitatis
Et exemplum puritatis.

2. Posce nobis sanctam vitam,
Donis Dei redimitam,
Tu ab hoste nos tuere,
Semper tecum da gaudere.

101. Oratio secunda ad eundem.

1. Ave, gemma confessorum,
Ave, nitens flos doctorum.
Iheronime beate,
Par Heliae in vestitu,
Praecursoris utens ritu
In vitae sanctitate.
Haereses tu exstirpasti,
Fidem veram exaltasti
Doctrina praecellente,
Carnem tuam macerasti,
Cuncta vana refutasti
Mente recta dictante.

2. Salve, vir admirabilis,
Virtute ineffabilis,
Ex dono deitatis,
Tu splendor patientiae,
Os mirae eloquentiae
Ac tenor castitatis,
Dona carnem temperare,
Viciis renuntiare
Et Deo oboedire.
Confer hostes superare
Et de malis triumphare,
Mundum plene odire.

3. Gaude, tutor orphanorum,
Nam te summus rex polorum
Honore coronavit,
Te Iohanni baptizanti,
Christum carne demonstranti
In merito aequavit;
Roga cursum vitae bonae
Et implora spem coronae
A fonte pietatis,
Tu in vita me securum
Redde, Deo fruiturum
In aevum cum beatis.

4. Vale, pater et patrone,
Te ostende in agone
Cum Christo protegente
Tuos servos te colentes,
Ut sint tecum corregnantes
In vita permanente.

102. Oratio ad eundem.

1. Ave, doctor veritatis,
Ave, lampas puritatis,
Speculum virtutum,
Ave, stella claritatis,
Et supernae civitatis
Iter praebens tutum.

2. Salve, vas patientiae,
Vir mirae innocentiae
A luce splendenti,
Salve, nitor scientiae,
Da rivum sapientiae
Te pie petenti.

3. Gaude, columna aurea,
Stabilis ac ferrea
Orbemque sustentans,
Gaude, quem ornat gemmea
Corona nec non laurea
Decore praecellens.

4. Vale, iam splendor honoris,
Conserva nos cunctis horis
Ab hostis furore,
Vale, vasculum dulcoris,
Da gustare mel saporis
In caeli honore.

103. Oratio de sancto Nicolao.

1. Ave, splendor confessorum,
Nicolae, flos Graecorum,
Tu a Deo postulatus
Mente sanctus, plebi gratus.

2. Salve, pastor pietatis,
Flagrans igne caritatis,
Dona nobis cor contritum
Zelo Dei et ignitum.

3. Gaude, vir nobilitatus
Dei donis et probatus,
Hic florendo miris signis
Serva nos a poenis dignis.

4. Vale, honorande praesul,
Salva me, qui hic sum exsul,
Sanctam vitam da sectari
Cum beatis gloriari.

104. Ad sanctum Martinum.

1. Ave, sancte o Martine,
Compar stellae matutinae,
Ortus stirpe militari,
Fretus via salutari.

2. Salve, pastor Turonorum,
Florens omni dono morum,
Tu professor trinitatis,
Posce vitam sanctitatis.

3. Gaude, sacerdotum gemma,
Te ornavit Dei flamma,
Hostiam cum immolasti
Et pro gente obsecrasti.

4. Vale, tu antistes care,
Da nunc Iesum praeamare,
Suum velle fac implere
Et cum eo permanere.

105. Oratio ad sanctum Bernhardum.

1. Ave, tu Bernharde pie,
Caste vivens omni die,
Flore morum educatus,
Iuste, sancte conversatus.

2. Salve, abbas sanctitatis,
Stillans mel suavitatis
In doctrina, quam scripsisti,
Per quam plebem imbuisti.

3. Gaude, doctor tu devotus,
Igne Dei flagrans totus,
Posce ignem deitatis,
Ut nos purget a peccatis.

4. Vale, pater tu sensate,
Confer tua bonitate
Vivere hic virtuose,
Tecum esse gloriose.

O creator, preces audi
Et per eum nos exaudi.

106. Ad sanctum Aegidium.

1. Ave, abbas magnae laudis,
O Aegidi, expers fraudis,
Alta stirpe propagatus,
Multis donis decoratus.

2. Salve, mare qui sedasti,
Miris signis coruscasti,
Laudes plebis formidasti,
In desertis te celasti.

3. Gaude, pater monachorum,
Veniam da peccatorum,
Tuae preces audiuntur,
Deo quando offeruntur.

4. Vale, felix eremita,
Cerva pavit te in vita,
Da gustare lac divinum,
Fac me caeli inquilinum.

107. Ad sanctum Antonium.

1. Ave, mundi aspernator,
Tu Antoni, qui amator
Paupertatis exstitisti,
Onus mundi abiecisti.

2. Salve, hoste qui tentatus,
Dire a quo laceratus,
Serva nos a morbis ignis
Tua prece et malignis.

3. Gaude, Dei contemplator,
Omnis mali debellator,
Nobis sis fidelis tutor
Et tentatis coadiutor.

4. Vale, flos religiosus,
Nobis sis hic favorosus,
Mundi mala ut vitemus
Et electis corregnemus.

108. Oratio devota de sancto Benedicto.

1. Ave, pater Benedictus,
Nomine sic certe dictus,
Te hic Deus benedixit
Gratia, quam in te fixit.

2. Salve, vas serenitatis,
Mirae flos suavitatis,
Da odorem sanctae vitae,
Dei mores sequi rite.

3. Gaude, signis magnis clarens,
Voci Dei semper parens,
Fac praeceptis oboedire
Dei et non contraire.

4. Vale, abbas commendande,
Trinitatis venerandae
Speculum da contemplari
Et in aevum gratulari.

109. Oratio ad sanctum Dominicum.

1. Ave, sancte Dominice,
Stella fulgens mirifice,
In figuris praesignatus,
Antequam es mundo natus.

2. Salve, iubar orbis clarum,
Nubes plena gratiarum,
Confer lumen nunc erranti,
Lacrimas da paenitenti.

3. Gaude, decor veritatis,
Carens felle pravitatis,
Fervens Christi in amore,
Refice nos caeli rore.

4. Vale, flos coenobitarum,
Qui a sole differt parum,
Te petenti sis fidelis,
Mansionem da in caelis.

110. Ad sanctum Franciscum oratio.

1. Ave, felix tu Francisce,
Viam Dei nobis disce,
Tu es lux religionis,
Speculum in cunctis bonis.

2. Salve, decus devotorum
Hominum et monachorum,
Te rex caeli honoravit,
Omni dono adornavit.

3. Gaude, micans caeli stella,
Hostis serva a procella
In hac vita te colentes,
Malis purga nostras mentes.

4. Vale, splendor sanctitatis,
Posce, pater pietatis,
Sanctam vitam hic sectari
Et cum Deo gloriari.

O creator, preces audi
Et per eum nos exaudi.

111. De sancto Thomo de Aquino.

1. Ave, Thoma de Aquino,
Placens semper uni trino,
Te replevit caeli vino,
Vultu fruens nunc divino.

2. Salve, doctor gloriose,
Lucem spargens uberose,
Semper vivens virtuose,
Te da sequi gratiose.

3. Gaude, lampas doctrinarum,
Pelle nubes tenebrarum,
Fundens imbres gratiarum
Ad salutem animarum.

4. Vale, clara lux caelorum,
Pulchra stella electorum,
Sis director viatorum
Gaudia ad beatorum.

112. Sequitur oratio ad sanctam Birgittam.

1. Ave, felix tu Birgitta,
Flos virtutum et sagitta,
Corda tangens peccatorum,
Mentes firmans devotorum.

2. Salve, rosa tu caelorum,
Interventrix es reorum,
Sancta mater Almanorum,
Miseratrix sis cunctorum.

3. Gaude, sponsa salvatoris,
Protege nos cunctis horis,
A crudelis hostis loris
Gratiam da creatoris.

4. Vale, candor mulierum,
Nobis dona cor sincerum,
Placa nobis caeli erum,
Da gustare manna verum.

5. Ave, stella tu polaris,
Te ornavit rex solaris,
Turbis caeli iunge caris,
Da hoc frui, quo laetaris.

113. Oratio ad eandem.

1. Ave, nobilis Birgitta.
Tecta sanctitatis vitta,
Summo Deo copulata,
Iam in caelis coronata.

2. Salve, arca secretorum,
Te direxit rex caelorum,
Tecum duxit castum thorum,
Socia es angelorum.

3. Gaude, gemma puritatis,
Scrinium es deitatis,
Serva manu pietatis
Nos ab hoste potestatis.

4. Vale, Christi tu amatrix,
Potens caeli imperatrix,
Gratiae sis exoratrix,
Semper nostra sis salvatrix.

114. Oratio ad eandem.

1. Salve, sponsi regis castrum,
In planetis fulgens astrum,
Ebur nitens alabastrum,
Res, spes es pulcherrima.
Salve, morum inductiva,
Secretorum susceptiva,
Vitiorum correctiva,
Cos, ros, dos gratissima.

2. Salve, redux reproborum,
Tu solamen oppressorum,
Advocata miserorum,
Lux, nux, dux prudentiae.
Salve, splendens margarita,
Sponsa Christi redimita,
Sponsum sequens clara vita,
Ius, thus, rus fragrantiae.

3. Salve, speculum virtutis,
A pressura servitutis
Duc nos ad portum salutis
In superna patria;
Salve, sponsa summi Dei,
Nos ab aestu huius spei
Transfer ad promissa rei
. . . . . .

115. Oratio ad eandem.

1. Ave, Birgitta, sponsa Christi,
Tu quae digne meruisti
Sublimari gloria,
Chorus noster te collaudat,
Plebs caelestis te honorat
In caelesti curia.

2. Gaude, mitis et decora,
Sponsum tuum nunc exora,
Ut pronus sit ad veniam,
Nostra felix es patrona,
Artus nostros tu guberna,
Da te quaerenti gratiam.

3. Ave, nostra defensatrix,
Novae legis nuntiatrix,
Novam docens regulam,
Firmum habens fundamentum,
Sanum mentis documentum,
Claram gerens formulam.

4. Gaude quoque tu, Birgitta.
Dei sponsa vere dicta,
Narrans mirabilia,
Bonis, malis consolatrix,
Contra pravos contionatrix
Ostendens terribilia.

5. Ave, felix et beata,
Caritate adornata,
Nostrum dele vitium,
Sensus nostros tu conserva
Contra hostes atque pravos
Nobis fer auxilium.

6. Gaude, o Birgitta mater,
Sancta ter, beata quater,
Memor esto miseris,
Vas virtutum, odor bonus,
Iesu Christi dextra manus
Mundat intus et foris.

7. Ave, sponsa caritatis.
Lumen confer deitatis
Nobis post hoc exsilium,
Deus pater illud praestet,
Duplex mors ne nos infestet,
Et vita est humilium.

8. Tua prece exoratus,
Iesus Christus, eius natus,
Vera virtus atque flamen,
Qui nunc regnat Deus unus,
Nobis praestet suum munus
Meritis Birgittae, Amen.

116. De sancta Maria Magdalena.

1. Ave, sancta Magdalena,
Mala plangens ut leaena,
Pasta es Christi doctrina,
Qui te traxit a ruina.

2. Salve, mater miserorum,
Speculum es peccatorum,
Ne desperent hic in via;
Munda nos, o tu Maria.

3. Gaude, pulchra, laude digna,
Cunctis mitis et benigna,
Iesu Christi da amorem,
Stringe malum nunc ardorem.

4. Vale, felix (tu) Magdalena,
Luce fruens nunc serena,
Ne sis nobis aliena,
Caeli perduc ad amoena.

117. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, beata femina,
O Magdalena domina,
Tu suscipe precamina
Et cuncta dele crimina.

2. Salve, felix, quae lavisti
Sanctos pedes Iesu Christi;
Deus, qui hic descendisti,
Lava nos, quos redemisti.

3. Gaude, mater decorata,
Inter sanctos exaltata,
Opera fac Deo grata,
Dona [da] perpetuata.

4. Vale, paradisi rosa,
Nulli dura nec exosa,
Mente posco viscerosa,
Gaudia da gloriosa.

118. De sancta Katharina virgine.

1. Ave, virgo honoranda,
Katharina commendanda,
Stirpe orta de regali,
Nulla nata de aequali.

2. Salve, flos Alexandriae,
Te potavit fons sophiae
Omni arte liberali,
Da ornatum immortali.

3. Gaude, decor virginalis,
Katharina, flos regalis,
Protege nos tuis alis
A peccatis et a malis.

4. Vale, casta sponsa Dei,
Tutum robur meae spei,
Per te spero coronari
Cum electis et beari.

119. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, Katharina pia,
Christo cara hic in via,
Super omnes te dotavit,
In decore sublimavit.

2. Salve, clemens Katharina,
Puellarum es regina,
Summe doctos superasti,
Quos ad caelum destinasti.

3. Gaude, fortis triumphatrix,
Nostra semper advocatrix,
Tu patrona clericorum,
Firma mentes devotorum.

4. Vale, gemma claritatis,
Flosculus divinitatis,
Imperatrix summi throni,
Sis lagitrix omnis boni.

120. Oratio tertia ad eandem.

1. Ave, Katharina mitis,
Te implevit Christus vitis
Dulci vino caritatis,
Oleo et pietatis.

2. Salve, virgo flagellata,
Fame dire cruciata,
Caeli cibus tibi datur,
Christus pie te solatur.

3. Gaude, florens Katharina,
Te ornavit vis divina
Gratia et omni dono,
Da, ut crescam nunc in bono.

4. Vale, candor angelorum,
Posce regem nunc caelorum,
Ut cum sanctis donet vitam
Gloriam et infinitam.

121. Ad sanctam Barbaram.

1. Ave, virens caeli rosa,
Barbara, tu gloriosa,
De radice generosa
Es exorta et famosa.

2. Salve, felix tu patrona,
Ad nos mitte Christi dona,
Ut vivamus vita bona,
Serva a peccati zona.

3. Gaude, sponsa coronata,
Iesu Christo subarrhata,
A quo caste amplexata,
Sis ad Deum advocata.

4. Vale, dulcis tu puella,
Radiosa orbis stella,
Deum semper interpella,
Ut gustemus caeli mella.

122. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, Dei tu amica,
Pulchra nimis et pudica,
Esto turris et lorica
Contra bella inimica.

2. Salve, martyr Deo grata,
Nullis poenis superata,
Da lugere nunc peccata,
Ut mens Deo sit paccata.

3. Gaude, Deo valde cara,
Tu es gemma nimis rara,
Locum caeli nobis para,
Ne nos laedat mors amara.

4. Vale, martyr praepolita,
Nunc in arce poli sita,
Fac nos mente redimita
Tecum frui iugi vita.

123. Oratio tertia ad eandem.

1. Ave, turtur sine felle,
Enutrita caeli melle,
Da florere bonum velle
Cum virtute instar stellae.

2. Salve, virgo reverenda,
Deo semper nos commenda,
Sacramenta veneranda
Praesta hora in tremenda.

3. Gaude, nitens flos decoris,
Te elegit rex honoris
Sibi purum vas pudoris,
Cui dedit mel amoris.

4. Vale, sidus gloriosum,
Post hunc statum ruinosum
Christi vultum gratiosum
Da videre et formosum.

124. Sequitur devotus rigmus de sancta Agnete virgine et martyre.

1. Ave, Agnes Deo grata,
Bona tribu propagata,
Arte multa doctrinata,
Firma fide radicata.

2. Salve, pulchra plus quam Sara,
Hostes sternens mente gnara,
Ora Deum, tu praeclara,
Ut vincamus hic amara.

3. Gaude, virgo generosa,
Casto flore non corrosa,
Da, ut mente animosa
Semper vincam venenosa.

4. Vale, Deo tu dilecta,
Axi caeli iam invecta,
Poli choris circumtecta,
Duc post te nos via recta.

125. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, Agnes, sidus clarum,
Gratiae da nobis parum,
Quae dulcorat cor amarum,
Ut iam fiat Deo carum.

2. Salve, splendor virginalis,
Flos te ornat lilialis,
Tua prece, tuis alis
Serva nos a cunctis malis.

3. Gaude, rosa carens spina,
Quam plantavit vis divina,
Sis salutis medicina
Carnis contra serpentina.

4. Vale, flos amoenitatis,
Paradisus voluptatis,
Posce caelum trinitatis
Nobis dari cum beatis.

126. Oratio tertia ad eandem.

1. Ave, sacra virgo Agnes,
Virtuosa velut magnes,
Iesum sponsum elegisti,
Cum quo virgo permansisti.

2. Salve, nympha tu praeclara,
Tua mens est Dei ara,
In qua amor Dei arsit
Et carnalis non extersit.

3. Gaude, mitis velut agnus,
Te dilexit Deus magnus,
Vultum tuum consignavit,
Angelis te commendavit.

4. Vale, Agnes, sponsa Christi,
Serva nos a morte tristi,
Duc ad caelum maiestatis
Nos laetari cum beatis.

127. De sancta Dorothea.

1. Ave, virgo gloriosa,
Dorothea generosa,
Ab aeterno praeelecta,
Dei donis circumtecta.

2. Salve, iubar luminosum,
Posce finem gaudiosum,
Ne inferni chaos stringat,
Sed nos honor caeli cingat.

3. Gaude, sponsa summi ducis.
Da spe frui verae lucis,
In amplexum deitatis
Da nos iungi cum beatis.

4. Vale, mater et patrona,
Nobis adfer Christi dona,
Ut peccata defleamus,
Puri caelos ascendamus.

128. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, pollens fide tota,
Offer Deo nostra vota,
Pro quo dura sustulisti
Nec in poenis defecisti.

2. Salve, lampas puellarum,
Dona pacem animarum,
Da virtute nos florere,
Christo semper complacere.

3. Gaude, senatoris nata,
Rosis novis iam stipata,
Inter choros angelorum
Sidus lucens ut decorum.

4. Vale, sancta Dorothea,
Quae vocaris caeli dea,
Deum verum tu exora,
Ut salvemur mortis hora.

129. Oratio tertia ad eandem.

1. Ave, decus virginale,
Vae depelle criminale,
Confer bonae vitae cursum,
Mentem leva Christo sursum.

2. Salve, Dei dulcis cella,
Da gustare caeli mella,
Pete robur, micans stella,
Contra hostis dira bella.

3. Gaude, templum trinitatis,
Vas caelestis puritatis,
Ora sponsum, virgo grata,
Ut condonet caeli prata.

4. Vale, soror angelorum,
Nos ad coetum duc thronorum,
Ubi Deum contemplari
Valeamus et laetari.

130. Incipit devotissima oratio de sancta Margareta, virgine et martyre, rigmis.

1. Ave, felix Margareta,
Fide pollens ex decreta
Mente virens cum discreta,
Dei cernens nunc secreta.

2. Salve, fulgens margarita,
Dei donis insignita,
Da, ut nostra foetens vita
Cunctis bonis sit fulcita.

3. Gaude, candens velut lana,
Mente spernens mundi vana,
Deos horrens et profana,
Mala nostra tu complana.

4. Gaude, virgo florens tota,
Puritatis lacte lota,
Vita nostra, quae aegrota,
Per te Deo sit devota.

5. Gaude, martyr purpurata,
Castitate exornata,
Duc ad caelum, virgo grata,
Quos depressit mens elata.

6. Ave, virgo iuvenilis,
Magnis factis sed virilis,
Fac, ut Deo non sim vilis,
Qui peccatis sum senilis.

7. Ave, Christi tu ancilla,
Magis gnara quam Sibylla,
Gratiam de caelo stilla,
Quae plus ornat quam armilla.

8. Salve, constans in agone,
Laeta certans cum dracone,
Fac nos, Iesu, pastor bone,
Tis consortes et coronae.

9. Salve, martyr confortata,
Minis hostis non prostrata,
Sed a Deo consolata,
Nil tormenta sunt putata.

10. Vale, sancta tu patrona,
Tua laus stat in corona,
Mitte nobis Dei dona,
Ut speremus caeli bona.

11. Vale, paradisi hortus,
Sis in fine lucis portus,
Ut tunc draco hic distortus
Tua prece sit absorptus.

12. Vale, dulcis Margareta,
Plus odorans quam murreta,
Caeli bibens nunc clareta,
Dei duc nos ad floreta.

Wahrscheinlich folgten ursprünglich je drei: Ave, Salve, Gaude, Vale unmittelbar aufeinander.

131. Sequitur oratio devota de sancta Christina.

1. Ave, nobilis Christina,
Virgo florens ut regina,
Stella lucens matutina,
Mente volans ad divina.

2. Salve, mitis in tortura
Nec responsa praebens dura,
Fac me fortem atque mitem,
Ut adversa non devitem.

3. Gaude, miri flos odoris,
Speculum tu es honoris,
Actus nostri tenebrosi
Da ut Deo sint formosi.

4. Vale, decor puellaris,
Inter sanctos collaudaris,
Assis pie te petenti,
Morbos aufer patienti.

2, 1 Ave mitis.

132. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, pia et benigna,
Tu honore semper digna,
Da progressum nunc virtutum
Contra hostem dona scutum.

2. Salve, sponsa rubricata,
Et in carne lacerata,
Confer donum sanitatis
Et internae puritatis.

3. Gaude, martyr praeoptata,
Inter sanctos honorata,
Audi, virgo, nostra vota,
Quae depromit mens devota.

4. Vale, sancta tu puella,
Saevi hostis frange bella,
Serva me ab omni poena
Paradisi ad amoena.

133. Sequitur oratio de sancta Apollonia.

1. Ave, tu Apollonia,
Virens ut celidonia,
Rex caelorum te dilexit
Cum ad fidem te adlexit.

2. Salve, felix o tu nympha,
Lota sacri fontis lympha,
Puram vitam nobis ora,
Ne damnemur mortis hora.

3. Gaude, martyr cruentata,
Diris plagis vulnerata,
Mentium da puritatem,
Dentium da sanitatem.

4. Vale, virgo tu amoena,
Gloria nunc fruens plena,
Placa nobis caeli regem,
Da servare eius legem.

134. Oratio secunda ad eandem.

1. Ave, sponsa tu dilecta.
Duris poenis es affecta,
Cunctis feris es obiecta,
Nullo morsu es infecta.

2. Salve, pulchra ut saphirus,
Te mactavit hostis dirus,
Sana nos a cunctis morbis,
Quibus fere languet orbis.

3. Gaude, paradisi rosa,
Esto nobis gratiosa,
Tuis servis nunc implora
Spem salutis sine mora.

4. Vale, clarum sidus caeli,
Mente precor te fideli,
Duc ad caeli claritatem
Me post mortis tempestatem.

135. De sancta Ursula devotus rigmus.

1. Ave, gemma Britannorum,
Ursula, flos angelorum,
Fide Deo placuisti,
Toto corde quem sitisti.

2. Salve, martyr tu praeclara,
Quae es summi Dei ara,
Nostrum dele nunc reatum
Et sanctorum confer statum.

3. Gaude, aula trinitatis,
Clara iaspis puritatis,
Ora Deum maiestatis,
Ut nos ornet cum beatis.

4. Vale, sponsa o decora,
Coetibus cum tuis ora,
Regnum ut felicitatis
Habeamus cum sacratis.

136. De undecim milibus virginum.

1. Avete, omnes vos puellae,
Gustantes vinum mixtum melle
Cum sponso vestro Christo Iesu,
Fruentes eius dulci esu.
2. Salvete, paradisi flores,
Donorum Dei date rores,
Ut fecundentur nostri mores,
Volando caeli ad honores.
3. Gaudete, castae sponsae Dei,
Immemores ne sitis mei,
Salutem semper exorate,
A cunctis malis defensate,
4. Valete, pulchrae margaritae.
Splendore Dei nunc fulcitae,
Vobiscum date frui bonis,
Laetare caeli cum colonis.

137. Incipit oratio de beata Caecilia.

1. Ave, sancta Caecilia,
Electa Dei filia,
Odore vincens lilia,
Sprevisti mundi vilia.
2. Salve, virtuosa nata,
Stirpe nata (!) procreata,
Rore caeli fecundata,
Posce corda depurata.
3. Gaude, virgo incorrupta,
Licet tu sis viro nupta,
Da ut nostra mens corrupta
Deo semper sit conupta.
4. Vale, forma castitatis,
Vera norma coniugatis,
Da triumphum libertatis
Contra hostem foeditatis.
5. Ave, miserorum nutrix,
Vitae nostrae pia tutrix,
Vilis culpae sis ablutrix,
Apud Deum et adiutrix.
6. Vale, consors supernorum,
Sponsa regis angelorum,
Pane fruens electorum,
Tecum sedem da iustorum.

138. De sancta Gertrude virgine.

1. Ave, felix tu Gertrudis,
Quae cum Christo sponso ludis
Inter choros angelorum,
Coetus laudat te sanctorum.
2. Salve, virgo, quae sprevisti
Viri thorum et subisti
Iugum Christi hic portare,
Da prae cunctis hunc amare.
3. Gaude, mater egenorum,
Tu solamen orphanorum,
Consolare nos errantes
Reduc ad te nostras mentes.
4. Vale, caeli tu regina,
Adiuvare me festina,
Da conductum ad superna
Hora mortis, Christi verna.

3, 3 Consolatrix.

139. De sancta Martha.

1. Ave, virgo sancta Martha,
Tu ivisti via arta
Post dilectum Iesum Christum
Mundumque relinquens istum.
2. Salve, Christi hospitatrix,
Eius fervens procuratrix,
Veniam nobis procura
Hostis serva a tortura.

3. Gaude, felix monialis,
Simplex, recta, sine malis,
Sanctam nobis ora vitam,
Donis Dei hic politam.

4. Vale, Martha tu dilecta,
Cibo caeli nunc refecta,
Da nunc Christum hospitare
Et cum ipso perdurare.

140. De sancta Elisabeth vidua.

1. Ave, rosa Ungarorum,
Elisabeth, lux iustorum,
Tu patrona Almanorum,
Consolatrix miserorum.

2. Salve, mater laude digna,
Nobis semper sis benigna,
Christi vultu nos consigna,
Ne nos laedat mors maligna.

3. Gaude, sponsa Iesu Christi,
Luxus mundi abiecisti,
Regnum terrae dum sprevisti,
Cunctis bonis claruisti.

4. Vale, caeli imperatrix,
Tu in damnis sis salvatrix,
Lapsae mentis reparatrix,
Munda Dei nos amatrix.

5. Ave, mater, omni hora
Gratiam de caelo rora,
Protege nos sine mora,
Ne nos stringat hostis lora.

6. Vale, gemma viduarum,
Ora sponsum tuum carum,
Caelum ut introeamus,
Semper tecum gaudeamus.

141. Sequitur devota oratio de sancta Agatha.

1. Ave, virgo tu praeclara,
Agatha, et valde gnara,
Quae a Christo confortata,
Nunquam eo viduata.

2. Salve, constans virgo Christi,
Quintianum tu sprevisti,
Deum fide coluisti,
Pro quo mortem suscepisti.

3. Gaude, mater sublimata,
Gloria glorificata,
O illustris sponsa Dei,
Memor esto semper mei.

4. Vale, decor Catanensis,
Gaudiis fruens immensis,
Gratiae nunc posce dona,
Fac nos dignos et corona.

142. Ad sanctam Luciam oratio.

1. Ave, felix o Lucia,
Rex in caeli hierarchia
Te ab aevo praesignavit
Et in sponsam subarrhavit.

2. Salve, virgo, quae mundana
Contempsisti et profana,
Christum sponte es confessa,
Cui fidem es professa.

3. Gaude, martyr benedicta,
Gladio quae es adflicta,
Nostra semper sis protectrix
Et fidelis vitae rectrix.

4. Vale, caeli o lucerna,
Luce gaudens nunc aeterna,
Roga nobis sanctitatem
Et sanctorum claritatem.

143. De sancta Clara.

1. Ave, virgo sancta Clara,
Orta stirpe ex praeclara
Summo Deo valde cara,
Viam caeli nobis para.

2. Salve, Dei tu amatrix,
Castitatis adoptatrix
Paupertatisque zelatrix,
Sanctae vitae regulatrix.

3. Gaude, sidus tu caelorum,
Dulce melos electorum,
Advocata peccatorum,
Dele labem vitiorum.

4. Vale, virgo pietatis,
Fruens vultu deitatis,
Posce vitam sanctitatis
Et coronam cum beatis.

ZWEITE GRUPPE.

144. De sancto Aegidio.

1. Christi miles et confessor
Meritis clarissime,
Sis pro nobis intercessor,
Aegidi sanctissime.
Sis languentis salus mentis
Et defensor animae.

2. Ab aeterno praeelectus
In salutem populi,
Casum pensans et defectus
Huius habitaculi
Mores mutes et affectus
In conspectu saeculi.

3. Per te, sancte, qui perfectus
Vixisti per omnia,
Via detur et provectus
In virtutum gratia,
Ne qua nostri nos defectus
Addicat sententia.

4. A primaevo carnis flore
Mundi florem deseris,
Pugna puer gratiore
Carnis motus atteris,
Nisu mentis et amore
Cor habens in superis.

5. Terrenorum da contemptum,
Spem inspirans mentibus,
Ut terrenis cor ereptum
Curis et affectibus,
A quo credit se redemptum,
Sequamur et moribus.

6. Te vocavit et sacravit
Dominus ab utero,
Immo totum vendicavit
Caritas in puero,
Quod in aegro demonstravit
Vestis data misero.

7. Tua nobis prece detur,
Summae vir clementiae,
Ut ab omni mens purgetur
Mundi mala specie,
Et in lapsis reformetur
Vestis innocentiae.

8. De virtute in virtutem
Disponens ascendere,
Dignam Deo servitutem
Laetaris impendere,
Ipsam vitae iuventutem
Commendans ex opere.

9. Ne fallente iuventutis
Lubricae ludibrio
Deviemus a salutis
Repromissae bravio.
Tuae nobis sint virtutis
Exempla praesidio.

10. Te percussa a serpente
Pium sensit medicum,
Sentiamus et nos mente,
Ne per carnis lubricum
Voluptatis virulentae
Prodeant in publicum.

11. Ne virtutem venditares
Vilis famae pretio,
Famam fugis, ut declares,
Quae mentis devotio,
Quae sit inter salutares
Operis intentio.

12. Caput nolens impinguari
Peccatoris oleo,
A favore saeculari
Sive luxus laqueo
Loco gaudes elongari
Situque corporeo.

13. Sed quod verbi salutaris
Vita germen proferat,
Non id aurae popularis
Favor vagus efferat,
Non se pompae saecularis
Tumultus interserat.

14. Nescit ardens occultari
Lucerna sub modio
Nec vir sanctus non laudari
Secedens in medio,
Spem in vero salutari
Ponens, non in alio.

15. Ad relicta ne redires
Exsul voluntarius,
Ne deserta fastidires
Vivens solitarius,
Administrat viro vires
Comes Veredemius.

16. In hac vasta commorantes
Vallis solitudine,
Tibi, sancte, supplicantes
Consolando sustine,
Ne divino deviantes
Privemur solamine.

17. Quam miranda, quam laudanda
Salvatoris gratia,
Nutu suo tanta duo
Iungens luminaria,
A remotis et ignotis
Locis concurrentia.

18. Ut amore vel honore
Se passim praeveniant,
Ut alternis ex ardore
Vires flammae capiant,
Repercusso se fulgore
Vicissim irradiant.

19. Horum licet a remotis
Sequentes vestigia,
Supplicamus, ut amotis
His, quae sunt contraria,
Preces iungant pro devotis,
Quos par iungit gloria.

20. Flos Aegidi confessorum,
Tanto felix socio,
Fac nos tecum beatorum
Adiungi collegio,
Ubi merces est sanctorum
Plena Dei visio.

Orat. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

145. De sancto Albano.

1. Praeelecte signifer
legis christianae,
Christi sponsae subveni,
mundi flos Albane,
Qui decor ecclesiae
factus Anglicanae
Triumphasti gloriae
gaudia mundanae.

2. Votis fave supplicum,
vitae vir sincerae,
Sincerasque lacrimas
clemens intuere,
Cor ab infestantium
fraudibus tuere,
Ne virtuti vitia
possint praevalere.

3. Licet adversantibus
maris huius undis
Mare transis mysticum
flatibus secundis,
Dum virtutum rutilans
floribus iucundis
Luxus et lasciviae
stimulos recondis.

4. Per tuam, vir inclite,
precem efficacem
Corporis et animae
iugem praesta pacem
Voluntatis lubricae
reprimendo facem,
Ros exstinguat gratiae
ferream fornacem.

5. Calicem accipiens
veri salutaris
Supernae dulcedinis
haustu satiaris,
Dum sub ipso mystici
pressa torcularis
Vinum stillat roseum
uva singularis.

6. Botrus Cypri floruit
immo reflorescit.
Dum in morte martyrum
Christi mors fulgescit,
Quorum vernans sanguine
mundus hilarescit
Et aucta victoriis
fides convalescit.

7. Virtutis angelicae
gratia decorum
Summaque conspicuum
luce meritorum,
Te, corona martyrum,
Christus beatorum
Primum dedit martyrem
gentibus Anglorum.

8. Cum Christus in hospite
suscipi credatur,
Quem suscepit hospitem,
sanctus vir tutatur,
Hospitalis gratiae
ius ne pervertatur,
Fidem servans hospiti
hostis deputatur.

9. Instant hostes fidei,
fidem ut evertant,
Ut constantis animi
moenia subvertant,
Sancti preces martyris
e diverso certant,
Ut ipsos ad fidei
gratiam convertant.

10. In hac valle lubrica
misere degentes
Amor Christi dirigat
erigendo mentes,
Ut sancti vestigia
martyris sequentes
Caritatis faciat
studio ferventes.

11. Qui summe miseriors,
pie quos creavit,
Per misericordiae
viscera salvavit,
Pietatis operam
opere probavit,
Cum de paucis panibus
plebem multam pavit.

12. Propriam in proximis
causam perpendentes,
Consolantes invicem,
mutuo pascentes,
Circa curam hospitum
simus diligentes,
Ipsum in hospitibus
Christum exhibentes.

13. Ne cor avaritiae
curis coartetur,
Larga pii pectoris
arca reseretur,
Sparsim et cum gaudio
seges seminentur,
Quae, si parce seritur,
parce colligentur.

14. Copiam remunerans
cordis opulenti
Fons erumpens fluvio
profluit ingenti,
Cum pro suo nomine
pie patienti
Potum dat ex arida
Christus sitienti.

15. Dei nos iustitiam
pie sitientes
Vite nos reficicat
et emundet mentes,
Ut de plenitudine
fontis haurientes
Conformemur martyrum
gloriae gaudentes.

Orat. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

146. De sancto Bartholomaeo.

1. Incarnatum praedicans
vere verbum Dei,
Laeta nos laetificet
vox Bartholomaei,
Cuius late resonet
sacra laus tropaei,
Repraesentans gaudia
summae requiei.

2. Quasi tuba vehemens
regem praecessura
Vox illius intonat
verbum prolatura,
Ut factori subdita
serviat factura,
Et se mens ad proelia
praeparet ventura.

3. Tam praeclarae sonitu
vocis excitata
Mystico baptismatis
fonte gens renata,
Nullis adversantium
minis exturbata,
Ut castrorum acies
certet ordinata.

4. Nova semper ingerit
vetus hostis bella,
Nunc rerum temperie,
nunc usus procella,
Pro nobis, apostole,
Christum interpella,
Ne fallant illecebrae
frangantve flagella.

5. Sic adversa temperet
Christus consolator,
Ne cor maerens obruat
improbus temptator,
Sic disponat prospera
vitae moderator,
Ne nos fallat prosperis
morum depravator.

6. Ad virtutis opera
excitans affectum
Efficacis tribuat
opere profectum,
Ut, qui pium parvulis
praestat intellectum,
Nostrae pius suppleat
mentis imperfectum.

7. In nos ne praevaleat
vetus anguis ille,
Sedulus insidians
fidei pusillae,
Nil in nobis lubricum,
nil sit inbecille,
Quod mentis impediat
requiem tranquillae.

8. Duodenae praepotens
signifer choreae,
Christo reconcilia
nos, Bartholomee,
Ut det reis veniam,
qui misertus reae
Fructum paenitentiae
dedit Chananeae.

9. Da nos tuis precibus
ita praemuniri,
Sacrae da signaculo
crucis insigniri,
Ne vel dolis hostium
mens circumveniri
Vel apertis valeat
bellis irretiri.

10. Cum regna discipulis
dominus regnorum
Singula subiceret
curae singulorum,
Index adest India
dogmatum tuorum,
Quam verborum irrigas
imbre divinorum.

11. Eructante siquidem
patre verbum bonum
Mysticus praemittitur
numerus praeconum,
Qui per orbem efferens
veritatis sonum
Uteretur omnium
genere sermonum.

12. Spretis ergo veterum
ritibus errorum
Christi fidem suscipit
per te gens Indorum,
Non solum insignibus
inclita signorum,
Verum et praeconiis
insignita morum.

13. Quos sacris dogmatibus,
sancte, das florere
Fidei vestigiis
fac nos adhaerere,
Ut quod nunc per speculum
credit mens sincere,
In futuro verius
gaudeat videre.

14. Caput caesus gladio,
cute reversata,
Vere gaudens vivere
morte triumphata,
Transfer nos ad gaudia
sanctis praeparata,
Suo reddens capiti
membra coaptata.

15. Disponens imperia
manu, rex, paterna,
Patris tanti precibus
pie nos guberna,
Ut sit nobis requies
in te sempiterna,
Et in nobis resonet
tibi laus aeterna.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

147. De sancto Benedicto.

1. Vires augens et invictae
Fidei constantiam,
Tuam, pater Benedicte,
Respice familiam,
Laesae mentis et afflictae
Relevans miseriam.

2. Pietati iunge precem
Et vota clementiae,
Ut peccati purget faecem
Fons emanans veniae,
Cor emundans et fecundans
Aqua sapientiae.

3. Regularis vitae norma,
Legis sanctae speculum,
Eius lege nos informa,
Qui salus est exsulum,
Qui suscepta servi forma
Reformavit servulum.

4. In procinctu constitutis
Signum da victoriae,
Certa manet spes salutis
Certantes in acie,
Si dux assit destitutis
Tuae virtus gratiae.

5. Veri Dei praeelectus
Cultor a cunabulis,
Qui caelestis intellectus
Gratiam dat parvulis,
Puer adhuc sed perfectus
Fulsisti miraculis.

6. Nil hic aetas, nil natura
Suum sibi vindicat,
Sed in sua se factura
Rerum factor indicat,
Cum per signa puer plura
Christi fidem explicat.

7. Cunctis prorsus abdicatis,
Quae sunt transitoria,
Puer summae puritatis
Ipsi, per quem omnia,
Corpus, mentem et aetatis
Consecrat primordia.

8. Redolente mentis purae
Pura conscientia
Vitae puer secuturae
Praeludis insignia
Luxu carnis et naturae
Torpente lascivia.

9. Carnis quondam prurientis
Pulsatus mollitie
Inter vepres vulnus mentis
Evasisti sauciae,
Plagas graves blandimentis
Opponens luxuriae.

10. Ne nos pestis recidiva
Blandi fallat criminis,
Sit in nobis rediviva
Tui virtus nominis,
Cuncta prorsus incentiva
Exstinguens libidinis.

11. In odorem suavitatis
Viva factus hostia
Trium, cultor trinitatis,
Sequeris vestigia,
Quos nec vinclis concrematis
Laeserunt incendia.

12. Hora prima puer Christi
Veniens ad vineam
Iam a Christo percepisti
Mercedem idoneam,
Cui te totum obtulisti
Descendens ad aream.

13. Coronandus pro tritura
Desudas in area,
In sollerti studens cura,
Ut purgata palea
Animarum grana pura
Reportes ad horrea.

14. Quasi quidam legislator
Gloriaris effici,
Felix factus informator
Ordinis monastici,
Non praeesse, sed prodesse
Gregi gaudens simplici.

15. Te pastore monachorum
Coronantur milia,
Te magistro tot modorum
Fundantur coenobia,
Quae non cordis, sed colorum
Variat distantia.

16. Benedictus digne dictus
Gratia seu nomine,
Assis pius nos ipsius
Refovens dulcedine,
Qui nos gratis a peccatis
Suo lavit sanguine.

17. Sit in corde, sit in ore
Benedicti gratia,
Immo perpes cum amore
Dulcescat memoria,
Cuius flos est in honore
Et fructus in gloria.

18. Sit in cunctis Benedicti
Comes benedictio,
Ut ab omni nos delicti
Salvet infortunio
Sancti patris et invicti
Felix intercessio.

19. Ex terrenis emigrantem
Animam Scholasticae
Caelos cernens penetrantem
In columbae specie
. . . . . .
. . . . . .

20. In conspetu summi patris
Parte fruens optima
Fratres fove, sancti fratris
Soror beatissima,
Ne nos flammis tradens atris
Dies damnet ultima.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201 — 14, 6 Grege. — 20, 3 Partes fove sancti patris.

148. De sancto Clemente.

1. Summae gerens signa clementiae
Clemens, praesul splendens ecclesiae,
In perenni triumphans requie,
Tuae preces audi familiae.

2. Iam cum Petro regnas in superis,
Petri digne successor diceris,
Ad hoc certe praelatus ceteris,
Ut sis recti rector itineris.

3. Ut concordet opus cum nomine,
Clemens, nobis clementer obtine,
Ut exclusa cordis caligine
Perfundamur caelesti lumine.

4. Verbo clarus, vita spectabilis,
Fide fortis, virtute stabilis,
Vitiorum contemptu nobilis,
Magna gerens mente sat humilis.

5. Visa parit virtus invidiam,
Gentis pravae turbans perfidiam,
Quae paternam impugnans gloriam
Arma gerit in necem propriam.

6. Ut sit ab hac peste mens libera,
Piam Clemens opem accelera,
Ut fraterna portantes onera
Reportemus promissa munera.

7. Curas agens luit celerius
Zeli culpam ferus Sisinnius,
Sed ad fidem conversum citius
Solis veri perfundit radius.

8. Mundi, Clemens, lucerna celebris,
Ab internis nos purga tenebris,
Ne terrenis pressos illecebris
Umbra gravet delicti funebris.

9. Ad salutem missus fidelium,
Quos pro Christo pressit exsilium,
Ob divini verbi praeconium
Solum praesul relinquit patrium.

10. Exsul factus forma fit exsulum,
Verae splendens virtutis speculum,
Per insigne fontis miraculum
Dulce plebi ministrans poculum.

11. Orat sanctus, et e vestigio
Agnum videt, cuius indicio
Fons erumpens de terrae gremio
Terram rigat perenni fluvio.

12. Fontis, Clemens, divini rivulus,
Pius nobis assit et sedulus,
Per quem signo tam claro credulus
Christi fidem suscepit populus.

13. Gravi demum depressus ancora
Pius hospes ingressus aequora,
Cursus nostri tranquillans tempora
Nos ad laeta perducat litora.

14. Infra sinum Christus aequoreum
Templum sancto dedit marmoreum,
Suum mare contraxit alveum
Iter plebi praebens idoneum.

15. Res miranda, post anni circulum,
Quem ad sancti reliquit tumulum,
Dum defuncti quaerit corpusculum,
Vivum mater invenit parvulum.

16. Per Clementis sacra suffragia
Christi clemens assit clementia,
Ut a maris huius miseria
Nos ad regni perducat gaudia.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Arund. 201.

149. De sancto Cuthberto.

1. Sacerdotum flos perennis,
Exemplar et speculum,
Laudis decus et sollennis
Famae gerens titulum,
Sis, Cudperte, nobis certae
Salutis signaculum.

2. In hoc summae vanitatis
Vagantes exsilio
Tuae sanctae pietatis
Refove solacio,
Ut in regno claritatis
Certa detur mansio.

3. Sua cernens in usia
Summae regem gloriae,
Assis nobis dux in via
Praesentis miseriae,
Relegatis reddens gratis
Dulce solum patriae.

4. Inter cives et caelestis
Senatores curiae
Interesse Christi festis
Gaudes et victoriae,
Ut qui mortis eras testis,
Consors sis et gloriae.

5. Puer quondam immo purus
Praemonente parvulo,
Aevo licet immaturus
Valedicens saeculo,
Vana fugis mox futurus
Pontifex in populo.

6. Nil agendum puerile
Decernens de cetero,
Servus Christi, cor virile
Praeferens in puero,
Vile iugum et servile
Reicis ab humero.

7. In sublime cernens ferri
Sancti patris animam,
Per hoc tibi spem conferri
Laetaris certissimam,
Legem Dei tuae spei
Partem ponens optimam.

8. In egenis membra Christi
Summo pascens studio,
Eius pie, quem pavisti,
Pastus ministerio,
Panis pasci meruisti
Caelestis edulio.

9. Ut hoc tanto tamque sancto
Laetemur pontifice,
Eius prece, quem replesti
Salutari calice,
Pane pasce nos caelesti,
Fili patris unice.

10. Praeelectus et effectus
Gregis pastor mystici,
Pastor bonus, subis onus
Ovilis dominici,
Timens eis, ne quid reis
Iuste possit obici.

11. Non honore sublimari
Nec subiectis praefici,
Sed exemplo salutari
Forma gaudes effici,
Optans gregem informari
Verbi pane mystici.

12. Deformati per peccatum
Reformari petimus,
Ut se videns depravatum
Per haec, quae delinquimus,
Poenam deflens et reatum
Resipiscat animus.

13. Inter sanctos et electos
Excellens antistites,
Viles licet et abiectos
Nos in terra visites,
Ut a portis dirae mortis
Nos ad vitam suscites.

14. In sublimi sanctae mentis
Constitutus specula,
Duplicatis iam talentis
Pie tractans singula.
Ad superna tu augmentis
Transis habitacula.

15. Duc ad lucem, fili lucis,
Ut per lucis opera
Ab his vanis et caducis
Ab hac valle misera
Insignitos signo crucis
Reducas ad supera.

16. Non iam sensu pueriles
Sed per innocentiam
Fortes simus et viriles
Mentis per constantiam,
Exserentes ut serpentes
Pro loco prudentiam.

17. Sit in mente columbina
Sanctaque simplicitas,
Quam non fallat serpentina
Daemonum calliditas,
Quam non frangat, etsi tangat,
Praesens haec calamitas.

18. Non hic mundus, non perversa
Carnis fallant opera,
Sic nos Dei per diversa
Dirigente dextera,
Ne vel premant cor adversa,
Nec extollant prospera.

19. Serve prudens et fidelis,
Nos in fide robora,
Ab his vitae corruptelis
Cor curans et corpora,
Ut iam nostri sit in caelis
Fixa cordis ancora.

20. Mala delens, quae meremur,
Vitam iuva fragilem,
Ut cum sanctis contemplemur
Pium et placabilem,
Quem in sanctis imitemur
Magnum et mirabilem.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

150. De sancto Edmundo.

1. Illustris memoriae
laudisque iucundae,
In superno rutilans
regno, rex Eadmunde,
Summae rorem gratiae
mentibus infunde,
Ut divinis splendeat
gratiis fecunde.

2. Felici commercio
gaudioque pleno
Caeleste suscipiens
regnum pro terreno
Supplicantes oculo
respice sereno,
Ne spretis caelestibus
locus sit in caeno.

3. De lacu miseriae
et de luto faecis
Nos educat meritum
tuae sanctae precis,
Ut per paenitentiam
reddita lux caecis
Nos a nexu liberet
sempiternae necis.

4. Ad hoc, ut devotio
mentis excitetur,
Sancti regis gloria
miles delectetur,
Ut amoris passibus
ipsum imitetur,
Caro licet fragilis
menti reluctetur.

5. Christianae fidei
fortis propugnator,
Residens in solio
regni gubernator,
Quid velit, quid valeat
hominum temptator,
Praetemptati Domini
sentis imitator.

6. Exemplo nos celebri
volens informari
Christus a diabolo
voluit temptari,
Ut per patientiam
discant conformari,
Qui se vero capiti
volunt coaptari.

7. Cum ergo temptatio
sit haec vita tota,
Nostraque condicio
tibi sit, rex, nota,
Rege nos et erige
dirigendo vota,
Ne cedat certamini
mens adversis mota.

8. Inde voto regio,
rex, utaris iure,
Persequendo vitia
deferens naturae,
Ad salutem consulens
novae creaturae,
Ut a casu veteris
caveat iacturae.

9. Summae regi gloriae
gratus et acceptus,
Regio munimine
certas circumsaeptus,
Nullis usquam hostium
dolis interceptus,
Diadema gloriae
victor es adeptus.

10. Qui digna pro meritis
praemia largiri
Et magna pro minimis
novit impertiri,
Vires augens mentium
tanti preces viri
Piaque suffragia
praestet experiri.

11. O mira certamina
regis gloriosi,
Perfert, quidquid inferunt
hostes furiosi,
Ut rorante sanguinis
unda pretiosi
Seges lata prodeat
fructus copiosi.

12. Corpus illud regium,
corpus impollutum,
Singulari purpura
sanguinis imbutum.
Sagittarum iaculis
cernitur hirsutum.
Nec certanti defuit
regi rex virtutum.

13. Perfidorum studio
caput occultatum
Voce piis propria
fulsit declaratum.
Ut sit idem integre
membris coaptatum,
Nostrum cunctis martyrem
reddat commendatum.

14. Animatis gloria
signi tam praeclari.
Rex et martyr, subveni
prece salutari,
Ut unum in lapide
simus angulari,
Gloriantes capiti
membra coaptari.

15. Unitatem interim
sanctae caritatis
Probet unanimitas
bonae voluntatis,
Ut in unam fidei
gratiam vocatis
Unicum sit praemium
pax aeternitatis.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

151. De s. Eduardo Confessore.

1. Rex Edwarde, celebri
splendens caelibatu,
Dignitatis regiae
pollens principatu.
In hoc oberrantibus
vallis incolatu
Pio, princeps inclite,
subveni ducatu.

2. In te concurrentia
vota singulorum
Felici praesagio
functa futurorum,
Clausum adhuc viscerum
cella maternorum
Te futurum eligunt
principem Anglorum.

3. Tibi Christo studia
promovente pia
Totius imperii
cessit monarchia,
Regente per omnia
virgine Maria,
Cui te devoveras
hac in vitae via.

4. Vitae vir angelicae,
summae vir virtutis,
In hac iugis acie
pugnae constitutis
Dux assis militiae
tutorque salutis,
Totius nequitiae
nexibus solutis.

5. Toti mundo Domini
proferens amorem,
Ipsum vitae caelibis
sequeris auctorem,
Dumque necessarium
genti geris morem,
Quam despondes, virginem
nosti, non uxorem.

6. Ex consensu mutuo
sanctae castitatis
Vernat in coniugio
flos virginitatis,
Nec inter delicias
tantae maiestatis
Se carnalis ingerit
ardor voluptatis.

7. Ne carnali spiritus
cedat voluptati,
Nos exemplum provocet
principis beati,
Et ut simus liberi
a lege peccati,
Tuis cedant precibus
hostes expugnati.

8. Ut probetur pectoris
puritas sinceri,
Rutilans illustrius
luce solis veri,
Per ipsum absentia
gaudes intueri,
Cuius sub praesentia
cuncta constat geri.

9. A remotis positos
septem dormientes
Aspicis post saecula
multa se moventes,
Vultu vides placido
longius absentes,
Ducem classis Daciae
fluctus absorbentes.

10. Mentis purgans aciem
redde perspicacem,
Hostis dans evadere
dolum pervicacem,
Qui cordis et corporis
piam turbat pacem,
Dum carnem spiritui
reddit contumacem.

11. Quem ipse prae ceteris
Iesus diligebat,
Dulcius discipulum
diligens gaudebat,
Et, quem virgo virginem
sequi satagebat,
Iohannis dulcedini
totus inhaerebat.

12. Huic ergo sub specie
peregrini datus
A remotis annulus
redit resignatus,
Ut per hoc eluceat,
quam sit Deo gratus
Mente micans dapsili
carnis caelibatus.

13. Gaudet rex ad gloriam
Christi cuncta gerens,
Quae sunt Iesu, sedulus,
Non quae sua, quaerens,
Quod et probans latius
sancti laudem serens
Praesularis marmori
baculus adhaerens.

14. Ad beati praesulis
gloriam accedit,
Quod libens sententiae
synodali cedit,
Sed in causa pietas
regia praecedit,
Conservans benignius,
quod benigne dedit.

15. Ut laetemur interim
te regente tuti,
Tuorum, rex inclite,
prospice saluti,
Ut agni vestigia
moribus secuti
Stolis tecum candidis
splendeant induti.

Orai. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201. — 5, 7 despondens. — 6, 5 Hic inter. — 7, 7 Lies Suis? — 12, 1 Lies Huic ergo?

152. De Eduardo Martyre.

1. A carnalis sarcinae
curis expeditus
Et in regni requie
sempiterna situs,
Piis invocantium
votis expetitus,
Rex Edwarde, subveni
nostri non oblitus.

2. Summi diademate
radians decoris,
Veri nos irradia
lumine splendoris,
Ut paterni iugiter
memores amoris
Aeterni participes
facias honoris.

3. In te primum transferens
regni dati iura,
Carnis motus regia
comprimis censura,
Ut caelorum principi
Christo placitura
Sit terreni principis
mens et caro pura.

4. Iuventutis Domino
consecrans decorem
Fructum innocentiae
profers gratiorem,
Dum conceptum pariens
femina furorem
Immaturum perimit
orbis nostri florem.

5. Innocens insidias
passus novercales
Palmas innocentiae
praefers triumphales,
Celebrant excubias
angeli regales,
Reserantes principi
portas aeternales.

6. Vultus Dei perfruens
luce sempiterna,
Nostra regens corpora,
corda, rex, guberna,
Ut cordis et corporis
claritas interna
Caritate splendeat
paceque superna.

7. O feris ferocior
furor mulieris,
Ipsis iram belluis
duriorem geris,
Nec Dei nec hominis
vultum revereris,
Dum, quod ira suggerit,
ratum fore quaeris.

8. Dum scelus dissimulat
sedens quasi tuta,
Culpae scelus exserit
ultio secuta,
Poenas luit propere
scelere polluta,
Oculorum subito
luce destituta.

9. Sic, sic agens libere
Deus ultionum,
Per hunc benignissimum
dulcemque patronum
Suspende sententiam
vindicemque sonum,
Devota praeveniat
vox confessionum.

10. Tu lumen de lumine,
tu lux verae lucis,
Qui tuos per cremum
ad promissa ducis,
Mentis purga tenebras
levans a caducis,
Praeeunte iugiter
nos columna crucis.

11. Tu vita subveniens
morte resolutis,
Vitis vere germinans
poculum salutis,
Tu solamen cordium,
summae spem virtutis
Consolando reparas
mente desolutis.

12. Per omnipotentiam
illam, rex virtutum,
Qua in Deum suscipis
carnis nostrae lutum,
Carnis miscens pulveri
deitatis sputum,
Tua clemens respice
luce destitutum.

13. Fili David unice,
miserere gratis
Deflenti miseriam
suae caecitatis
Et infundens radios
tuae claritatis
Luce cor irradia
sanctae veritatis.

14. Tu, qui via diceris,
veritas et vita,
Nos ad vitae gloriam
veniens invita,
Ut in tua iugiter
veritate sita
Ad tuam evigilet
laudem mens sopita.

15. Tu, qui sapientia
patris es interna,
Verae lucis oriens
luxque sempiterna,
Assis in caligine,
lumen et lucerna,
Nos per temporalia
ducens ad aeterna.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

153. De sancto Georgio.

1. Disciplinae militaris
Signifer et speculum,
Palmae mundo singularis
Praeferens spectaculum,
Sis, a quibus memoraris,
Memor, martyr, exsulum.

2. O Georgi, summi regis
Miles invictissime,
Pro divinae cultu legis
Certans devotissime,
Pii gerens curam gregis
Infestantes reprime.

3. Ave, martyr magnis clare
Triumphorum titulis,
Per quem suum salutare
Manifestans saeculis
Signum dedit singulare
Salvator in populis.

4. Vitam agens insignitam
Signis et virtutibus,
Ter occisus, ter ad vitam
Victis surgens hostibus,
Viam paras expeditam
Pro fide certantibus.

5. Per hanc vitam resurgentis,
Per beata merita
Nos a trina morte mentis,
Auctor vitae, suscita,
Duplicatis ut talentis
Augeantur credita.

6. Audi preces, sume vota
Tibi supplicantium,
Ad te, martyr, mente tota
Pie suspirantium,
Quem nec mota movit rota
Mentis mutans studium.

7. Te nec virus propinatum
Nec ars laedit magica,
Immo, per quem fuit datum,
Manu curans medica,
Fide Christi confirmatum
Praemittis ad caelica.

8. Per te Christus, quem optamus,
Locum praestet veniae,
Ut, qui pridem fueramus
Vasa contumeliae,
Ipsi Deo placeamus
Vasa facti gloriae.

9. Illa quondam Daciani
Coniunx Alexandria,
Derelicta ritus vani
Regisque vesania
Praefert in se christiani
Nominis insignia.

10. Sed ne desit iam fideli
Baptismi praesidium,
Aquae vicem rore caeli
Supplet ministerium,
Plebi monstrans infideli
Fidei mysterium.

11. Tanta, martyr, delectatus
Fidei participe,
Quasi quodam debriatus
Caritatis adipe,
Mundi minas et conatus
Triumphas cum principe.

12. Pluat nobis cum regina
Ros caelestis gratiae,
Ut ereptis a ruina
Praesentis miseriae
Felix prosit et festina
Virtus paenitentiae.

13. Multiformes per agones
Te probans idoneum,
Fustes, probra, scorpiones,
Ollae fervens oleum,
Vincla, carceres, carbones
Vincis et eculeum.

14. Triumphatis plene poenis
Emenso septennio,
Loris tractus et catenis
Felici compendio
Transis victor a terrenis
Consummante gladio.

15. Commutantur ornamentis
Arma triumphalia,
Fit mors ipsa patientis
Vitae meritoria,
Qua transitur a tormentis
Ad quietis atria.

16. Diadema pro thorace
Commutans aethereum,
Adprobatur de fornace
Vas procedens aureum.
Pro collata regem pace
Collaudat sidereum.

17. Multis ad te pressi malis
Devoti confugimus,
Palmae compos aeternalis,
Impetra, quod poscimus
Ut mens munda, spes iucunda,
Sincerus sit animus.

18. Gloriose miles Christi,
Per certamen unicum,
Quod septenne peregisti
Nullum passus lubricum,
In virtute, qua vicisti,
Vires auge supplicum.

19. Tu pro lege Dei tui
Certans cum principibus,
Poenis spretis atque sui
Fractis regni viribus,
Salvatoris vultu frui
Gaudes in caelestibus.

20. Per divinae sponsionis
Repromissam gratiam
Tuae, martyr, passionis
Agentes memoriam
Duc ad verae visionis
Immortalem gloriam.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

154. De sancto Guthlaco.

1. Vera regni perfruens
perennique pace,
Pacis nobis gratiam
impetra, Gudlace,
Ut evicto principe
mundi pervicace
Salvemur a flammea
saeculi fornace.

2. Huius nobis gratiae
pacem, inquam, praesta,
Ne repugnans animae
caro sit molesta,
Ne qua membris ingerat
mundus inhonesta,
Ne fraus fallat daemonum
frequens et infesta.

3. Quam praeclára fulserit
patris sancti vita,
Tot et tantis crebrius
bellis lacessita,
Ipsa sancti corporis
ossa iam sopita
Signis multiplicibus
probant insignita.

4. Condigna pro meritis
palmae dono praestas,
Militem remunerans
regia maiestas,
Dum virtutes exserit
mundo manifestas,
Data super daemones
virtus et potestas.

5. Decus augens generis
proles generosa
Ac si candens lilium
rubicante rosa,
Virtutis angelicae
luce radiosa
Gentis fulges Anglicae
lampas luminosa.

6. Non diu sub modio
lampas obumbrari,
Non flamma sub cinere
patitur celari,
Nec pro voto valuit
virtus occultari,
Ad horam sub chlamyde
latens militari.

7. Non humanae deditus
famae seu favori,
Dei se devotius
consecrat amori,
Ut in Christo viveret,
mundo volens mori,
Viam cursu regiam
carpit altiori.

8. Eremitae studium
vitamque professus
Haeret ei iugiter
eremum ingressus,
Qui suos per omnia
dirigendo gressus
Sacri dux propositi
fuit indefessus.

9. Sub potenti brachio
consolatus Dei,
Summo fit solacio
vox Bartholomaei,
Cui se devoverat
sic commendans ei,
Ut post Deum sibi sit
sacrae summa spei.

10. O virtutis unicae
virum gratiosum,
Quem sola felicitas
fecit odiosum,
Dum extricans daemonum
agmen tenebrosum
Sedem sibi vindicat
sidus gloriosum.

11. Fraudes, minas, iurgia
passus et flagella,
Sub hac quasi fluctuum
aestuans procella,
Inter multifaria
certat sanctus bella,
Nec cessit plantatio
veteri novella.

12. Vetus hospes insulae
cessit adventanti
Daemonumque legio
sancto triumphanti,
Cum id praestet proprium
gratia certanti,
Ut in patientia
sit corona sancti.

13. Non formidans facies
daemonum larvales
Nec conflictus metuens
bono spiritales,
Plagas a spiritibus
passus corporales,
Palmas victis omnibus
refers triumphales.

14. Summae vir clementiae
magnaeque virtutis,
Sub hoc pugnae triplicis
bello constitutis,
Ecce, nobis impetra,
gratiam salutis
Fraudis diabolicae
curribus solutis.

15. Liberare corpora
solitus obessa,
Corda muni supplicum
hostis vi repressa,
Ut post hanc instabilem
detur pax expressa,
In qua lux et veritas
viget indefessa.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

155. De sancto Luca.

1. Lucis heres caelicae,
caeli sidus clarum,
Luce Luca radians
clara gratiarum,
Tuae cedant lumini
nubila culparum,
Quibus in hac premimur
valle tenebrarum.

2. Arte Luca geminae,
vigens medicinae,
Tuae nos participes
reddas disciplinae,
Animas et corpora
subtrahe ruinae,
Ut utraque consona
legi sint divinae.

3. Luca, mentis medice,
vitae vir sincerae,
Mentis nostrae vulnera
clemens intuere,
Aegris spem restituens
sospitatis verae,
Laesis multipliciter
cordibus medere.

4. Boni more militis
signa sequens ducis,
Imitator sedulus
sanctae factus crucis,
Actu, verbo, nomine
splendens lampas lucis,
Luca, nos illumina
levans a caducis.

5. Tu, qui primam Moysi
legem das in Sina,
A communi liberans
Israel ruina,
Aurem supplicantium
precibus inclina,
Per hunc nos erudiens
in lege divina.

6. Procedens de gremio
ventris puellaris,
Paradisi profluus
fonsque singularis,
Quatuor in flumina
vere derivaris,
Quibus mundi quatuor
partes amplexaris.

7. Haec sunt evangelicae
verba disciplinae,
Orbis irrigantia
fines tali fine,
Ut fructum uberius
referant doctrinae
Irrigati copiis
gratiae divinae.

8. His enim instruimur
excitati sonis
Credere mysterium
incarnationis,
Victricem dominicae
palmam passionis,
Resurgentis gloriam,
spem ascensionis.

9. Huius quaternarii
certa sub figura
Exprimit mysterium
crucis quadratura,
Quae mundi quadrifidi
partes complexura
Quadriformi praeminet
cornuum structura.

10. Gratiarum omnium
crux est plenitudo,
Per crucem prudentiae
surgit certitudo,
Firmatur iustitia,
viget fortitudo,
Sed et temperantiae
vernat pulchritudo.

11. Per hanc evangelii,
Christe, quadraturam,
Per crucis dominicae
mysticam figuram,
Per virtutum quatuor
stabilem structuram,
Nostra firmans pectora
vitam praesta puram.

12. Caelibatus celebris
caeli iam conviva,
Luca, nos illumina
luce rediviva,
Caritate reprimens
carnis incentiva,
Ne cor urat criminum
febris recidiva.

13. Te sub animalium
typica figura
Praesignat in vitulo
mystica sciptura,
Cum scribenti maxime
fuerit in cura
Mystici mors vituli
mundum redemptura.

14. Ne quid suum vendicet
mortis nox secundae,
Sanctae lucis radio,
Luca, nos perfunde,
Ut de nostra luce sint
virgines iucundae,
Quas praecedent lampades
oleo fecundae.

15. Septiformis gratiae
spiritu repletus,
De morte tripudians,
de triumpho laetus,
A mundo iam meritis
morteque discretus
Vernas inter floridos
electorum coetus.

16. Lux de luce radians
patris, pax interna,
Tu nos Luca remige,
regum rex, guberna,
Per haec mundi maria
ducens ad superna,
Ubi pax et veritas
et lux est aeterna.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

156. De sancto Matthaeo.

1. Pro salute supplicum,
Iesu, fili Dei,
Vota clemens suscipe
precesque Matthaei,
Ut nobis obtineat
fructum sanctae spei,
Diadema praeferens
summae speciei

2. Vera paenitentium
exemplaris norma,
Ad exemplum veniae.
sancte, nos informa,
Innovatos homini
novo nos conforma,
Sub humana mystice
praemonstratus forma.

3. Relicto teloneo
Dominum secutus,
Sedis apostolicae
culmen assecutus,
Veterem cum actibus
hominem exutus,
Vivens in iustitia
novum es indutus.

4. Curis licet publicis
esset mens intenta,
Simplex in teloneo
fides est inventa,
De commissis exigens
Dominus augmenta
Suae tibi gratiae
tradidit talenta.

5. Inter animalia
mystica monstratus,
Sub humana specie
splendens praesignatus,
Deum factum hominem
palam protestatus,
Ut morte mortalium
solveret reatus.

6. Ut possimus homini
novo conformari,
Precum nos suffragio
iuva salutari,
Dans illum in gloria
celsum contemplari,
Qui pro nobis voluit
caelum inclinari.

7. Ad infirma corporis
gratis inclinatum,
Incurvatur omnium
culmen potestatum,
Cum pro peccatoribus
verbum incarnatum
Se velut exterminans
terminat peccatum.

8. Lux de luce prodiens,
lux non peritura,
Suo nobis lumine
detegit obscura,
Ut, quod in aenigmate
nuntiat figura,
Plene nobis reseret
visio futura.

9. Regum rex Adonai,
potens et invictus,
Deus es omnipotens
ex effectu dictus,
Tuae noster animus
laudi sit addictus,
Nec vinctus illecebris
nec labore victus.

10. Tu de Deo Deus es
deitasque vera,
De patris essentia
simpla atque mera
Procedens substantia,
tibi quamvis sera
Paenitentis placeat
lacrima sincera.

11. Multis me praeveniens
gratiis ingratum
Excitas ad gratias
gratis invitatum,
Tuae virtus gratiae
relevet peccatum,
Quo me miser sentio
male praegravatum.

12. Quamvis singularitas
sonet in sermone,
Peccati pluralitas
est in actione,
Tibi patent omnia,
solve, Iesu bone,
Quod nostrae non capitur
mentis ratione.

13. Tu dictus Emanuel,
sis nobiscum Deus,
Ago tibi gratias,
non ut pharisaeus,
Publicanum imitor
publiceque reus
Precor: sit propitius
mihi Deus meus.

14. Caelestis Ierusalem
civis gloriose,
Da, Mathaee, veniae
locum fructuosae,
Ut post huius tenebras
vallis aerumnosae
Cives nos excipiant
urbis gloriosae.

15. Pristinae non immemor
conversationis,
Novae nobis gratiam
da conversionis,
Ut per hanc memoriam
tuae passionis
Divinae consortium
detur visionis.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar 201. — 5, 5 Leo factum.

DRITTE GRUPPE.

157. De sancta Anna.

1. Gaude, grandis Anna, carens
Primo prole, sed post parens
Fis reginae gloriae,
Fac nos moribus fecundos
Et Mariae fac nos mundos
Servire memoriae.

2. Gaude, forma feminarum,
Magnum decus matronarum.
Fetum fundens veniae,
Tu da nobis exemplares
Mores et familiares
Fac nos tuae filiae.

3. Gaude, felix ava Christi,
Dum auroram protulisti
Lucis et laetitiae,
Tuae natae rore rora
Mentes, mores et decora
Radiis iustitiae.

4. Gaude, cuius invocatum
Nomen est interpretatum
Amoris et gratiae;
Nos ab omni tempestate
Serves in securitate
Pacis et fiduciae.

5. Gaude, Deus dum amavit
Tuam natam, quam donavit
Salutem ecclesiae,
Fac, ut illa tam dilecta
Nobis fiat nunc profecta
Salus indulgentiae.

6. Gaude, sponsa dum divina
Tua nata fit regina
Cunctae mundi machinae,
Tu da nobis, quod precamur,
Ut per ipsam protegamur
Ab inferni carcere.

7. Gaude, manens nunc cum nata
Prae matronis honorata
Cunctis caeli curiae,
Funde filiae precata,
Nostra purget ut peccata
Sui nati nomine.

Orat ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. — 7, 6 nati fehlt.

158. De sancto Christophoro.

1. Gaude, mundum qui vicisti,
Tu, Christophore, qui Christi
Sequebaris semitas,
Nos ad caelum fac tenere,
Quas docebat Christus vere,
Vias vitae cognitas.

2. Gaude, missus ad docendum
Et ad Christum convertendum
Gentem regni Syriae,
Fac nos nunc aedificare
Plebem atque praedicare
Regnum poli patriae.

3. Gaude, per quem frondescebat
Arens virga, quae virebat
Florida fructificans,
Fac nos ferre flores morum
Sic, ut fructu sit caelorum
Christus nos glorificans.

4. Gaude, per quem meretrices
Fide fortes et victrices
Fiunt per martyrium,
Nos a Christo nunc armari
Nec ab ipso separari
Sinas per flagitium.

5. Gaude, qui dum ignem vincis,
Infideles sic convincis,
Quod dant Deo gloriam,
Nos ad Christi nunc amorem
Accendendo dele morem
Peccandi per veniam.

6. Gaude, qui dum iacularis,
Non sagittis sauciaris,
Sed pendent in aere,
Nunc de nobis intromittas
Et nos omnes fac sagittas
Daemonum evadere.

7. Gaude, cuius caput ense
Caesum erat, et immense
Lucis intras gaudium,
Donet Deus, ut te duce
Perfruamur illa luce,
Quae dat bonis bravium.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinens. Arundel 203.

159. De s. Iohanne Beverley.

1. Ave, gemma curatorum,
O Iohannes, flos doctorum,
Rector de Marstonia;
Ave, lux praedicatorum,
Vas virtutum, via morum,
Ducens ad caelestia.

2. Ave, pater clericorum,
Exemplar presbyterorum
Et vincens daemonia;
Ave, consors angelorum,
Contemplator supernorum
In carnis munditia.

3. Ave, salus infirmorum,
Medicina vexatorum,
Febrium molestia;
Ave, lumen oculorum,
Liberator languidorum
Dentium angustia.

4. Ave, cum miraculorum
Redivivus bos tuorum
Profert testimonia;
Ave, duum puerorum
Suscitator submersorum
Per tua suffragia.

5. Ave tu, qui es cunctorum
Consolator miserorum,
Qui sunt in tristitia,
Ave, dux peregrinorum,
Esto ductor viatorum
Ad superna gaudia.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2445. A. — Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 598. saec. 15. add. saec. 15/16. B. — Cod. Collegii S. Iohannis Oxonien. 209. C.

160. De s. Iohanne Evangelista.

1. Gaude, praedilecte Dei,
Tu, Iohannes, Zebedaei
Natus, nactus gratiam,
Christo, care, nos coniungas
Et a nobis nunc disiungas
Omnem iniustitiam.

2. Gaude, quia paruisti
Christo, post quem cucurristi
Mox relictis retibus,
[Fac me Christo sociari]
Semper et sic adornari
Gratiae virtutibus.

3. Gaude, quia transformatam
Et in monte demonstratam
Vides Christi faciem,
Sub te duce tam securo
Fac nos Christum in futuro
Videre et speciem.

4. Gaude, tantum tu dilectus
Quod in cena supra pectus
Quievisti Domini,
Per hunc somnum specialem
Tu quietem aeternalem
Impetra nunc homini.

5. Gaude, custos matris Christi,
Quae de cruce voce tristi
Tota tibi traditur,
Tuae curae nos commenda,
Nos et matri recommenda,
Quae sic tua dicitur.

6. Gaude, Christi pugil fortis,
Qui non times poenas mortis
Nec dulcorem senseras,
Fac nos mortem non timere,
Nos in fine tu tuere,
Qui sic Satan superas.

7. Gaude, virgo semper manens,
Agnum sequens atque canens
Nunc in choro virginum,
Nos a malis hic mundatos,
Duc ad Deum et beatos
Fac post vitae terminum.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Arundel 203. — 2, 4 fehlt. — 5, 2 de voce cruce.

161. De sancta Katharina.

1. Gaude, virgo Katharina,
Caeli clausa sub curtina
Regis heres filia,
Nos a carnis culpis mina,
Quo beati stola bina
Simus post exsilia.

2. Gaude, stella matutina,
Qua fit vana vespertina
Rhetorum peritia,
Quos convertis ex doctrina,
Dum pro fide feminina
Sustinent supplicia.

3. Gaude, mente leonina
Rotis astans vi divina
Vincis terribilia,
Dum rotarum fit ruina,
Miles credit et regina,
Sed et multa milia.

4. Gaude, morti cum vicina
Tua cervix columbina
Caesa fit saevitia,
Lactis fusa fert piscina,
Quod sis insons et agnina
Carnis pudicitia.

5. Gaude, quam fert caeli Sina
Civis, a qua peregrina
Plebs petit praesidia,
Fis salutis officina,
De qua manat medicina
Morbis dans remedia.

6. Gaude, nam ut flos de spina
Clares quasi crystallina,
Iam corrumpi nescia,
Nos redemptos plaga quina
Christi Satan serpentina
Serves a malitia.

7. Gaude, nova inquilina,
Virgo, martyr, doctrix, trina
Poli portans praemia,
Nobis aurem nunc inclina,
Nos a carnis ut sentina
Ducas ad caelestia.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Arundel 203. — 5, 1 fert caeli signa. — 5, 2 Cuius aqua. — 7, 1 Gaude non inquilina.

162. De sancta Margareta.

1. Gaude, virgo Deo grata,
Margareta, numerata
Cum sanctis virginibus,
Per te nostra nunc peccata
Relaxentur et mundata
Mens sit a sceleribus.

2. Gaude, fide roborata,
Minas spernens et mandata,
Quae iussit Olybrius,
Per te fides confirmata
Nunc in nobis et ornata
Vita sit virtutibus.

3. Gaude, poenis lacerata,
Dum pro Christo cruentata
Fuisti verberibus,
Fac, ut Deo dedicata
Sit in poenis et parata
Mens in Dei laudibus.

4. Gaude, dum incarcerata
Manes et post liberata
De draconis faucibus,
Nobis assis invocata
Et ad regna duc beata
De carnis carceribus.

5. Gaude, pie visitata
Per columbam, confortata
Tuis in doloribus,
Per te fiat plebs purgata,
Sancta, simplex, sociata
Supernis splendoribus.

6. Gaude, quod non conflagrata
Flammis sis nec suffocata
Sub undis maioribus,
Per te sit refrigerata
Flamma carnis et levata
Mens a malis moribus.

7. Gaude, tandem coronata,
Dum pro fide decollata
Iungeris martyribus,
Tu nunc Christo copulata
Fac, ut caeli sit donata
Lux te collaudantibus.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinens. Ar. 203. — 4, 5 dum beata. — 6, 1 quod fehlt.

163. De s. Maria Magdalena.

1. Gaude, magna Magdalena,
Tu, Maria, tota plena
Gratiarum opere,
Nunc fac nobis Christum carum,
Nos ut donis gratiarum
Ditet suo munere.

2. Gaude, rore sic respersa
Caeli, postquam es conversa,
Quod sis tota vivida,
Nostrae menti mitte rorem,
Quo virescat ad valorem,
Ne sit semper arida.

3. Gaude, lugens quae sanabas
Pedes Christi, quos rigabas,
Respergendo lacrimis,
Quidquid vidit visus vanum,
Tuis fiat semper sanum
Precibus piissimis.

4. Gaude, cuius est unguentum
Deo dans odoramentum,
Dum perungis Dominum,
Per te remittat reatum
Omnem, qui per odoratum
Vasis nocet hominum.

5. Gaude, Deo discumbenti
Praesens astans et edenti
Deferens obsequia,
Firma frenum nunc in ore
Nostro, nos ut sancto more
Sumamus cibaria.

6. Gaude, quia tetigisti
Dei pedes et dedisti
Pia pacis oscula,
Quod in nobis est infectum
Nostro tactu, tu fac rectum
Carnis frangens iacula.

7. Gaude, tandem cum audisti
Dimitti, quod deliquisti,
Data tibi venia,
Quidquid per auditum, tactum,
Visum, gustum et olfactum
Fit, formes in gratia.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinens. Arundel 203.

164. De sancto Michaele.

1. Gaude, decus angelorum,
Michael, qui beatorum
Princeps es spirituum,
Tu nostrorum ordinare
Velis atque regulare
Motus omnes actuum.

2. Gaude, quia deiecisti
Tu draconem et vicisti
Viribus angelicis,
Fac nos Satan superare
Nunc et Deo militare
Moribus catholicis.

3. Gaude, qui es caniturus
Tuba, praeco praecessurus
Ultimum iudicium,
Fac nos ad hoc praeparari,
Nunc a nobis et fugari
Procul omne vitium.

4. Gaude, per quem sunt elisi
Daemones, dum paradisi
Factus es praepositus,
Per te portae reserentur
Et sanctorum, ut salventur,
Coetus sit dispositus.

5. Gaude, digne quem decorant
Dei dona, quem honorant
Angelorum ordines,
Per te Christo consecrentur
Et in fide confirmentur
Orbis omnis homines.

6. Gaude, princeps animarum
Et susceptor, nam earum
Facta libras omnia,
Fac, ut nunquam pereamus,
Sed per te perveniamus
Ad aeterna gaudia.

7. Gaude, tuam in Gargano
Monte generi humano
Demonstrans memoriam,
Tui memores mundare
Nunc nos velis et levare
Post ad caeli gloriam.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinens. Arundel 203.

165. De sancto Nicolao.

1. Gaude, cuncti forma cleri,
Nicolae, quod videri
Valet ex ieiuniis,
Cum in cunis carnem teri
Puer probas et arceri
Quartis, sextis feriis.

2. Gaude, purus puellarum
Conservator et earum
Paupertati condolens;
Foedus facis nuptiarum,
Dona dum divitiarum
Patri praebes consulens.

3. Gaude, Deo tam dilectus,
Quod per Christum es directus
Ut dignis honoribus,
Sic ad sedem es electus
Praesularem, iam profectus
Plebi patens moribus.

4. Gaude, praesul potens signis,
. . . . . focus li[g]nis,
Sed aqua non uritur,
Redit mater mox insignis
Nec infanti nocet ignis,
Dum de te revertitur.

5. Gaude, farri dans augmentum,
Modios dum sumis centum
Singulis de navibus,
Pie pater, da proventum
Sic, ut omne detrimentum
Fuges a fidelibus.

6. Gaude, quia cum scholares
Tres occisos elevares
Suscitans a mortuis,
Cunctis clares, quia cares
Culpis atque plene par es
Sanctis magnis meritis.

7. Gaude, tanta dona diva
Sumens laudis ostensiva,
Per quae, pater, petimus,
Ut a nobis nunc nociva
Tollas atque permansiva
Praestes in caelestibus.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Arundel 203. — 4, 2 Focus focus linis. — 6, 4 Cunctls daret.

166. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Gaude, martyr gloriose,
Thomas, primas pretiose,
Praesul Cantuariae,
Tu nos tua passione
Consoleris in agone
Mortis et maestitiae.

2. Gaude, sedem praesularem
Qui rexisti principalem
Regni strenuissime,
Tu nunc rege nostrum statum,
Per te finem ut beatum
Sumamus sanctissime.

3. Gaude, quia domuisti
Carnem, clam dum induisti
Monachi cilicium,
Fac nos corpus castigare
Semper et continuare
Bonum exercitium.

4. Gaude, graviter vexatus,
Dum per regem exsulatus
Eras pro iustitia,
Per te [omnes] redeamus
Nos, qui procul exsulamus
Nunc a poli patria.

5. Gaude, nam te confortavit
Christus et certificavit
De tuo martyrio,
Nos nunc sibi fac servire
Mortem semper et sitire
Suo pro servitio.

6. Gaude, tandem immolatus
A malignis et mactatus,
Dum oras pro ovibus,
Pro tam magna caritate
Nobis in necessitate
Persiste petentibus.

7. Gaude, quia morbi cedunt,
Signa signis dum succedunt,
Quae dant tibi gloriam,
Salva semper te laudantes,
Thoma, tui memorantes
Agonis historiam.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203.

167. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Gaude, lux Londoniarum,
Thoma, tutor animarum
Dei providentia,
Natus matris Martis die,
Sequens vitam verae viae
Speciali gratia.

2. Gaude, Thoma persecutus
Et per regem adlocutus
Eius in consilio,
Dicens veritatem pie
Pastor et hoc fuit die
Martis sine dubio.

3. Gaude, sine iure vero
Primas exsul rege fero,
Thoma, flos ecclesiae,
Hoc tunc fuit die Martis
Per consensum vanae partis
Gentis regis Angliae.

4. Gaude, Thoma, Martis die
Vocem audiens Messiae,
Cum esses in Francia:
Thoma, Thoma, dixit Deus,
Sanguis tuus erit meus
Honor in ecclesia.

5. Gaude, trans fretum reversus,
Pacis ad formam conversus,
Thoma, primas Angliae,
Die Martis transfretasti
Tecum fidem comportasti,
Defensor ecclesiae.

6. Gaude, Thoma pastor vere,
Fide duce morti ferae
Collum subdens gladio,
Die Martis hora nona
Meruisti Dei dona
Diro mortis proelio.

7. Gaude, Thoma, nominatus
Pius martyr et translatus
Villa Cantuariae,
Die Martis, ut vocatur,
Per te multa salus datur
Summi Dei serie.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Arundel 341. A. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211. B. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2846. C. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 3000. D. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Oxonien. 13. E. — Orat. ms. Cistercien. Anglic. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 548. F. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Parmen GG I 124. G. — BC haben von allen Strophen nur die erste Hälfte. — 3, 1 iure aure C. — 3, 4 fuit die martis fehlt A. — 3, 5 fehlt A. — 3, 6 Gentis fehlt A. — 3, 5 insanae partis ADEF. — 4, 2 Audiens vocem A. — 5, 2 Pacem AC. — 6, 5 Die Martis proelio ADEF. — 7, 6 Dei miseriae A.

VIERTE GRUPPE.

168. De sancto Aegidio.

1. Gaude, felix eremita,
O Aegidi coenobita
Et abba clarissime,
Gaude, quod per te sanatus
Est aegrotus liberatus
Sibi data tunica.

2. Gaude, quod prece sedasti
Pelagus et impetrasti
Regi mire veniam,
Gaude, quod claustrum fundasti
Regis prece adunasti
Bonorum frequentiam.

3. Gaude per te suscitato
Mortuo caelis te lato,
Quo semper tripudias,
Nobis vitio purgato
Tuo supplicatu grato
Da poli delicias.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

169. De sancta Agnete.

1. Gaude, quod te desponsavit
Christus, Agnes, et ornavit
Genas suo sanguine,
Gaude, quod te decoravit
Sacra veste et salvavit
Ab immundo homine.

2. Gaude, quod te capillorum
Densitate rex caelorum
Vestivit mirifice,
Gaude, quia immundarum
Domus per te fit sacrarum
Locus precum caelice.

3. Gaude, quia dum orasti,
Mortuum resuscitasti
Tuis sacris precibus,
Gaude, quia superasti
Ignem et te sociasti
Morte cum martyribus.

4. Gaude, semper gavisura,
Carmen novum cantatura
Cum choro virgineo,
Impetra regna mansura
Nobis tua prece pura
Cum sanctorum cuneo.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 4, 4 sq. nobis regna mansura tua prece.

170. De sancta Agnete.

1. Gaude, Agnes, virgo Christi,
Quae, in mundo dum fuisti,
Iesum dilexisti,
Gaude, Agnes, virgo mitis,
Quae moribus redimitis
Deo placuisti.

2. Gaude, Agnes, gemma castitatis,
Quae candorem tuae puritatis
Nunquam amisisti,
Gaude, Agnes pulchra facie,
Quae a nulla mundi specie
Vinci potuisti.

3. Gaupe, Agnes, rosa speciosa
Quae accepta morte pretiosa
Caelos conscendisti.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4955.

171. De s. Alberto Carmelita.

1. Gaude, felix Carmelita,
Alberte, qui sancta vita
Luces velut facula,
Gaude, quod sic es monstratus
Tuae matri nondum natus
Noctis per umbracula.

2. Gaude, quod in mundo nequam
Cuncta linquis . . .
Petendo coenobium,
Gaude, quod hostem fugasti,
Captum quoque consummasti
Mariae conubium.

3. Gaude, quia compressisti
Carnem, quaerens, quae sunt Christi,
Cum toto conamine,
Gaude, quod in praelatura
Fuisti vitae figura
Fratribus Siciliae.

4. Gaude, praefulgens Alberte
Miris, quia Christus per te
Est clemens petentibus;
Potens pater de Carmelo,
Fac, ut aggreger in caelo
Mariae clientibus.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 5, 1 in fehlt. —

172. De sancto Amando.

1. Gaude, iuventutis flore
Qui flagrans Christi amore,
Amande, clarueras,
Gaude, serpentis ab ore
Salvus, quod crucis terrore
Hunc mire fugaveras.

2. Gaude, quod semper mansisti
Virgo et abstinuisti
Tribus lustris iugiter,
Gaude, quod vitam dedisti
Mortuo, pro quo petisti
Dominum humiliter.

3. Gaude, dum tu sanctum flamen
Invocans, quod dixit Amen
Infans, cum renascitur,
Gaude, in regno caelorum,
Sacer praesul, angelorum
Iungeris consortio.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 3, 1 flamen sanctum. — 3, 4 Gaude quod in.

173. De sancto Ambrosio.

1. Gaude, sacer [o] Ambrosi,
Cuius mores virtuosi
Perlustrant ecclesiam,
Gaude, per te furiosi
Fugiunt hostes damnosi
Ob tuam praesentiam.

2. Gaude te ad praesulatum
Pueri voce vocatum
Populis stupentibus,
Gaude fidei ob statum
A Iustina te vexatum
Malis resurgentibus.

3. Gaude te signis fulsisse
Spirituque claruisse
Pariter prophetico,
Gaude te cum Augustino
Laetari regno divino,
Quem Christo genueras.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 1 o fehlt. — 1, 4 Gaude, quod per.

174. De sancta Anania.

1. Gaude, felix Anania,
Ad quem vox facta est dia:
Surge, vade, quaere Saulum,
Qui mutandus est in Paulum.

2. Gaude, discipule Christi,
Esse tantus meruisti,
Manus quod imposuisti
Saulo, quem pertimuisti.

3. Gaude, serve Dei care,
Nam illum illuminare
Et ad fidem informare
Est concessum caelitus.

4. Gaude, quod et emigrare
Datur, caelos penetrare,
Triumphare, iubilare
Et in aevum corregnare.

5. Ora nunc Christum Dominum,
Ut caeli carpam bravium
Post huius vitae terminum.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 3, 2 Nam et illum illuminare, baptizare. — 3, 4 Est tibi concessum. — 4, 2 Datur et hoc die penetrare; caelos fehlt.

175. De sancta Anna.

1. Gaude, mater matris Christi,
Quae per aurem adplausisti
Dei patris nuntio,
Gaude, quia concepisti,
Sterilis quae cum fuisti,
Ioachim coniugio.

2. Gaude, quia tua nata
In te clausa, sed mundata
Parentelae vitio,
Gaude, quia vas virtutis
Peperistique salutis
Castitatis lilio.

3. Gaude, quia stellam mundi
Atque cellam regis summi
Lactasti cum gaudio,
Per quem luce vultus tui
Nobis detur semper frui
In perenni gaudio.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. — 2, 4 vas fehlt.

176. De sancta Anna.

1. Gaude, felix o matrona,
Quam perornant mira dona,
Anna, regis gloriae,
Gaude, quod es mater bona
Matris Christi, de corona
Nata stirpis regiae.

2. Gaude, quod es consolata,
Caelo dum es lacrimata
Ortu exstans sterilis,
Gaude, nunc prole ditata,
Quae mater Dei beata
Es prae cunctis fertilis.

3. Gaude nunc cum prole sancta,
Cui est collata tanta
. . . . . gloria,
Nunc et in caelo decanta
Voce laudes . . . . . .
Nostra delens vitia.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 1 sq. quod es e caelo consolata. — 3, 4 Nunc et in coelo voce laudes decanta.

177. De s. Antonio Eremita.

1. Gaude, quod per te desertum,
Antoni, ut florum sertum
Floret eremicolis,
Gaude, quod caelum apertum
Fit tuis per donum certum
Sociis non dyscolis.

2. Gaude, quia temptamenta
Per virtutum munimenta
Superas innumera,
Gaude, quia claruisti
Prophetia dono Christi,
Qua perit crudelitas.

3. Gaude, e caelo audisti:
Laqueos evadent isti,
Quos tenet humilitas,
Gaude, felix eremita,
Quod cum Christo, vera vita,
Exsultas perenniter.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien, 395. — 3, 1 Gaude quod e caelo.

178. De sancto Audomaro.

1. Gaude, iuvenis praeclare,
Christum amans Audomare,
Mundi spernens gaudia,
Gaude praesul Morinorum,
Gratia fulgens signorum,
Delens idolatriam.

2. Gaude, trahens populorum
Turbas ad fidem verborum
Vi per Christi gratiam,
Gaude, iuvenis turbatus
Per te mire est salvatus
Oceani flumine.

3. Gaude, dum volens privaris
Oculis, quod contemplaris
Deum nimis dulciter,
Nunc in caelo iucundaris,
Tua prece Christi caris
Nos iunge perenniter.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 3, 4 Gaude quod iuvenis. — 3, 4 Qui nunc in.

179. De sancto Augustino.

1. Gaude, praesul Augustine,
Qui cum Deo sine fine
Regnas in caelestibus,
Gaude, pater et patrone,
Doctor pie, pastor bone,
Fulgens in operibus.

2. Gaude, quia, dum flevisti,
Consolantem te audisti
Vocem missam caelice.
Gaude, quia decepisti
Daemonem, dum delevisti
Peccatum ex codice.

3. Gaude, laus totius cleri
Nec non propugnator veri,
Falsa nulla metuens,
Gaude, lampas luminosa,
Tu fax ardens gratiosa,
Tenebrosa respuens.

4. Gaude, quod nos docuisti
Per scripta, quae reliquisti
De fide catholica,
Audi servos te rogantes,
Et post mortem te orantes
Duc ad regna caelica.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Darmstadien. 964. B. — Str. 2 fehlt B. — 3, 5 Fax ardens et gratiosa B. — 4, 1 qui nos B. — 4, 5 Ut post AB.

180. De sancta Barbara.

1. Gaude, Barbara regina,
Summe pollens in doctrina
Angeli mysterio;
Gaude, virgo Deo grata,
Quae baptistam imitata
Es in vitae stadio.

2. Gaude, quod te visitavit
Christus vinctam et curavit
Plagas actu proprio;
Gaude, quia meruisti
Impetrare, quod petisti,
Dante Dei filio.

3. Gaude, namque elevata
Es in caelum et delata
Completo martyrio,
Te laudantem familiam
Trahe post te ad gloriam
Finito exsilio.

Cod. Parisin. 11843. saec. 15. A. — Horae divae V. M. sec. verum usum Romanum imp. Parisiis 1501. B. — Heures a lusaige de Romme. imp. Parisiis 1502. C. — Horae deiparae V. M. sec. usum Romanum imp. Parisiis 1519. D. — 1, 1 Barbara divina D; Barbara beata BC.

181. De sancta Barbara.

1. Gaude, Barbara serena,
Virgo patris quam effrena
Non flexit insania,
Gaude, castitatis vena,
Foderunt o quam obscena
Saeculi contagia.

2. Gaude, planta fructu plena,
Mundi crescens ut harena
Meritis et gratia,
Gaude, mater, quae terrena
Spernis, temporali poena
Comporans caelestia.

3. Gaude, sponsa iam in cena
Sponsi degustans amoena
Paradisi gaudia,
Solve culpae nos catena
Nec sis nobis aliena
Mortis in angustia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. 7977 der k. k. Familien-Fideikommifs-Bibliothek Wien. — 2, 4 Lies: martyr quae?

182. De sancto Barnaba.

1. Gaude, Barnaba fidelis,
Stirpe ortus Israelis,
Sed iunctus apostolis,
Gaude, rebus spoliatus
Mundi, vir bonus vocatus
Es et plenus flamine.

2. Gaude, cum Paulo signatus
Ad opus apostolatus
Es de caeli culmine,
Gaude, quia praedicasti
Cum Paulo et refutasti
Errores gentilium.

3. Gaude, quia consolaris
A Christo, igne cremaris
A Iudaeis pessimis,
Nunc in caelo iucundaris,
Iunge meritis praeclaris
Nos cum viris optimis.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 6 Honores gentilium. — 3, 2 sed igne. — 3, 4 Qui nunc in.

183. De sancto Bartholomaeo.

1. Gaude, o Bartholomaee,
Quod de populo Iudaeae
Te elegit Dominus,
Gaude, quod daemoniorum
Vim refrenas et eorum
Pandis artem magicam.

2. Gaude, populo sanato
Quod mire templo mundato
Das baptisma ceteris,
Gaude, rege baptizato
Sub fratre eius damnato
Quod tormenta pateris.

3. Gaude, quod excoriatus
Caelos scandis laureatus
Choro apostolico,
Nostros deleat reatus
Tuo rex regum beatus
Supplicatu caelico.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

184. De sancto Bavone.

1. Gaude, mundum quod sprevisti,
Alloyne, miles Christi,
Et Bavo cognomine.

2. Gaude te veste exutum
Mundi et sancto indutum
Monachali habitu.
Gaude, factus vas virtutum,
Quia tenes iter tutum
Paenitens cum gemitu.

3. Gaude, quod resuscitatur
Mortuus et contemplatur
A te crux mirifice.
Gaude quod hostis fugatur,
Angelus te consolatur
In columba caelice.

4. Gaude, sumpto sacramento
Caelum scandis in momento
Post felicem transitum.
Tuae precis fulcimento
Liberemur a tormento,
Rogamus, post obitum.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 2 Aliavine. — 2, 4 vas fehlt.

185. De sancto Benedicto.

1. Gaude, pater monachorum,
Dux et legifer eorum,
Benedicte celebris,
Gaude, pater, coenobitas
Ad virtutes nam invitas
De peccati tenebris.

2. Gaude, quia prophetia
In istius vitae via
Plenus apparueras,
Gaude, nam miraculorm
In conspectu subditorum
Gloria clarueras.

3. Gaude, tu caelestis norma
Et religionis forma,
Cum multa lampade
Regna scandis caelestia,
Nos ad illa tecum iuva
Fracta carnis pyxide.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 2 vitae vita. — 3, 1 tu fehlt. — 3, 3 fehlt eine Silbe.

186. De sancto Benedicto.

1. Gaude, pater monachorum
Benedicte devotorum
Et amice Domini,
Gaude, quod virtute morum
Regulam per mandatorum
Viam monstras homini.

2. Gaude, quod dum declinasti
Homines, consolidasti
Vas fractum mirifice,
Gaude, quia effugasti
Daemones ac suscitasti
Mortuos mirifice.

3. Gaude, quia conspexisti
Animas, quas dilexisti
Caelo ferri caelitus,
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

4. Gaude nunc, amice Dei,
Largitorem requiei
Quod cernis in gloria,
Fac ut vultum Dei mei
Cernam . . . . . .
In caelesti curia.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 6 Vivo monstras.

187. De sancto Bernardo.

1. Gaude, perpetim, Bernardus
Sanctus, nam praedulcis nardus
Matris alvo processit.
Gaude, tu matris ubere
Lactatus Dei munere
Devotionis spiritu.

2. Gaude, quod tua doctrina
Vagabundos a ruina
Reducit melliflua,
Gaude, theotocae digne
Peraccepte capellane,
Divine secretarie.

3. Gaude, coetu beatorum
Cumulum per meritorum
Admixtus es in gloria,
Fac, me tuam nunc ancillam
Vivere sic, ut ad illam
Per te ducar patriam.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4953. — 1, 1 Bernarde. — 1, 2 narde. — Nach 3, 4 hat entweder das Lied eine Dichterin zum Autor, oder dasselbe war für eine Frau gedichtet oder umgedichtet.

188. De sancto Bernardo.

1. Gaude, sancte, quod Bernardus
Diceris, nam es ut nardus
Spirans sanctis moribus,
Gaude, quod per te Gerardus
Est conversus . . . .
Ad Christum cum pluribus.

2. Gaude, quod nascentis Christi
Horam noctis cognovisti
Ostensam miraculo;
Gaude, quod abbas fuisti
Et doctrinis claruisti
Plurimum in populo.

3. Gaude, quia tu sanabas
Infirmitates, curabas,
Quos daemon vexaverat,
Gaude, quia per te Clarae
Vallis Deus exaltare
Voluit in superis.

4. Ubi caeli luminare
Clarum nobis impetrare
Velis tuis meritis.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 3, 2 et curabas.

189. De sancto Blasio.

1. Gaude, Domini athleta,
Blasi, Deum praedicasti
Malis, signa perpetrasti
Ductus in itinere.

2. Gaude, quod viduae datum
Porcum a lupo ablatum
Per te sanum penitus,
Gaude te incarceratum
Et pro fide fustigatum
Plenum dono spiritus.

3. Gaude, martyr factus Christi,
Decollatus quod scandisti
Caelos gaudens iugiter,
Opem fer in mundo tristi
Tuis, quorum meministi
Prece tua dulciter.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 2 Blasi, dum. — 2, 1 donatum. — 2, 4 incarnatum.

190. De sancta Caecila.

1. Gaude, quod ad fidem Christi
Duos fratres convertisti,
O virgo Caecilia,
Gaude, quod tuo pandisti
Sponso, quae tu habuisti
In mente, consilia.

2. Gaude ipsum baptizatum
Tecum esse coronatum
Cum rosarum floribus,
Gaude fidei ad statum
Mox Tiburtium vocatum
Tuis cum sermonibus.

3. Gaude, quia confortasti
Martyres et superasti
Praefectum Almachium,
Gaude, Christum quod amasti,
Cuius fide peroptasti
Corporis martyrium.

4. Gaude, quod in caeli throno
Angelorum dulci sono
Cònfoveris iugiter,
Tu nos ab aeterno bono
Ditari caelesti dono
Fac, virgo, perenniter.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 3, 5 Cuius fide pro optasti; lies: Cuius pro fide?

191. De sancta Christina.

1. Gaude, beata Christina,
Docta caelica doctrina.
Ne servires idolis,
Gaude, quod virtus divina
Salvat igne et ruina
Te combustis subdolis.

2. Gaude, dum mari iactaris
Quod tu mire sustentaris
Angelorum manibus,
Gaude, quod tu baptizaris
A Christo et reportaris
Ab angelo lictoribus.

3. Gaude, quod annihilasti
Idolum et superasti
Praesidem nil metuens,
Gaude, quod Deum laudasti,
Dum in furno ambulasti
Nil ardoris sentiens.

4. Gaude, dum bis sagittaris,
Quia sanctis copularis
Condemnata tertio,
Virgo fulgens signis claris
Caelo iunge Christi caris
Nos purgatos vitio.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 1 in mari. — 2, 2 tu fehlt. — 2, 4 tu fehlt. — 4, 2 Quod sanctis. — 4, 5 Caelo nos iunge.

192. De sancto Christophoro.

1. Gaude, Christum quod portasti
Atque flumen transvadasti
Cum illo, Christophore,
Gaude quod virgam fixisti
Terrae et hanc conspexisti
Florere mirifice.

2. Gaude, virgis flagellaris
Ferreis atque vexaris
Tormentis gravissimis,
Gaude, quod tu sagittatus
Graviter et decollatus
Scandis ad caelestia.

3. Nostros deleat reatus
Per te, martyr, rex beatus
Christus sua gratia.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 1 quod virgis. — 2, 4 tu fehlt; sagittaris. — 3, 5 Gravissime.

193. De sancta Clara.

1. Gaude, sacra virgo Clara
Nata mundo stirpe clara,
Dei plena gratia,
Gaude, sponsa Christi cara,
Quod erant tibi amara
Cuncta mundi gaudia.

2. Gaude sub Francisco duce
Quod tormenta passi cruce
Deplanxisti gravia,
Gaude, quod signorum luce
Fulsisti cordis in nuce
Servata munditia.

3. Gaude, quod vocem audisti
Sacramento Iesu Christi
Ad tua subsidia,
Gaude, Christo visitata
Cum eius matre beata
Scandis ad caelestia.

4. Nunc in caelo collocata,
Sequens agnum prece grata
Nostra dele vitia.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 3, 2 In sacramento. — 3, 4 a Christo.

194. De sancto Clemente.

1. Gaude, Clemens, praesul Christi,
Qui per Petrum invenisti
Parentes mirifice,
Gaude, sancte dum vixisti,
Arcem tu promeruisti
Sedis apostolicae.

2. Gaude, quod visum dedisti
Et auditum, ut petisti
Dominum, Sisinnio,
Gaude, quod hunc convertisti
Cum trecentis, quos iunxisti
Domini collegio.

3. Gaude, quod cunctis placebas
Et scripta tecum tenebas
Congruorum nomina,
Gaude, dum exsul manebas,
Inter saxa obtinebas
A Deo fontis flumina.

4. Gaude, quod tuo honore
Factum est Deo structore
Mire templum aequore.
Qui gaudes cum salvatore,
Salva nos draconis ore
In extremo tempore.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 5 tu fehlt. — 3, 5 Inter sancta quod obtinebas. — 3, 4 A Deo fontem; flumina fehlt. — 4, 4 O Clemens qui gaudes. — 4, 5 nos a draconis.

195. De sancto Cornelio.

1. Gaude, sacer praesul Christi,
Quem tu semper dilexisti,
Corneli magnifice,
Gaude, sancte tu vixisti,
Quod culmen promeruisti
Sedis apostolicae.

2. Gaude, quod pro fide Christi
Cum tuo clero fuisti
Missus in exsilium,
Gaude, quod sustinuisti
Diram mortem, dum sprevisti
Iudicis imperium.

3. Gaude, pontifex beate,
Nunc cum sanctis coronate
In caelesti gaudio,
Tu nos fac ex caritate
In caeli suavitate
Laetari de praemio.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

196. De ss. Cosma et Damiano.

1. Gaudetote, sancti plane
[O] Cosma et Damiane,
Esse fratres geminos,
Gaudetote, quod humanae,
Turbae bestiaeque sanae
Erant per vos medicos.

2. Gaudetote, quod dabatis
Deo vos et spernebatis
Mundi transitoria,
Gaudetote liberari
Vos de igne et de mari
Atque de eculeo.

3. Gaudetote lapidari
Caedique et sagittari,
Sed laedi nullomodo,
Gaudetote decollari
Insimulque tumulari
In una ecclesia.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

197. De sancto Donatiano.

1. Gaude, lux Donatiane,
Pater sancte, fulgens mane
Conceptus miraculo.
2. Gaude, tollens zelum patris
Nonus fratrum partu matris
Mirando spectaculo.
3. Gaude, triduo submersus
Vivus manens nec immersus
Aquae sub umbraculo.
4. Gaude, caelo nunc donatus,
Regis regum sublimatus
Summo tabernaculo.
5. Pie pater, te rogamus,
Tua prece gaudeamus
Tecum habitaculo.

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28.

198. De sancto Dominico.

1. Gaude, plenus caritate,
Vitae nitens puritate,
Confessor Dominice,
Gaude, quod ex potestate
Imbrem repulisti a te
Per crucem mirifice.
2. Gaude, quod virtute Christi
Inimicos convertisti
Fidei catholicae,
Gaude, quia, cum vidisti
Inter missam corpus Christi,
Raptus eras mystice.
3. Gaude, quia effugasti
Daemones et suscitasti
Mortuos magnifice,
Gaude, quia cum beatis
Regem cernis maiestatis,
Doctor apostolice.
4. Nos supernae maiestatis
Per amorem caritatis
Fac heredes caelice.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

199. De sancto Francisco.

1. Gaude, fulgens Christi signis,
Francisce pater, insignis
Plagis salutiferis,
Gaude, tibi quod illatus
Cordis amor rupit latus
Instar Christi lateris.
2. Gaude, quia dextram manum
Signat non opus humanum,
Plaga, signum foederis,
Gaude, sauciatus laeva,
Qua labentes, pater, leva
Nos de lapsu sceleris.
3. Gaude, quod in via moris
Crucifixum vi amoris
Dextro pede sequeris,
Gaude, quod pedem secundum
Christus sigillat secundum
Formam sui vulneris.
4. Ergo, miles summi ducis,
Arma ferens, hic caducis
Opem feras posteris,
Et tu Christo sic conformis
Plagis et virtutum formis
Nos conforma superis.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

200. De sancta Genovefa.

1. Gaude, sponsa Christi cara,
Genovefa signis clara
Et virtutum gratia,
Gaude, quod in cordis ara
Cuncta mundi ut amara
Sprevisti solacia.

2. Gaude, Christo dedicata,
Per Germanum confortata
Verbis saluberrime,
Gaude, quod tua caecata
Mater est illuminata,
Dum fleres uberrime.

3. Gaude, quod aegros sanasti
Et vexatos liberasti
Nequam a daemoniis,
Gaude nunc, Parisiensis
Virgo, quod caelis immensis
Exsultas tripudiis.

4. Ablatis culpae offensis
Muneremur caeli censis
Per te atque gaudiis.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. Cod. Leodien. 395. — 2, 3 saluberrimis. — 3, 3 daemonio.

201. De sancto Gregorio.

1. Gaude te esse vocatum,
Gregori, ad praesulatum
Urbis Romae caelice,
Gaude Traianum damnatum
Per te esse liberatum
A poenis mirifice.

2. Gaude, quia coram gente
Corpus Christi te petente
Fit carneum protinus,
Gaude, quia te studente
Organum devota mente
Eras sancti spiritus.

3. Gaude, quod caelestis chori,
Magne doctor o Gregori,
Consors es perenniter,
Tu nos, cum debemus mori,
Visita et redemptori
Commenda benigniter.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 4 sq. Christi fit carneum te petente; protinus fehlt. — 3, 1 Gaude quia.

202. De sancto Guillelmo.

1. Gaude, flos inter lilia,
Cuius radix est Francia,
Per quem refulget Tuscia,
Guillelme eremicola.

2. Gaude, in Aquitania
Dux, comes in Pictavia,
Castra, villas, dominia
Habebas multiplicia.

3. Gaude, quod haec omnia
Sprevisti velut vilia,
Sceptra nolens regalia
Iure paterno tradita.

4. Gaude, patrum consortia
Sanctorum devotissima
Imitaris, palatia
Sic captans spiritalia.

5. Gaude, Maria medica
Tua curavit vulnera
Inflicta per daemonia,
Dum te trahunt ex cellula.

6. Gaude, pro paenitentia
Quod loricam cum galea
Vitae tuae curricula
Portasti per continua.

7. Gaude, quia ad bravia
Pervenisti caelestia,
Ubi frueris gloria
Per sempiterna saecula.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod Leodien. 395. — 2, 4 Habens. — 4, 1 Gaude, quod patrum. — 5, 1 quod Maria medica. — 7. 1 quod ad. — 7, 2 caelica. — 7. 4 aeterna.

203. De sancto Hieronymo.

1. Gaude, cuius virtus morum
Est exemplar electorum
Vivendi, Hieronyme,
Gaude, speculum doctorum,
Quod fraudes haereticorum
Confutasti optime.

2. Gaude, quod per te scriptura,
Quae Iudaeis est obscura.
Fit Latinis pervia,
Gaude. quod leo sanatus
Dorso defert oneratus
Ad te ligna nemore.

3. Gaude, cantus elevatus
Angelorum quod purgatus
Audis vivens corpore,
Gaude, sacer cardinalis,
Qui fultus virtutum alis
Caelis laetus veheris.

4. Exutos fac mundi malis
Pasci paradisi malis
Nos cum Dei liberis.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 4, 1 mundi malis fac pasci.

204. De sancto Huberto.

1. Gaude, praesul o Huberte,
Crucifixum videns certe
Inter cervi spinulam,
Gaude, comes palatinus
Eras, quando Ebroinus
Opprimebat Franciam.

2. Gaude hanc deseruisti,
Ferre quia noluisti
Illius nequitiam,
Gaude, quia perrexisti
Ad Lambertum et vixisti
Iuxta sua monita.

3. Gaude hinc transalpinasti,
Loca sacra visitasti
Effundens precamina:
Gaude, illic subrogaris
Et a papa sublimaris
Lamberti regimine.

4. Gaude, Romae consecraris
Et, dum vestibus ornaris,
Stola fertur numine.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 1 quod hanc. — 3, 1 quod hinc. — 3. 4 quod illic. — 4, 1 quod Romae.

205. De sancto Iacobo.

1. Gaude, ad apostolatum,
Magne Iacobe, vocatum
Te divina gratia,
Gaude, fili Zebedaei,
Nepos almae matris Dei,
Fervens vita caelibe.

2. Gaude, quod mire Philetum
Per te reddis Christo laetum
Signis coruscantibus,
Persequentem te Iosiam
Convertisti ad Messiam
Divino iuvamine.

3. Gaude, Christo valde grate,
Sub Herode decollate
Fidei certamine,
Gaude tuum hinc translatum
Corpus post et honoratum
Signis in Hispaniam.

4. Gaude, spes peregrinorum,
Vera salus viatorum,
Dux itinerantium,
Honor, decus Hispanorum,
Liberator et cunctorum
Tibi famulantium.

5. Qui post te peregrinamur,
Fac, ut tecum perfruamur
Lucis plenitudine.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 4 felix Zebedei.

206. De ss. Innocentibus.

1. Gaude, turba innocentum,
Quod iniuste fers tormentum
Sub Herode impio,
Gaude, necis nocumentum
Quod tibi vitae augmentum
Dat caeli palatio.

2. Gaude, turba virginalis,
Liberata cunctis malis,
Quod caelis tripudias,
Gaude, quia vindicatur
Tua mors et condemnatur
Herodes pro scelere.

3. Gaude, caelo agnum Dei
Sequens, cuius faciei
Lucem cernis iugiter,
Dele culpas huius rei,
Ut sanctorum aciei
Coniungar feliciter.

Orationale ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 5 argumentum. — 1, 6 Dat in caeli.

207. De s. Iohanne Baptista.

1. Gaude te priusquam natum
Fuisse praenuntiatum,
Iohannes, divinitus,
Gaude, quod tu maior vatum
Dei patris sentis natum
Matris alvo positus.

2. Gaude, quia baptizatur
A te Christus et monstratur
Emundator criminum,
Gaude, quod de te testatur,
Quod non maior oriatur
Inter natos hominum.

3. Gaude, martyr et lucerna
Mundi, regnans in superna
Iucundaris curia,
Fac, ut vivat tuus verna
Sic, ut illic sempiterna
Perfruatur gloria.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001.

208. De s. Iohanne Baptista.

1. Gaude, Iohannes Baptista,
Qui in maternali cista
Sanctus exstitisti,
Gaude, Dei organista,
Qui non ut falsus sophista
Christum ostendisti.

2. Gaude, caelestis iurista,
Qui summae legis legista
Fieri meruisti,
Gaude, certus agonista,
Qui verus evangelista
Cuncta reliquisti.

3. Gaude, sanctitatis sacrista,
Qui super omnes via ista
Virtutibus effulsisti.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 3000. B. — Orat. ms. Cistercien. Angelic. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 548. C. — 1, 2 materna cista A. — 1, 3 Sanctus vere BC. — 1, 5 Qui non es falsus B. — 2, 2 ut summae ABC. — 3, 5 ut verus AC. — 3, 2 super omnes in via ista ABC. Hierauf folgt, als Antiphon bezeichnet (B) oder als Versus (C):

Tu nos a sceleribus solve, Iesu Christe,
Praecursoris precibus Iohannis Baptistae.

209. De s. Iohanne Baptista.

1. Gaude, Iohannes propheta,
Christi praeco et athleta,
Legis consummatio,
Gaude te praenuntiatum
Patri atque fore natum
Sterili ab utero.

2. Gaude patrem non credentem,
Sed tuo scripto loquentem
Beato vocabulo,
Gaude, quia sentiebas
Christum clausus et gaudebas
Ventris in ergastulo.

3. Gaude, quod praenuntiasti
Christum et hunc baptizasti
In Iordanis fluvio,
Gaude, maior te surrexit
Nullus, quem Deus dilexit
Christi testimonio.

4. Gaude, sancte martyr Christi,
Quod cum sanctis meruisti
Frui caeli gaudio;
Nobis impetra, patrone,
Ut in caeli regione
Laetemur de praemio.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395 A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 3063—4. B. — 1, 4 praenuntiante A. — 2, 2 narrentem B. — 3, 5 Unus inquit, quem dilexit B.

210. De s. Iohanne Evangelista.

1. Gaude, pater, via morum,
Felix evangeliorum,
Sidus fulgens radio;
Gaude, quia voce Christi
Virgo florens permansisti
Tractus de conubio.

2. Gaude, quia plenioris
Secretorum et amoris
Splendes privilegio,
Gaude florem virginalem
Tibi matrem specialem
Comittente filio.

3. Gaude, martyr ex agone
Sine mortis passione
Translatus in gaudio,
Ubi pater coaeternus
Nos perducat, rex supernus,
Tui patrocinio.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Sloane 2683. A. — Horae ad usum Sarum saec. 15. Cod. Londinen. Stowe 594. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211. C. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 3000. D. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Coll. ss. Trinitatis Oxonien. 13. E. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 10776. F. — Orat. ms. Cistercien. Anglic. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 548. G. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Parmen. GG I 124. H.

211. De s. Iohanne Evangelista.

1. Gaude, nate Zebedaei
Et cognate nostrae spei,
Regis regni gloriae,
Gaude, virgo praeelecte,
Inter fratres plus dilecte,
O piae memoriae.

2. Gaude, gaude, care Christi,
Supra pectus meruisti
Domini recumbere,
Gaude, cui commendavit
Christus matrem, dum sudavit
Gravi laesus vulnere.

3. Gaude, dire balneatus,
Et adplaude toxicatus
Mirandae victoriae,
Manna fluis iam humatus
Et laetaris coronatus
Civis caeli curiae.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2445.

212. De sancta Iuliana.

1. Gaude, virgo Iuliana,
Quae sprevisti mundi vana
Malaque conubia,
Gaude, dire flagellata
Nec tormentis superata,
Clauderis in carcere.

2. Gaude, daemone temptata,
Quod vicisti confortata
Voce sed ab aethere,
Gaude, rota comminuta
Es saluti restituta
Angeli potentia.

3. Gaude, flamine imbuta,
Sed non poenis destituta
Perstas in constantia,
Gaude, ferro dum mactaris,
In caelestis collocaris
Dignitatis culmine.

4. Virgo iuncta Christi caris,
Defende a poenis amaris
Nos tuo precamine.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 1 a daemone. — 2, 4 quod rota. — 4, 2 sq. Defende nos a poenis amaris tuo precamine.

213. De sancta Katharina.

1. Gaude, dulcis Katharina,
Virgo martyr et regina,
Fulgens sub Maxentio;
Gaude, vincens per virtutem
Sapientes, quos salutem
Docet tua ratio.

2. Gaude, quae ducem, reginam
Convertis rotae ruinam
Frangens Dei munimine;
Gaude, virgis lacerata
Et post preces decollata
Fundens lac pro sanguine.

3. Gaude, Sina quae portaris,
Ubi iugi veneraris
Olei propagine;
O beata post Mariam,
Nobis piam para viam,
Ne labamur crimine.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. 2, 2 Convertisti.

214. De sancta Katharina.

1. Gaude, virgo sponsa Christi,
Quae videre meruisti
Vivens Dei filium,
Gaude, quia convicisti
Sapientes, quos traxisti
Tecum ad martyrium.

2. Gaude, flos virginitatis,
Quae in signum castitatis
Lac fundis purissimum.
Gaude, quia sanctitatis
Liquor manat, qui dat gratis
Salutis remedium.

3. Gaude, virgo Deo plena,
Nam rotarum fracta poena
Non sentis martyrium,
Gaude, quia vox amoena
Caeli patuit serena
Ad tui suffragium.

4. Gaude, virgo et athleta,
Post tormenta transis laeta
Ad caeli palatium,
Ubi fac, ut tecum stantes
Collaudemus iubilantes,
Quem cernis in saeculum.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n.

215. De sancta Katharina.

1. Gaude, virgo Katharina,
Quae reginam a ruina
Praedicando converteras,
Gaude, quia clariores
Huius mundi oratores
Disputanto superas.

2. Gaude, quia diras rotas
Morti tuae praeparatas
Exorando dissipas,
Gaude, quia moriendo
Pro cruore lac fundendo
Populum laetificas.

3. Gaude, quia sepulturae
Corpus tuum tenet iure
Montis Sina summitas.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — Auf die obigen Strophen folgt noch:

4. Gaude, rivis olei
Languidos sanando,
Qui de membris prodeunt
Iugiter manando.

5. Gaude, virgo regia,
Regem contemplando,
Preces tuas sustine
Sibi praesentando.

6. Ut pro tua nomine
Nobis miseretur,
Omnis tibi famulans
Tecum coronetur.

216. De sancta Katharina.

1. Gaude, virgo Katharina,
Qua doctores lex divina
Traxit ab erroribus,
Gaude, pro qua tenebrosus
Carcer fuit luminosus
Fraglans ex odoribus.

2. Gaude, convertens reginam
Cernens rotarum ruinam
Plebis in discrimine,
Gaude, tu, quae flagellaris
Et post pauca decollaris,
Fundens lac pro sanguine.

3. Gaude, Sina quod portaris,
Ubi iuge veneraris
Olei propagine,
O beata, post Mariam
Posce nobis caeli viam
In supremo culmine.

4. Esto nobis advocata
Apud Deum, virgo grata,
In nostro certamine.

Orat. ms. Cisterc. Anglic. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 548. — 1, 6 Flagrans. — 3, 1 Sinai.

217. De sancta Katharina.

1. Gaude, virgo Katharina,
Quam refecit lux divina
Ter quaternis noctibus,
Gaude, quod tua doctrina
Philosophos a ruina
Traxit et erroribus.

2. Gaude, quia meruisti
Confortari voce Christi,
Post preces divinitus,
Gaude, quia convertisti
Sponsam regis et vidisti
Rotas fractas caelitus.

3. Gaude, sertis coronata
Et in Sina venerata
Olei stillamine,
Esto nobis advocata
Apud Christum, virgo grata,
In nostro certamine.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. saec. 15. A. Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. C. — Cod. Ducumburgen. 84. saec. 15. D. — Cod. Sitanstetten. s. n. saec. 15. E. — Orat. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14940. F. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. G. — Officium B. M. V. sec. consuet. Romanae curiae imp. Venetits 1545. H. — 1, 2 refulsit ABC. — 1, 6 Traxisti erroribus H. — 2, 3—6 fehlen D. — 3, 1 serto DEF.

218. De sancto Lamberto.

1. Gaude, pontifex Lamberte,
Christum diligens aperte
Et occulte pariter,
Gaude, Leodium per te
Honoratur Christo certe
Tuis signis dulciter.

2. Gaude, servans castitatem,
Mundi spernis vanitatem
Et eius delicias,
Gaude, praesul consecratus,
Firmus perstat regni status,
Dum astas consilio.

3. Gaude, post haec exsulatus
Per malorum es conatus
Iniusto iudicio,
Gaude, nam dum arguisti
Regem, occisus scandisti
Martyr caeli culmina.

4. Nobis, o amator Christi,
Opem fer in morte tristi
Cuncta delens crimina.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

219. De sancto Livino.

1. Gaude, martyr, flos Livine,
Per quem pullulant divine
Miracula saeculo,
Gaude, archipraesul Christi,
Consecratus qui fuisti
In materno utero.

2. Gaude, pater, qui curasti
Mox leprosum, dum intrasti
Domum cum collegio.
Gaude, qui tuam nutricem
Liberasti infelicem
Ab hostis consortio.

3. Gaude, cui praesignavit
Christus mortem, cum oravit
Noctis in crepusculo,
Ergo martyr nos praeclare
Prece tua tueare
Ab aeterno taedio.

4. Facque Christum nos amare,
Ut dignemur iubilare
In perenni gaudio.

Orat. ms. Harlemense saec. 15. Cod. Treviren. 493. A. — Orat. ms. Corssendoncanum saec. 15. Cod. Leodien. 397. B. — 1, 3 Mira multa saeculo B.

220. De sancto Marco.

1. Gaude, Marce, praesul grate
Alexandriae, decorate
Leonina facie,
Gaude, scriptor ordinate
Vitae Christi . . .
. . . plenus gratiae.

2. Gaude, quod per te sanatus
Fuit sutor vulneratus
Manu ferri acie,
Gaude, quia convertisti
Plurimos ad fidem Christi
Verbis sapientiae.

3. Gaude dire tormentatum
Te scandisse caeli pratum
Martyrum in acie,
Fac me vitiis purgatum
Contemplari Dei natum
In divina specie.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 1 grate fehlt. — 3, 3 Martyr.

221. De sancta Margareta.

1. Gaude, virgo gloriosa,
Margareta pretiosa,
Rubricata sanguine,
Gaude, quae praefecti spreto
Voto malo corde laeto
Gaudes Christi nomine.

2. Gaude, quae incarcerata
Daemonem es contemplata
In draconis specie,
Gaude, quod eum fugasti
Pede sanctoque calcasti
Verticem malitiae.

3. Gaude, demum tormentata
Igne, aqua, decollata
Cum palma victoriae,
Fac fieri. virgo pia,
Qui te colunt in hac via,
Cives regni gloriae.

Horae sec. usum Sarum saec. 15. Cod. Lond. Stowe 594. — Clm. Monacen. 5021. saec. $^{16}/_{17}$. B. — 1, 3 praefecto B. — 1, 6 Gaudens A. — 2, 6 Feritatem bestiae B. — 3, 1 tunc demum tormenta A. — 3, 4 Fac nos fieri A.

222. De sancta Margareta.

1. Gaude, virgo Margareta,
Quae nutricis gregem laeta
Minabas ad pascua;
Gaude, pompa mundi spreta
Fide fortis ut athleta,
Vernans pudicitia.

2. Gaude, quae incarcerata,
Crucis signo consignata,
Triumphas de bellua;
Gaude, virgis flagellata,
Per columbam confortata
Ducis spernens aspera.

3. Gaude, prece quae laetaris,
Cum pro Christo decollaris
Summa tenens gaudia,
Ora virgo nunc beata,
Vox ut Deo nostro grata
Tradatur in patria.

Orat. ms. Cantuariense saec. 15. Cod. Londinen. Arundel 318. A. — Horae ad usum Sarum saec. 15. Cod. Londinen. Sloane 2683. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211. C. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 10776. D. — Orat. ms. Cistercien. Anglic. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 458. E. — Cod. Parisin. 11343. saec. 15. F. — 1, 4 mundi pompa F. — 1, 5 Fidis A. — 2, 3 Triumphans A. — 2, 6 Duces B. — 3, 4 sqq. fehlen CF. — 3, 4 Vox de Deo D; Ut vox nostra Deo E.

223. De s. Maria Magdalena.

1. Gaude, Christi quae lavisti
Pedes crineque tersisti,
Magdalena Maria,
Gaude, multum quod amasti,
Culpis solvi impetrasti
Ad Christi vestigia.

2. Gaude Christo resurgente,
Tibi primum apparente
Corporis praesentia,
Gaude, quae vocaris sola
Apostolorum apostola
Singulari gratia.

3. Gaude, caelo sublimata,
Quae a Christo es dotata
Sempiterna gloria,
Te laudantem servum istum
Tua prece apud Christum
Clementer reconcilia.

Orat. ms. Ambergense anni 1476. Clm. Monacen. 2990. A. — Orat. ms. Brugense saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. B. — Orat. ms. Sangallense 520. anni 1436. C. — 1, 4 Gaude Christum quem B. — 1, 5 Culpas B. — 3, 4 sqq. lauten in B:

Fac nos ita paenitere,
Ut post mortem lucis verae
Sortiamur gaudium.

224. De sancto Martino.

1. Gaude, pontifex Martine,
Quia maiestati trinae
Placuisti optime,
Gaude, quod Christum vidisti
Vestitum, qua induisti
Nudum, tua chlamyde.

2. Gaude, quia curavisti
Morbidos et destruxisti
Templa plebis perfidae,
Gaude, quod per meritorum
Precem trium mortuorum
Suscitasti corpora.

3. Gaude, quod Christi sanctorum
Consors es apostolorum,
Gregis Dei ancora,
Gaude, semper gavisurus,
Cum Christo iudex venturus
In die iudicii.

4. O Martine, mente purus,
Fac, ut Deum sim visurus
Angelum consilii.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 1 Gaude, quod curasti. — 3, 2 Consors es et apostolorum.

225. De sancto Matthia.

1. Gaude, quod scandis amoenum
Sorte thronum duodenum,
Matthia, feliciter,
Gaude te virtute plenum
Sprevisse omne terrenum
Propter Christum dulciter.

2. Gaude daemones fugatos,
Leprosos morbo sanatos
Esse per te caelice,
Gaude per te suscitatos
Mortuos, gressu firmatos
Et claudos mirifice.

3. Gaude, quod lumen dedisti
Caecis et virus bibisti
Nihil mali sentiens,
Gaude, quod ad fidem Christi
Signis multos convertisti
Mala pie patiens.

4. Gaude, quod caesum securi
Ferunt angeli te puri
Choro apostolico,
Fac ut semper gavisuri
Simus cum sanctis securi
Et cum rege caelico.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

226. De sancto Maurilio.

1. Gaude, pontifex Maurili,
Serviens Deo virili
Corde plenus gratia.

2. Gaude, dum es consecratus
Praesul, aderat beatus
Chorus poli caelitus.

3. Gaude mire suscitatum
Septennem et baptizatum
Esse per te puerum.

4. Gaude, fulgens signis claris,
Quod cum Deo iucundaris
In sorte pontificum.

5. Fac iungamur Christi caris
Eruti poenis amaris
Intra chorum caelicum.

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. add. saec. 15/16.

227. De sancto Mauritio.

1. Gaude, Thebaea legio,
Dotata privilegio
Caelicolum militum,
Hi sunt milites strenui,
Qui meruerunt imbui
A beato praesule.

2. Gaude, Thebaea contio,
Sacro duce Mauritio
Armata transalpasti,
Qui iussu Maximiani
Firmo corde non inani
In Agauno substitisti.

3. Gaude, nam imperatori
Idolorum zelatori
Parere reluctasti,
Dum diis sacrificare
Te conaretur artare
Cum tota legione.

4. Gaude, miles, vir inclite,
Qui pro Christo sine lite
Collum ferro submisisti,
Dum a regente tyranno
Rem Romanam illo anno
Iuberis decollari.

5. Gaude, qui commilitones
Ad sacrificium omnes
Venire properasti,
Dum tortore assistente
Altercarentur, quis ante
Capite truncaretur.

6. Ho, ho, martyres Thebaei,
Precibus possimus vehi
Vestris ad caelestia,
Cum angelis caelestibus
Et cum Christi militibus
Summo bono perfrui.

Cod. Agaunen. 28. saec. 17. — 2, 6 subsisti. — 4, 3 submisti.

228. De sancto Mauro.

1. Gaude, Maure, spernens mundum
Benedicti per cor mundum
Sub districta regula,
Gaude, semper tenens fundum
Humilitatis profundum,
Sanctae vitae formula.

2. Gaude, quia cucurristi
Super aquas et traxisti,
Ne periret, puerum,
Gaude, quod hostem vicisti
Illudentem, ut petisti,
Monachum sed miserum.

3. Gaude, quod resuscitasti
Mortuum et liberasti
Homines languoribus,
Gaude, quia effugasti
Daemones et condonasti
Culpam detractoribus.

4. Gaude nunc in regno Dei
Cum Benedicto fidei
Et virtutum speculo,
Ancoram beatae spei
Praebe, pater, memor mei
Semper in hoc saeculo.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 2, 4 hostem vidisti. — 3, 3 a languoribus.

229. De sancto Michaele.

1. Gaude, princeps supernorum
Michael archangelorum
Dei providentia,
Gaude, ductor animarum
Ad paradisum salvandarum
Summa Dei clementia.

2. Gaude, quia devicisti
Draconem et deiecisti
De caelis ad infera,
Gaude, quia sic certasti,
Dum luciferum superasti
Potentia salutifera.

3. Gaude, quia militia
Centena et plurima
Agmina caelorum,
Gaude, quia tecum cantant
Laudem Dei et exsultant
In speculo beatorum.

4. Fac ergo nos collaudare
Tecum semper et regnare
Per saecula saeculorum.

Horae sec. usum Sarum saec. 15. Cod. Londinen. Sloane 2683. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Oxonien. 13. B. — Orat. ms. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Bruxellen. 10812—16. C. — 2, 2 Et draconem BC. — 2, 4—6 fehlen B. — 2, 5 Dum infernum C. — 3, 2 et pluria B. — 3, 4 quia fehlt C. — In 3, 6 fehlt A; Consortio beatorum B. — 4, 1 Fac nos ergo collaudare C, Fac nos, oro, te laudare B.

230. De sancto Nicolao.

1. Gaude fuisse promotum,
Nicolae, te devotum
Ad sedem pontificum,
Gaude, gemma sacerdotum,
Qui illustras orbem totum,
Verum lumen caelicum.

2. Gaude, quod apparuisti
Et ut praesens tribuisti
Opem naufragantibus,
Gaude, quia terruisti
Caesarem et adfuisti
Ad te suspirantibus.

3. Gaude, quia augmentasti
Triticum et liberasti
Plebem ab inedia,
Gaude, quod te praesentasti
Nautis, quibus ostentasti
Daemonis consilia.

4. Gaude, quia morbos sanat
Sacer liquor, qui emanat
Nunc de tuo corpore,
Tu defende qui te amat
Populum et ad te clamat
Ex devoto pectore.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

231. De sancto Paulo.

1. Gaude, vas electionis,
Paule, fons dilectionis
Et templum munditiae,
Gaude, arcana audisti
Dum raptus [mente] fuisti
Paradisi gaudiis.

2. Gaude, Paule, lumen plebis,
Dux et doctor novae legis,
Dum Christum recte praedicas,
Gaude, Paule, consors Petri.
Romam tandem tu venisti,
Simonem magum superas.

3. Gaude, quod [de te] manavit
Pro cruore lac, dum stravit
Nero te crudeliter,
Gaude, serto coronatus,
Trino [exstans] nunc beatus
Devotos tibi adiuva.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

232. In Conversione s. Pauli.

1. Gaude, Paule vas electum
Christi voceque correptum:
Saule, quid me persequeris?
Gaude, solo te prostratum,
Ab errore revocatum
Ad viam clementiae.

2. Gaude, quia crucis Christi
Imitator exstitisti
Amore iustitiae,
Gaude, quod ad caeli thronum
Raptus accepisti donum
Caeli sapientiae.

3. Gaude, doctor veritatis,
Verum lumen sanctitatis,
Praedicator gratiae,
Gaude, quod signis fulsisti,
Quibus gentes convertisti
Ad fidem ecclesiae.

4. Gaude, quia duodenem
Thronum possides amoenum
In regno laetitiae.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

233. De sancto Paulo.

1. Gaude, Paule, vas electum
Christi voceque correptum:
Saule, quid me persequeris?
Gaude, Paule, quod audisti
Arcana, dum raptus fuisti
In paradisi gaudiis.

2. Gaude, Paule, lumen plebis,
Dux et doctor novae legis,
Dum Christum recte praedicas,
Gaude, Paule, consors Petri,
Romam tandem dum venisti,
Simonem magum superas.

3. Gaude, Paule, virgo Christi,
Totum mundum docuisti
Migrans pro Christo fortiter,
Gaude, Paule, qui certasti
Pugnam bonam et servasti
Fidem rectam firmiter.

4. Gaude, Paule, quod manavit
Pro cruore lac, dum stravit
Nero te crudeliter;
Gaude, Paule, coronatus
Serto terno nunc beatus,
Devotos tibi adiuva.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7.

234. De sancto Petro.

1. Gaude, Petre, fundamentum,
Princeps, pastor, ornamentum
Tu plebis catholicae,
Gaude, quia dilexisti
Christum, quem tu conspexisti
Transformatum caelice.

2. Gaude, quia dono Christi
Claves regni accepisti
Caelorum mirifice,
Gaude, quod es absolutus
Carcere atque secutus
Angelum deifice.

3. Gaude, quia baptizasti
Plurimos atque sanasti
Languidos magnifice,
Gaude, quia vultum Dei
Cernis fontem requiei,
Princeps apostolice.

4. O apostole beate,
Tu Petre, iunge sacratae
Turbae nos angelicae

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 2 pastorum.

235. De ss. Philippo et Iacobo.

1. Gaudete, luces divinae,
Iacobe, Philippe, binae,
Olivae fructiferae,
Gaudete, vestrae doctrinae
Multos a casu ruinae
Salvabant mortiferae.

2. Gaude, Philippe beate,
Quod sanasti potestate
Languores credentium,
Gaude, plenus caritate
Quod erecta crux est a te
In fanis gentilium.

3. Gaude, quod iustus vocaris,
Iacobe, et praesularis
Primus Ierosolymis,
Gaude, quia Christi caris
Iudaeos coniungis claris
Exemplis sanctissimis.

4. Gaudete, nam unus cruce
Caelos scandit Christo duce,
Alter caesus pertica,
Nos defensos hoste truce,
O apostoli, in luce
Collocate caelica.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 1, 1 lucis. — 1, 2 et Philippe. — 2, 1 Philippe doctor. — 2, 5 Quod multos.

236. De sancto Quintino.

1. Gaude, martyr o Quintine,
Luce gratiae divinae
Fulgens mirabiliter,
Gaude signis, vi doctrinae
Te gentes casu ruinae
Salvasse feliciter.

2. Gaude, quod amore Christi
Poenas graves pertulisti
Iesum corde gestiens,
Gaude, de caelo vocatus
Polum scandis decollatus
In columbae specie.

3. Per te nobis det placatus,
Alme martyr, rex beatus
Christus lumen gratiae.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

237. De sancto Remigio.

1. Gaude, Remigi, Francorum
Praesul, cuius virtus morum
Ante ortum panditur,
Gaude, quod raptus e cella
Ad pontificatus bella
Exstas pastor populi.

2. Gaude, quod urbem salvasti
Ab igne et caeco donasti
Lumen sacris precibus,
Gaude, quia suscitasti
Mortuam et liberasti
Homines a daemonibus.

3. Gaude, felix triumphator,
Cuius est remunerator
In caelo rex gloriae,
Mihi per te sit salvator
Caeli gloriae collator
Et hic dator gratiae.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

238. De sancto Severino.

1. Gaude, sacer Severine,
Pie praesul Agrippinae,
Huic urbi date caelitus,
Gaude, doctor christiane,
Extirpator Arianae
Perfidiae radicitus.

2. Gaude felix contemplator,
Martini factus speculator,
Dum poli petit ardua,
Gaude, plebis defensator,
Oppressorum consolator,
Potentum terens cornua.

3. Gaude, qui post vitae cursum
Scandens plenus bonis sursum
Caelorum ad sublimia,
Gaude, tibi dona manent,
Fruges vitae aegros sanent,
Da tuis beneficia.

4. Eia pastor nos praeclare
Sic iuvare nunc dignare,
Sequamur ut caelestia.

Orat. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 1. — 3, 4 Grates tibi donis manens. — 3, 5 vites aegros sanans. — 4, 3 ad caelestia.

239. De sancto Silvestro.

1. Gaude, Silvester beate,
Vitae nitens puritate
Et virtutum copiis,
Gaude, fervens caritate,
Dum in hospitalitate
Servis et obsequiis.

2. Gaude, Domini dilecte,
A plebe pastor electe
Sedi apostolicae,
Gaude, dum doces perfecte,
Iudaeos adiungis recte
Fidei catholicae.

3. Gaude, a te baptizatur
Et a lepra emundatur
Constantinus pariter,
Gaude, quod filo ligatur
[Per te draco] et signatur
Cruce mirabiliter.

4. Fac, ut spernam vitiorum
Virus, scandam et sanctorum
Per te chorum caelicum.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. Cod. Leodien. 395. — 3, 1 Gaude, quod a te. — 3, 4 Gaude, quod per te.

240. De ss. Simone et Thaddaeo.

1. Gaudete, electi a Deo,
Simon cum Iuda Thaddaeo,
In Christi discipulos,
Gaudete, praedicatores,
Per quos gaudent peccatores
Conversi ad Dominum.

2. Gaudete per vestros mores
Pacem dari, non terrores
Infra mundi terminum,
Gaudete per vos delusos
Magos mire et confusos,
Afflictos doloribus.

3. Gaudete, nunc coronati,
O apostoli beati,
Caelo per martyrium,
Nodis soluti peccati
Caelo laetemur locati
Per vestrum suffragium.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

241. De sancto Thoma.

1. Gaude, Domini palpator
Vulnerumque contemplator,
Felix Thoma Didyme,
Gaude, quod pro te salvator
Fidei remunerator
Gentibus fit optime.

2. Gaude, dum aurum dedisti
Egenis, regi fecisti
Domum in caeli gaudio.
Gaude, quod tibi subegit
Deus hostem, qui confregit
Tuo iussu idolum.

3. Gaude, fulgens signis claris,
Quod in caelis iucundaris
Mortem ferens lancea,
Nos coniunge Christi caris,
Qui apostolus vocaris
Salvans ignis framea.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. Cod. Leodien. 395. — 2, 1 Gaude quod dum. — 3, 2 Que in caelis.

242. De sancta Ursula.

1. Gaude, chorus virginalis,
Sanctae Ursulae sub alis
Qui Deo tripudias,
Gaude, sponsus immortalis
Quod redemit te a malis,
Cui reddis gratias.

2. Gaude, o turba decora,
Fidei complectens lora
Ursulae coniungeris,
Gaude, tibi sociatum
Sanctum papam et collatum
Pium regem Angliae.

3. Gaude gregem tibi datum
Contemnentem iter latum
Mundialis gloriae,
Gaude, dire trucidata
Pro fide et coronata
Caelo, felix contio.

4. Tua Deo prece grata
Nobis caelis sit donata
Tecum contemplatio.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 385.

243. De sancto Vincentio.

1. Gaude, victor o Vincenti,
Flagrans amore ingenti,
Christi vincis omine,
Gaude, quod corde ferventi
Acri genus fers tormenti
Constans patientia.

2. Gaude membris dissipatum
Super cratem te assatum
Sparso sale ignibus,
Gaude plagis te sanatum
Fuisse ac confortatum
A sanctis spiritibus.

3. Gaude, quod obscuritatem
Carceris per claritatem
Christi fugat bonitas,
Gaude emisso spiritu
Tyrannus gemit fremitu,
Corpus fecit iacere,

4. Sed ferarum a voratu
Corvus cum alarum flatu
Visus est defendere.
Gaude, regis angelorum
Miles fortis, bellatorum
Fortium fortissime,

5. Ad amorem supernorum
Trahe turbam miserorum,
Martyr invictissime.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395. — 3, 4 Gaude quod. — 4, 1 devoratu.

FÜNFTE GRUPPE.

244. De sancta Achatio.

1. O quos, quantos, quot honores
Habent Christi bellatores
In caelis decem milia,
Quos effecit ita fortes,
Suae mortis ut consortes
Possent pati similia.

2. Quos rex vult praehonorare,
Suam sellam equitare
Dat eis specialiter.
Hinc est festus, hinc est laetus
Militum tam grandis coetus
Cum angelis aequaliter.

3. O famosi militares,
Passioni Christi pares,
Tractati estis viliter,
Omnes enim crucifixi,
Omnes stantes mente fixi
Tulistisque viriliter.

4. Sic easdem poenas, puta
Flagras, spinas, probra, sputa
Alia quoque varia,
Sed sol obscurando gemit,
Et gemendo terra tremit,
Fiuntque signa paria.

5. O patroni pretiosi,
Ad bella tam animosi,
Sitis mihi propitii,
Date iam effectum precis,
Quam fudistis hora necis
Pro dono beneficii.

6. Primo mihi impetrate,
Ut sint preces meae gratae
Deo et exaudibiles,
Date hostes debellare,
Qui me temptant molestare
Potentes, invisibiles.

7. Intus, extra sanitatem,
Pacem, terrae ubertatem
Et aeris temperiem,
Date mihi victum vitae,
Ignominiosam rite
Sic pellite pauperiem.

8. Date sic me paenitere,
Ut remissionis verae
Capiam indulgentiam
Semper hic in mundo ante,
Ne in igne post purgante
Plus luam negligentiam.

9. Stet pro anno unus dies,
Ut sequatur vera quies
Ex precis vestrae studio,
Ut hic digne sic compungar,
Ut post laetus vestro fungar
Perpetuo tripudio.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Trevirens. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. ex. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1132. B. — 1, 4 efficit B. — 2, 2 cellam B. — 3, 6 Tulistique B. — 8, 6 Plus lunam B. — 9, 4 coniungar B.

245. De sancto Aegidio.

1. O Aegidi, Athenarum
Urbs te fovit valde clarum
Ortum stirpe regia,
Te a cunis benedixit,
Te in virum doctum vexit
Lex Christi egregia.

2. Propter legem hanc eandem
Cuncta bona linquis tandem
Defunctis parentibus
Et heredem Christum facis,
Dum in locum tutum iacis
Dando hoc egentibus.

3. Tua vestis aegrum sanat,
Virus sepis retro manat
Tua prece valida,
Tu triennem febrem fugas,
Ab obsesso daemon nugas
Fugit te vi squalida.

4. Tempestatis tranquillator,
Naufragantum liberator
A marino barathro,
Tu vertis sterilitatem
Terrae in fertilitatem
Sacrae precis aratro.

5. Ex his gestis timens capi
Et ad vanam laudem rapi
Sanctus adversariam,
Ab hac tutus esse volens
Tu desertum petis colens
Vitam solitariam.

6. Invenis sub spinis ibi
Quoddam antrum aptum tibi
Pro quietis spatio,
Parvi fontis venam gratam
In nutricem praeparatam,
Cervam pro solacio.

7. Quae tibi subserviebat
Certis horis et praebebat
Lactis alimoniam,
Cui fis orando aegis
Contra venatores regis,
Canum acrimoniam.

8. Vulneraris, inveniris,
Quis et qualis experiris
A rege, pontifice,
Ne cureris, tu precaris,
Multa dona aspernaris
Praebita munifice.

9. Ex his claustrum iubes strui,
Victus prece regis tui
Tu, pater, praeficeris,
Ob magnam sanctitatem
Ante magnam maiestatem
Karoli alliceris.

10. Angelus tunc tibi defert
Cartam, quae iam regis praefert
Scelus enormissimum
Propter te dimissum esse
Et, qui habet par necesse,
Dimitti certissimum.

11. Dehinc quidam princeps natum
Recipit resuscitatum
Per te cum laetitia.
Ora solvi hic, mi pater,
Cunctas culpas, ne seps ater
Voret me saevitia.

12. Semper habe me protectum,
Suscita me seminectum
Et me laesum medica,
Ut a cunctis malis veter
Et in caelis tecum laeter,
Me virtute dedica.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capid. Treviren. 116. — 3, 5 sq. offenbar verdorben.

246. De sancta Agatha.

1. Ave, pulchra Christi sponsa,
Agatha, quae sicut tonsa
Ovis feta scandens lota
Iam explesti tua vota.

2. Clara nata parentela,
Valde prudens in loquela,
Inter Catanenses cives
Fama rebusque praedives.

3. Virgo vultu es venusta,
Sed ancilla Christi iusta.
Ex illius servitute
Summe claram probans tu te.

4. O quantus dulcor te fovet,
Quam a Christo nihil movet,
Quam non mutant blandimenta
Neque minae nec tormenta.

5. Spernens suasum impudicum,
Blandimentum meretricum,
Gaudens sic incarcerari
Quasi laute convivari.

6. Heu, dolorem fers amarum
In tortura mamillarum,
Tyrannus in te destruxit,
Quod in matre ipse suxit.

7. Nuda super testas fractas
Volutaris igne actas,
Dira haec et inconsueta
Pertulisti mente laeta.

8. Quantum places sponso tuo,
Probant in te signa duo,
Nam summus apostolorum
Curat te a vi dolorum,

9. Quem de caelis ad te misit
Et libenter te invisit
Ut dilectam suam natam
Et ut sponsam regis gratam.

10. Angelorumque conventum
Misit ad te bene centum,
Qui de darent sepulturae,
Tantae eras sibi curae.

11. Pandunt magnam sanctitatem
Patriaeque libertatem
Angeli hunc per honorem,
Monstrant suam te sororem.

12. O patrona curialis,
Precor, serva me a malis,
Fac mamillas intellectus
Intus semper et affectus

13. Me servare incorruptas
Quasi soli Deo nuptas,
Quibus omnes sensus meos
Pascam delectando eos,

14. Pulchra Dei contemplando,
Iussa eius auscultando,
Adorando vitam Christi,
Ut conformer semper isti,

15. Hunc gustando cum dulcore
Et tangendo cum amore,
Ut sic crescam in salutem
Ad aeternam iuventutem,

16. In qua semper tu laetaris
Cum amicis Dei caris
Cantans dulce modulamen
In chorea caeli. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 12, 1 A praiclara.

247. De sancta Agnete.

1. Gaude, Agnes praeelecta,
Summo Deo tam dilecta,
Cuius praeventa gratia
Mundi fugis solacia.

2. Annis infans, mente cana
Spernis mundum vitans vana,
Per sensus sic peritiam
Transcendens pueritiam.

3. Gaude, vultu speciosa,
Magis fide gratiosa,
Quae Christo ab infantia
Sic servis cum constantia.

4. Cuius nunquam ab amore
Prece mota nec terrore
Mente virum induens
Exemplo multos imbuens.

5. Gaude, virgo, quae responsum
Tale dabas: Nunquam sponsum
Christum possum omittere
Et alterum admittere.

6. Hinc coacte es adducta
Ad lupanar nec seducta
Es iuvenis dementia
Dei fisa clementia.

7. Gaude, turpiter nudata
Mire pilis es velata,
Scortorum intrans cingulum
Custodem habes angelum,

8. Qui solatur te maerentem,
Lenonem lascivientem
Tua prece mortificat
Et postea vivificat.

9. Gaude, quae erepta digne
Es a prunis et ab igne
Magno Dei mysterio
Perfusa refrigerio.

10. Tandem ense iugularis,
Sponsa Christi, coronaris
In sempiterna gloria
Pro habita victoria.

11. Gaude, sponsa tam fidelis,
Mundi, Satan victis telis,
Sic tuis patrociniis
A carnis lenociniis

12. Non me sinas superari
Nec ab ullis lacerari
Mortalibus piaculis
Hostis infesti iaculis.

13. Gaude, caelo iam munita,
Sponso semper es unita,
Qui pro se passam graviter
Nunc amplexatur suaviter.

14. Sicut ferrum trahit magnes,
Trahe me post te sic, Agnes,
Solutum ab hoc saeculo
Praesenta Dei speculo.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

248. De sancta Aldegunde.

1. Gaude laude mundiali,
Aldegundis, nam regali
Es producta genere,
Licet micet in hoc splendor,
Sicut tamen stercus Endor
Tibi nymphae tenerae.

2. Gaude, aude gloriari,
Nulli sponso desponsari
Elegisti libere,
Soli poli iungi sponso,
Sacra veste, crine tonso
Cordi hunc inscribere.

3. Gaude, fraude procul mota
Tua sanctitas fit nota
Publico examine,
Quando standō venerandus
Benedixit te Amandus
Sacro cum velamine.

4. Gaude, plaude, misit caelum
Columbam, quae sacrum velum
Pede, ore detulit,
Scandens, pandens, post descendens,
Tuo capiti impendens
Seque sursum retulit.

5. Gaude, caudae mundi prona
Cedens vendis cuncta bona
Omni cum allodio,
Multa fulta largitate
Dans egenis struis grate
Claustrum in Melbodio.

6. Gaude, claude sponsas Christi,
Quas ibidem collegisti
Servans regulariter,
Ore more illas docens,
Cunctis placens, nulli nocens,
Vivens exemplariter.

7. Gaude, gaude super cuncta
Regni sponso tuo iuncta
Delectabilissime,
Leta meta absque poena
Volans caeli ad amoena
Desiderantissime.

8. Pridem quidem sciens mortem
Hic purgandi petis sortem,
Si qua negligentia
Esset, cesset, nec fis cassa,
Es in mamma cancrum passa
Multa patientia.

9. Unde funde, virgo alma,
Preces pro habenda palma
Omnium turbantium,
Mundis fundis nos aduna
Sursum, ubi tu es una
Semper iubilantium.

10. Cura, pura, obtinere
His, quos tu scis indigere,
Valens beneficium,
Totis votis hinc rogaris,
Tuis caris largiaris
Caelicum hospitium.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

249. De sancto Alexio.

1. O Alexi, flos amoris,
Clare lucens intus, foris,
Per exemplum paupertatis
Spernens laudem falsitatis.

2. Qui relinquens opem mundi,
Quo parentes gemebundi
Cum tua sponsa manserunt,
Cum te natum perdiderunt.

3. Iesu Christi sequens viam
Et per voluntatem piam
Pauper esse elegisti,
Per quam cunctas contempsisti

4. Verum opes patris tui,
Ut deliciose frui
Christi posses deliciis
Aeternisque divitiis.

5. Te contemptum dilexisti,
Domo patris cum tulisti
Famulorum opprobria
Iucunda pacis formula,

6. Derisus a familia
Multa lamentabilia,
Decem atque septem annis
Ignotus vilibus pannis.

7. Cum tua sacra anima
Quaesivit caeli pascua,
Fit lamentum tuo patri,
Ululatus sponsae, matri.

8. Fit iucunda plebs fidelis,
Dulce canit grex in caelis,
Corpus fertur dum ab aede,
Fiunt mira omni plebe.

9. Caecis visus, claudis gressus,
Et a daemone oppressus
Liberatur incunctanter.
Laudant Deum incessanter.

10. Pretiose o confessor,
Sis pro nobis intercessor
Apud Christum Dei natum,
Ut post huius vitae statum
Statim tecum cum Domino
Fruamur caeli iubilo

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

250. De sancto Andrea.

1. Sancte Dei, iucundare.
Pie gaude, qui per mare
Dum piscaris, secus litus
Invitaris, nec invitus
Es secutus Dominum;
Tantae rei salutare
Tibi dignum duxit dare,
Nam vocaris imperitus,
Iam legaris eruditus,
Prensor tutus hominum.

2. Christo statim oboedisti,
Vocem eius ut audisti,
Navim, rete relinquendo,
Mundum laete contemnendo
Pro salutis gratia;
Isto more allexisti
Fratrem tuum, attraxisti
Vitae viam praedicando
. . . . . .
Virtutis audacia.

3. Sic, patrone mihi bone,
Impetrabis, adiuvabis,
Spernam mundum tam immundum,
Amem Christum sequar istum
Cum benevolentia;
Hic servire, oboedire
Semper Deo quaeram meo
In mandatis rite datis
Ac positis praepositis
Omni patientia.

4. Pater plenus pietate,
Tua sunt suffragia
Magna valde, sparsa late,
Quod probant naufragia
Submersorum, ad te grate
Qui dabant passagia.

5. Quater denos naufragatos
Mersos revivificas,
Maestos per te iucundatos
In fide certificas,
Super multos perturbatos
Res facis mirificas.

6. Visitator confutasti
Daemonis praesentiam,
Antistitis sic fugasti
Luxus vehementiam,
Impudico impetrasti
Seni continentiam.

7. Miserator miserorum,
Me levare propera,
Mole mersum peccatorum,
Ne ad mala opera
Unquam trahat dux malorum
Obsta et impropera.

8. O Andrea, sub Aegea
Consummatus, cogitatus
Vanos pelle, malum velle
Sic averte, vincam per te
Daemonis malitiam;
O quam rea est mens mea,
In occultis malis multis,
Quae dignare excusare,
Post haec gratum da ducatum
Ad caeli laetitiam.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capid. Treviren. 116.

251. De sancto Andrea.

1. Salve, iubar radiosum,
Novum sidus luminosum
Lumen dans fidelibus,
Andreas, Christi famulus.

2. Salve, crucis praedicator,
Verbi Dei seminator,
Per virtutem sanctae crucis
Para nobis viam lucis.

3. Salve, salutis nuntius,
Mundo missus divinitus,
Regnum Dei praedicare
Et quod iustum est amare.

4. Salve, vivus aquaeductus,
Quem non laesit maris fluctus
Nec tempestas nec procella
Neque minae neque bella.

5. Salve, miles Christi fortis,
Nam de portis dirae mortis
Multas gentes detraxisti
Per virtutem crucis Christi.

6. Salve, vitae verus testis,
Dulcis sonus et caelestis,
Lucerna fide fulgida,
Laete pandens caelestia.

7. Salve, tu lux catholica,
Salve, caelestis cithara,
Qua Christi evangelium
Corda replet fidelium.

8. Salve, praeco summi regis,
Fulgens forma novae legis
In valle hac miseriae
Et iter pandens gratiae.

9. Salve, oliva renatis,
Sed et mundo stillans gratis
Hoc oleum laetitiae
De vena fontis gratiae.

10. Salve, doctor veritatis,
Per virtutem castitatis
Multos Christo sociasti,
Quam in carne conservasti.

11. O amator crucis Christi,
In qua Deo obtulisti
Corpus tuum tam beatum
Propter Christum Dei natum.

12. Quem cernebas tunc praesentem
Cum sanctis suis clementem
In divina maiestate
Magna lucis claritate.

13. In qua luce tradidisti
Spiritum in manus Christi,
Sic migrans per martyrium
Ad praeparatum gaudium.

14. Post occasum huius lucis
Nobis fructum sanctae crucis
Cum beatis propinare,
Andrea sancte, Christi care.

Orat. ms. Carthusian. saec. 10. Cod. Capit. Treviren. 116.

252. De sancto Andrea.

1. O Andrea gloriose,
Quam iuste et virtuose
In mundo floruisti,
Miserorum dulcis pater,
Petri sanctissimi frater,
Confessor Iesu Christi.

2. Pro cuius digno amore
Confortante caeli rore
Tam magna sustulisti,
Sancta vita et doctrina
Saevo hoste et ruina
Achaiam direxisti.

3. Per Aegeam vapulatus,
Spretus, dire adgravatus,
Tandem incarceratus,
Cum virtute sanctae crucis
Et auctore summae lucis
Condigne adprobatus,

4. Demum sponte mortem trucem
Per optatam dignam crucem
Tulisti in fervore
Iesu Christi caritatis.
O fons dulcis bonitatis,
Nos firma in ardore

5. Ignis sanctae trinitatis,
Ut hanc viam unitatis
Cum salvis relinquentes,
Ut, quod iustum, consequamur
Et divina contemplamur
Cum dignis congaudentes.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmst. 1320). B. — 2, 6 rexisti A. — 3, 4 virtutem A. — 3, 5 Et auctorem A B (bleibt auch so dunkel, wie besonders 5, 2 sq.).

253. De Angelo Custode.

1. Salve, miles Dei care,
Qui non cessas militare
Mihi male merito,
Semper vides vultum Dei,
Simul custos es tu mei
Solo beneplacito.

2. Tu lumen humilitatis,
Tu exemplum caritatis
Cunctis praebes miseris,
Cum sis totus gloriosus,
Totus ego sim caenosus,
Non me tamen deseris.

3. Certe, nisi fores scutum,
Satan me cito ut lutum
Frangeret pro libitu,
Tu sis ergo benedictus,
Infernales qui conflictus
Sic frenas Dei nutu.

4. Custos vigil somno dati,
Gratus miserens ingrati,
Nobilis ignobili,
Rectus praesul es obliquo,
Pius tutor es iniquo,
Felix miserabili.

5. O amice tam devote,
Per effectum solum note,
Latens personaliter,
In excelso caeli throno
Fac me tecum frui bono
Summo visibiliter.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

254. De sanctis Angelis.

1. O virtutis infinitae
Artifex aeternae vitae,
Tu conditor spirituum,
Ordinasti expolite
Novem choros trium rite
Ierarchicorum situum.

2. Unaquaeque ierarchia
Agmina sortitur tria
Distinctis cum nominibus,
Per hoc datur clara via,
Ut credaris mente pia
Unus trinus hominibus.

3. Ad hoc facis sublevari,
Qui virtute pollent pari
Ex omnibus terrigenis,
Qui te debent contemplari,
Et a quibus vis laudari
Iugiter cum caeligenis.

4. Fac nos pios gratiosos,
Proximis obsequiosos,
Ut pares simus angelis;
Nos exemplis luminosos,
In docendo studiosos
Aequipara archangelis.

5. Nos compassione mentis
Cum bonorum incrementis
Aequa virtutum statibus;
Da vim hostis saevientis
Resistendi temptamentis
Similans potestatibus.

6. Fac, ut mundo reluctemur
Principatuum aequemur
Sic sacris stationibus;
Da, ut carni dominemur,
Qua subacta gloriemur
Cum dominationibus.

7. Per sinceram aequitatem
Ad thronorum paritatem
In cunctis nos rectifica;
Per noscendi claritatem
Ipsam puram veritatem
Nos Cherubim parifica.

8. Inflammati zelo toti
Pares stemus impermoti
Sic ordini Seraphico;
His, o Deus, culpis loti
Conscribamur tamquam noti
In libro theographico.

9. Est beatum, supergresse
Sanctis choris interesse
Spirituum et hominum,
Ubi vident tam expresse
Et collaudant indefesse
Semper te sanctum Dominum.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 8, 1 zeli toti.

255. De sanctis Angelis.

Preces nostras, rogo, pia,
Audi, vera tu sophia,
Quas in laude angelorum
Tibi fundo beatorum.
Omnes nos, qui sumus multi,
Petimus, ut circumfulti
Interventu Michaelis
Nos, Christe, tuere velis
In huius mundi proelio.
Ad te, Christe, suspiramus,
Sic in valle hac vivamus,
Ut conformes tibi luci
Mereamur ad te duci
Manu sancti Michaelis,
Summi principis in caelis,
Qui pro nobis fertur stare
Et constanter dimicare
Contra impetum draconis,
Regis diri Babylonis,
Qui conatur supplantare
Iustos ipsos et vorare,
Quos caelesti regno privat,
Cum illos fraude captivat;
Cuius tu ferocitatem,
Michael, et potestatem
Dei ex virtute frenas,
Ne ad infernales poenas
Pios quosque trahat secum;
Ergo deprecamur tecum
Omnes choros angelorum,
Paranymphe sancte, quorum
Princeps es, ut consurgatis
Et ab hoste defendatis
Nos, qui semper impugnamur
Et interdum debellamur,
Non habentes defensores,
Nisi vos propugnatores.
Propugnate, custodite
Et salvando subvenite
Nobis ope destitutis
Et de vita male tutis
Propter hostes imminentes
Et ad culpam nos trahentes.
Ecce, hostes furibundi,
Mortis nostrae sitibundi,
Corporales et invisi
Nos circumdant sic, quod, nisi
Ad nos, sacer dux, de caelis
Cum caterva tua velis
Gratiose declinare,
Succumbemus neque stare
Quimus belli tempestate
Tam gravi necessitate.
Omnes autem, quotquot estis,
Quos ad nostrum rex caelestis
Famulatum deputavit
Nosque vobis commendavit,
Adiutricem porrigatis
Manum nobis sauciatis.
Seraphim, vos invocamus,
Cherubim, et vos oramus,
Omne quoque angelorum
Agmen et archangelorum,
Thronos et dominationes
Virtutumque legiones,
Potestates, principatus,
Ut mens, corpus, vitae status,
Motus, sensus tueantur
Nostri per vos et regantur.
Sic nos vobis sociari
Mereamur, speculari
Vultum summae trinitatis
Post hanc vitam cum beatis.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 5, 5 Quod.

256. De sancta Anna.

O Anna clarissima,
placa tuam natam
Nobis suis famulis,
ut post hanc sublatam
Vitam nos ad patriam
ducat praeparatam,
Ut possimus cernere
faciem beatam.

2. Nato tuae filiae
pie nos commenda,
Ut, quando sententia
erit ferienda
Extremi iudicii,
nostra tunc ducenda
In caelos sit anima
sanctis congaudenda.

3. Ave, mater virginis,
quae lactavit Iesum,
Ipsum roga propter nos
cum flagellis caesum,
Ut clementer visitet
me peccatis laesum,
Nam erranti animae
meae male praesum.

4. Noli me despicere
miserum indignum,
Sed offensum iudicem
mihi fac benignum,
Filiae me facias
servitorem dignum,
Vestris quoque meritis
vincam hic malignum.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod Capit. Treviren. 116.

257. De sancto Antonio.

1. Gaude, pater mi Antoni,
Totius paterni boni
In egenos dispartitor,
Christi surdus non auditor.

2. Gaude, te daemoniales
Turbae, ferae infernales
Dire totum lacerarunt,
Non te tamen superarunt.

3. Gaude, pie visitatus
Es a Christo et sanatus
In splendore praefulgente,
Omnes hostes propellente.

4. Gaude, tibi meruisti
Ex promissione Christi
Nomen tuum dilatandum
Et per totum mundum fandum.

5. Gaude, laqueis vidisti
Mundum plenum et audisti:
His humilitas non cadet,
Nullus sine hac evadet.

6. Gaude, eremi tu vitam
Laudas tribus pugnis quitam
Seu auditus, visus, oris,
Sed non cordis cunctis horis.

7. Gaude, angeli laetantes
Te, sed daemones obstantes
Multa tibi obiecerunt,
Sed probando defecerunt.

8. Gaude, nam te totus orbis
Colit, ut a tribus morbis,
Si non sint, sic praeservetur
Et, si iam sint, ut curetur.

9. Gaude, ego pauper homo
Parvas tibi laudes promo,
Te hic colo pro patrono,
Firma me in omni bono,

10. Ut a culpis absolutus
Et a cunctis poenis tutus
Mox per tuum adiuvamen
Migrans hinc sim tecum. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

258. De sancta Apollonia.

Sancta Apollonia,
Christi virgo inclita,
Rogo per tuum dolorem,
Quem tu ob Christi amòrem
Passa es, dum sunt percussi
Dentes tui et excussi.
Unde, virgo, martyr Dei,
Miserere, precor, mei,
[Ac] a dentium dolore
Et ab hostium furore
Me defende, virgo pia.
Doloris dentium bria
Ne excedat, pro me ora
Finem bonum et implora.
Virgo Christi egregia,
Pro nobis Apollonia,
Funde preces ad Dominum,
Ne pro reatu criminum
Vexemur in perpetuum.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

259. In Divisione Apostolorum.

1. Gaude, Maria, pia nutrix,
Apostolorum tu imbutrix,
Doctrinae das registra,
In caritate sis alumna,
Nostra sis in spe columna,
In fide sis magistra.

2. Gaude, Simon, Petre Cephas,
Omne solve nostrum nefas
Ex tua praecellentia,
Principis mundi summe princeps,
Vivere nobis da deinceps
In vera paenitentia.

3. Gaude, vas electum, Paule,
Gaudia caelestis aulae
Praevideras perspicue,
Ad hoc semper anhelare,
Mundi doctor o praeclare,
Edoce nos proficue.

4. Gaude, Andreas, tu sectatus
Christum primo, manens gratus
In eius habitaculo,
Nos in peccato iam seniles
Ad iussa Christi fac viriles
Omni procul obstaculo.

5. Gaude, Iacobe Zebedaei,
Qui primus inter fratres Dei
Polorum scandis moenia,
Tu daemonum agnoscis iras,
Quorum vincere luctas diras
Fac nos obtenta venia.

6. Gaude, Iohannes, qui custodis
Matrem Dei et effodis
Causam omnis essentiae,
Nos cura castos custodire,
Ardenter fontem da sitire
Divinae sapientiae.

7. Gaude, Thoma, fidei fractor,
Sed post vulnerum Christi tactor,
Primus fide certificas,
Tuo dubio nos beamur,
Da in errorem ne labamur
Nec in poenas horrificas.

8. Gaude, Iacobe, frater Christi,
Vocatus iustus qui fuisti
Prae sanctitate nimia,
Fac carnem nostram sic marcere,
Mens intus ut possit vigere
Virtutum ad sublimia.

9. Gaude, Philippe, summi regis
In famelici pastu gregis
Factus consiliarius,
Ostende nobis vultum patris,
Ne faucibus nos voret atris
Draco adversarius.

10. Gaude, Bartholomaee, tute,
Nam pro detracta tua cute
Vestiris stola gloriae,
Servire Deo nos instiga,
Hostem nostrum fortem liga
Palmam dando victoriae.

11. Gaude, Matthaee, qui et Levi,
Ex publicano fis in brevi
Dispensator fidelium,
Terrena doce nos calcare
Et fac caelestia amare
Per tuum evangelium.

12. Gaude, Simon Cananaee,
Christi pacem ad nos vehe
Servans in bono nomine,
Nos impugnantes fac elingues,
Spiritu Dei simus pingues
Veteri spreto homine.

13. Gaude, Thaddaee sive Iuda,
Abagarum a lepra cruda
Mundasti tersa facie,
Per te mortem Christus praestet,
Ut tunc se ipsum manifestet
Nobiscum caeli acie.

14. Gaude, Matthia, parve Christi,
Qui thronum Iudae meruisti
Prae cunctis in hoc saeculo,
Fac inter sanctos nos ascribi,
Ut semper collaetemur tibi
In trinitatis speculo.

15. O vos principes et athletae,
Iusti iudices congaudete
Simul et singulariter,
Eia, mundi lumina vera,
Has preces cum mente mera
Offerte Deo pariter.

16. Nec aliquando desistatis,
Donec dicatur: nunc est satis;
Vestris iunctis laetitiis
Tunc summa salus est homini
Gaudere de bonis Domini
In intimis deliciis.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 12, 5 sumus. — 15, 5 Hac preces.

260. De sancto Augustino.

1. Iucundat iam ecclesia
Per gaudiosa gaudia,
Malis stipata punica
Per Augustini dogmata,

2. Diversa cuius carmina
Nunc ardent velut facula
Et absque omni macula
Lucent per cuncta saecula,

3. Et vineam fructificant
Colonosque laetificant,
Diversos dum inebriant,
Iucundos Christo faciant.

4. O Augustine, florum flos,
Cuius odor demulcet nos
Per fidem ut caelestis ros
Confortat et catholicos.

5. Confusa est perfidia
Et perfida invidia,
Nam fidei acidia
Confluxit ad praesidia.

6. Plenus tu rore pneumatis,
Diffusus es pro ceteris
In novis et in veteris
Coruscas et in mysticis.

7. O summi Dei famulus,
Collaudat te catholicus,
Cuius nos dulcis iubilus
Devotos reddat caelitus,

8. Ut per tua dogmata
Sequamur regni praemia
Per tua et suffragia
Iucundemur in saecula.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

261. De sancta Barbara.

1. Gaude, sancta puellarum,
Barbara, quae et sacrarum
Caelis iuncta collegio,
Castitatis virginalis,
Magni simul triumphalis
Ex belli privilegio.

2. Quia pater cum infestus
Tibi esset et molestus,
Quod non ritu gentilium
Diis velles immolare
Neque ipsos adorare,
Sed Christum Dei filium,

3. A praefecto hinc pulsaris,
Ut deorum supplex aris
Imponeres libamina,
Ne perferre tormentorum
Cogereris diversorum
Innumera gravamina.

4. Minis his non es depressa,
Sed in fide te professa
Mansisti firma stabilis,
Quare dire flagellata
Praesidis et cruciata
Es iussu exsecrabilis.

5. Post et torta in mamillis
Dire et avulsis illis
Sunt ardentes laminae
Costis tuis adplicatae,
Quas ferebas laete grate
Divino adiuvamine.

6. Cum et sic a Dei cultu
Quovis flecti vel insultu
A nullo possis hominum,
Sed plus prompta esses mori
Poenaque atrociori
Eundem propter Dominum,

7. Tradita tunc es crudeli
Patri, qui fervore zeli
Falsi te stravit gladio.
Sic, electa sponsa Christi,
Sponsi regnum introisti
Post pugnam in hoc stadio.

8. Ergo cum in agonia
Exaudita, virgo dia,
Pro tuis sis supplicibus,
Respice te venerantem,
Audi ad te suspirantem
Prae malis multiplicibus,

9. Quibus heu sum involutus
Et ne miser destitutus
Sic transeam finaliter,
Ora pro me, ut peccata
A me unquam perpetrata
Dimissa sint totaliter.

10. Et per precem sanctam tuam
Amplius nequaquam ruam
Delictum in mortiferum,
Sed per bonum vitae statum
Ad quodcunque me paratum
Fac opus salutiferum.

11. Ac cum intus, foris bellis
Premar, quorum ne procellis
Prosternar vel insidiis
Cuiuscunque hostis, praesto
Usque ad decessum esto
Tuis largis subsidiis.

12. Et de mundo hoc non cedam,
Quin et corpus digne edam
Tam cibum suavissimum,
Manna verum, panem caeli,
Pura mente et fideli,
Post mortem ut clarissimum.

13. Speculum mox trinitatis
Suae luce claritatis
Cum caelicis agminibus
Semper queam contemplari
Et in ipso delectari
Ex tuis precaminibus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 6, 5 Poena quaque.

262. De sancta Barbara.

1. Barbara, virgo, flos florum,
Speculum virtutum, morum
Doctrix, exemplar decorum,
Tota mitis, humilis;
Amore Christi succensa
Tormenta vincis immensa,
Gratia gaudes impensa
Meritorum cumulis.

2. Rea non sit mihi vita,
Anima fleat contrita
Scita culparum oblita
Tuis sacris precibus;
Bona queam consummare,
Scelus mortale vitare,
Lacrimis lectum lavare
Criminum a faecibus.

3. Aridam mentem asperge,
Naevum delictorum terge,
Me vulneribus immerge
Redemptoris Domini;
Respice me sauciatum,
Mole carnis adgravatum,
Multis malis circumdatum,
Quae occurrunt homini.

4. Adesto mortis in hora,
Ne luam mala peiora,
Pro me Dominum exora,
Ut felix sit exitus.
Vocem audiam: venite,
Benedicti patris rite,
Possidete regnum vitae;
Talis detur transitus.

5. Gladio quae transivisti,
Me salves a morte tristi
Praesentiae iunge Christi
Peracta victoria;
Offer me caelorum portae,
Locatus sim in cohorte
Sanctorum felici sorte
In perenni gloria.

Locum nostrum tu dignare
Cum personis reservare,
Fac nos Christum collaudare
Sedula memoria.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — In der Hs. ist das Lied auf die hl. Margareta angewendet und dem entsprechend 1, 1 geschrieben: O Margareta, flos etc. Sowohl der Inhalt mit der weit ausgeführten Bitte um eine glückliche Sterbestunde als auch besonders das Akrostichon bekunden deutlich, dafs dieses Reimgebet ursprünglich der hl. Barbara, der Patronin im Tode, gewidmet war. Vielleicht bezeichnet das weitere Akrostichon „[H]ugo“ den Verfasser.

263. De sancto Bartholomaeo.

1. Excitare, o cor meum,
Laudando Bartholomaeum
Cum voce laetitiae,
Qui est potens apud Deum,
Ne me damnet suum reum
Rigore iustitiae

2. O Bartholomaee care,
O mi princeps, o praeclare
Dux magnificentiae,
Tu es magnum luminare,
Toti mundo salutare,
Mirae resplendentiae.

3. Tu ditator egenorum,
Propugnator peccatorum
Hos Deo pacificans,
Liberator devotorum,
Ligator daemoniorum
Haec urens, mutificans.

4. Gaude, in apostolorum
Numero duodenorum
Vere stas dulciflue,
Quo tanguntur flores florum
Penes artem musicorum
Sonando melliflue.

5. Nam octavus descendendo
Es et quintus ascendendo
Recte magistraliter,
Ex quo facto hoc perpendo,
Dulcem, pium te essendo
Valde specialiter.

6. Quia chorda tensa bene
Dulcem sonum reddit plene,
Sic tu passus gravius,
Stricte tensa corpus lene,
Pellis, nervi sunt et venae,
Ergo sonans suavius.

7. Multis malis sum innisus,
Sed oro de te confisus,
Ut ab his excorier
Circumquaque circumcisus,
Hoc fit mihi paradisus,
Ut sic novus glorier.

8. O mi pater pietatis,
Adiutor necessitatis
In omni periculo,
Hostes pelle pravitatis
Et me loca cum beatis
In mortis articulo.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod Capit. Treviren. 116.

264. De sancto Bartholomaeo.

1. Bartholomaee insigne,
Tu laudandus o quam digne,
Nobili stirpe natus,
Merus Christi imitator
Et Indorum illustrator,
Patronus nobis datus.

2. Omnis terra tua laude
Non cessabit, procul fraude
Multa mira egisti,
Tu fanorum populator
Et daemonum denudator
In verbo Iesu Christi.

3. Quibus miris operatis
Et multis illuminatis
Profanis accusatus,
Sic ad mortem iudicatus,
Caesus et excoriatus,
Mox capite truncatus.

4. O quam poenam sustulisti
Et ad regem introisti
Magna hilaritate,
O martyr venerabilis,
Quam dulcis et amabilis
Ingenti claritate.

5. Nos a diaboli fraude
Defende, ut Christi laude
Sedule inhiantes,
Post hanc vitam cum beatis
Ut in regno claritatis
Cum his congratulantes.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320). B. — 1, 1 O Bartholomaee B. — 1, 5 Iudaeorum A. — 2, 1 in tua B. — 3, 3 Profanus A.

265. De sancto Benedicto.

1. Ave, stella matutina,
Lucens in crepusculo,
Per quam lucet lux divina
Legis in opusculo.

2. Salve, lux catholicorum,
Rutilans prae ceteris,
Flos et decus monachorum,
Iter praebens miseris.

3. Salve, gemma gloriae,
Margarita nobilis,
Palmam ob victoriae
Certasti immobilis.

4. Salve, pater Benedicte,
Noster dux et legifer,
Virtutes cuius invictae
Splendent sicut lucifer.

5. Salve, salus miserorum,
Quos mundus abiecit
Et protector infirmorum,
Quos et lex refecit.

6. Salve, miles summi regis,
Quem Christus coronavit,
Et glosator novae legis,
Quam ipse praedicavit.

7. Salve, forma virtuosa
Verae paupertatis,
Forma splendens velut rosa
Rubicunda satis.

8. Da nobis contemptoribus
Spretis mundi floribus,
Ut piis castis moribus
Caeli stemus foribus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

266. De ss. Benedicto et Bernardo.

1. Almi patres regulares
Monachorum singulares,
Astate pro filiis
Et per preces salutares
Vestros pauperes scholares
Iuvate auxiliis.

2. Ut in schola hac degentes
Recte simus incedentes
Vestra per vestigia,
Vestras artes addiscentes,
Sic per scalam ascendentes
Virtutum fastigia.

3. Benedicte, pie sator
Sanctitatis et amator,
Places mundi cordibus,
Vitiorum exstirpator
Et virtutum replantator
Pulsis cunctis sordibus.

4. Tui nominis insignis
Titulus est, nam benignis
Prophetis veteribus
Par es tu in multis dignis
Simul spiritu et signis
Ac sanctis operibus.

5. Heliae corvo iubendo,
Petra Moysi ducendo
Aquam fontis avidi,
Fundo ferrum extrahendo,
Hostis mortem deplangendo
Helisaeo, Davidi.

6. Mundi floridi despector,
Perscrutator et detector
Cordium latentium,
Dei gloriae inspector,
Ad salutem es erector
Corporum et mentium.

7. Elisaeus ut Eliam
Secutus per omnem viam
Nequaquam deseruit,
Ad transvectionem diam
Spiritum per precem piam
Duplicem promeruit,

8. Sic, Bernarde, recte tutus,
Perfecte ad omnis nutus
Declinando devia,
Benedictum es secutus,
Quaeque docens elocutus
Grandia vel levia.

9. Honor tibi duplicatur,
Super sanctam vitam datur
Mira sapientia,
Totus mundus admiratur
Et de tanta delectatur
Dulci eloquentia.

10. O patres Mariam, Martham
Facite tenere chartam
Regulae pollicitae,
Ducentes per viam artam,
Ut intremus vobis partam
Vitam per vos licite.

11. Decet et est dulcor vere,
Fratres, semper congaudere
De patrum praesentia
Et sic semper commanere
Perfruendo clara mere
Divina essentia.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

267. De sancto Blasio.

Sancte Blasi, martyr Christi,
Qui fidelis perstitisti
Propter ipsum pium regem,
Qui te ad caelestem gregem
Cum tormentis advocavit
Ut amicum, quem amavit;
Ob quam causam es plagatus,
Plagis multis satiatus,
Multis signis effulsisti,
Per quae multos exemisti
A maligni potestate,
Qui iam in aeternitate
Tecum et cum Domino
Gaudent sine termino.
Nosque tua sancta prece
Peccatorum munda faece,
Qui tuis sanctis meritis
Instruimur et exemplis,
Nobis praesens in adversis
Semper sis et in periclis.
Pauperculae dum raperet
Lupus porcum, ut ederet,
Rogat te hunc reddi sibi;
Subridens „Reddetur tibi“
Cum dixisti, lupus redit
Et sic mox tibi oboedit,
Viduae porcum reportat,
Quem illa statim et mactat;
Lumen, panem, caput, pedes
Portans rogat te, ut edes.
Cum gustasti, respondisti:
Scias tu et omnes isti,
Qui munus, quod decreverint,
Omni anno obtulerint
Ecclesiis mei nominis,
Non egebunt necessariis.
Sanasti et tu puerum,
Cui os piscis transversum
In gutture erat suo,
Orans, ut nomine tuo
Invocato sanarentur
Omnes, qua causa graventur.
Sancte Blasi, quam mansuetus
Feris et hominibus
Fuisti, et mihi pius
Sis in votis omnibus,
Pro nobis Christum interpella,
Ut nos huius mundi procella
Non involvat misere,
Sed ad Deum prospere
Post hanc vitam transvolemus,
Sine fine quo gaudemus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

268. De sancta Brigida.

Salve, virtutum gemmula,
Devota Christi Brigida,
Quae a Christo postulasti,
Postulando impetrasti,
Ne tuam mundam castitatem
Propter sordidam foeditatem
Unquam violaret homo,
Sed in castitatis domo
Posses Christo famulari
Et sic sponso sociari
Non habens carnis maculam,
Sed decoratam animam.

Sic sponsus sponsam tetigit,
Sicut tunc sponso placuit;
Nam pro ornatu capitis
Velamen mundum virginis
Ad honorem sponsi Christi
Tam devote assumpsisti
Et claustralem ducens vitam,
Omni virtute politam,
In qua multa clara signa
Cunctis, quae sunt laude digna,
Per te Christus operatur,
Mundus quibus gratulatur.
Caecis visum reddidisti,
Claudos transire fecisti,
Languidis medelam
Et mutis loquelam,
Daemones tu effugasti,
Discordes consociasti;
Aridum lignum floruit,
Te castam esse monstravit.
Post multa vero tempora
Sic tua munda anima
Volat de mundo et corpore
Ad lucem paternae gloriae.
O virgo sancta Brigida,
Matris Christi pedissequa,
Ora Christum summum regem,
Ut ad illum caeli gregem
Post hanc vitam me perducat,
Ubi sine fine regnat.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

269. De sancta Christina.

Dilecta Deo Christina,
Quam extollit lux divina,
Laudem tuam promat laeta
Sancta mater ecclesia.
Nam in tua iuventute
Cum virtute et salute
Falsos deos contempsisti
Propter Christum, quem quaesisti,
Quem virgo corde sequebaris,
Verbis et factis tam praeclaris.
O amatrix castitatis,
Flos venustus deitatis,
Quem carpsit Dei filius
Electum prae milibus,
Qui spretus a parentibus,
Sordidatis mentibus
Te conculcant pedibus
Suis ignobilibus.
Sponsus Christus quem collegit
Et in sertum sibi fregit,
Quod ornasti, rubens rosa,
In virtute speciosa.
O praeclara margarita,
Manu patris sic polita
Per hos diros cruciatus,
Per malignum confortatus
Inimicum castitatis
Et amicum falsitatis;
Quem, fidelis virgo Christi,
In tribus membris vicisti,
Cum tres iniquos iudices,
Qui canibus sunt similes,
Forti fide debellasti
Et fideles superasti.
O dilecta Dei nata,
In exemplum nobis data,
Ut speculum clarissimum
Fulgens per omne saeculum.
O Christina, virgo pia,
Christi matre cum Maria,
Cuius benedictum natum
Mihi semper fac placatum.
Tua mors est pretiosa,
Nam de spina exit rosa,
Dum spina rosam punxerat,
Odorem vitae germinat.
Fructum vitae da gustare
Nobis semper et amare
Caeli regem cum Maria
Tua iugi prece pia,
Et dum mortis instat hora
Pro salute elabora
Nostra, virgo gloriosa,
O iucunda rubens rosa.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 51 Ut dum mostis Hs.

270. De sancto Christophoro.

1. Gaude, Christophore mire,
Soli principi servire
Summo tu decreveras;
Gaude, regem tu maiorem
Et Satan potentiorem
Propter Christum spreveras.

2. Gaude, multos zelo Christi,
Ne perirent, transtululisti
Per flumen alacriter,
Gaude, per te puer gratus
Portans mundum est translatus,
Sed te pressit acriter.

3. Gaude, galea ignita,
Ardens scamnum, infinita
Tela te non superant,
Gaude, octo quadraginta
Milia per te adcincta
Ad fidem eruperant.

4. Gaude, nam in fide recta
Tua facies conspecta
Devoto tibi homini,
Die illa diram sortem
Mutat, pellit malam mortem
Virtute Christi Domini.

5. Christus onus leve suave,
Quem quaerebas, meum grave
Pondus malorum leviat,
Mitiget temptationem,
Omnem tribulationem,
Ne nimis in me saeviat.

6. Gaude, hostis caecus factus
Ex cruore tuo tactus
Sanus fit et credulus;
Ut sic pergam Christi viam,
Quod in morte salvus fiam,
Ora pro me sedulus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 5, 1 levis.

271. De sancto Christophoro.

O Christi martyr, Christophore,
Sis memor nostri tua prece
Apud Deum omni hora,
Nos tuere sine mora.
5. Corpus, sensum et honorem
Conserva, qui caeli florem
Meruisti hic portare
Inter ulnas ultra mare.
Nos per tantam dignitatem
10. Fac vitare pravitatem
Et amare corde toto
Deum verum laude, voto
Prae cunctis mundanis istis,
Ut post huius mundi tristis
15. Blandimenta te praesente
Absque omni mala gente
Ducamur ad caeli regnum,
In quo gaudium aeternum
Est et erit sine fine
20. Honor deitati trinae.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

272. De sancto Cyriaco.

Sancte mater Cyriace,
Firma me in Dei pace,
Qui per Satan molestatas
Caesaris et regis natas
5. A furore liberasti,
Intus forasque sanasti;
Caesarque Maximianus,
Ut tu fieres insanus,
Tuum caput cum ardenti
10. Pice torsit non nocenti,
Sicque tandem decollatus
Martyr factus es sacratus.
Alme martyr et levita,
Serva me in tota vita,
15. Sensuum o pie custos,
Sensus meos fac robustos,
Sic ut nunquam insanire
Me contingat aut perire,
Deus tuum per iuvamen
20. Salvet me ubique. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

273. De sancta Dorothea.

1. Salve, virgo Dorothea,
Mea praedilecta [pura],
Plura quidem infantia
Tu tormenta pertulisti
Christi ob amorem vera,
Mera simul constantia.

2. In olivo nam fervente
Gente fera es afflicta,
Victa tamen immanitas
Poenae erat vi dulcoris
Roris gratiae abunde,
Unde nec cessit sanitas.

3. Post squaloris carceralis
Malis stringebaris ibi,
Tibi erat penuria
Victus sic per novem dies,
Quies nulla, mors sed latens,
Patens maligna furia.

4. Quae urgebat, ut in fano
Vano tibi esset cura
Tura diis incendere,
Decrevisti saevis magis
Plagis premi propter Deum,
Eum quam sic offendere.

5. Hinc ex nutu es praefecti
Plecti iussa capitali
Tali dira sententia,
Inde summe es gavisa
Visa et sic Christi frui
Tui sponsi praesentia.

6. Delectari et formosis
Rosis in ipsius hortis
Ortis et viridario,
Ex his mittis in sportella
Bella inter modo miro
Viro protonotario.

7. Tunc cervice inclinata
Strata ense es et laeta,
Freta caelesti gloria,
O beata, quam immensa
Pensa sis adepta dona
Bona tanta victoria.

8. Et quam large per te factae
Nactae preces sunt effectum
Rectum pro te colentibus!
Ergo, pia et decora,
Ora pro me reo Deum
Meum votis frequentibus,

9. Ut a noxis me emundet,
Fundet, ut confirmet sua
Tua ope in gratia,
Per quam sit peccandi ausus
Clausus, sed agendi bene
Plene sit efficacia.

10. Ac iucunda mundi quaeque
Aeque donet aspernari
Clari et sui lumine
Vultus mox post cursum vitae
Rite luminari sine
Fine eiusdem numine.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

274. De sancta Elisabeth.

1. Magnum pietatis donum
Et exemplum multis bonum
Fulget in Elisabeth,
Nascitur nobilitatis
Stirpe, sed humilitatis
Haec cor fidele habet.

2. Tempore sub iuventutis
Haec virtutis et salutis
Commoda quaesierat,
Gradi cepit iter tutum,
Christum sumens sibi scutum
Et hoc se munierat.

3. Hostesque sic superavit
Et virtutes cumulavit
Excellenti numero,
Mater fuit orphanorum,
Medicamen infirmorum,
Utroque sed umero

4. Iugum Domini portavit,
Illis stravit, sordes lavit,
Nudos multos vestiens,
Tandem Christus suam caram
Caeli vexerat ad aram,
Cum quo regnat gestiens.

5. Nobis, felix o matrona,
Posce sempiterna dona
Apud Christum Dominum,
Qui natus est Dei patris
Ac Mariae piae matris
Et salvator hominum.

6. Iesu bone, fac me dignum,
Ut in caritatis signum,
Qua ad hanc afficior,
Laudem adiutricem meam,
Ut ad bona sim per eam
Semper sollicitior.

7. Elisabeth tu regalis,
Miro modo subiugalis,
Sidus es eximium.
Vero soli iam unitum,
In supremo caelo situm,
Mundo lucens nimium.

8. Quid in laudem dicam tibi,
Nescio, nam regnas ibi,
O mater egregia,
Quo se sibi dat in donum
Iesus Christus, summum bonum,
In caelesti regia.

9. Recte tibi est aptatum
Nomen, quod interpretatum
Dicitur saturitas,
Deum namque saturavit
Deum et inebriavit
Vitae tuae puritas.

10. Odor tuae bonae vitae,
Casta mens et pectus mite
Sanctaque devotio,
Quam habebas, ad fervorem
Multos traxit, ad amorem
Dei, ut conicio.

11. Valde enim exemplaris
Eras cunctis tui maris
Utens sic consortio,
Ut servares caelibatum,
Amplectendo Christi statum
Facto nec divortio.

12. Pulchre per hanc designaris
Mulierem, quam solaris
Fulgor amicierat,
Et sub eius pede luna,
Et siderea corona
Caput redimierat.

13. Nam calcasti velut lutum
Cuncta mundi, et virtutum
Verus sol iustitiae
Te corona decoravit,
Et totius venustavit
Decor pudicitiae.

14. Hesther, Iudith, Anna, Sara
Te figurant, mea cara
Meumque praesidium,
Quarum quidquid laudis erat,
In te est et perseverat,
Ergo fer subsidium.

15. Pacis dulcis mater bona
Sis, ut me defendas prona
Isto in exsilio,
Da perfecte mala linquam,
Satan, mundum, carnem vincam
Tuo cum auxilio.

16. Praedicanda semper eris,
Nam sub typo mulieris
Salomon fortissimae
Te expressit de extremis,
Cuius merces in supremis
Finibus longissime.

17. O matrona praedilecta,
Ducas me in via recta
Ad caeli palatium,
Ubi tecum Christum Deum
Semper laudem, qui est meum
Unicum solacium.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Trevirens. 116.

275. De sancto Erasmo.

1. Salve, o Erasme, sancte
Pontifex et martyr ancte
Propter Christum multis poenis
Gravibus, horrore plenis.
2. Hostes nimis inhumani
Non horrebant ut insani
Tibi rabie ferina
Extorquere intestina.
3. In tormento tam crudeli
Mente stabas tam fideli,
Quod nec semel tristabaris,
Sed ut victor laetabaris.
4. Quanto durior conflictus,
In quo miles stat invictus,
Tanto dignior corona,
Honor, laus sit tibi prona.
5. Hinc te credo valde gratum
Coram Deo tam amatum,
Quidquid velis obtinere,
Non negabit tibi vere.
6. Ex quo pium te attendo,
Totum tibi me commendo,
Ut tu eras foris, intus
Totus poenis circumcinctus,
7. Sic et me in cunctis horis
Salvum serves intus, foris,
Sicut eras tu mansuetus
Et ad patiendum laetus,
8. Sic et me fac patientem,
Mansuetum, oboedientem,
Sicut tu evisceratus,
Asta mihi sic paratus.
9. Vacuer a malis iunctis,
Replear ut bonis cunctis,
In praesenti ad solamen,
Post in caelo semper. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

276. De sancta Eulalia.

Sponsa Christi Eulalia,
Hispaniae Barcinola,
Te plagavit Dacianus,
Mente caecus et insanus,
5. Qui te iussit fatigari
Et mamillas concremari
Per bullientem [!] oleum
Et per plumbum liquefactum;
Fricari tua vulnera
10. Iubet ob cruciamina,
In caminum delegata,
Felix virgo et beata,
In quo psallens Deo laudem,
Quod vincebas hostis fraudem,
15. Per quam fraudem non seducta
A Donato sic instructa,
Qui baptismo te mundavit
Et a diis segregavit.
Decalvata et distincta
20. Nec in fide sic exstincta
Facta tu es spectaculum
Pronuntians miraculum,
Cum tyranno dixeras:
Vultum mis inspicias,
25. Ut cognoscas vultum meum
Ante summum verum Deum,
Qui est iudex defunctorum
Pius pater et vivorum,
Quando venit iudicare,
30. Agnos, hoedos segregare,
Cui laeta tunc astabo
Et te nequam accussabo.
Ad quam vocem sunt perversi
Ad fidem multi (tunc) conversi.
35. O virgo et martyr Dei,
Precibus memento mei,
Ut vocatus sim paratus
Et contritus Deo gratus,
Non ite vos, sed venite
40. Audiam a vera vite
Et sic Sanctus semper clamem
Cum sanctis in aevum. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

277. De sancta Euphemia.

1. Gaude, virgo Christi sancta,
Martyr multis poenis ancta.
Egregia Euphemia,
Quas libenter sustulisti,
Te audacter iniecisti
Ob infinita praemia.

2. Stirpe nata praehonesta,
Voce clara es conquesta,
Te perpeti iniuriam
In hoc facto, quod athletae
Multi mitterentur prae te
Ad summi regis curiam.

3. Cur torta incarceraris
Sive diu alaparis,
Hinc bestias mortiferas.
Rotas, ignes vincens pura
Et secures, saxa dura,
Sartagines igniferas.

4. Horum vires precis nexu
In fragiliori sexu
Constringens viriliter
Castitatisque incultos
Corruptores satis multos
Confundens laudabiliter.

5. Sed tandem transfossa ense
Sponsa volas inoffense
Ad sponsi tui faciem,
Clare splendens coronata
Quasi rosa liliata
Inter sanctorum aciem.

6. Omnium o gemma morum,
Felix soror angelorum,
Dulcissima virginitas,
Tu lampas ecclesiarum,
Lux et decus animarum,
Te amat sancta trinitas.

7. Hinc a servo tuo diram
Impii averte iram,
Ne peream perniciter,
Corpus castum, cor da mundum,
Finem bonum et iucundum,
Ut vivam post feliciter.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

278. De sancta Euphemia.

1. Euge, felix Euphemia,
Sis felicitatis via
Nobis in exsilio.
Auge vires nostrae spei
Qui in multis sumus rei,
Ut in futuro saeculo
Iungamur Dei filio.

2. Pudicitiae columna,
Dos virtutis et alumna,
Stella fulgens gloriae,
Ora Deum tu devote
Pro nobis, ut mente totae
Deleantur scoriae.

3. Bonitatis cella
Deitatis mella
Nobis impetra
De petra deserti,
Hic sumus incerti,
Tu nos adiuva.

4. Euphemia, corde maesto
Te vocantum memor esto,
Vernans flos munditiae,
Nobis tecum sit corona,
Cum beatis nobis dona,
Christe, sedem gloriae.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

279. De ss. Evangelistis.

1. O evangelistae grati,
Patres mei praeoptati
In cordis promptuario,
Dictis, scriptis estis rati,
Multis modis praesignati
Numero quaternario.

2. Quattuor per documenta
Paradisi vos fluenta
Totum orbem perfunditis
Totque fabri sacramenta
Vos formantes et figmenta
Errantium contunditis.

3. Quattuor ad omnes gentes
Auri circuli ferentes
Arcam legis opificis,
Tot et ordines fulgentes
Gemmis vestem polientes
Altissimi pontificis.

4. Totque terrae vos minora
Sed et sapientiora
Ceteris sapientibus,
Tot vos difficiliora
Ad plenum in nulla hora
Noscenda cunctis mentibus.

5. Tot et ianitores stantes,
Domum Dei conservantes
Ab impetu crudelium,
Tot columnae hanc portantes,
Tot venti vivificantes
Animas infidelium.

6. Totque viri vos in igne
Deum collaudantes digne
Tot vosque animalia,
Pulchrae formae tam benignae,
Quod virtutum per insigne
Sunt nunquam visa talia.

7. Matthaee homo divine,
O tu Luca vituline,
Me pauperem attendite,
O tu Marce leonine,
O Iohannes aquiline,
Me regite, defendite.

8. Ut homo discretione,
Bos carnis mactatione
Fiam in cunctis gestibus,
Leo in temptatione,
Avis contemplatione
Cum veris Christi testibus.

9. In scribendis Christi gestis
Verbis, signis manifestis
Vos summi cancellarii,
Vestris scriptis praehonestis
Ad festa regni caelestis
Vos nostri veredarii.

10. O quadriga, salvandarum
Felix vectrix animarum,
Per triste mundi spatium
Vehite me vestrum carum,
Ubi nihil est amarum,
Ad caelicum palatium.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

280. De sancto Georgio.

1. Solve captos, Georgi beate,
Carnis, animae captivitate,
Laetemur perenni libertate.

2. Languidos sacro sana precatu,
Libera nos ab omni reatu,
Digni simus tuo comitatu.

3. Averte mala, quae formidamus,
Temptationibus careamus,
Posce nobis bona, quae speramus.

4. Veniam impetra delictorum,
Ne catena stringat nos reorum,
Sed praecingat stola beatorum.

5. Locum, res et personas conserva,
Persecutores nostros enerva,
Ne in nos exerceant proterva.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

281. De sancto Georgio.

O Georgi, miles Christi,
Ut puellam defendisti
A cruore et a nece,
Sic defende tua prece
Circumquaque me et meos
Contra hostes saevos reos.
Sta in cunctis meis portis
Tamquam pugil terrens fortis,
Fac nullos adpropinquare,
Qui me volunt depravare.
Gaude, martyr, excessive,
Passus es superlative
Tam crudeles multas poenas,
Quod auditu turbant venas.
Quas omnes victoriose
Superasti gloriose,
Sic me iuva triumphare
Semper in adversis clare
Et me nunquam derelinquas.
Omnes fraudes fac longinquas,
Nullus sit occursus malus
Sit ubique firma salus.
Inimicis ne succumbam
Hic in vita vel post tumbam,
Ensem, hastam, arma, scutum
Adprehende, fac me tutum.
Ut ex tua armatura
Cuncta mea sint secura.
Corpus, fama, res, amici,
Quae exposco benedici,
Anima prae omni cura
Deo semper fruitura
Mox sit post emissum flamen
Tecum inter sanctos. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

282. De sancta Gertrude.

1. Salve, virgo speciosa,
Gertrudis, tu generosa
Ducis Pipini filia,
Puritate redimita,
Pretiosa margarita
Super auri milia.

2. Salva casta sponsa Christi,
Quae terrena respuisti
Per eius auxilia,
Via morum, flos virtutum,
Forte castitatis scutum
Reprimens hostilia.

3. Salve, gemma verae lucis,
Quae Austrasiorum ducis
Offucasti filium,
Carnem eius dum sprevisti
Et amplexus abiecisti
Voluptatum vilium.

4. Sed dum nimium temptaris,
Tunc a matre occultaris,
Castitatis lilium,
Et ob votum castitatis
Ac tutandae puritatis
Fugis in exsilium.

5. Ad partem orientalem
Franciae, ad locum talem,
Karleburch qui dicitur,
Ubi per te in Nivella
Tunc insignis atque bella
Basilica perficitur.

6. Omni cultu quam ornasti
Et in ea collocasti
Gregem monialium,
Tuque facta monialis,
Digna mater pastoralis
Es effecta talium.

7. Caecos, claudos collegisti
Et egenis praebuisti
Advenis hospitium,
Quos cibo spirituali
Cibastique corporali
Per pium exercitium.

8. Hinc labore facto satis
Pastoralis dignitatis
Cessisti officio,
Sponso tuo sic abs cura
Casta vita, mente pura
Servis in cilicio.

9. Carne sponte maceraris,
Ut tandem proficiscaris
Ad aeternum praemium,
Mole carnis hinc exuta
Te suscepit, virgo tuta,
Sponsi tui gremium.

10. Ergo, mater gratiosa,
Patens castitatis glosa,
Iustorum tripudium,
Consolatrix infirmorum,
Hospitatrix egenorum,
Maestorum refugium.

11. Gregem tuum tu custodi,
Ne per hostem possit rodi
Morte amarissimo,
Aufer fel adversitatis
Et da mella suavitatis
Gregi devotissimo.

12. Munda ergo nostras mentes,
Sponso tuo quod placentes
Sint per viam sospitem,
Ut post huius vitae cursum
Scandere possimus sursum
Ad caelorum hospitem.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 2, 4 Vis morum. — 3, 3 Lies Effugasti? — 9, 4 Lies exutam, tutam?

283. De sancta Gertrude.

O Gertrudis, virgo grata,
Ex regali stirpe nata,
Leprosos tu non sprevisti
Ob amorem Iesu Christi;
5. Caecis viam demonstrasti,
Esurientes cibasti
Et egenos hospitasti,
Per quos Christum acceptasti.
O virgo, nunc fideliter
10. Ora pro me suppliciter
Iesum, Mariae filium,
Ut post mundi auxilium
Mihi donet hospitium,
Ubi nullum supplicium,
15. Sed exsultare laudibus
Deo cum sanctis omnibus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

284. De sancto Gregorio.

Ave, doctor o Gregori,
Dilexisti mundo mori,
Humilis, mitis fuisti,
Quod a Christo didicisti,
5. Te servum servorum Dei
Scripsisti fideli gregi
Hoc docens esse pastorum,
Quod non fecit quis priorum.
Sancte papa o Gregori,
10. Vidisti Romanos mori
In peste inguinaria;
Letaniam statuisti,
Populum sic eruisti
A morte subitanea.
15. Sancti Petri te habere
Claves credimus et vere,
Nam tu paganum Traianum,
Sat iustum, non fide sanum,
Deflevisti, commovisti
20. Deum ad parcendum isti.
Eius animam de poenis
Inferni sicque catenis
Liberasti, quamvis ibi
Mansit nulla poena sibi.

25. O quam mira et stupenda
Dei facta et timenda!
Sancte pater o Gregori,
Meo succurre dolori,
Ad orandum pro me vaca,
30. Iudicem districtum placa,
Ut spiritus sui dono
Hic me aptet omni bono
Et in corpore peccata
Plagis purget, ut beata
35. Anima et Deo grata,
Cum hinc fuerit vocata,
Migret laeta ad beata
Beatorum gaudia.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 29 Ad adorandum Hs.

285. De s. Gregorio Martyre.

1. Pie praesul, o Gregori,
Qui non recursabas mori,
Multas plagas pertulisti
Propter nomen Iesu Christi.
2. Regyratus dorso fracto
Non es motus in hoc facto
Ac in ventre dissipatus
Mori pro Christo paratus.
3. Manibus, pedibus ligatus
Es in craticulam prostratus,
Sed dum supponitur ignis,
Terror magnus fit malignis.
4. Nam ex magno motu terrae,
Quem civitas nequit ferre,
Ex magna parte corruit,
Trecentos et plus oppressit.
5. Post carceri es mancipatus
Et ab angelo consolatus,
Sed eductus a carcere
Laudasti regem gloriae.
6. Variis poenis vexatus,
In fide Christi probatus,
Demum capite truncatus,
Sic ad caelos es vocatus.
7. Fortis Christi agonista,
Nos in valle sumus ista,
Sis protector noster fortis
Contra pestem iuge mortis.
8. Nos tuere, praesul pie,
Fructum virginis Mariae
Ante mortem da gustare,
O Gregori, Christi care.
9. Hi qui colunt tua festa
Venerando tua gesta,
Illos hic Christi famulus
Custodi horis omnibus.
10. Post hanc vitam tuta via
Tua duc nos prece pia,
Ut det nobis post tristia
Iesus beata gaudia.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

286. De sancta Helena.

Exsultat iam ecclesia
Orbis huius per spatia,
In cruore Christi lota
Mente promat nunc devota,
5. Quam Christus suo sanguine
Lavit in crucis stipite.
Helena, mater nobilis,
Salutem quaerens miseris,
Dum quaesisti Christi crucem,
10. Nostra spes recepit lucem.
O dilectrix nostrae spei,
Quaeso te, sis memor mei
Apud Christum, Dei natum,
Lignum crucis quod beatum
15. Me defendat in hac vita,
Quod vis hostis sit contrita.
O mater nostrae fidei,
Filia regis incliti,
Per quam fides roboratur,
20. Dum crux Christi exaltatur,

Quam donavit tibi humus,
Per quam nos salvati sumus,
Per quam hostis stat confusus
Et a nobis est exclusus;
Fructu huius sacri ligni,
Da, fiamus omnes digni
Manducare mundo corde,
Expurgari omni sorde
Et sic cor reficiamus,
Ut et vitam capiamus
Per tuas preces, o beata,
Per quam haec crux est mundo data.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

287. De sancto Hermolao.

1. Hermolae pontifex,
te saluto metro,
Tuum serva supplicem
a serpente taetro,
Ne a Christi aratro
me convertam retro,
Sed in fide moriar
cum beato Petro.

2. En, tu pios milites
fide illustrasti
Cum duce Achatio
et coadunasti
Deo per martyrium,
quod et tolerasti,
Placa mihi misero
hunc, pro quo pugnasti.

3. Rex per vos regnantium
mihi sit benignus,
Laudes vobis offero
pauper et indignus,
Quod me non subripiat
spiritus malignus,
Sim quoque collegio
supernorum dignus.

4. Me clementer liberet
vestroque ducatu
In caelesti collocet
Iesus principatu,
Zima tollet scoriae
vestro supplicatu,
A me pius conditor
omni cum reatu.

5. O praeclari milites,
Christi secutores,
Bellatores incliti,
hostium victores,
Impetrate supplici
vestro divos mores,
Vestra ut per merita
intrem caeli fores.

6. Lucis me perpetuae
faciat consortem
Vestris piis precibus
rex caeli et fortem
Vincere me faciat
Satanae cohortem,
Quod aeterni praemii
gaudia reportem.

7. Adversus Adrianum
constanter stetistis
In agone fidei,
mortem sic vicistis,
Quem cum satellitibus
suis evicistis
Atque in palatia
caeli introistis.

8. Vos, o decem milia
milites, pugnastis
Constanter pro Domino
hostemque calcastis,
Tormenta similia
Christi tolerastis;
Iesus per vos salvet me,
pro quo sic certastis.

9. Stetistis viriliter
contra Adrianum
Pro fide catholica,
pii patres, manum

Vestram nunc porrigite,
mundum quod hunc vanum
Contemnam et Satanam
conteram profanum.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 2, 1 Nam tu pios gegen das Akrostich. — 4, 8 omni a reatu. — 7, 1 Nam adversus. — 9, 1 Stetistis nam viriliter.

288. De sancto Hieronymo.

1. Gaude, lucerna ecclesiae
Accensaque sacro flamine,
Lumen succensum caelitus,
Fenum comburens penitus.

2. Gaude, tuba sonorosa,
Doctor legis, legis glosa,
Vox iucunda, laeta prosa
Sonus ut angelicus.

3. Gaude, citharista legis,
Organista summi regis,
Per quem dulcis cantilena
Sonat mundo mero plena.

4. Gaude, laeta harmonia,
Angelorum symphonia,
Auribus fidelium
Dulce reddens iubilum.

5. Gaude, dulcis Ieronyme,
Lux lucens in meridie,
Nam pellit mundi tenebras
Doctrinae tuae veritas.

6. Gaude fons catholicorum,
Vinum [dulce] iumentorum,
Camelis praebens potum vitae
Longe, late, prope sitae.

7. Gaude, fortis miles Christi,
Pompam mundi succidisti,
Iugum Christi tu portasti,
Omne vanum declinasti.

8. Gaude, mater ecclesia
Te laudat et catholica,
Quae per orbem est diffusa,
Fide recta stat inclusa.

9. O dulcis pater pauperum,
Pro me impio Dominum
Deprecare cum Maria,
Matre Christi, prece pia.

10. Ut post mundi exsilium
Virginitatis filium
Videam in caelestibus
Adiutus vestris precibus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

289. De sancto Hieronymo.

1. O doctorum doctor, ave,
Servulorum imo fave,
Ieronyme, mi domine,
Acceptetur hic benigne,
Quamquam detur laus indigne
De peccatorum homine.

2. Si indignus aut peccator,
Non malignus is laudator
Dici queat iuridice,
Nam, ut laudet, inquam, reus,
Mori gaudet homo Deus,
Quod creditur veridice.

3. Vermis rana dum coaxat,
Non spe vana linguam laxat
Cum angelis hymniferis,
Exstinctus sic carbo linquo
Exstinctos et appropinquo
Carbonibus igniferis.

4. Dat gradum aequalitatis
Mulierum maior natis
Tibi secum in praemio,
Te fert sibi considere,
Pari luce refulgere
In paradisi gremio.

5. Quod beatus Augustinus
Et Cyrillus, vir divinus,
Censerunt mirabiliter,
Nec mirandum, quod aequantur
Pugiles, dum praemiantur,
Qui certarunt similiter.

6. O aurora, quam decora
Stillans rorem, per quem florem
Virtutum concipio,
Da florere et frondere,
Ferre fructus, tuos ductus
Sequens non desipio.

7. Cardinalis ens in Roma
Spirans lateque theoma
Fers aemulorum furias,
Ad desertum inde gressus
Inhumanas es perpessus
Ibi carnis iniurias.

8. Macerata haec te teste,
Cilicina tecta veste,
Nudae humo alliditur,
Post squalescens et arescens
Nigra pellis de flagellis
Tuae manus inciditur.

9. Quis divinis in doctrinis
Exponendis, transferendis
Et in tot linguagiis
Tam profundus, tam facundus
Aut in tota mundi rota
Tantus in suffragiis?

10. Monialis saevis malis
Dum temptatur, obumbratur
Vi tuae imaginis,
Fratrem plane de germanae
Stupri felle contra velle
Salvas et voraginis.

11. Fremens leo mansuefactus
Pro medela ad te tractus
Pedibus provolvitur,
Sumpta cura duratura
Servitute pro salute
Merces tibi solvitur.

12. Claustri muris ruituris
Tis devotam hinc amotam
Solam servas de ceteris,
Exstinguis Sabinianum
Blasphemosque, sed filiarum
Pulchre solvis, dum peteris.

13. Cur, baptistae par, assiste,
In honore qui labore
Es huic comparabilis,
Postulato, ne irato
Iudicante Dei nato
Inveniar damnabilis.

14. Dato, pie, ut in die
Tam poenali tribunali
Astem securissime,
Hoc adverte dari per te,
Postulatur quidquid, certe
Rex iubet citissime.

15. Hinc scripturis de obscuris
Intellectum da perfectum
Cum sapore sugere,
Exquisita stare vita,
Motus luxus, bona fluxus
Et excessus fugere.

16. Esto fortis hora mortis,
Ne in manum duram canum
Ruam infernalium,
Expers luctus per te ductus
Stem in choro praefulgoro
Laudum perennalium.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Trevire. 116.

290. De s. Iacobo Maiore.

1. O Iacobe, tu lucerna
Galiciae iam superna
Lucens divino nitore,
Propugnator supernalis
Nobis datus, eia, qualis
A summo protectore.

2. Tu athleta Iesu Christi,
Primus merus qui fuisti
Inter apostolorum
Sortem et Iohannis frater
Et peregrinorum pater
Valle in hoc laborum.

3. Postquam multos convertisti,
Mortis calicem bibisti
Immensa caritate,
Nobis reis condescende,
Tu lucerna, nos incende
Caelica claritate.

4. O patrone vivae pacis,
Nos conserva in opacis
Ab omni certamine,
Post hanc mortem tuum gregem
Transfer ad caelestem regem
Divino regimine.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320). B. — 1, 2 Galaxiae A. — 1, 6 A fehlt A B. — 3, 2 Mortem calicis B. —

291. De sanctis Innocentibus.

1. Innocentes parvuli necati
Sunt pro Christo, ferro iugulati,
Sanguine proprio baptizati.

2. Nullum facto crimen commiserunt,
Suae mortis causam nescierunt,
Matrum sinibus occubuerunt.

3. Natum regem Iudaeorum quaerit
Herodes, illusus dire ferit,
Insontes sic multitudo perit.

4. O felix exercitus sanctorum
Morientium pro Christo, quorum
Precibus nos audi, rex caelorum.

5. Culpas nostras cruor innocentum
Tergat, ne sentiamus tormentum,
Vitae bonum poscant complementum.

6. Exeuntes vallem lacrimarum
Potiamur donis gratiarum
Carentes angustiis poenarum.

7. Natum parvum pusilli precentur,
Ne peccata nobis imputentur,
Sed beata praemia donentur.

8. Tuos, Christe, milites exaudi
Pro nobis, quorum vacamus laudi,
Hostium ne succumbamus fraudi.

9. Eripe nos omnibus a malis,
Exercitus poenae triumphalis,
Portis regni iungas aeternalis.

10. Sacra vobis turba sociate
Nos post exsilium, locum date
In perpetua felicitate.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — Vgl. Nr. 302.

292. De sanctis Innocentibus.

1. O sugentes innocentes,
Sanguinem et lac fundentes,
O agnelli tam tenelli,
Vos tirones novi belli
Primitivi Dei vivi,
Nam cruoris fluunt rivi
Ex vestra militia.
Quid egistis, quem laesistis,
Quem vos unquam offendistis?
Quid tam demens et inclemens
Contra vos Herodes fremens
Tam pusillos, tam tranquillos
Et omnino imbecillos
Pugnat cum saevitia?

2. Ex quo iacto omni pacto
Carne, corde, ore, facto
Castos, puros, non periuros
Nec mendaces, sed securos
Vos a labe, sine tabe,
De festuca vel de trabe
Esse purgatissimos.
Hinc in Rama vestra fama
Crescit de Herodis squama,
Nam nunc statis et cantatis
Cum agno zitharizatis,
Candidati, sociati
Hunc sequentes semper grati,
Hoc vos dat clarissimos.

3. O dilecti, mei recti
Vos patroni hic electi,
Precor tote et devote,
O Christi compatriotae,
Me iuvate et orate,
Pro me coram agno state,
Ut parcat miserrimo,
Ut scurriles mores viles,
Omnes actus pueriles
Iam deponam, ut coronam
Vobis sanctis datam pronam
Vestra prece mox in nece
Sumam sine culpae faece
Fructu saluberrimo.

Orat ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

293. De sanctis Innocentibus.

1. O beati innocentes,
Quorum voces atque mentes
Nihil mali peregerunt,
Quos perversi occiderunt.

2. Pro rege nato trucidati
Et in cruore baptizati
Regnum Dei meruistis,
In quod laeti introistis.

3. Lac fudistis cum cruore
Ac perfusi caeli rore
Adae culpam extersistis,
Vestram vestem abluistis.

4. Caelum cunctis reserastis,
Nova bella praeparastis
Sanctis, Christus quos redemit,
Quos iniqua gens peremit.

5. Primum gratum Deo donum
Intulistis caeli thronum,
Quod direxit patri natus
Pro salute nobis datus.

6. O beati innocentes,
Quos iam colunt omnes gentes,
Quae in Christum pie credunt
Et a fide non recedunt.

7. Vestra prece tueantur,
Quod a malis non laedantur,
Sed nobiscum consequentur,
Quod a Christo coronentur.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

294. De s. Iohanna Baptista.

1. O virtutum arx et scutum,
Da Iohannes pium nutum,
Fac me clare te laudare,
O amice Christi care,
Nam prophetae ante laete
Prophetabant longe de te
Illustri laudis calamo.
Cum factore nunc honore
Pari fulges, nunc maiore,
O benigne, per insigne
Angelo eodem digne
Tu praefaris, nominaris,
Tu in templo nuntiaris,
Christus tantum in talamo.

2. Non occultas, sed exsultas,
Matrem Christi dum auscultas,
Solvis grates novus vates,
Dum in matris alvo lates,
Statim natus iam sacratus,
Reverenter es levatus
Primo Mariae manibus.
Christi sator, praeclamator,
Vox, praecursor, praeparator,
Tu lucerna ad superna
Lucens, missus ad inferna,
Doctor gnarus, martyr clarus,
Angelus et virgo carus
Es liber ab inanibus.

3. Factor serum tam sincerum
Inter natos mulierum
Te sacravit, te laudavit,
Te maiorem praedicavit,
Nam cunctorum tu sanctorum
Fers perfectiones morum
Transcendisque sublimius.
Arto victu et amictu
In deserto cum afflictu
Pro tam raris diffamaris,
Christus esse reputaris,
Omnes vere sanctos mere
Sic dat foedos apparere
Tuus status eximius.

4. O baptista, est laus ista
Tuae dignitatis cista,
Quod post gregem supra legem
Baptizasti summum regem,
Quem iam agnum iuxta stagnum
Ostendisti laude magnum,
Tollentem mundi crimina.
Prava veta et da laeta,
Vere tu plus quam propheta,
Institutor et imbutor,
Paenitendi sis adiutor,
Ut rependam hic emendam
Dignam, ne post male tendam
Ad daemonum genimina.

5. Nunc stellatus et gemmatus
Lustras caelos deauratus
Cum amoeno serto pleno
Fructu pulchro tricenteno,
In quo pura duratura
Semper fulget haec scriptura:
Inter natos et cetera.
O quam gnave summum suave,
Trinum voce carne ave
Agnovisti, fac me sisti
Tecum ante vultum Christi,
Quo abs luctu fausto ductu
In hoc centeno [cum] fructu
Te cernam post haec vetera.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 5, 13 fehlt eine Silbe.

295. De s. Iohanne Evangelista.

1. Fons divinae caritatis,
Iohannes, divinitatis
Summus explicator,
Splendor merus virginalis,
Dulcor mirus supernalis,
Asiae lustrator.

2. Dogmate cenae rigatus,
Iesu cruce desponsatus,
Divinis inardescens,
Volans tu super Cherubim,
Amore ardens Seraphim,
Cum Thronis conquiescens.

3. Multa mira ostendisti,
Magnam gentem convertisti
In Pathmos relegatus,
Oleo ferventi missus,
Sed a poenis pie fissus,
A Christo conservatus.

4. Post laborem gentis grandem
Christo invitatus tandem
Ad mensam supernorum,
Virgo purus sic decessit,
Cuius corpus non marcescit,
Ut manna fert caelorum.

5. O lux lucis aeternalis,
Iesu Christi secretalis,
Sanctus sine maculis,
Nos in hoc statu flebili
Serva et carne debili
A taetris piaculis.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320). B. — 1, 1 O Fons divae B. — 2, 1 Dogma coenae irrigatus B. —

296. De sancto Ioseph.

1. Ioseph sancte et fidelis,
Cuius laudes sunt in caelis,
Ecclesia te commendat,
Curia caelestis laudat.

2. Ioseph castus, timoratus,
Virtuosus nominatus,
Te populus catholicus,
Caeli laudat exercitus.

3. Ioseph, Davidis filius,
Tu Iesuli nutricius,
Tua sancta praeconia
Signavit virga florida.

4. Ioseph, sponsus matris Christi,
Cui solus adfuisti
In omni necessitate
Vitae castae puritate.

5. Ioseph, pater salvatoris
Putativus, intus, foris,
Cui thesaurus absconditus
Creditus Dei filius.

6. Quem concepit florum flos
Sicut rosam caeli ros
Et tangit sine macula,
Munda manet in saecula.

7. O custos huius virginis,
Divinitus prae ceteris
Electus atque dilectus,
Iustus, bonus, pius, rectus,

8. Ora deitatis natum
Pro salute nobis datum,
Ut post huius vitae statum
Finem nobis det beatum.

9. Ora matrem deitatis,
Florem iuge puritatis,
Ut det nobis cum beatis
Lumen verae claritatis.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 5, 4 Creditus est Dei.

297. De sancta Katharina.

1. Gaude, sancta Katharina,
Es conversa vi divina
Miro modo [te] vagante,
Regnum tuum perlustrante.

2. Gliscens curiose clare
Universa explorare,
Tandem ad cuiusdam senis
Heremitae casam venis.

3. Qui suscepit te gaudenter,
Colloquendo condecenter
Pulchre suasit te nupturam
Ob tam magni regni curam.

4. Tuus sermo fit mox iocus,
Iubes tu: sit ipse procus,
Si sit sponsus amabundus,
Erit mihi vir iucundus.

5. Forma sensu sic micabas,
Nullum dignum te putabas,
Sed haec dicta tam iocose
Senex sumpsit seriose.

6. Ne tam pulchrum Dei plasma
Satan fieret phantasma,
Ipse spondet, tu discedis,
Ipse orat, tuque credis.

7. Poscens sponsum mox procatum
Dixit: satis est iocatum,
Cuncta vana, virgo, desint,
Culti gestus, mores praesint.

8. Ne verbis displiceatis
Sponso summae claritatis,
Forma vincit omnes solus,
Non fert parem terra, polus.

9. Tunc correpta es timore,
Tota languens in amore,
Clamas: diu cur protelas,
Quod hunc mihi non revelas?

10. Veniat, ut eum cernam
Et propter se cuncta spernam,
Tunc processit sponsus carus
Sicut sol prae cunctis clarus.

11. Dicens: o tu Katharina,
Elevans te a ruina,
Vidistine pulchriorem,
Clariorem, dulciorem?

12. Mea forma tibi placet
Iam, sed tua vilis iacet,
Quamdiu non baptizaris,
Mihi grata non putaris.

13. Illo caelum ascendente
Baptizata fis repente,
Sic ad fidem es inducta,
Fortior in pugnae lucta.

14. Undecumque effulsisti
Ceteris prae nymphis Christi,
Gradu, statu altiores
Habens semper obiectores.

15. Quinquagenos oratores
Prae cunctis subtiliores,
Reginam imperialem,
Summam hostis conthoralem,

16. Clarum ducem et ducentos
Milites sub eo tentos,
Omnes bene hos vincebas
Martyresque faciebas.

17. Sed ferum imperatorem
Viceras miseriorem,
Eius minas contemnendo
Poena laeta patiendo.

18. Flagra, vincla, fames, rota,
Mucro super te sunt mota,
Haec, o virgo tu regalis,
Tenera et curialis,

19. Patienter sustinebas,
Sic et hostem plus pungebas,
O beata Katharina,
Virgo martyr et regina.

20. Probat sponsi vox potentem,
Te mons Sina sapientem,
Angeli te castam, diam,
Liquor tumbae valde piam.

21. Hinc tu potens me defende,
Dogma prudens tu impende,
Fac me castum tu, o casta,
Pia, mihi pie asta.

22. Sint res, fama, mors et vita
Semper per te custodita,
Post me duc ad iubilamen
Ante vultum Dei. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

298. De sancto Laurentio.

O summa spes fidelium
Et sanctorum solacium,
Ad te clamantes respice,
Interventu Laurentii,
Martyris et diaconi,
Nostras preces non despice.
Qui lumen caecis reddidit,
In te sperantes edidit
Suis sacris dogmatibus
Et thesauros ecclesiae
Pro tuo pio nomine
Erogavit pauperibus.
Igne sanctus comburitur,
Passus caelum ingreditur,
Iacens in craticula
Intus ardet ut facula.
In qua dira passione
Fortis certat in agone,
Testatur haec diecula
Hoc per aeterna saecula.
Ad nos, levita, propera,
Thesauros nobis eroga,
Confer, pie o Laurenti,
Auxilium sacrae genti
Festa tua nunc colenti,
Devote modo decenti
Rite psallere, ne colonis chaos,
Qui te colunt, ingruat atrox,
Roget patrem tua vox,
Ut a nobis procul pellatur nox.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 27 coloni. — 29 Tua vox rogat patrem.

299. De sancto Laurentio.

1. O Laurenti, martyr Christi,
Tu sitisti, occurristi
Et bibisti, ut cupisti,
Dirum haustum, holocaustum
Factus totus, sic fis notus
Toti mundo, cum iucundo
Praeconio laudabilis.
Sixtus dixit ut propheta:
Tibi restat maior meta
Pugnae gloriosioris,
Acrioris, durioris,
Fili mere, noli flere,
Ecce, vere me sequere
Post triduum spectabilis.

2. Prudens dator thesaurorum
Quaeris turbas egenorum,
Lavas pedes osculando,
Ore blando consolando
Caecisque per signum crucis
Pie reddis visum lucis
Post tractus ad certamina.
Quo saeve interrogaris,
Fustigaris, laniaris,
Cruentaris cum plumbatis
Laminisque inflammatis,
Tuis costis applicatis,
Tandem perfers dirae cratis
Super ignem examina.

3. Heu, heu, ibi vivus discis,
Quomodo necatus piscis
Perassatur, denigratur,
Perforatur, eliquatur
Per nimis ardentes stillas,
Quae urunt tangentes illas,
Quaecunque laetus pateris,
Ais namque sensu sano
Ipsis Decio profano,
Iudici Valeriano
Coetuique horum vano,
Ut gyrarent et vorarent,
Ventres suos satiarent
Excocti parte lateris.

4. O Laurenti, te colenti,
Servienti nunc consenti,
Fac, sit mecum, ut cor tecum
Illustretur, speculetur
Solum meum verum Deum
Fide pura sine cura
De istis mundialibus.
Martyr bone, mi patrone,
Tua cratis ardens satis
Me defendat, ut accendat
Dei igne tam benigne,
Ut devictis flammis fictis
Sim immunis sic a prunis
Tremendis gehennalibus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

300. De sancto Leonhardo.

1. Gaude, privilegiate,
Leonharde sublimate,
In hoc dono speciali
Vi vincenda carcerali.
Captivorum es adiutor,
Vinculorum dissolutor,
Es oppressor tyrannorum,
Sed erector oppressorum.
2. Gaude, mi patrone sacer,
Nullus carcer est tam ater,
Quin tu gratia divina
Frangas hunc vi leonina;
Omnes ferreae catenae
Nequeunt te ferre plene,
Quando te adesse sciunt,
Mox ut cera liquefiunt.
3. Gaude, gaudium turbatis,
Tempore anxietatis
Praestas omni te colenti,
Quodvis damnum metuenti.
Franciae reginam gratam
Quasi iam periclitatam
In partu et prolem secum
Tu salvasti ope precum.
4. Gaude, pie Leonharde,
Vinculatis dulce narde,
Me iuvare semper arde
In periculis non tarde;
Cunctis horis, cunctis locis,
Cunctis seriis et iocis
Sentiendo me tuere,
Ut iam saepe sensi vere.
5. Gaude, pater Leonharde,
Fortis ope leoparde,
Me defende circumquaque,
Corpore et animaque,
Serva me a tyrannorum
Vinclis et daemoniorum,
Ut sis mihi sic solamen
Hic et in aeternum. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

301. De sancto Livino.

1. O Livine, martyr Dei
Confer tuis precibus,
Ut sit Deus memor mei
Nunc et horis omnibus.
2. Quod sim mundus a peccatis
Multis venialibus,
Magnis, parvis, inauditis
Septem et mortalibus.
3. Confer mihi cor quietum,
Pacem cum hominibus,
Inter iustos fac me laetum,
Tutum a daemonibus,
4. In hoc mundo sanitatem,
Vitae necessaria,
Mox post mortem claritatem
In aeterna patria.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. —

302. De sancta Lucia.

1. Lucia, virgo Siracusana,
Inclita stirpe prodis humana,
Detestaris idola profana.

2. Uita prudens moribus serena,
Gratiarum muneribus plena,
Ut lutem respuebas terrena.

3. Corde casta, mente columbina,
Refulgebas virtute divina,
Clemens me adiuvare festina.

4. Integram fidem precatu dona,
Spem perfectae caritatis, bona
Immortalitate me corona.

5. Ardeat ne me gehennae pruna,
Felix sit huius vitae fortuna,
Assis hora mortis opportuna.

6. Lucis auctorem Christum confessa
Es tormenta gravia perpessa,
Pro me preces fundere non cessa.

7. Cito fer auxilium poscenti,
Grandi poena tui pro tormenti
Deo me recommenda viventi.

8. Alma stas immobilis columna,
Lucia, dos virtutis alumna,
Ab omni me liberes aerumna.

9. Locum, res, familiam defende,
Contra hostes iuvamen impende,
Clamantes ad te clemens intende.

10. Pacem, vitam, gratiam dignare
A Domino nobis impetrare,
Post mortem ad gaudia migrare.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — Zwischen Strophe 2 und 3 ist eine das Akrostichon störende eingeschoben:

Filia Domini benedicta,
Suppliciis pluribus addicta,
In tormentis manebas invicta.

303. De sancta Lucia.

1. Salve, castitatis via,
Virgo sacra, o Lucia,
In cruore tuo lota,
Fide Christi stans immota,
Te laus decet cum Maria,
Cui caeli ierarchia
Voce pura et devota
Promat laudem mente tota.

2. Salve, rosa venustatis,
Ornans caelum cum beatis,
Paradisus stat iucundus,
Cum te colit totus mundus;
Cum sigillo castitatis
Matre, flore pietatis,
Cuius fructus rubicundus,
Sapor odorque profundus.

3. Salve, gemma puellaris
Cum puellis tam praeclaris
Sequens piam margaritam,
Quae donavit mundo vitam;
Haec est mater expers maris,
Cui rite famularis,
Quae splendescit sicut Titan,
Lunam habens sub se sitam.

4. Salve, rubens flos amoris,
Tinctus fonte Salvatoris,
Qui peccatum mundi lavit
Morte vitamque donavit;
Quem concepit flos decoris
Sicut guttam caeli roris,
Quem flos nobis irroravit
Sicut David prophetavit.

5. Salve, sidus firmamenti
De splendore plus habenti
Nobis lucens ut matrona,
Hoc solamen nobis dona,
Opem fer fideli genti
Pro reatu suo flenti,
Ut in fine nobis prona
Cum beatis sis corona.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

304. De sancta Margareta.

1. Gaude, virgo Margareta,
Martyr Christi, sponsa laeta,
Rosa mixta lilio,
Gaude, patri odiosa,
Sed gratanter amorosa
Summi regis filio.

2. Gaude, pectinum, virgarum,
Vim ardentum facularum
Passa in eculeo,
Gaude, dire flagellata,
Carne tota lacerata
Poenarum aculeo.

3. Gaude, quia multos salvas,
Saevo sic praecludis valvas
Iudici Olybrio;
Gaude, nam calcasti sanctis
Tuis femineis plantis
Satan cum ludibrio.

4. Gaude, prece exaudita,
Decollata gaudes ita
In chorea caelica,
Iuva, rege, trahe, punge
Et me servum tibi iunge
Festa ad angelica.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 2, 4 lacerata.

305. De sancta Margareta.

Salve, virgo Margareta,
Quae per poenas plures laeta
Sponsum agnum imitaris,
Cui modo conversaris,
Laetaris absque mensura
Neque unquam turbatura.
Vae clamantes in hac valle
Tu meantes in hac calle
Prece tua iuva pia,
Ut dum scandunt ab hac via
Summam intrent civitatem
Ad supernam vetustatem.

Ibi tecum laudent agnum,
Iesum Christum, regem magnum,
Cuius vultu iucundatur
Totum caelum et laetatur.
Ibi deest omnis poena,
Solum ibi sunt amoena
Ab aeterno praeparata
Sanctis, quae et nobis, grata
Impetra o Margareta,
Videre Dei secreta.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

306. De s. Maria Aegyptiaca.

1. Gaude, Maria Aegyptiaca,
Quam perlustravit Dei gratia,
Ut Christum post peccamina
Quaesivit mente lucida.

2. Gaude, quia meruisti
Viam sequi Iesu Christi,
Quae peccatrix exstitisti,
Post peccata surrexisti.

3. Gaude, mater gaudiosa,
Nam de spinis floret rosa,
Per foetorem odiosa,
Sed mundata nunc formosa.

4. Gaude nunc, o clara stella,
Huius maris quam procella
Obfuscavit per vitia,
Nunc per cuncta lucet saecla.

5. Gaude, tu clarum speculum,
Angelorum tu gaudium
Et omnium errantium
Specimen et solacium.

6. Gaude, salus miserorum,
Sublevatrix aegrotorum,
In te coetus angelorum
Gaudet, Christus, rex caelorum.

7. Gaude, nunc tu in gloria
Beata, munda, fulgida,
Funde tua precamina
Pro nobis, mater inclita.

8. Da nunc peccata plangere,
Immunda nunquam tangere,
Ut tunc possimus pangere
Laudem datori gloriae.

Orat. ms. Carthusiense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 5, 2 tu fehlt. — 7, 3 tu precamina.

307. De sancta Maria Magdalena.

1. O Maria Magdalena,
Via patens, lux serena
Data peccatoribus,
Quam sequentes liberantur
Paenitentes et purgantur
Vitiorum sordibus.

2. Tu es stella radiosa,
Diu tamen nebulosa
Obducta caligine,
Et peccatrix appellata,
Supra modum deformata,
Facta membrum Satanae.

3. Sed cum solem aspexisti,
Lumen clarum resumpisti,
Conversa es sincerius,
Fontem vivum accessisti,
Culpas ibi detersisti
Lacrimata plenius.

4. Revocatum est edictum,
Est translatum et delictum
In spem delinquentium,
Nomen tuum interdictum
Stilo forti est rescriptum
In libro viventium.

5. Ubi scelus abundavit,
Plus se virtus dilatavit
Spiritalis gratiae,
Quae te carnis voluptates
Atque mundi vanitates
Fecit omnes linquere.

6. Deo bene providente,
Martha frequens satagente
Circa ministerium,
Elegisti tu prudenter
Vacare Deo ferventer,
Unum necessarium.

7. Recumbentis Iesu Christi
Pretiosum effudisti
Unguentum in capite,
De quo Iudas indignatur
Et avarus machinatur
Christum morti tradere.

8. Post cum mater crucifixi
Cruci tristis astitisti
In agone patiens
Agni mitis immolati,
Innocenter trucidati,
Neci luctum faciens.

9. Porro tuum cum affectum
Inflammaret ad profectum
Vis amoris fervidi,
Ut redires ad sepultum
Visitares et defunctum
Mane prima sabbati,

10. Meruisti resurgentem
Contemplari, prohibentem
Pedes suos tangere,
Ita maestam consolatur,
Hortulanus qui putatur,
Non cessantem plangere.

11. In augmentum sanctitatis
Te doctricem veritatis
Misit evangelicae
Auctor ipse pietatis,
Ut haberes dignitatis
Nomen apostolicae.

12. Demum satis fatigatam,
Praeelectam valde gratam
Te duxit ad eremum,
Ubi carne resoluta
Evolasti via tuta
Ad perenne gaudium.

13. O matrona, mater bona,
O benigna, laude digna,
Cara Dei filia,
Intercede pro devota
Tibi mente, qua te tota
Honorat familia,

14. Ut a labe, qua foedamur,
Emundati mereamur
Peccatorum veniam
Et post mortem cum beatis
Ad supernae maiestatis
Transeamus gloriam.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

308. De sancta Martha.

1. Gaude, pia laboratrix,
Verbi Dei seminatrix,
Multam plebem acquisisti
Per semen, quod tu sparsisti.

2. Gaude, speciosa forma,
Martha virtuosa norma,
In qua refulget claritas,
Claret et Dei bonitas.

3. Gaude, nutrix panis vitae,
Hospitatrix agni rite,
Cuius te lana candida
Ornat plus rosa fulgida.

4. Gaude tu, quae meruisti
Vultu frui Iesu Christi
Tunc in terris, nunc in caelis,
Dulcis mater et fidelis.

5. Gaude, Martha, quae ploratu,
Fletu atque ululatu
Vitam fratri impetrasti
Sic a vita, quam amasti.

6. Gaude, gemma caritatis,
Nam de fonte deitatis
Sumpsisti mel mirificum
Et potum salutiferum.

7. Gaude, casta, munda, cara,
Stella fulgens et praeclara,
Cuius splendor ut aurora,
Super aurum plus decora.

8. Gaude, floridum lilium,
Super nivem plus candidum,
Cuius odor et albedo
Demulcet velut dulcedo.

9. Gaude, fulgida lucerna,
In qua luxit lux superna,
Quae monstravit multis viam
Ad caelestem hierarchiam.

10. Gaude, sponsa speciosa,
Mater nostra gratiosa,
Nobis placa Dei natum,
Quod est super omne datum.

11. Gaude, felix o' ministra,
Vitae activae magistra,
Fonte vitae refecisti,
Potum cuius concupisti.

12. Gaude, tua memoria
[Est] in aeterna gloria
Digito Dei signata,
Libro vitae exarata.

13. Gaude, tu vas clementiae,
Nos miseros hic respice,
Pro nobis mater regia,
Ne laedant nos haec tristia.

14. Gaude, virgo, cum Maria,
Matre Christi, prole pia,
A quibus caelum impetra
Nobis tu, pia domina.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

309. De sancto Matthaeo.

Gaude, spes salutis meae,
Alme pater mi Matthaee,
De honore triplicato,
Tibi soli simul dato,
5. Quem sanctorum simul vere
Nullus scitur possidere,
Nam apostolus es clarus
Et evangelista gnarus.
Es et martyr triumphalis,
10. Quis tibi in his aequalis?
Qui in caelis sic praeferris,
Opem reis fer in terris.
Lucra mundi reliquisti,
Lucra caeli recepisti.
15. O evangelista prime,
Leva corda in sublime,
Ne his vanis maculentur,
Sed divinis delectentur,
Et ut fiat hoc perfecte,
20. Modum doctor doce recte.
Tu praelatus puellarum
Primus Deo sacratarum,
Quas amasti, custodisti,
Tam fidenter protexisti,

25. Quod ob virginalem florem
Tuum fuderas cruorem.
O Matthaee, tibi tantus
Erga me sit fervor sanctus,
Quantus fuit erga illas,
30. Vires robora pusillas,
Tua sacra sub tutela
Sume me cum parentela.
O praeclare princeps mundi,
Fac me laedi nec confundi,
35. Me et mihi attinentes,
Ubicunque consistentes,
Ut in Deo semper laeti
Simus bona pace freti.
Fortis Dei agonista,
40. Nunquam ope mihi dista,
Velox mihi sis adiutor,
Ut tu Christi es secutor,
Tui sit pensare, nosse
Tam infirmum meum posse;
45. Quanto scis fragiliorem,
Tanto opem da maiorem.
O Matthaee, iudex orbis,
Sana me a cunctis morbis,

Oro, licet lingua balba,
Veste clara me dealba,
Sicut Mauros dealbasti,
Quos ad Christum convocasti,
Ut in morte laete, compte
Sic occurram sponso prompte
Ad convivii solamen
In caelis cum sanctis. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

310. De sancto Matthaeo.

1. O Matthaee, virtutum flos.
Te rigavit caelicus ros,
Mundana dum liquisti,
Dum φῶς Christi te reluxit,
Mox apostolum produxit,
Sic Christo adhaesisti.

2. Evangelium scripsisti,
In quo mundum docuisti
Semitam veritatis,
Aethiopes saevissimos
Ad fidem placatissimos
Egisti deitatis.

3. Signa magna complevisti,
Magos templi dirimisti,
Post haec perpessus plura
Coronam martyris tandem
Meruisti et eandem
In altaris cultura.

4. Sic a tergo transvibratus
Diro ense es mactatus
Ob fidem electorum.
Sic decessit carus Dei,
Qui nos iungat summo regi
In iubilis caelorum.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320). B. — 1, 4 Dum pos. B. — 1, 5 Mox et alpium produxit A. — 2, 2 Inde mundum B; didicisti A. — 4, 1 Sica ergo transvibratus A. — 4, 5 iunget B.

311. De sancto Matthia.

1. Serve Dei venerande,
O Matthia, et amande,
Candoris lux caelorum,
Te elegit sors divina
Iudae praestante ruina
Sortem apostolorum.

2. In qua fulgens digno more,
Divino statu et decore
Virtutum deitatis,
Florens tuum dogma dignum
In Iudaea et benignum
Exemplum sanctitatis.

3. Viam Dei sic rexisti,
Multos malos erexisti
De lacu infernali,
Infinitos post labores,
Signa magna et sudores
Vinea aeternali

4. Passionem complevisti
Et aeterna introisti
Divinis candoribus.
O caelorum luminare,
Ibi nostrum recordare
Nostris in maeroribus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433. (Helmstadien 1320). B. — 1, 5 perstante B. — 2, 2 Eine Silbe zu viel; lies Divo?

312. De sancto Mauritio.

1. Gaude, sacer dux Mauriti,
Praefuisti mente miti
Thebaeorum coetui,
Quos iussisti non reniti,
Ne ad mortem sic inviti
Subiacerent metui.

2. Sermo tuus hortativus,
De Christo exemplativus,
De condendis gladiis
Sic erat inflammativus,
Quod manavit magnus rivus
Sanguinis in stadiis.

3. Animati per te mire,
Prompti omnes interire
Ita efficaciter,
Quod ad ictum mortis dirae
Se gliscentes praevenire
Praecurrunt audaciter.

4. Sic prius examinati
De fide bis decimati
Estis in capitibus,
A malignis post vallati
Omnes estis trucidati,
Calcati equitibus.

5. Decimas solvistis rerum
Atque decimas dierum,
Decimas et capitum,
Ultimas, ut dicam verum,
Solvere est nimis ferum
Nec est prius sapitum.

6. O sex milia sexcenti
Sexaginta sex contenti
Legionis numero,
Rapuistis violenti
Sic caelum per vim tormenti
Laeti flexi humero.

7. Huic mundo vobis totam
Meam vitam vix devotam
Nolite deserere,
Sed servate sic immotam
Mentis, carnis famae notam
Nunquam cogar gerere.

8. Anima sit semper pura
Dans cuiquam sua iura,
Deo principaliter,
Ut in morte sit secura,
Mox vobiscum regnatura
Caelo aeternaliter.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

313. De sancto Pancratio.

1. O Pancrati, martyr bone,
Pretiose mi patrone
Prae multis divitiis,
Nobili de stirpe natus,
Virtuose educatus
Immunis a vitiis.

2. Puerili in aetate
Caesaris a maiestate
Aggressus blanditiis,
Spondet te felicitandum
Splendideque honorandum
Suis amicitiis.

3. Doces vere plus debere
Ab his mere abstinere
Ut ab immunditiis.
Nam tormenta et mors dura
Reputantur ut pictura
Tuis in iudiciis.

4. Unde Caesar maledictus
Furens magis et adflictus
Propriis malitiis
Iubet mox te decollari,
Immo finem poenis dari
Cunctisque suppliciis.

5. Sed tibi in hoc agone
Nobiles assunt matronae
Funeris officiis;
Qui ad tuum mausoleum
Falsa iurat, pandis reum
Certis cum indiciis.

6. Aufer a me verbum stultum,
Mendax os et iurans multum,
Tuis beneficiis
Da, ut consors faciei
Fiam visionis Dei
Summis in deliciis.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

314. In Conversione s. Pauli.

1. O quam candor scientiae,
Paule, auctor ecclesiae,
Graecorum doctor legis,
Speculator divinalis,
Lux fidei, ecce, qualis
Prolator veri regis.

2. Eia, quanta es perpessus,
Fidem Christi cum confessus
Ingenti caritate,
Ultra modum fatigatus,
Verberatus, incippatus
Fraterna falsitate.

3. Fame, siti cruciatus,
Feris datus, lapidatus,
Quam tormenta plurima!
Sic quantum electum gregem
Unasti ad Christi legem
Cum cura fortissima.

4. Tu cum Petro es detentus,
Iudicatus et praeventus
Ad necem diram ensis
Pro amore Iesu Christi,
Quem benigne dilexisti
Cum viribus immensis.

5. O caelorum contemplator,
Miserorum miserator,
Nostrorum miserere,
In aeterna claritate
Coram summa bonitate
Sic pie nos tuere.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320). B. — 3, 3 Et quam tormenta plura B. — 3, 4 quantam electam AB. — 3, 5 Adunasti Christi legem B.

315. De sancto Petro.

1. O princeps apostolorum,
Petre, lumen Romanorum,
Flos vitae sanctitatis,
O decus paenitentiae,
Columna indulgentiae
Tu fautor veritatis.

2. Qui Iesu familiaris,
Cephas mundi appellaris,
Quam multos erexisti
De miseria fanorum
Atque coetu paganorum,
Quam iuste tu vixisti.

3. Tu pluries incippatus,
Degens plorans, fatigatus
Opprobria post dira
Et truci cruci affixus,
Tormentatus, crucifixus
Afflictione mira.

4. O confessor nati Dei,
Roborator sanctae spei,
Tu ianitor caelorum,
Promulgator novae legis,
Angularis summi regis,
Remissor peccatorum.

5. In hac vita fac nos puros
Supernorum sic securos,
Cum venit mortis hora,
Ut tunc simus supernales
Gaudiorum partiales,
Pro nobis exora.

Orat. ms. Charthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116 A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320.) B. — 1, 6 Tu favor A. — 3, 3 Post opprobria B. — 3, 4 Atroci cruci B. — 4, 4 Promultor et novae A.

316. De ss. Petro et Paulo.

Salvete, praeclarissima
Vos caeli luminaria,
O principes incliti
Et rectores populi,
5. Columnae vos firmissimae
Sanctae Christi ecclesiae
Tu claviger caelorum, Petre,
Tu doctor veritatis, Paule.
Vos verba vitae seminastis,
10. Ecclesiam Dei rigastis
Cum vestro sacro sanguine
Pro Christi Iesu nomine.
Pleni ardenti caritate
Et affluentes pietate
15. Pro fide calicem bibistis
Passionis, quem tunc sitistis,
In potentias introistis
Domini, ut desiderastis.
Sis, sancte Petre, mihi fautor
20. Et absolutionis autor,
Tu, Paule, vas electionis,
Sis rector meae rationis,
Ut acta mala displiceant,
Et verae virtutes placeant,
25. Quibus mihi propitium
Habeam Dei filium,
Cuius amara passio
Mea fiat redemptio.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

317. De ss. Philippo et Iacobo.

1. O Philippe populator
Iacobe ac supplantator
Sordium vitiorum.
Miris donis vestra vita
Est virtutum praepolita
Ac dignitate morum.

2. Vestra digna documenta
Fulgebant ut firmamenta
In nutu deitatis,
Multis gentibus submersis
Subvenistis his conversis
Morte acerbitatis.

3. Pessumdatus lapidatur
Philippus et trucidatur
Crucis afflictione,
Terram sanctam summe rexit
Iacobus atque protexit
Praesulis statione.

4. Tunc iustus praecipitatur
De templo et lapidatur,
Tandem martyrizatur
Saeva pertica fullonis;
Eia, quantis sacris donis
A Christo sublimatur.

5. Has lucernas nunc ardentes
Cum coronis et gaudentes
Diva fruitione,
Sic de nostris, deprecamur,
Reatibus quod solvamur
Eorum passione.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320). B. — 1, 2 Ac Iacobe A. — 1, 6 Ast dignitate. AB. — 3, 1 Pessumdastis B. — 4, 4 partica A, perticam B. — 5, 3 in nostris B. — 5, 5 salvamur B.

318. De Quadraginta Martyribus.

Redolet in ecclesia
Flos florum, virgo Maria,
Florete flores ut lilium,
Qui amatis eius filium.
Puritatis huius floris,
Castitatis et decoris
Date vos nunc odorem
Secundum castum morem
Et frondete in gratia
Per huius mundi spatia.
Christum collaudate
Cum iucunditate,
Qui vos cum serto roseo
Coronavit in gaudio
Et frequentate canticum,
Sponsum cunctarum virginum
Collaudet nostra contio
Spirituali iubilo.
Demus laudem cum vocibus
Quadragenis virginibus,
Quas collegit Dominus
De his mundi partibus,
Quas et ornavit floribus
In paradisi foribus,
Ut ibi sine macula
Vivant per cuncta saecula.
Isti sunt divini fructus,
Qui sponsum suum audiunt,
Quos rigavit aquaeductus,
Laeti quem suscipiunt,
Qui de throno gratiae
Larga pietate
Stillat rorem veniae
Pia largitate.
Istae rosae rubicundae,
Quas ver et aestas protulit,
Istae margaritae mundae,
Quas Christo mater obtulit.
Istae quasi libanus
Odorem sponso referunt,
Ardent velut clibanus
Et flammam sursum proferunt.
Hae sunt dulces citharistae
Ante Dei thronum,
Laudem dicunt tibi, Christe,
Qui es summum bonum.
Decoratae sunt corona
Gemmis adornata,
Ad mamillas splendens zona
Auro fabricata.
Hae praecedunt virginem
[Matrem] salvatoris,
Dicimus laudabilem,
Haec est flos amoris.
Dulcis haec collectio,
Quam Christus adunavit
Sponsi quam dilectio
Sanguine mundavit.
Propter fidem castitatis
Mori sunt paratae,
Multis poenis castigatis
Omnes sunt vocatae.
Quas dira persecutio
Ferox Daciana
Diverso supplicio
In fide errana[!]
Interemit misere
Propter Christi fidem

Et pro dotis munere
Receperunt quidem
Vitam sine termino
Cum virgine beata,
Quae et serto aureo
Exstat coronata.
Hoc praeclarum canticum,
Virgines iucundae,
Nobis sit angelicum,
Margaritae mundae,
Christum, sponsum castitatis,
Pro me deprecate,
Natam summae maiestatis
Precibus pulsate,
Ut post hanc miseriam
Mihi sit parata,
Ad caelestem patriam
Me ducat beata.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

319. De sancta Scholastica.

Sancta virgo Scholastica,
Quae vitasti phantastica
Huius mundi gaudia,
Fratrem sequens verum ducem,
Amplectendo Christi crucem,
Relinquendo omnia.

Ducem sanctum monachorum,
Regem sequens saeculorum
Et virtutum speculum,
Benedictum, pium patrem
Ac dilectum tuum fratrem,
Detestantem saeculum.

Christi sequens paupertatem,
Matris suae castitatem
Cum humilitate,
Per donum pudicitiae
Viam pergens iustitiae
In simplicitate.

Vivens sine maculis,
Praefulgens miraculis
Tua sanctitate,
Cum precibus et lacrimis
Imperasti nubeculis,
Cum hilaritate

Dent pluvias cum tonitru
Horribiles in sonitu
Fulgure micante
Ob hoc, ut frater maneat
Et mentem tuam mulceat
Sermone Deo dante.

Post haec fratri revelatur
Cum anima elevatur
In columbae specie.
Dulcis mater et matrona,
Fac, quod ornet nos corona
Post vitam hanc maestitiae.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — 6, 4 O dulcis mater.

320. De sancto Silvestro.

Silvester, Christi pontifex,
Per quem cessavit mala lex,
Cum ad fidem Iesu Christi
Caesarem tu convertisti,
Tunc et cuncti Spartiati
Per baptismum sunt renati.
Augusti mater et Helena
Per te conversi fide plena,
Dum Iudaeos superasti
Et in fide roborasti,
Legem dum Mosaicam
Mutasti in gratiam,
Synagogam reliquerunt
Et in Christum crediderunt.
Augustus lotus ab idolis
Dedit gaudium christicolis.

Dum draconem inclusisti
Per virtutem crucis Christi,
Qui suo flatu sordido
20. Stragem fecit in populo,
Tota civitas laetatur,
Fide Christi coronatur.
A diis fana mundantur
Et sanctis Dei consecrantur.
25. Fiat nobis, quod petisti,
Dum in pace quievisti.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

321. De sancto Silvestro.

1. Gaude, pater hospitalis,
Tu in tolerandis malis
Constans es veraciter,
Nam a cunctis propter metum
Timotheum valde spretum
Colligis audaciter.

2. Propter hoc incarceraris
Et, quod deos aspernaris,
Te dans inflexibilem,
Prophetia claruisti,
Iudici dum praedixisti
Mortem bis horribilem.

3. O Silvester, nulla labes
Te deturbat, namque habes
Faciem angelicam,
In aspectu tam formosus,
Magis tamen virtuosus
Vitam ducens caelicam.

4. In sermone valde clarus,
In suadelis summe gnarus,
Omnibus placabilis,
Fide rectus, spe firmatus,
Caritate dilatatus
Cunctis praeamabilis.

5. Nam non solum christiani
Amant te, sed et pagani
Etiam mirifice.
Hinc a cunctis sic dilectus
Postulatus es electus
In papam magnifice.

6. Nomina tunc orphanorum,
Viduarum, egenorum
In scripto habueras,
Quibus cunctis victum vitae,
Ut his opus erat rite,
Largiter praebueras.

7. O Silvester, papa feste,
Per te mirae res sunt gestae,
Christi plebi utiles,
Nam tu dura corda flectis,
Rationes dum conectis
Nemini difficiles.

8. Tam profundus disputator,
Tam praeclarus praedicator
Fidem confirmaveras,
Quod Helenam et Iudaeos
Multos et colentes deos
Fidei substraveras.

9. Constantinus imperator
Templis, clero mox fit dator
Libertatum plurium,
Postquam mire hunc sanasti,
Morbum leprae dum fugasti
Foedum et incurium.

10. Per iuvamen tuum forte
Libera de dupla morte
Fit Romana patria,
Nam draconis venenatus
Ab ea cessavit flatus
Et trux idolatria.

11. Hinc patrone hic Silvester
Me custodi, ne me pester
Invadat veneficus,
Sanam serva famam, vitam
Et da sortem sursum sitam
Ut pater beneficus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

322. De ss. Simone et Iuda.

Sancte Simon Cananaee,
Sancte Iuda vel Thadaee,
Congaudete, praeiucundi
Principes totius mundi,
Ambo nimis honorati,
Super reges exaltati.
O quam bonum et iucundum,
Fratres, cor habere mundum,
Simul semper habitare
Et in cunctis concordare
Carne, fide et amore,
Vita et virtutum more.
Sic vos, cari fratres bini,
Summi Dei consobrini,
Semper bene concordantes,
Verbum Dei praedicantes
Persis pacem attulistis,
Quorum regem convertistis
Sexaginta miliaque
Populorum circumquaque
Absque parvis baptizantes
Et in fide roborantes.
Confudistis prorsus vagos,
Zaroen, Arphaxat magos.
Quendam sanctum tunc levitam,
Observantem castam vitam,
Hunc iniuste diffamatum,
Quasi polluisset stratum,
Liberastis mire pie,
Parvo in eodem die
Nato dantes posse fari,
Ut posset insons salvari.
Infans fatur: non est meus
Iste pater nec est reus.
Fit levita salvus ita
Tam in fama quam in vita.
Vestro iussu exierunt
Dii vani et fregerunt
Suas sedes deauratas,
Fecit mentes hoc iratas,
Sacerdotum idolorum,
Cum furore qui armorum
Vos beatos trucidarunt
Martyresque consecrarunt.
O electi mei patres,
Estis duo veri fratres,
Una die, una pausa,
Uno loco, una causa,
Una morte coronati,
Uno caelo praemiati,
Una summa dignitate
Cum una sollemnitate.
O olivae pietatis,
Duo nati claritatis.
Ego vester servus unus
Precor, date mihi munus
Verae semper unitatis,
Pacis atque caritatis.
Ad vos totam spem praetendo,
Totum vobis me commendo,
Cor et corpus meum, sortem,
Famam, vitam atque mortem,
Mei sitis ut fideles
Contra hostes tam crudeles
In his cunctis protectores,
Post ad caelum deductores,
Ubi semper in divino
Vestro laeter consobrino,
In quo summum est ovamen
Cum patre et flatu. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

323. De ss. Simone et Iuda.

Simon, Iuda, o dilecti,
Ambo Christi vos electi
Et principes caelorum,
Vos congrui decoribus,
Formales dignis moribus,
Concives angelorum.
Multos fidem verae legis
Et edicta meri regis
Subversis imbuistis,
Perfidis sic illustratis
Et magorum denudatis
Fraudibus ac egistis

3. Varia miraculose,
Tunc per Christum gloriose
Vocati ad aeterna,
Demum crebre trucidati
Et ad mortem vulnerati
Adepti sic superna.

4. Vestra pia nunc doctrina
Die mortis a ruina
Det nobis sine mora,
Ut nos bonitas divina
Ad gaudia mox supina
Perducat mortis hora.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433 (Helmstadien. 1320). B. — 1, 1 O Simon, Iuda B. — 2, 1 Multis B. — 2, 4 Persidis A, B. — 4, 2 ac ruina.

324. De sancta Sophia.

Salve, sancta o Sophia.
Matrona dulcis et pia,
Quae virtutes cardinales
Sanctis angelis aequales
Christo sponso genuisti.
Quas timore nutrivisti,
Fidem, Spem et Caritatem,
Quae oderunt pravitatem;
Quas exposcit Adrianus,
Mente vecors et insanus,
Propter pulchritudinem
Et teneritudinem
In filias adoptare
Et maligno sociare.
Quem piae tres sorores
Ut candidati flores
Recusant ut foetorem
Secundum castum morem.
Tunc Fides iussu praesidis
Suis praecisis mamillis,
A triginta militibus
Caesa, repleta vulneribus,
Lac stillat de vulneribus,
Dat laudem Deo populus.
Gaudet Fides et fidelis
Laudat Dominum de caelis.
In craticulam extenditur,
De qua illaesa progreditur.
Sartagine volutata
Fides manet illibata,
Oleo et perfunditur,
Nec Fides sic confunditur.
Post haec mater decollata
Capit Christum fide grata.
Tunc sacra Spes producitur,
Ab iniquis illuditur,
In sartagine proicitur
Sic et adipe perfunditur,
Cera, resina adiungitur,
Et sacra virgo non flectitur.
Puella truncatur gladio,
Fit spectaculum hoc populo.
Iubetur assisti Caritas,
Crudelis quam immanitas
Tyranni nequam non adplaudit,
Cui virgo non obaudit.
In catasta est extensa,
Dira passa est tormenta.
Cum recusat hanc laudare,
Cui laudem non est dare,
Magnam proferre Dianam,
Impudicam et insanam,
In caminum est eiecta,
In quo sponsa tam dilecta
Laudat regem saeculorum
Cultum spernens idolorum.
Flamma de camino erupit,
Vorans sex milia occidit,
Illaesa virgo conservatur,
Ignitis furcis perforatur
Et sic coronam meruit,
Quae fide fidelis fuit.
Dilecta Sapientia
Et pia mater inclita
Sacras virtutes condidit,
Quae virtuosa exstitit
Et mentis desiderio
Et in amoris gaudio
A castitatis filio
Cum natis esse postulat,
Cum quibus nunc laeta regnat.

Beata Sapientia,
Vera salute florida,
Te thronus fert angelicus
Tribus iunctus virtutibus,
Quas Christo sponso nutrivisti,
Hic cum in terris exstitisti.
Cum tuis natis, mater pia,
Dilecta Deo o Sophia,
Pro me Dominum deprecare,
Ut me velit adiuvare,
Mentem meam illustrare
Atque vitam adornare
Cum tribus his virtutibus,
Ut post Dei obtutibus
Iucunder in caelestibus
Adiutus vestris precibus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

325. De sancto Stephano.

Sancte Stephane, martyr Christi,
Qui primus esse meruisti
Sanguinem pro Christo fundi,
Qui tulit peccata mundi:
Exaudi nunc me miserum
In peccatis deperditum,
Summi regis natum
Graviter prostratum,
Tot vitiis vulneratum,
A daemone captivatum.
O martyr Christi Stephane,
O martyr invictissime,
Manum tuam porrige,
Me clementer erue
Hic de faucibus draconis
Ditans caelestibus donis.
A peccatis me defende
Et Christum mihi ostende,
Quem vidisti caelo stantem,
Circa patrem ambulantem,
Cuius pia defensio
Exspectans te cum gaudio.
Victor invincibilis
Ultorque terribilis,
Pro iniquis exorasti,
Exemplum nobis donasti,
Ut inimicos diligamus
Et sic aeterna capiamus.
Hic sic vivam, pro me ora,
Ut laetus in mortis hora
Dicam: spiritum, Iesu bone,
Meum recipe in agone,
Ut, ubi Stephanus nunc gaudet,
Cum sanctis angelis te laudet.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

326. De sancto Stephano.

Stephane, te laude plenum,
Cor habentem non obscenum,
Sed amoenum, dulce frenum
Mentis, oris atque renum;
Duces mundi elegerunt
Viduisque praefecerunt
Excelso privilegio.
Iudaeorum in insultu
Constitutus in consultu
Angeli resplendens vultu
Tu in castitatis cultu
Bene normam das vivendi,
Das es formam patiendi
Toti Christi collegio.
Corona interpretaris
Atque iuste sic vocaris,
Nam es martyrum corona
Tu, egregia persona,
Et hanc dignitatem capis,
Nam vexilla morte rapis
Prae omnibus intrepide.
Sancto spiritu repletus,
Cuius vi et dono fretus
Falsos testes disputando,
Omnes hostes increpando
Superasti confutando,
Rationes multas dando
Constanter atque lepide.

3. Cur tam acres poenas spernis,
Nam apertum caelum cernis
Atque Iesum ibi stare,
Iam paratum te iuvare,
Iuxta patrem radiantem,
Conregnantem, te solantem,
Sic permanes immobilis.
Orans pro te stans petisti,
Pro iniquis te flexisti,
Ob hoc orbis gaudet certe
De converso Paulo per te,
Qui tot bona seminavit,
Irrigavit, fecundavit,
Nunc tecum regnat nobilis.

4. Tam sublime martyr prime,
Clemens hosti fore nosti.
Quid negabis et non dabis
Te amanti, veneranti,
Exaltanti, te laudanti!
Hinc sincero corde spero
De te fiducialiter.
Nunc devotum tibi totum,
Te orantem fac constantem,
Pium, castum, sed cor fastum.
Cor avarum et amarum
Evanescat, mens dulcescat
Recto zelo, ut in caelo
Coroner aeternaliter.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

327. De sancto Thoma.

1. Thoma sidus angelorum,
O salutis spes Indorum
Et culmen veritatis.
Tua doctrina rigavit
Multos et refocillavit
A via vanitatis.

2. Nostram fidem roborasti,
Dum in Christo vacillasti
Diva permissione;
Cultum fani diruisti,
Multis signis floruisti
Legis in pressione.

3. Lato pondere laborum
Transfossus ense templorum
Pontifice maligno.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

4. Nunc in caelo veneraris
Et in mundo adornaris
Mirificis portentis,
Plebs Indorum ut testatur,
Quibus virtus operatur
Divinis sacramentis.

5. O Martyr, decus caelorum,
Nunc nostrorum miserorum
In gaudiis aeternis
Tua prece memorare,
Fac nos Christo propinquare
Et frui sempiternis.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1433. (Helmstadien. 1320). — 1, 1 O Thoma sidus anglorum. — 2, 3 promissione.

328. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Sancte Thoma, archipraesul
sedis Cantuariae,
Cilicio, ieiuniis
domasti te summarie.

2. Tu pedes cotidie
tredecim lavisti,
Pavisti et singulis
denarios dedisti.

3. Favores et minas regis
Angliae contempsisti,
Eius vota contradicens
cum truce discessisti.

4. Sic post clamant: Capite
furem et proditorem,
Ad papam fugis ut ad
tutum (tuum) protectorem.

5. Hic te ad Pontiniacum
misit monasterium,
Ubi et in Francia
complevisti exsilium.

6. Tunc rex tua et tuorum
omnia diripuit
Ac tuam progeniem
exsilio damnavit.

7. Tandem anno septimo
permissus redire
Et receptus ut primo
nolens consentire,

8. Sed fidus ecclesiae
iura libertates
Defendisti libere
non timens potestates.

9. Ob hoc rex misit armatos
tuam in ecclesiam,
Qui te caedentes capitis
amputarunt coronam,
Sic excerebratus migras
ad vitam tibi pronam.

10. Ad missam tum requiem
a clero inchoatur,
Mox: Laetabitur iustus
in aetheris cantatur,
Sic dolor et genitus
in gaudium mutatur.

11. In te necantes ultio
Dei saeviebat,
Quos sanies, dementia,
Paralysis et furia
Misere vexabat.

12. Sancte Thoma, serve Dei,
Precor te, memento mei
Pie apud Dominum,
Ut tuo pio precatu
Absolutus a reatu
Per te sim in gratia,

13. Pie et iuste vivendo,
Singulis suum reddendo
Deo et hominibus,
Ut vocatus ad examen
Contra me non sit gravamen;
Hoc donet Iesus. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

329. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Gaude, martyr laureate,
Archipraesul infulate
Thoma Cantuariae,
Virgo lacte dealbate,
Multa fulges dignitate,
Regis cancellarie.

2. Sanctum studium caeleste
Clam sub cilicina veste
Occulens subtiliter,
Omni cultu manifeste
Concordasti te honeste
Aliis pariliter.

3. Tu diatim te flexisti
Genibus, pedes lavisti
Tredecim pauperibus,
Cuivis, dum hos pavisti,
Nummos quattuor dedisti
Pro viae muneribus.

4. Ob ecclesiam tuendam,
Iram regis metuendam
Non movit te ratio,
Ut Naboth ad defendendam
Vineam et non vendendam
Regis indignatio.

5. Naboth olim lapidatus,
Cunctis rebus tu privatus,
Pulsus in exsilium,
Omnis sexus tuus gratus
Spoliatus, exsulatus,
Nulli fit auxilium.

6. Tandem enses malignorum
Tuum cerebrum decorum
Spargunt horribiliter,
Sicque sedem inter chorum
Praevisam apostolorum
Possides heriliter.

7. Cantus obitus maeroris
Pretiosi fit honoris
Angelis mutantibus,
Tunc mutatur vis doloris
In optati vim valoris
Cunctis aegrotantibus.

8. Sed mox interficientes
Morbi graves vehementes
Puniunt acerrime,
Membris torti vel amentes
Digitosve discerpentes
Pereunt miserrime.

9. Hinc, o gloriose Thoma,
A me mala cuncta doma,
Bona da encennia,
Semper pius mihi coma
Salva, serva cor, os, σῶμα,
Duc ad caeli moenia.

Orat. ms. Carthusiense saec. 15. Cod. Capit. Trevirens 116.

330. De ss. Tribus Regibus.

O tres reges tam potentes,
Locupletes, sapientes,
Iam regnantes cum beatis,
Vestrum servum ne spernatis.
5. Qui haberet ora mille,
Vix laudaret vos pusille,
Quis hinc digne vos laudabit,
Laudes vestras replicabit,
Nisi hunc praeveniatis
10. Donis vestrae pietatis?
O vos tres nominativi
Viri, laudis genitivi
Bonae speique dativi,
Herodis accusativi,
15. Ad salutem vocativi
Et erroris ablativi,
Congaudete, quem quaesistis,
Hunc felices invenistis.
O quam felix stella luxit,
20. Quae ad Christum vos perduxit,
Quem vos adorastis proni
Et ut reges largi, boni
Obtulistis res regales,
Mysticorum figurales,
25. Fide plene agnoscentes,
Vestris bonis profitentes
Summum regem, verum Deum
Et mortalem esse eum.
O quam dignum et decorum,
30. Tres reges trium regnorum
Tribus donis cum figuris
Quaerunt trinum in naturis,
Ex anima, carne vera
Deitateque sincera
35. Inconfuse subsistentem,
Trinam machinam regentem.
Pii reges, me iuvate,
Prece vestra impetrate,
Ut ardenter Christum quaeram
40. Et inventum semper geram,
Ne hunc perdam plus maligne,
Sed offerre possim digne.
Aurum sic dilectionis,
Purae thus orationis,
45. Murram macerationis,
Ut his pretiosis donis
Ipsum omni die placem,
Ne amittam veram pacem.

O gentiles primitivi,
Lucis vos indicativi
Regesque imperativi,
Mei patres optativi,
Sitis mei coniunctivi,
Ut fiam infinitivi
Capax regni Dei vivi,
Quo, ut fas est caeli civi,
Semper purus et securus
Sim vobiscum gavisurus
Gaudio cum valde magno
Coram throno, coram agno
Cantans laudis modulamen,
Cuius non est finis. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7, B. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. C. — 6 pisille A. —

331. De sancta Ursula.

1. Salve, turba redimita,
Non est visa nec audita
Tam laeta societas,
Quam simul et semel ita
Sanxit in aeterna vita
Sibi Dei pietas.

2. Sicut multae florent plantae
Uno fonte emanante
Ad fructus uberrimos,
Ursula sic procurante
Hortus caeli austro flante
Fert flores pulcherrimos.

3. Quae tam multis castitatis,
Passionis, sanctitatis
Dedit seminarium,
Unde simul cum beatis
Iam divinae suavitatis
Gustant fructum varium.

4. Gaude, virgo valde prudens,
Ad placendum Deo studens,
Digna regis filia,
Quae sub fide es concludens
Persubtile quasi ludens
Tot sanctarum milia.

5. O tu Deus, quo vis, spiras,
Non formidant poenas diras
Pectora feminea,
Vere tu res facis miras,
Nam latronum sprevit iras
Iuventus virginea.

6. O undecies vos mille
Virgines, quas amat ille
Agnus innocentiae,
Inclinate hunc tranquille,
Adfluant ut mihi stillae
Tam largae clementiae.

7. Ut pia intercedente
Vestra prece pura mente
Semper Deo serviam,
Semper conteram repente
Vestro coetu occurrente
Daemonis proterviam.

8. Assitis consolatrices,
Meae promptae adiutrices
In dolorum nubilo,
Meae mortis protectrices,
Ad choream deductrices
Cum caelesti iubilo.

9. In qua sponsus amabundus,
Candidus et rubicundus,
Electus ex milibus
Praechorizat laetabundus
Et arridet praeiucundus
Vobis et parilibus,

10. Ubi carmen speciale
Cantat agmen virginale
Angelis mirantibus.
O ad concinendum tale
Detur mihi ius chorale
Vobis impetrantibus.

11. Amen dico corde laeto,
Donec fiat, quod nunc peto
Totis meis nisibus,
Mundi cursu ut expleto
Vestris fruar in quieto
Cantibus et visibus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

332. De sancta Ursula.

1. O vernalis fulgens rosa,
Ursula regalis,
Rubra micans, speciosa,
Angelis aequalis.

2. Odor tuae castitatis
Reficit gementes,
In camino paupertatis
Christum sitientes.

3. Sincerum candens lilium
Regi regum grata,
Eius sequens filium
Ut immaculata

4. Cum tuis consimilibus
Virginibus sacratis,
Cum undenis milibus
Tecum coronatis.

5. Christus sponsus quas collegit
Castitatis flores,
Vos in sertum sibi fregit
Pulchras consorores.

6. Paradisi philomenae
Dulciter cantantes,
Quarum turmae sunt undenae
Christum collaudantes.

7. O puellae, o agnellae,
Stolis dealbatae,
Columbellae sine felle,
Gemmis coronatae.

8. O virtutum verae cellae,
Sponsae summi Dei,
Rutilantes caeli stellae
Mirae speciei.

9. O insignes dilectrices,
Turba generosa,
Pari fortes bellatrices,
Contra vitiosa.

10. Haec frondosa rubens rosa,
Rosa venustatis,
Virgo mater generosa,
Mater deitatis,

11. Vos praecedit in splendore
Rutilans aurora
Ac praecellit in decore
Cithara sonora,

12. Quam sequentes in chorea
Laete iubilando,
Haec est mater iubilea,
Lacta gratis dando.

13. O insignes sponsae Dei,
Turba generosa,
Mementote, quaeso, mei
In valle nebulosa.

14. Non sit vobis hoc indignum
Carmen tam praeclarum,
Paupertatis meae signum,
Quamvis nimis parum.

15. Et cum mortis cogit hora,
Mihi tunc praesentes
Subvenite sine mora
Ab hoste defendentes,

16. Ut absque omni nubilo
Ac calamitate
Vobiscum fruar iubilo
In aeternitate.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

333. De ss. Victore et Corona.

Gaude, beatissime
Victor, summi regis
Miles praeclarus nomine,
Servans iura legis,
Qui pro Christo immania
Sustinuisti tormenta
Sub duce Sebastiano
Iniquo atque vesano,
Nam omnium digitorum
Fracturam passus tuorum.
Qua passione clarior
Es factus Deo carior,
Fornacis flammam sustinens,
Illaesus qua egrediens
Salvatorem Iesum esse
Omnibus innotuisti,
Potum mortiferum teste [!]
Cum gaudio bis sumpsisti
Et inimicum a veneno
Mortis aeternae eximisti.
Post haec nervi a pretioso
Corpore tuo sunt evulsi
Omnesque vires cum dolo
Diaboli sunt expulsi,
Lampades ardentes tuis
Lateribus applicantur,
Quae sicut incensum thuris
Ara Deo cremantur;
Acetum cum calce mixtum
Ori tuo immittitur,
Sed constantia cor fixum
Omnino non laeditur.
Oculis carnis orbatus
Oculis tu carnis cernis
Iesum Christum, quod paratus
Te assumendum supernis,
O Victor, vere martyr Christi,
Suspensus triduo fuisti
In caelum pedibus erectis,
Sic perseverans cum electis
Et ob hoc excoriatus,
Sic bene poenis purgatus,
Ut tritici granum purum
Ab angelis in horreum
Caeleste ad Vincentium,
Nominis tui socium,
Victor iungaris gaudium,
Quod nullum habet terminum.
Victor, martyr gloriose,
Ob tuam passionem
Pro me ora copiose,
Ut hic per remissionem
Omnium nunc peccatorum
Victor fiam vitiorum
Dante Iesu gratia,
Ut hinc ad regem angelorum
Et ad gaudium gaudiorum
Eam tua instantia.
Et tu, dulcis o Corona,
Pia mater et matrona,
Coronas caelo afferri,
Victori unam offerri,
Alteram vidisti tibi,
Ut aequalis esses sibi.
Ob quam sanctam visionem
Atque victoris agonem
Inter arbores palmarum
Per vim tunc inclinatarum
Suspensa es sic indecenter
Atque divisa violenter.
Sic Deo animam dedisti,
Coronam vitae recepisti.
O sanctissima Corona,
Esto nobis mater bona,
Sis ad impetrandum prona
Nobis caelestia dona.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

334. De sancto Vincentio.

Martyr Christi, o Vincenti,
Fide Christi plus habenti,
Qui in tua iuventute
Cum virtute et salute
Mundum cum suo flore
Cum tormentis miro more
Spernendo vicisti
Pro amore Christi,

Qui tortorem Dacianum
Vitiosum et profanum
Constanter superasti,
Te ipsum sublimasti
In caelesti gloria,
Nam per diros cruciatus,
Quibus caesus et assatus
Non negasti fidem Christi,
Pro qua tanta pertulisti.
Dolet crucis inimicus
Sicut canis impudicus,
Suo rabido ex ore
Te despexit cum pudore
Se fatebat[!]esse victum
Et a diis derelictum,
Quem vicisti Christi sorte
Tam in vita quam in morte.
O victor invictissime
Vincentique piisime,
Nobis assis in agone
Tua intercessione,
Ne nos frangat hostis crucis,
Sed aeternae verae lucis
Ut participes fiamus,
Te devote supplicamus.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

335. De sancto Vincentio.

1. O Vincenti, vere victor,
Affligentis te afflictor,
Vitae, mortis per successus
Totis membris tensus, pressus,
Fustes, virgas es perpessus,
Manens tamen indefessus,
Sed tortores per labores
Adgravantur et lassantur,
Sic te desistunt caedere.
Iudex motus hos afflixit
Et tam multis maledixit,
Quod nescirent et nequirent
Unum marem eius parem
Superare per tormenta,
Tot inferre nocumenta,
Ut diis possit credere.

2. Cum haec vides, non tu strides,
Sed subrides, firma fides
Te dat fari nil amari
Modo plane, Daciane,
Me torquentes torquens flentes
Vindicas de iniuria.
Graviter hinc pectinatus,
Usque costas laceratus,
Post assatus, perfricatus,
Sed invictus, clausus, strictus
Super testas permolestas,
Sed in flores molliores
Mutatur illa furia.

3. Molli stratu misso flatu
Post occumbis, nullis tumbis
Vult te fungi, functum pungi,
Iudex victus maledictus
Non erubet, sed te iubet
Campo dandum ad vorandum
Malis feris et avibus.
Quodam corvo rostro torvo
Has mordente, repellente
Sic intactus, tandem iactus
Cum molari es in mari,
Mox solutus litus tutus
Tangis pridem, adhuc quidem
Daris tumbae conclavibus.

4. Ut, Vincenti, pravae genti,
Tam furenti, saevienti,
Te torquenti . . . . . .
Iuvenilis, sed virilis
Non cessisti, sed vicisti,
Morte, vita fac me ita
Tua ope stante prope,
Ut perstem invincibilis.
Fac errores, malos mores
Et amores ac timores
Falsos, vanos ac mundanos
Sic calcare et fugare,
Ut in lite mortis vitae
Confundatur, retundatur
Hostis victus horribilis.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

336. De sancto Vito.

Gaude, martyr sancte Vite,
Septem angelis munite,
In aetate puerili
Mente vigens tam virili,
Quod a Deo nulla poena
Flexit te nec res amoena.
Vincla ollamque ardentem
Et leonem saevientem
Superasti cum catasta,
Qua sunt tensa membra casta.
Sic tu puer duodennis
Evolas virtutum pennis,
Hinc se victum Caesar maestus
A puero est conquaestus.
Mane tu evigilasti
Ad Deum, quem praeamasti.
Fac me, martyr Christi care,
Semper sic evigilare
Ad virtutes sine mora,
Dum salutis assit hora,
Ut statim post exspiramen
Sequar te in caelum. Amen.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

337. De sancta Walburga.

O sacra virgo Walburga,
A peccatis mentem purga,
Pro nobis Christum deprecare
Et toto corde fac amare
Deum patrem cum filio
In flebili exsilio,
Ut pro delictis det veniam
Et sacri spiritus gratiam,
Per quam fides purificetur,
Vetusta mens te renovetur,
Spe, caritate excitatus,
Tua prece Deo gratus
Voluptates spernere,
Christum regem cernere
Cum spiritali iubilo
Et summo desiderio,
Odientes me diligere,
Vitam meam corrigere,
Ut tuo deprecamine
Salvar Iesu examine.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

ANHANG.

IOHANNIS FRANCONIS

Scholastici Meschedensis

Carmina duo.

Carmen Magistrale.

De beata Maria V.

I.

1. Illius assit gratia,
Qui stricta cinctus fascia
Caelorum ambit spatia
Et manet ante solem
Et moritur pro gregibus
Et dat salutem regibus,
Ut suis subdat legibus
Totius orbis molem.

2. Fideles tradunt apices,
Latoris legis codices,
Mysteriorum indices
Sub forma typicorum
Ad struem tabernaculi,
Caelestis habitaculi,
Sacrorum retinaculi,
Quod quivis Hebraeorum

3. Res absque simultatibus
De suis facultatibus
Sinceris cum conatibus
Pro viribus dederunt,
Magnates cum potentibus,
Qui praefuerunt gentibus,
Non sine puris mentibus
Laetanter obtulerunt.

4. Aurum quidem ad aurea,
Argentum ad argentea,
Aes ad ornandum aerea,
Ut novit architectus;
Thesauris istis varii
Vigoris, multifarii
Coloris tingentarii
Est lapidum adiectus.

5. Nunc donant inter alia
Ligna Setim nobilia,
Sed haec imputribilia
Fuisse memorantur;
Postremo dant purpurea,
Cum cocco byssum, linea,
Quae nunquam edit tinea;
Sed ista applicantur

6. Cohortibus leviticis
Pro vestibus pontificis,
Quae noverat artificis
Industria poliri;
Egeni dabant denique
Cum pilis pelles utique,
Cum quibus opus undique
Debebat operiri.

7. Oblatis his gemmarius
Beseleel, aurarius,
Fidelis commissarius
Prae omnibus electus,
Prudens vermicularius,
Perfectus operarius,
Doctus anaglipharius
Est opibus praefectus.

8. Subtili cum lignario,
Ooliab, plumario,
Bono polimitario,
Viro sciente plura,
Quae fieri ab arbore
Valebant et ex marmore,
Lapidibus et ebore
In omni celatura.

9. Cuiusvis rei schemata
Hi norant et aromata,
Ex quibus thymiamata
Suavissimi odoris
Conficienda fuerant,
Has artes ut docuerant
Et artius invenerant
Instinctus creatoris.

10. Ornatus habitaculi
Cum arca tabernaculi
Sollertes hi vernaculi
Candelabrum et aram
Cum Cherubim velamina
Et vasis ad libamina
Ex auri formant lamina,
Pontificis tiaram,

11. Lucernas emunctoria,
Quae nulla fuscat scoria,
Cum basibus tentoria
De purpura, iacinctho,
Cum ephot vestes vario
Ex opere plumario
Ritu polymitario
Bis cocco quoque tincto.

12. Ast alii durissimo
Saxoque de firmissimo
Mel lapidum purissimo
Cum oleo suxerunt.
De istis quid plus referam,
Vel ad quid plura proferam,
Cum nil egissent perperam
In his, quae construxerunt.

13. Sed ego, cum sim luteus,
Et sensus mihi bruteus,
Sit altus quoque puteus
Nec vas ad hauriendum,
Pro facultate pennula,
Hinc voce peto tremula,
Ut lingua parcat aemula
Prompto ad corrigendum.

14. Thesaurus heu scientiae,
Argentum eloquentiae
Et aurum sapientiae
In cordis mei sporta
Deficiunt, habilitas
Lignorum et nobilitas
Gemmarum et stabilitas
Aeris, byssus retorta,

15. Eburque castimoniae,
Beryllus parsimoniae
Et marmor sanctimoniae,
Cum iaspide iacincthus
Ac purpur aptitudinis
Et lima rectitudinis
Linumque valetudinis,
Bis coccus quoque tinctus.

16. Rex ergo celsi numinis,
Dignare, pater luminis,
Torrente sacri fluminis
Me sic laetificare,
Si oleum cum mellibus
Non sugam de saxellibus,
De pilis et de pellibus
Queam eructuare:

II.

1. Mariae laudes et honorem,
Virtutem simul et decorem
Virginitatisque pudorem
Et mores cum ornatibus
Diversis modis ac discretis
Tam patriarchis quam prophetis
Praetypicatos in secretis
Obscuris aenigmatibus.

2. Excelsi regis mater nata,
Ab intus pulchre deaurata
Et variis praedecorata
Scripturae cum monilibus,
Dignare pennam irrigare
Et stylum mentis colorare
Sic, ut ad struem comportare
Quid queam cum exilibus.

3. Scriptoris linguam, cursum mentis
Guberna virga dirigentis
Velociterque conscribentis
Illius scribae calamus,
Cui, virgo mater, quam serenum
Hoc praeparasti pergamenum,
In quo depictus est ad plenum
Caelestis sponsi thalamus.

4. Centenis centies millenis,
Millenis milies centenis
Minutae quot sunt in arenis,
Tot etsi fruar lingulis,
Si linguis loquar angelorum
Arteque canam musicorum
Et mores noscam ethicorum,
Sed etsi fungar singulis

5. His sacris dotibus perfecte,
Nequaquam adhuc quibo recte
Reginae caeli praeelectae
Virtutum laudes pangere.
Si tamen ipsa, spes reorum,
Hoc mihi praestet, quod meorum
Arx muri ruat vitiorum,
Tentabo tuba clangere.

6. En, qualis exstat haec et quanta,
Est cuius pulchritudo tanta,
Sic a supini pedis planta
Ad verticem protenditur.
En, haec est virgo praecedentem
Non habens parem nec sequentem
Virtutibus aequipollentem,
Ex scriptis ut perpenditur.

7. Dos casta haec est virgo parens,
Enixa virum viro carens,
Producens germen huius arens,
Haec quoque phoenix unica,
Capillos cuius auri color
Et verticem miratur olor,
In facie, qua mire solor,
Adrident mala punica.

8. Ex intermixto liliali
Rubedine cum roseali
Maxillae sorte nitent tali
Perfuso fronte parcius.
Cincinnos non adulter fucus
Subornat neque tingens sucus,
Subtilis iste cum sit brucus
Pudorem rodens artius.

9. Nasique forma moderata
Est, nec depressa nec elata,
Pigmenta reis de quo grata
Scaturiunt cotidie,
Huic oculi praerutilantes
Sunt et ut stellae radiantes
Ac in virtute coruscantes
Sol tamquam in meridie.

10. Seseque somno nunquam dantes
Palpebrae neque dormitantes,
Sed sunt pro suis vigilantes
Praeclara supercilia.
O quam decenter ornant vultum,
Totius quoque formae cultum,
Oreque labris rubet multum
Haec pulchra Sion filia.

11. In India nec ebur tale
Nutritur, dentibus est quale,
Candoris decus virginale
Illustrans oris medium,
Gutturque lacteo colore
Candescit, collum nivis more,
Stupescit mentum prae decore,
Fit exsul omne taedium.

12. Supernus auctor egit sorte,
Quod aures huius forent portae
Caelorum regis preces forte
Nolentes unquam spernere.
O quam felicem, quam beatum
Hunc dicam fore, cui datum
Est hunc praeclarum et ditatum
Vultum in aevum cernere.

III.

1. Scrutatur ab infantia
Pectus huius merum
Praecepta cum flagrantia
Conditoris rerum,
Et ubera fragrantia
Sunt huic, Deum verum
In iuvene lactantia
Antiquumque dierum.

2. Est venter huius aureus,
Argenteus, beatus,
Est merito eburneus
Et gemmeus vocatus,
Portatur quo aethereus
Caelorum advocatus,
Per quem iacet vipereus
Iam coluber prostratus.

3. Revera celsi solii
Dum nuntius legatur,
Cor huius instar folii
Palmarum elevatur
Et ut repandi lilii
Sic supra dilatatur,
Dum flebant Evae filii,
Ecce ancilla fatur.

4. Virginea decentia
Ad instar plumae cigni
Sunt brachia nitentia
Ex aloesque ligni
Odore redolentia,
Divino apta igni,
Amplecti cum frequentia
O si essemus digni!

5. Ingenti pulchritudine
Sunt manus decoratae,
Decenti longitudine
Cum digitis ornatae,
Donandi aptitudine
Quae minime seratae,
Sed dandi promptitudine
Sunt aquilis praelatae.

6. Tornatilis est dextera
Virtutum genitiva,
Est et cum novis vetera
Charismatum dativa,
Est plurimum ad aethera
Suorum vocativa,
Sic est et inter cetera
Reatus ablativa.

7. Ornatu decentissimo
Stant coxae, genu, crura
Sub ordine rectissimo
Cum plantis tali sura,
In statu solidissimo
Ut virgo sistat pura,
Sic placuit altissimo,
Quem metuit natura.

8. Reorque, quod lactifluos
Non dat natura tales
Pedes prorsus mellifluos,
Tu, virgo, gestas quales,
In gratia rorifluos,
Quae nil negare vales,
Nos in delicto profluos
Caelestis alas ales.

9. Altissimi itineris
In gressu servas pedes
Sic, quod ab annis teneris
Hos lapide non laedes,
Memento nostri oneris,
Cum filio dum sedes,
Nos Abrahae ut generis
Fiamus coheredes.

10. Lux omnium pulcherrima,
Praerutilans, honesta,
Te fama celeberrima
Gens praerogat modesta
Et laude cum creberrima
Sic tua narrat gesta,
Quod muta sit acerrima
Vox aspidis funesta.

11. Mirando mirabiliter
Naturaque miratur,
Dum tam ineffabiliter
In cunctis operatur,
Quod omne decus taliter
In virgine locatur,
Quod supersit vel aliter,
Quod desit, ne linquatur.

12. Est enim nimis dapsile,
Quod excedendo motum
Natura sagax agile
Profudit plus quam totum
In corpus venerabile,
Ab illo quippe fotum,
Cuius nomen mirabile
Est in Iudaea notum.

IV.

1. Virgo haec est recens Eva,
Mutans nomen veteris,
Quam decepit aspis saeva
Morsu pomi sceleris,
Haec est sponsa, cuius laeva
Sponsum cingit aetheris,
Haec est arcus, quo longaeva
Signa dantur foederis.

2. Ista Ruth est Moabitis,
Booz placens domina,
Impetrans ne suae vitis
Deleantur nomina,
Placans David Thecuitis,
Haec est prudens femina;
Te figurat, virgo mitis,
Sunamitis gemina.

3. Regis arca haec est illa
Servans in diluvio,
Ne Charybdis nos vel Scylla
Obruat in fluvio,
Haec est Thamar, cui armilla
Arrha fit in bivio,
Sed non tangit hanc scintilla
Carnis neque livio.

4. Gloriosa haec puella
Caput terens zabulo,
Est et Moysi fiscella
Abscondentis sabulo
Aegyptium gerentem bella
Cum Hebraeo famulo,
Haec est tellus stillans mella
Cum caelesti pabulo.

5. Ista scala est, quam videt
Iacob caelos tangere,
Per quam homo non diffidet
Ad superna scandere,
Haecque Iahel non formidet
Hostem clavo frangere,
Solatur haec Rachel, dum stridet
Natos volens plangere.

6. Narrat sese lator legis
Vidisse rubum spineum,
Quando custos erat gregis,
Vomentem rogum igneum,
Sed rubum hunc, si caute legis,
Non sidus nocet flammeum,
Sic natum gignit nata regis
Non laedens vas virgineum.

7. In tribu Levi viridatur
Virga Aaron arida,
Quam pontifex dum contemplatur,
Nuce floret turgida,
Sic ex radice generatur
Virga Iesse florida,
Virgo per hanc figuratur
Sine viro gravida.

8. Spicas septem unum granum
Mittit in granarium
Per Ioseph, testem non profanum,
Deus per septenarium,
Sic mittit granum non in vanum
Ventris in sacrarium,
Quod humanum manet sanum
Virginis armarium.

9. Manhu dicit tunc obscena
Plebs vere miserabilis,
Quando nubes quam serena
Nec ad pluendum habilis
Manna pluit, Deo plena
Virgo venerabilis
Sic prolem parit sine poena
Carne manens stabilis.

10. Audenter dico, quod hic lapis
Est virgo fecundissima,
Israelita, per quam capis
Fluenta potentissima,
Si lingua cordis recte sapis,
Quae mella sapidissima
Producit illa, haec est apis
Sponsa placidissima.

11. Raab haec est nos per plana
Prohibens incedere
Et virtutum per montana
Solarium ascendere,
Gedeonis haec est lana,
Ros in quam scit descendere,
Sic virgo carne sub humana
Scit Deum comprehendere.

12. Ista est columba gnara,
Quae olivam retulit,
Est et haec fidelis Sara,
Quae ancillam expulit,
Haec est Rachel quam praeclara,
Quae hunc Ioseph protulit,
Qui, dum grana forent cara,
Israelem transtulit.

13. Est haec virgo non annosa,
Praeclusum habens uterum,
Quam proles beat generosa
Deus et hunc puerum
In Hely sede gloriosa
Locat, sicut veterum
Scripta narrant seriosa,
Ut sit ultor scelerum.

V.

1. Haec est Esther, quam Asuerus
Audit in vestibulo,
Ut equester Aman ferus
Pendat in patibulo,
Haecque Iudith Holoferni
Saevo tamquam tribulo
Caput cudit, sicut cerni
Datur in latibulo.

2. Virtuosa Annae nata,
Abigail quam typicat,
Ut morosa advocata
Per te Nabal replicat,
Haec est pera David, de qua
Tunc lapillum explicat
Et revera mente aequa
Cum Golia dimicat.

3. Michol ista pro monarcha
Privat nos praeputio,
Cytharista coram archa
Saltat sine vitio;
In aerumna ut agonis
Eva est pollutio,
Sic alumna Salomonis
A vae est solutio.

4. Ista classis est, quam struxit
Salomon pacificus
Et cum massis auri duxit
Gnarus maris nauticus,
Quodque par sis stellae maris,
Novit rex Arabicus
Atque Tharsis, quando paris
Hunc, qui est mirificus.

5. Lechitus quidem Sareptenae
Cum farinae vasculo
Haec est fidem servans bene
Mater, carens masculo,
Non seratur vas utrumque
Sed stat in propatulo,
Ut pascatur hinc quicunque
Filius cum catulo.

6. Ista humus parens vermis,
Quo Ionae perit hedera,
Iudae dumus fit inermis
Pacis perdens foedera;
Amicta sole, luce plena
Virginem considera,
Quam cum prole duodena
Circum cingunt sidera.

7. Sicut fata Isaiae
Septeno gaudent flamine,
Sic lampas grata Zachariae
Septiformi lumine,
Quae sic orsus est propheta
Quivis suo ordine,
Credo prorsus quod pro feta
Sint narrata virgine.

8. Est in rota vas perfectum
Ieremiae figuli,
Haec devota vas electum,
Quo solamur singuli,
Haec est aedes Samuelis,
Sapientis reguli,
Cuius sedes est in caelis
Facta caput anguli.

9. Tu Hoseae innovato
Novali fers praeconium
Et Michaeae praeparato
Monti testimonium,
In quo fixa domus Dei
Est in patrocinium
Et affixa clavo spei
Gens cunctarum finium.

10. De Ioelis domo recens
Fons rigans egreditur,
Danielis monte decens
Lapisque praeciditur
Manu sine complectentis,
Est ut virgo creditur
Sine fine mater entis
Fit nec carne laeditur.

11. Ezechielis haec est porta
Clausa manens iugiter,
Quam fidelis plebs retorta
Fide tenet firmiter,
Quam ingressus est sincerus
Pontifex suaviter,
Et egressus Deus verus
Est et homo pariter.

12. Vas in igne praeparatum
Est electrum continens,
Hoc insigne vas beatum
Ventris fructum retinens,
Vas dolatum, vas virtutis,
Gratiae vas eminens,
Vas probatum, vas salutis,
Dulce pondus sustinens.

VI.

1. Omnipotens in area
Fasciculum fundavit,
Qui ut potens tartarea
Et claustra devastavit,
Non impotens propterea
Ad regna remeavit,
Sed praepotens aetherea
His testis annos cavit.

2. Tutaminis certissimi
Mons Sion aestimatur,
Examinis artissimi
Dum arbiter legatur,
Salvaminis tutissimi,
Haec virgo reputatur,
Mons flaminis sanctissimi,
Abdias ut testatur.

3. Ut mystice sol oritur,
Quo Christus sol oritur,
Deifice non moritur,
Qui, carne dum moritur,
Pacifice non potitur,
Locusta sed potitur,
Nec bruchi vice metitur,
Quod Nahum sic metitur.

4. Sollemniter te visitat,
Domus, quae cunctis pates,
Perenniter qui militat,
Et tremunt potestates,
Fideliter plebs flagitat
Te, nobilis gagates,
Sic firmiter nec haesitat,
Aggaeus canit vates.

5. In lacu praestas prandium
Per Habacuc translatum,
Quae cibum gestas grandium,
Cor sanas et palatum,
Dum nos potestas fortium
Incusat ob reatum,
Sors una restat sortium,
Fac iudicem placatum.

6. Sordis oblata nescia
Es virgo Malachiae,
Es praeparata hostia
Fidelis Sophoniae,
Per orbis lata spatia
Dant laudes haec Mariae,
Quae fluis grata gratia,
Tu genetrix Messiae.

7. Te viatori ostium
Iob pandit peregrino
Obstans furori hostium,
Ut pax sit inquilino,
Linito more postium
Cruore cum agnino;
Te trium chori testium
Praesignant in camino.

8. Ardenti certe currulo
Helias, vas virtutis,
Tobias per te baculo
Levatur senectutis,
Virgo, adverte oculo
Delicta iuventutis
Et Christi verte clanculo
Furorem a pollutis.

VII.

1. Camelis potum tribuens
Es hydria fontalis,
Quaerelis proci annuens
Rebecca genialis,
Cor telis quondam acuens
Isaac liberalis,
Sub velis latet imbuens
Quo sensus spiritalis.

2. Ornatam in monilibus
Te Deus concupivit,
Creatam in senilibus
Diebus te praescivit,
Dotatam mille sortibus
Te spiritus ignivit,
Et gratam prae consortibus
Te oleo linivit.

3. Legalis es confugii
Urbs reis deputata,
Vitalis spes refugii,
Fidelis advocata,
Letalis fac ne vitii
Res fiat iudicata,
Finalis dum supplicii
Sententia sit lata.

4. Languenti tu probatica
Es utique piscina,
Pergenti non erratica
Es stella matutina,
Prudenti dona mystica
Tu Saba fers regina,
Trahenti tu mirifica
Es attrahens cortina.

VIII.

1. Es paradisus Domini
Locusque voluptatis,
Es lux creata homini
Fulgore caritatis,
Es sol desistens nemini
Nitore pietatis,
Es luna nostro semini
Dans robur castitatis.

2. Gementibus et flentibus
Es annus iubilaeus,
Gemens sub sordis sentibus
Per te resurgit reus,
Gulosus per te eminus
Fugatur Iebusaeus,
Gibbosus fide geminus
Te fugit Manichaeus.

3. In caelis tu prae omnibus
Es honor trinitatis,
In terra pax hominibus
Es bonae voluntatis,
In poenis se purgantibus
Solamen lenitatis,
In mari naufragantibus
Portus tranquillitatis.

4. Tu inter spinas lilium
Scis filias ornare,
Tu vagum patri filium
Scis reconciliare,
Tu mentibus humilium
Quietem scis parare,
Tu genua debilium
Scis, virgo, roborare.

IX.

1. Eterni verbi, entis summi,
De te stillantis more gummi
Es mater et numisma nummi,
Qui pneumate concuditur,
Matrona fortis tu es illa,
Quam praearmavit haec armilla,
Iob praenotante qua maxilla
Leviathan pertruditur.

2. Tu mulier es, per quam Evae
Funestus anguis, pectus leve
Livore blando fraudans saeve,
Insidians conteritur,
Tu fovens David Sunamitis,
Tu placans regem Tecuitis,
Tu botrum gignens feta vitis,
Quae in phalanga geritur.

3. En, superborum subdis colla,
Tu spei nostrae lebes, olla,
Tu panem nobis das sogolla,
Tuque farina nitida,
Es olus, per quam dulcoratur,
Dum mors in olla dominatur,
Qua ad vescendum praeparatur
Letalis colloquitida.

4. Amica sponsi, fida tutrix,
Tu nata nati, patris nutrix,
In opportuno tu adiutrix,
Tu salus in periculo;
Regalis virgo, virga Iesse,
Virtutes de qua sunt egressae,
Tu laborantum falx in messe,
Spes mortis in articulo.

5. Divinae praedae tu es cassis,
Salutis nostrae firma tassis,
Tu quies in labore lassis,
Tu fixus polus arcticus,
Dipondium tu es et assis,
Tu Salomonis illa classis,
Ex Ophir auri quam cum massis
Advexit gnarus nauticus.

6. Oliva pacis unctuosa,
Tu laurus es victoriosa,
Tu storax pinguis, resinosa,
Tu mastix aromatica,
Tu redolens es cinnamomum,
Suavis odoris tu amomum,
Tu pomus vitae gestans pomum,
Tu nardus quoque celtica.

7. Miranda turtur carens felle,
Tu apis es abundans melle,
Tu sutrix Deum tegens pelle,
Humanae carnis tunica;
Tu matutina lucens stella,
Vinaria tu regis cella,
Bituminata tu fiscella,
Tu casta Phoenix unica.

8. In Domo David cedri tignum,
Tu nationis nostrae signum,
Fructiferum tu vitae lignum
Non defluens in folio,
Conclusus hortus, fons signatus,
Tu ager Gazae irrigatus,
Divinitatis sato satus,
Tu messis carens lolio.

9. Nam te gustanti tu es suavis,
Tu caeli, terrae vera clavis,
In turbulento mari navis,
Tu prora, puppis, ancora,

Rostrata ratis tu triremis,
Tu trieris et quadriremis,
Tu scafa velox es biremis,
Strumosa sulcans aequora.

10. Ortorum fons tu vere gratus
Ad irrigandum hortos datus,
Tu puteus aquarum latus
Cum impetu fluentium,
In Libano tu exaltata
Es cedrus, tu cupressus lata,
Tu platanusque dilatata
Es in plateis gentium.

11. In machina confessionis
Pro filia contritionis
Expugnans arcem Babilonis
Tu fidei fundibula,
Tu thorax facta manu Dei,
Lorica firma tu es spei,
Triumphant in qua Maccabaei,
Tu Ionathaeque fibula.

12. Orthodoxorum civitatis
Tu murus es securitatis,
Seratus clave veritatis,
Tu turris fortitudinis,
Tu templum es virginitatis,
Tu solium divinitatis,
Triclinium tu trinitatis,
Tu domus sanctitudinis.

13. Humanae spei tu vexillum,
Defendens magnum et pusillum,
Inermem, orbum et pupillum,
Tu clippeus et galea,
Tu firma praedux es cohortis,
Tu propugnatrix vere fortis,
Tu es in ludo nostrae sortis
Scacabulum et alea.

14. Augusti solis tu quadriga,
Tu dupli cursus lunae biga,
Tu rota, currus et auriga,
Tu orbita iustitiae,
Nauclera, barca, tu carina,
Phaselus, carbasus aquina,
Tu remus, remex tendens lina,
Tu portus es laetitiae.

15. Nascentis Christi clemens illa
Es virgo mater et ancilla,
Quam prodit decuplex Sibylla
Sollemni vaticinio,
Te quamvis de Iudaea gente
Plebs stulta neget caeca mente,
Nugaces defraudantur lente
Fallaci patrocinio.

16. Naturae carnis prolem parens,
Carnali gustu prorsus carens,
Tu gignis florem radix arens,
Ut sentit vir theologus,
Praeclara virgo tu es, Iesum
Quae nutris, huic praebens esum,
Testamen cui dat illaesum
Albumasar astrologus.

17. Impleta Deo tu lagena,
Tu hydria farinae plena
Et miserorum tu crumena
Serata cum sollertia,
Nociva stringens tu catena,
Rhinocerontis tu habena,
Leonem praegnans tu leaena
Surgentem die tertia.

18. Pulchra tu tota es amica,
Decora, suavis et pudica,
In te nec ulla rugae plica
Vel fomitis est macula,
In Iericho tu florens rosa,
Oliva campi speciosa,
Tu fusca, nigra, sed formosa
Ut Cedar tabernacula.

19. Accingens Deum tu es hamus,
Constringens hostem tu es chamus,
Olivae pacis florens ramus,
Astringens pacis foedera,
Illaesus ardens tu es dumus,
Quem pneumatis obumbrat fumus,
Producens vermem tu es humus,
Quo Ionae perit hedera.

20. Pudicis trinum stringens loris,
Tu laqueus es venatoris,
Tu rete summi piscatoris,
Tu altus Iacob puteus,

Origo fontis tu es divi,
Fons vitae salientis rivi,
Tu sacer fornax panis vivi,
Quo vivit homo luteus.

21. Es sol de sole gignens solem,
Tu prolem prolis parens prolem,
Qui caeli molis terrae molem
Cum mole gestat aequoris,
Tu cassis es captivans Deum,
Cassilidis producens eum,
Qui extricavit Asmodaeum
Assati parte iecoris.

X.

1. Xristianismi nobiles
Ad cenam scis vocare,
Tu pauperes et debiles
Facis adpropinquare,
Tu caecos, claudos, fragiles
Compellis subintrare,
Tu parvulos et humiles
De cena das gustare.

2. Xristicolis tu sapere
Das veritatis fontem,
Tu sinu nosti capere
Saevum rhinocerontem,
Tu iustis das evadere
Obscurum Phlegetontem,
Tu ne nos sinas cadere
In mortis Acherontem.

3. Iustis tu ex parentibus
Es virgo procreata,
Tu annis a recentibus
Divinis mancipata,
Tu animis ferventibus
Praecepta comitata,
Tu ulnis cum trementibus
Portantem amplexata.

4. Ingenuo tu germine
Prodis patriarchali,
Tu alto nata sanguine
Radice de regali,
Tu claro scandis semine
Plebe [de] prophetali,
Tu sacro surgis ordine
Stirpe sacerdotali.

5. Medicinalis camphora,
Tu salutaris litus,
Tu es farinae amphora,
Tu olei lecytus,
Tu mystica metaphora
Loquendi ornans ritus,
Tu repetens anaphora,
Qua sermo fit politus.

6. Imber tu es clementiae,
Quo recreatur reus,
Tu vas, in quod prudentiae
Sal mittit Elisaeus,
Tu templum, quod in facie
Adorat Maccabaeus,
Tu funda, qua in acie
Succumbit Philistaeus.

7. Sanando Mara fluvium
Tu vertis in dulcorem,
Tu iter planas invium,
Reflexum et rigorem,
Tu agnum quondam devium
Reducis ad pastorem,
Tu miserendo praemium
Das lassis post laborem.

8. Ierusalem tu filia
Mitissima petenti,
Tu places inter lilia
Filiolas pascenti,
Tu bona super milia
Tam auri quam argenti,
Turbato das auxilia
Devote te poscenti.

9. Tu terra es salvifica,
Quam Deus benedixit,
Tu stella Iacobitica,
Quam Balaam praedixit,
Tu clavis es Davidica,
Quae caelo nos affixit,
Tu es serpentis pertica,
Percussus qua revixit.

10. Tu, cuius nomen nobile
Est oleum effusum,
Tu ostium praenobile,
Castissime praeclusum,
Tu pessulum immobile
Ad sponsi patens usum,
Tu manus quoque mobile
Es apprehendens fusum.

11. Tu, virgo, terra rubea
Es, homo qua plasmatur,
Tu vectis es in vinea,
Qua botrus baiulatur,
Tu, virgo, lex es ignea
Qua Deus praeamatur,
Tu caritas nec carnea,
Qua proximus gravatur.

12. Tu lignum esse diceris
In centro paradisi,
Tu fluvii fons crederis
In quattuor divisi,
Tu vitis esse nosceris,
Qua simus non praecisi,
Tu palmesque dignosceris,
Qua cuncti sunt gavisi.

13. Tu rete, quod non rumpitur
In piscium captura,
Tu vestis, quae non scinditur,
Sed sortis capit iura,
Tu serra, quae non frangitur
Per tractus de clausura,
Tu virgo es, ut creditur,
Post partum manens pura.

14. Tu arca es aetherea
Aeterni testamenti,
Tu urna quoque aurea,
Qua panes sunt retenti,
Tu tabula lapidea
Dans decem iussa genti,
Tu servo das praeterea
Mnam decem mnas habenti.

15. Tu, virgo, virga fumea
Aromate pigmenti,
Tu virga quoque lignea
Valens progredienti,
Tu, virgo, virga ferrea
Es inoboedienti,
Tu, virgo, virga aurea
Solamen dans dolenti.

16. Tu aqua de cisternula,
A David concupita,
Tu lucens dies, vernula,
Tu verax Iacobita,
Tu es in nostra terrula
Vox turturis audita,
Tu humilis puellula,
A Deo recensita.

17. Tu trinitatis cellula,
Tu simplici unita,
Tu fida prudens famula,
Tu civitas munita,
Tu bonitatis formula,
Virtutibus polita,
Tu sine dolo normula,
Tu verax via, vita.

18. Tu flos, tu veris primula,
Tu ornans plebiscita,
Tu castitatis infula,
Fidelis Samarita,
Tu semivivi baiula,
Quem praeterit levita,
Tu transvehis ad stabula
Quem transit Aaronita.

19. Tu aurea murenula,
Argento redimita,
Tu es cedrina tabula,
Qua domus est vestita,
Tu nobilis candidula
Praefulgens margarita,
Tu secretorum schedula,
Tu archicoenobita.

20. Tu consolatrix sedula,
Tu sors es diffinita,
Tu lucens lux per saecula,
Umbra legis finita,
Tu dulce canens fistula,
Qua salus est recita,
Tu ubertatis cistula,
Qua famis est sopita.

21. Tu sponso praebes oscula
Quam pulchre insignita,
Tu deitatis cartula
Sigillo communita,
Tu omni carens macula,
Tu salus praefinita,
Tu omnis boni clausula,
Tu merces infinita.

XI.

1. Testetur quid phantasticus,
Seu latret mathematicus,
Kalendae, Nonae, Idus
Quod prosperum quid imprimant
Vel asperum quid reprimant
Tu sortis nostrae sidus.

2. Tu ylech nostri staminis,
Alkokoden spiraminis,
Phirdaria annorum,
Tu Achazir nascentium
Almutez tu praesentium,
Tu typus futurorum.

3. Tu patris contubernium,
Tu nati lectisternium,
Tu pneumatis cubile,
Tu gregi pandis stabulum
Erranti et das pabulum,
Reducis ad ovile.

4. Tu principis es filia,
In calceis nobilia
Quam ornant paramenta,
Et centum mille milium
Cum speculis monilium
Decorant ornamenta.

5. Tu vatum es oraculum,
Tu fidei signaculum,
Quo Deus subarrhatur,
Tu sidus sanctimoniae,
Tu nidus castimoniae,
Quo Christus collocatur.

6. Tu turris propugnaculis,
Tam clippeis quam iaculis
Munita cum millenis
Ac armatura fortium,
Insultibus cohortium
Resistens alienis.

7. Tu illum capis grabato,
Qui hominem in sabbato
In toto, non in parte
Salvificat, in anima
Confortans pusillanima
Divinitatis arte.

8. Tu caecis es collirium,
Tu castis dextrochirium,
Tu rutilans beryllus,
Tu praedux es currentibus,
Post cursum quiescentibus
Cervical et pulvillus.

9. Tu radius in nubilo,
Tu gaudium in iubilo,
Tu cantus nostri tonus,
Tu princeps in imperio,
Tu clangor in psalterio,
In cymbalis tu sonus.

10. Tu legis in decalogo
Sanctorumque catalogo
Fers sceptrum, diadema,
Tu fidei sermologo
De textu quam de prologo
Es veritatis thema.

11. Tu es convenientibus
Et pie conferentibus
Locutionis schema,
Tu in paradigmatibus,
Obscuris aenigmatibus
Salutis es problema.

12. Tu gemma pudicitiae,
Tu vasculum munditiae,
Tu castitatis norma,

Tu speculum iustitiae,
Fugatrix tu malitiae,
Es veritatis forma.

13. Tu acus es plumarii,
Tu pinta coriarii,
Tu colus mentis fila,
Tu spes certantis gladio,
Currentis sors in stadio,
Tu pontis nostri pila.

14. Tu incus tu metalleus
Es huius fabri malleus,
Auroram atque solem
Qui fabricans conglutinat
Et in statera trutinat
Totius orbis molem.

15. Tu noctis in silentio
Ne Satanae praeventio
Extendat fraudis lora,
Resistens in insidiis
Fulgentibus praesidiis
Es rutilans aurora.

16. Tu ensis Apollonii
In bello testimonii
Confortans Maccabaeum,
Tu fortis es vernacula
Acuta cum novacula
Decalvans Assyreum.

17. Tu navis es Armeniae,
Fons et origo veniae,
Tu gratiae cisterna,
Tu lumen es in tenebris,
Pecunia tu foenebris
Accumulans superna.

18. Tu fortis es afhaeresis,
Tam schismatis quam haeresis
Eliminans venena,
Tu lotrix tergens crimina,
Collustrans cordis limina,
Tu diluis obscaena.

19. Tutum reclinatorium,
Regale consistorium
Es summae trinitatis
Patensque diversorium,
Proselytis ciborium
Divinae maiestatis.

20. Te cuncti laudant angeli,
Collaudant et archangeli,
Coetus patriarcharum,
Te potestates caelicae
Virtutes et angelicae
Cum turbis prophetarum.

21. Te praedicat theologus,
Te praefert physiologus,
Te medicus, legista,
Te naturalis physicus,
Miratur metaphysicus,
Extollit canonista.

22. Locutione congrua
Perfecta nec incongrua
Grammaticus te praefert,
Et logicus non ambigens
A vero falsum abigens
Famosa de te refert.

23. Te coloratis floribus,
Politis rhetor moribus
Extollit gloriose,
Et calculator ethicae
Rem tuam arithmetice
Dinumerat famose.

24. Geometer tetragonis,
Pentagonis, hexagonis,
Heptagonis figuris
Te circinat, et naiades
Te laudant atque dryades
Et omne nomen ruris.

25. Te quoque cum proceribus,
Tam novis quam veteribus
Astrologi testantur,
Te stellae, caeli sidera,
Te planetarum foedera
Cum signis venerantur.

26. Te lucens polus arcticus,
Te latitans anarcticus,
Arthophylax boetes,
Te lucifer et plyades,
Orion atque hyades,
Te luna, sol, cometes,

27. Te auster, eurus, oriens,
Te aquilo, te occidens,
Multovagusque ventus,
Te imber, nix et flumina,
Tonitrua et fulmina
Typhonicusque lentus

28. Et cuncta sub imperio
Utrovis hemisphaerio
Et globo sub lunari,
Quae sunt in cunctis finibus,
In insulis et sinibus,
Abyssis et in mari,

29. Natantium, currentium,
Volantium, repentium
Te praeferunt naturae,
Equestrium, pedestrium,
Campestrium, silvestrium
Honorant creaturae.

30. Te musicus altisone
In canticis dulcisone
Extollit iubilando,
Tibicen te, psaltericen
Lyricen atque cornicen
Honorant concrepando.

31. Te cytharis clangentibus
Et iubilum agentibus
Caelestes citharoedae,
Te tubis concrepantibus
Et cymbalis sonantibus
Hymnidici tragoedae,

32. In choro et in tympano,
In chordis et in organo
Quam reverenter laudant,
Et omnium viventium
Et lingulas moventium
Te spiritus collaudant.

XII.

1. Idcirco, virgo pia,
Maria,
Gaude,
Dei mater dia,
Sophia
[Tu] pia, plaude.

Misericors, benigna,
Tu digna
Laude,
Diluens maligna,
Dans signa
Prae hostis fraude.

Tu casta Sunamitis,
Tu mitis
Quidem,
Sedatrix Thecuitis
Es litis
Pridem,
Fida Moabitis
Ruth ditis
Booz equidem.

2. In nubibus tonantem
Infantem
Geris,
Cuncta baiulantem,
Firmantem
Molem aetheris.

Tu invidum serpentem
Furentem
Teris,
Daemonis ingentem
Frendentem
Dentem conteris.

Draconem virulentum
Distentum
Feris,
Salutis incrementum
Frumentum
Seris
Tollens esculentum
Cruentum
Pomi veteris.

3. Tu trinitatis cella,
Fiscella
Tremens,
Radiosa stella,
Bidella
Regis vehemens.

Pro nobis interpella,
Puella
Clemens,
Veni, leni bella
Flagella
Benigne demens.

Exuta carnis pelle,
Dum velle
Ruit,
Ad terram sine felle,
Quae melle
Fluit,
Duc nos iungens cellae
Novellae,
Quo manna pluit.

XIII.

Quod genitor ingenitus,
Cunctorum restauramen,
Et natus unigenitus,
Lapsorum sublevamen,
Et spiritus non genitus
Nec factus, sed spiramen
Concedat nobis penitus
Et nunc et semper. Amen.

Orat. ms. Tegurinum anni 1490. Clm. Monacen. 19824. A. — Nach einer Wolfenbütteler Handschrift bei Milchsack I, 143 ff. B. —

I. 2, 2 Latores A. — 4, 7 Caelorum A. — 5, 2 Sethim A; Cethim B. — 5, 3 imputrebilia A. — 5, 7 ledet tinea B. — 6, 3 noverant B. — 7, 1 germarius A. — 7, 2 Beseliel A. — 9, 7 acrius innuerant A. — 10, 5 Cherubin B. — 11, 1 Lucerna A. — 11, 2 fuscant B. — 11, 6 Cum opere A. — 12, 3 Vel lapidum A. — 12, 4 succenderunt A. — 12, 6 praeferam A. — 12, 7 egisset A. — 13, 5 Prae facultate A; penula B. — 13, 6 Huic voce B. — 13, 8 Prompta B. — 14, 7 ac stabilitas B. — 15, 3 Ac marmor B. — 15, 5 Et purpur B. — 15, 6 und 7 umgestellt B. — 15, 6 Ac lima B. — 15, 7 Lumenque A. — 16, 3 sacro B. — 16, 6 sugam ex B. — 16, 7 Sed pilis et B.

II. 1, 2 Virtutes B. — 1, 5 et discretis B. — 1, 7 Praecypitatos B. — 2, 5 penam A. — 2, 8 Quod queam A. — 3, 2 virgo A. — 4, 5 Si fehlt A. — 5, 6 praestat A. — 6, 1 En ecce qualis haec et B. — 6, 3 suprema pedis A. — 6, 4 progreditur A. — 7, 1 est viri parens A. — 7, 2 virum carens A. — 7, 4 Haec estque phoenix B. — 7, 5 Capillus A. — 7, 6 Et

fehlt A. — 8, 4 Profuso A. — 8, 5 Tintinnos B. — 8, 6 und 7 umgestellt B. — 8, 6 cingens B. — 8, 7 brutus B. — 8, 8 acrius A gegen den Reim. — 9, 3 regis A. — 10, 1 que fehlt A. — 10, 2 nec A. — 10, 3 sunt fehlt. — 11, 2 dentibus equale A. — 12, 4 Nolente A. — 12, 6 forte A. — 12, 7 Et hunc A.

III. 1, 1 huius fehlt B. — 1, 8 que fehlt A. — 2, 3 Et merito B. — 3, 3 Cor eius ad instar A. — 7, 2 sura B. — 7, 4 Sub plantis A; tali cura B. — 8, 5 rosifluos A. — 8, 6 nil fehlt A. — 8, 7 delicta B. — 9, 5 mei oneris A. — 11, 2 que fehlt B. — 11, 8 desit relinquatur A. — 12, 6 votum A.

IV. 2, 5 Placens A. — 3, 1 Regalis arca A, Realis arca B. — 3, 6 Arca fit B. — 3, 7 tangat B. — 3, 8 Cannis neque B. — 4, 1 est haec A. — 4, 2 pabulo A. — 4, 3 phicella B. — 4, 5 gentem A. — 4, 7 est stella B. — 5, 7 Solatur Rachel haec dum A. — 5, 8 nolens A. — 6, 1 lator regis A. — 7, 1 Levi miratur A. — 8, 2 Mitti A. — 8, 5 non inanum B. — 10, 6 melle A. — 10, 8 Sponso A. — 11, 1 est non A. — 11, 6 scit fehlt A. — 12, 4 repulit A. — 12, 7 Quae dum gnara foret A. — 13, 3 proles A.

V. 1, 6 Saeve A. — 3, 5 gagonis A. — 3, 8 Ave est B. — 4, 5 Quodque Parsis B. — 5, 5 feratur A. — 5, 6 stet A. — 6, 1 Ista huius parens A. — 6, 3 Et indutus fit inermis A. — 8, 4 salvamur A. — 10, 2 Fons rignus A. — 11, 3 Quod B. — 12, 1 praemonstratum A. — 12, 3 Est insigne vas B. — 12, 5 Vas delatum B.

VI. 1, 2 Fasciculum mutavit A. — 1, 3 Et ut potens A. — 1, 6 regnum A. — 1, 7 praepotens ad aethera A. — 2, 5 Salva nimis B. — 3, 2 Sic Christus sol A. — 3, 6 Locusta dum potitur A. — 3, 7 bruti vice B. — 3, 8 Qui manu sic A. — 4, 2 cunctis vates A. — 4, 3 militant A. — 4, 6 achates A. — 5, 3 gestas gaudium B gegen den Reim. — 5, 7 una sistas A. — 6, 1 ablata A. — 6, 2 Est A. — 6, 3 Est A, Et B. — 6, 5 orbis facta A. — 6, 7 Quo fluis A. — 7, 1 hostium AB. — 7, 5 mori A. — 8, 1 circulo A. — 8, 2 flos virtutis B. — 8, 8 Fervorem A.

VII. 1, 3 porci B. — 1, 4 generalis A. — 1, 5 quondam telis A, gegen den Binnenreim. — 2, 3 a senilibus B. — 2, 7 Et gratiam A. — 3, 2 regis A. — 3, 3 es refugii A. — 3, 5 sq. und 3, 7 sq. umgestellt B. — 3, 5 Finalis fac me AB. — 3, 6 indicata A. — 3, 7 Lethalis dum AB. — 4, 3 Vergenti tu erratica A.

VIII. 2, 1 Gemitibus et fletibus A. — 2, 3 sordis fetibus A. — 2, 5 Eulosus per te B. — 2, 6 Frangatur A; Ebuseus B. — 2, 8 Per te fugit A. — 3, 1 tu fehlt A. — 3, 3 terris B. — 4, 3 patris A. — 4, 5 sq. und 4, 7 sq. umgestellt B.

IX. 1, 4 contuditur AB. — 1, 5 sortis B. — 1, 7 praeconante B. — 2, 2 anguis perit leve A. — 3, 3 nobis fehlt B; ogolla A. — 3, 7 Dum ad vescentis A. — 3, 8 colloquintida AB gegen den Reim. — 4, 3 Inoportuno B. — 5, 2 firma classis A. — 5, 4 articus B. — 6, 3 thorax A. — 6, 6 Odoris suavis B. — 6, 7 Tu pontus vitae B — 7, 2 Tu fehlt A. — 7, 5 In matutino lucens B. — 7, 7 phycella B. — 8, 6 ager axae mitigatus B. — 9, 1 tu fehlt A. — 9, 5 Prostrata A; triremus B. — 9, 6 tereris A; et fehlt A. — 9, 8 Sturmosa A; saltans B. — 10, 1 tu fons vere B. — 10, 2 ortis datus B. — 12, 5 divinitatis B. — 12, 6 virginitatis B. — 13, 3 pusillum A. — 13, 8 Scatabulum B. — 14, 2 currus B. — 14, 3 turrus[!] B. — 14, 5 parca A. — 14, 6 anquina B. — 14, 7 remax B; remex fedus lima A. — 15, 5 Tu quamvis A. — 15, 6 Plebe A; neget fehlt A. — 15, 7 Nugace defraudante lente A. — 16, 6 praestans B. — 16, 7 tui dat A. — 16, 8 Albumazar B. — 17, 3 Mysteriorum tu A. — 18, 4 fomicis B. — 19, 8 Qua Ionae B. — 20, 1 Producens cervum A. — 20, 6 Fons in te salientis A. — 20, 7 sacra A. — 21, 2 Tu plena prolis A. — 21, 3 Quae A.

X. 1, 2 facis vocare A. — 2, 3 noscis B. — 2, 8 Achyrontem B. — Str. 3 und 4 umgestellt B. — 3, 1 tu fehlt A; a parentibus A. — 3, 5

fluentibus A. — 3, 4 mancipatam A. — 3, 5 animis fluentibus A. — 4, 3 manas sanguine B. — 4, 6 patriarchali B. — 5, 7 reputans A. — 5, 9 Quis sermo sit A. — 6, 3 quo A. — 6, 6 Adornat A. — 7, 1 Marat A, Marach B. — 7, 2 Tu vitis in dulcore A. — 7, 7 miserando A. — Nach 8, 2 schiebt B ein: Tu optima consilia Das veniam quaerenti B. — 8, 7 sq. fehlen B. — 9, 8 partica B. — 10 Zeilenfolge in B: 1, 2, 7, 8, 5, 6, 3, 4. — 10, 3 hostium A. — 10, 4 conclusum B. — 10, 8 Et apprehendens A. — Str. 11 fehlt A. — 12, 6 Qua sumus nos A. — 12, 8 sint B. — 13, 6 Pertractus de A; Per tractos B. — Str. 14 und 15 umgestellt B. — Nach 15, 2 schiebt B ein Tu virga regi aurea Conveniens clementi. — 15, 3 virga A. — 15, 7 und 8 fehlen B. — 15, 8 das A. — Str. 16—21 fehlen A. — 19, 7 cedula B.

XI. 1, 1 quod A; phanaticus B. — 1, 2 latrat A; latet B. — 1, 4 Ad prosperum quid B; imprimat A. — 1, 5 reprimat A. — 2, 2 Alkodnico A. — 2, 3 Phidaria A. — 2, 4 Achasir A. — 2, 5 Alimiter praesentium A. — 6, 3 Munimen A. — Str. 10 fehlt A. — 11, 3 thema A. — Str. 13 fehlt A. — 14, 1 Tu incus tuque malleus A. — 14, 2 fabri aureus A, gegen den Reim, der dreisilbig ist. — 15, 1 Tu nosti in A. — 15, 2 Quot Satanae A. — 17, 5 Pecunia cum B. — 18, 1 effronesis A. — 19, 1 Tu cum B. — 19, 3 Sis summae B. — 20, 5 Virtutes evangelicae B. — 22, 4 ambiens B. — 22, 5 abiens B. — 23, 1 colorat A. — 23, 4 calculatur A. — 23, 5 Rentila A. — 24, 3 vigoris A. — 24, 4 et naydes AB. — 24, 5 laudat A; triades A, triaydes B. — 24, 6 roris A. — 26, 1 luce A; articus B. — 26, 2 antarticus B. — 26, 3 boletes A. — 26, 5 Oriens A. — 27, 2 Et Aquilo et Occidens A. — 27, 3 Multovagusque A. — 27, 5 Tonitruum B. — 27, 6 Typhonitusque B. — 29, 1 Moventium A. — 30, 3 te fehlt A. — 30, 4 ac cornicen A. — 30, 6 modulando B. — 31, 2 iubilis H. — 31, 3 citharoedi B. — 31, 6 tyarede A, trayedi B. — 32, 3 veneranter A.

XII. Der ganze Leich fehlt A. — 3, 2 Phycella B. — XIII fehlt.

Vor jedem der mit lateinischen Zahlen bezeichneten Abschnitte steht in A *Mutatio rhythmi*, in B *Mutatio rhythmorum*. Der Abschnitt V ist in B nicht als ein von IV verschiedener bezeichnet; der Binnenreim in den Versen 1, 3, 5 und 7, wie Esther — equester, Iudith — cudit, kennzeichnet die rhythmische Verschiedenheit. Ferner bemerkt A fol. 109c: Sequens carmen continet in serie capitalium usque ad centesimum undecimum versum haec, quae sequuntur: I Franco, scholaster Meschedensis, servitor alme virginis Marie humilis et devotus, ista collegit et ea domino Iohanni pape XXII misit. — Fol. 110a: „Incipit carmen magistrale de beatissima virgine Maria diversis metris compilatum.“ — Fol. 120a: „Explicit carmen magistrale et mirificum de beata virgine Maria.“

Altercatio de utroque Iohanne Baptista et Evangelista.

1. Sanctissimo in Christo patri,
Catholicae quem sanctae matri
Praefecit caeli dominus
Ecclesiae pro defensore,
Pro duce simul et pastore,
Rectore nihilominus,

2. Benigno domino Iohanni,
Pontificatus cuius anni
Diesque sunt pacifici,
Scribenti servum se servorum,
Sit quamvis princeps dominorum,
Magnifico pontifici,

3. Romanae sedi praesidenti,
Praerogativis adfluenti
Virtutum multiplicibus
Scholaster Franco Meschedensis,
Dioecesis Coloniensis,
Se flexis cum poplicibus

4. Ad gratiae stillifluorum
Desiderata beatorum
Devota pedum oscula
Et supplicem non dedignari
Exigua nec aspernari
Haec pauperis munuscula,

5. Quae utriusque tam baptistae
Iohannis quam evangelistae
De vita sub compendio
Sunt ex scripturis fabricata,
Sub rudi rhythmo conglobata
Cum neutrius dispendio.

6. Ut autem Christo largiente
Concepta queam sana mente
Feliciter perficere,
Tu, dominorum dominator,
Sis benedictionis dator
Me iubens benedicere,

7. Ut nova quaedam propalentur
Memoriaeque commendentur,
Stent linguae sub silentio;
Nam pridem de discipulorum
Maioritate meritorum
Ut oritur contentio,

8. Sic fama fida referente
Clamore grandi deferente
Nunc de Iohanne duplici
Stat causa duas inter partes,
Quae litigandi norunt artes
Devotione supplici.

* * *

9. Pars prima ponit, quod baptista
Sit dignior evangelista
Sanctorum in collegio,
Pars alt'ra natum Zebedaei
Praeponit ut amicum Dei
Amoris privilegio.

10. Dum saepe partes hoc praetendunt
Et iterantes hoc contendunt
Non functae rationibus,
Pars prima dicit: Imbrigamur
Nec altercando disbrigamur
His cavillationibus.

11. Si placet ergo, quiescamus,
Ne stultae tamquam incurramus
Garrulitatis vitium,
Et, si quid iuris habeamus,
Hoc alternatim deducamus
Sollerter in iudicium.

12. Et abigamus tam probrosa
Quam verba contumeliosa
Quascunque dilatorias
Ac frivolas exceptiones
Et quasvis oppositiones
Fori declinatorias.

13. Cum simus ambae moniales
Et causae mere spiritales,
Vitetur omnis pactio,
Ut auro gemmis ac argento
Seu quovis dato vel retento
His dirimat transactio.

14. Ad arbitros non incurramus,
In ipsos nec compromittamus
Huiusmodi discordia,
Pacifice quod dirimatur
Seu hac in lite statuatur
Pax, treuga, seu concordia.

15. Sed quidquid iuste iudicantis,
Acutius rem erimantis,
Decreverit sententia,
Hoc pio prosequamur voto
Et nisu contemplamur toto
Summaque diligentia.

16. Pars alt'ra dicit: advocati
His assint, testes adprobati,
Procuratores garruli,
Apparitores et praecones,
Notarii, tabelliones
Et literarum geruli,

17. Clientulique defensores
Et iustus iudex, assessores,
Quod partis sit, pars usitet;
Hic lepus est, hic est et campus,
Ius suum agat hic Melampus,
Lis suo marte cursitet.

18. Et in his ultra non moremur,
Sed litem cito contestemur
Praestemus et iuramina,
Calumnias et evitemus
Et fraudes quaslibet, iuremus
Malitiae sacramina.

* * *

19. Pars prima citans pro baptista
Fidelis velut agonista
Dilectum suum praetulit,
Ut litis enodaret modum
Agressa litem in hunc modum
Libellum suum obtulit:

20. Dilectus meus, pro quo certo
Est vox clamantis in deserto,
Hic omne nefas odiit,
Hoc inter natos mulierum,
Ut attestatur verbum verum,
Non maior ullus prodiit.

21. Hic prius notus quam formatus
A Deoque sanctificatus
In uteri voragine,
Vir magnus iste, puer purus,
Vir abstinens, non Epicurus,
Ut sacrae tradunt paginae.

22. Istius ortus modo miro
Vetusta matre, sene viro
Mirando surgit ordine
Ex plebe iusta prophetali
Levitica, pontificali
Sacerdotali cardine.

23. Sacerdos iustus Zacharias
Abiae vicis sequens vias
Ingressus templum Domini,
Ut certum suae sortis pensum
Exsolvens poneret incensum,
Ut incumbebat homini,

24. A Gabriele salutatur,
Et partus sibi nuntiatur,
Non credens mutus tacuit;
Concepit anus post hoc prolem,
Concepti fetus sentit molem,
In utero, quo iacuit.

25. Se fetam noscens non fecunda
Stupescit, nutat, verecunda
Se celat quinque mensibus,
Concepto post hoc salvatore
Naturam contra novo more
Humanis non de sensibus.

26. Festinans virgo mente sana
Iudaeae scandit ad montana,
Subintrat senis limina;
Elisabeth agnoscit anus,
Quem divina coniunxit manus,
Ut mundi tollat crimina.

27. A matre matre salutata
Exsultat proles Deo grata
Sub uteri carceribus,
Sic nondum natus nondum natum
Prophetat, vates vatem vatum
In virginis visceribus.

28. Et manet virgo sic onusta
In domo senis cum vetusta
Per menses ternos obsequens,
Cognatae seni gravidatae
Iuvencula benignitate
Hanc et honore prosequens.

29. Post hoc dum anus natum fudit,
Sacerdos mutus stilo cudit
Scribens immutabiliter:
Iohannes hoc est huius nomen,
A Gabriele cuius omen
Praedictum est humiliter.

30. In voce pater praeadflictus
Prophetans carmen Benedictus
Laxata voce praecinit
Et huius in nativitate
Plebs multa gaudet longe, late,
Ut paranymphus cecinit.

31. Et merito plebs gratulatur
Et dulce melos modulatur
De gaudii materia,
Quo puer iste iucundatur
Et regem caeli praeconatur
Matricis in maceria.

32. Hic nondum bina complens lustra
Collustrans lustra sed non frustra
Lustrante dei filio,
Ut corpus castum vitet fastum,
Desertum vastum subit pastum
Conquirens in exsilio.

33. Vestitus huic non byssinus,
Sed pilus asper camelinus,
Coartans artus artius
Lumbare de bidentis pelle,
Locusta cum silvestri melle
Fons pastus, sed quam arcius.

34. Hic alter Samson Nazareus,
Immundi cibi nunquam reus,
Nec tangit hunc novacula,
Vir sanctus, rectus nec versutus,
Sed fotis pilis fit hirsutus,
Vir fraudis expers macula.

35. Sex lustra fere dum sunt ei,
Fit super ipsum verbum Dei
In loco solitudinis,
Ut retransmigret de deserto
Et praeconizet in aperto
Baptismum paenitudinis.

36. In Ennon multos hic baptizat
Et plebem multam catechizat
Cor a peccatis volvere,
Venturus, dicens, est benignus,
Me fortior, cuius non dignus
Sum calceos dissolvere.

37. Sic, ne tangatur hic a pice,
Superbientum allectrice,
Ambitiones abnegat,
Humilitatis sequens viam
Profani Christum vel Eliam
Se fore prorsus denegat.

38. Hinc Christum videns venientem
Iordanis sacrum ad torrentem
Prae cunctis clamans vatibus:
En, verus agnus ille Dei,
Purificantur per quem rei
Vetustis a reatibus.

39. Lavantem sordes ille lavat,
Quem moles sordis nulla gravat,
Iordanis sacro flumine,
Sed non tergendo Christum mergit,
Ut immergendo Christus tergit
Cunctorum nefas numine.

40. Hic homo mirae sanctitatis,
Perfectae testis trinitatis
Est utique prae ceteris,
Apertis caelis non ferocem
Superni patris audit vocem
Oblita[m] verbi veteris:

41. Hic natus meus est dilectus,
Prae cunctis placens et electus,
Hunc solo verbo genui,
Ab aevo per hunc operatus,
Per istum modo complacatus,
Quem semper manu tenui.

42. Hic sacrum quoque pneuma cernit,
Quod nefas omne prorsus spernit,
In columbina specie,
Quo Iesus Christus Nazarenus
Regressus a Iordane plenus,
Ut sacrae tradunt peciae.

43. Hic angelus est Isaiae
Praecedens Christum in Eliae
Virtute nec non spiritu,
Ut convertendo non credentes
Ad Christi viam trahat gentes,
Ne gemant in interitu.

44. Lucerna hic est lucens clare,
Quae iubar parit hoc solare,
Quod hominem illuminat,
Praecedit quippe praedicando,
Nascendo, morte, baptizando
Hunc, nefas qui eliminat.

45. Propheta hic, plus quam propheta,
Fidelis servus et athleta
Placato diro vindice,
Baptista Christi, praeco magnus,
Iohannes vates, sacer agnus
Monstratur huius indice.

46. Scripturas quoque si scrutaris
Et revolvendo meditaris
Rememorans cautissime,
Non solum fore hunc baptistam,
Sed etiam evangelistam
Invenies certissime.

47. Praecisionis terminator,
Baptismatis initiator,
Hortator paenitentiae,
Hic peccatorum increpator,
Facinorum hic detestator,
Argutor insolentiae.

48. Hic castus homo, vir pilosus,
Israelita non dolosus,
Clamans in solitudine,
Praedixit prout Isaias,
Quod Dei rectas paret vias
Plebs cum sollicitudine.

49. Hic utriusque limes legis,
Hic martyr magnus magni regis,
Eremitarum optimus,
Sic in virtutem de virtute
Procedit iste cum salute
Amicus meus intimus.

50. Herodes tandem dum uxorem
Cognoscit fratris contra morem
Et ordinem iustitiae,
Incestuosus increpatur
A casto, castus vinculatur
In carcere tristitiae.

51. Antipas post hoc agens festum
Cruore cumulat incestum,
Incestuosae feminae
Et saltatricis ad instinctum
Condemnat veritatis vinctum
Sacrato partum semine.

52. Dans iusti caput saltatrici,
Saltatrix illud meretrici
Fert amputatum gladio,
Praecursor fidem sic servavit,
Sic certans cursum consummavit
In veritatis stadio.

53. Et coronatur tribus sertis,
Multiplici fructu refertis
Decenter fulgidissimo,
Rosarum cultu decoratis
Et liliorum adornatis
Auroque splendidissimo.

54. Ideirco meus praedilectus,
Praerogativis tot protectus
Et argumentis, merito
Est caro tuo praeponendus,
Ut dignior et praeferendus
Maioritatis merito.

55. Quapropter peto potiori,
Qua prece possum ampliori,
Ut, iuste iudex domine,
Dilectum meum decernatis
Maioris fore dignitatis
Re, meritis et nomine.

56. Et maxime cum sim parata,
Sunt in libello quae narrata,
Probare lucidissime
Tam testibus quam instrumentis
Et voce, fama, documentis
Et ceteris potissime.

* * *

57. Pars altera contendens fore
Evangelistam praecursore
Maiorem, prout credidit,
Mucrone functa rationis
Libellum reconventionis
In modum istum edidit:

58. Amicus meus praedilectus,
Ex mille milibus electus,
Millenis gaudens dotibus,
Quem amo corde, mente tota,
Tonitrui vox est in rota
Divinis tonans motibus.

59. Hic Iesu Christi salvatoris,
Errantis ovis reductoris,
Est filius materterae,
Qui castitatem Deo vovit,
A Christo doctus plene novit
In rota rotam vertere.

60. Cum fratre piscans hic vocatus
Ad apicem apostolatus
A Domino eligitur,
Relicto patre naturali
A Christo, patre spiritali,
Prae ceteris diligitur.

61. Affectu carnis non devictus
A Christo non est derelictus,
Parentem dum deseruit,
Prae cunctis privilegiari
Praerogativa singulari
Dilectionis meruit.

62. Salvator Iesus, cui patet
Cor omne nec occultum latet,
Et cui nil est tacitum,
A caro meo non nubente,
Sed nubere quidem volente
Secundum Dei placitum,

63. Ad nuptias dum invitatur,
Ne nubat, castus revocatur,
Adplaudit rex vernaculo;
Ex unda munda facto vino
Convivae cum architriclino
Hoc gaudent de miraculo.

64. En, meum qualiter amicum
Quam castum, purum et pudicum
Rex terrae, rector aetheris,
Honorat signi novitate,
Convivas vini bonitate
Lactificat prae ceteris.

65. Dilectus meus advocatur,
Dum Dominus transfiguratur
In montis celsitudine,
Nec talis tamen visionis
Mirandae nec ostensionis
Effertur magnitudine.

66. Hic etiam tunc accersitur,
Dum nata Iairi moritur
Decumbens in cubiculo
A Dominoque suscitatur
Et rediviva patri datur
Caelesti adminiculo.

67. In cena Christus dum suprema
Sermonis ante longi thema
Cum subditis discubuit,
Amicus meus praedilectus
Sacratum Iesu supra pectus
Feliciter recubuit.

68. Quo de secretis secretorum
Arcana potans arcanorum
Inebriatus poculo
Arcana Dei perscrutatur
Acutiusque contemplatur
Internae mentis oculo.

69. Hic etiam, quando pavere
Tradendus coepit et taedere
Mariae primogenitus,
Assumitur a salvatore,
Sanguineo sudoris rore
Dum aegrum curat penitus.

70. O vere quantum, Iesu Christe,
Medicinalis sudor iste
In medicando valuit,
Per quem humana gens polluta
Funestae faecis ab acuta
Febricitans convaluit.

71. Dilectus meus, vir devotus,
Pontifici cum esset notus,
Introiit cum Simone
In domum Annae, dum ligatur
Salvator et colaphizatur
Suadente turpi daemone.

72. Hunc quia carnis castitate
Cum mentis ornat puritate
Virginitas praenobilis,
Quae paradisum replet Dei,
Stat, inquam, natus Zebedaei
Columna ut immobilis.

73. Salvator Iesus, virgo purus,
In cruce pendens moriturus,
Decentem servans ordinem
Dilecto meo castiorem
Virgineum servanti florem
Commendat matrem virginem.

74. Decernens aequum, salutare,
Quod prolem parens sine mare,
Praenobile triclinium,
Electus virgo conservaret,
Ut castum castus defensaret
Virginitatis scrinium.

75. Dum filius, quem gignit Deus,
Pro populo qui fuit reus,
In furca crucis patitur,
Et latus eius reseratur
Exanimeque perforatur
Et lancea conquatitur,

76. Quo latex undae, sacer cruor
Emanat salutaris fluor
Eliminans peccamina,
Amicus meus videns ista –
Ut verus testis, non sophista,
His perhibet testamina.

77. Praecursor hic fit, dum cucurrit
Cum Petro, Petro praecucurrit
Amoris amplitudine,
Et piscans hic cum senis laete,
Piscando non est scissum rete
De praedae multitudine.

78. Ad portam claudum hic sedentem
Et elemosynas petentem
Cum Petro curat citius,
Cum apud ipsos nec argentum
Nec auri pondus est inventum,
Dant huic, quod est ditius.

79. Dilectus quoque cordis mei
Cum Petro loquens verbum Dei
Divina per auxilia
Ex gente caeca Iudaeoum
Ad Christum, regem angelorum,
Convertit quinque milia.

80. Hic etiam cum Petro quidem
Samaritanis augens fidem
Impressione manuum
Et baptizatos confirmabat
Et spiritum salutis dabat,
Scientem, pium, strenuum.

81. Quod quidem magnum sacramentum
Ab ipsis primo sic inventum,
A nostris pontificibus
Solummodo nunc reservatum,
Ut pulchre patet exaratum
Sacratis in codicibus.

82. Hic etiam cum Petro Cephas
Detestans turpis lucri nefas
Iniquitatis mammone
Condemnat turpem simoniam
Et turpis cuncti quaestus viam
Cum turpi mago Simone.

83. Dum Paulus Ierusalem redit,
Dilectus meus sibi dedit
Societatis dexteram,
Ut carus meus Iudaismi
Paulusque stultam paganismi
Doceret gentem exteram.

84. Hic aquila Ezechielis
Ut noscat, latet quod sub velis,
Evolitans sublimius
Aeternum summi verbi entis,
In rota rotae discurrentis,
Fit indagator nimius.

85. Hic medicus est animarum,
Disertus hic est variarum
Curator aegritudinum,
Hic revocator profugorum,
Hic suscitator mortuorum,
Collator valetudinum.

86. Veneni magnus hic potator,
Confracti vasis reparator,
Effector mirabilium,
Illaesus virus iste sumit,
Et quos per virus mors consumit,
Hic vitae fert auxilium.

87. Hic mirandorum operator,
Substantiarum immutator,
Non tamen ritu magico,
Naturas iste transfert rerum,
Transformat formas specierum
Sub more Moysaico.

88. In gemmas saxa pretiosas,
In aurum virgas hic frondosas
Immutat visibiliter
Et immutata contra morem
In rerum formam hic priorem
Reformat mirabiliter.

89. Hic advocatus quoque prudens
Prudenter argumenta cudens,
Ut obviet latratibus
Haereticorum, Ebionis,
Cerinthi nec non Marcionis
Illicitis dogmatibus.

90. Hic meus quoque praedilectus
Quam sapiens est architectus
Ecclesias constituens!
Est etiam archilevita
Probatos moribus et vita
Presbyteros instituens.

91. Hic quia mentis puritate
Carnali cum integritate
Consilii ut angelus
In carne praeter carnem vixit,
Culpandus non est is, qui dixit,
Quod ipse sit archangelus.

92. Domitianus imperator,
Tyrannus saevus et grassator,
Tonitrui hunc filium
Salutis verbum intonantem,
Constanter evangelizantem
Relegat in exsilium.

93. Sic relegatus eremita
Fit verus hic Israelita,
Qui dolo nullo pungitur,
Exsilium subintrat libens,
Apocalypsim Christi scribens
Prophetae vice fungitur.

94. Carusque meus vir sincerus,
Ut Christi martyr foret verus,
Ab inimicis angitur
Et dolium subit ferventis
Olivae guttae bullientis,
Sed nec fervore tangitur.

95. Conservans virum hunc modestum
Divina virtus mutat aestum,
In ventum roris tepidum,
Stupescit poenam plebs obscaena,
Sed poena stupet plus in poena
Hunc martyrem intrepidum.

96. Quem prius iuventutis valor
Vel urens renes carnis calor
Non valuit accendere,
Nec olei ferventis aestus
Nec ardor aestuans ingestus
Hunc potuit succendere.

97. Sic lumbos caste praecingentes
Et flammas carnis exstinguentes
Non sentient incendia
Gehennae, sed cum hoc dilecto
Domante carnem calle recto
Recipient stipendia.

98. Apocalypsim sub figuris
Nodosis scribens et obscuris
Hic Pathmos in exsilio
Alpha et O cognoscit idem,
Adiutus, prout erat pridem,
Divinitus auxilio.

99. Epistolas hic scribit trinas
Prolixam unam, breves binas,
Quas dicimus canonicas,
Spiritualem quae medelam
Dant animabus et tutelam
Et pestes curant comminus.

100. A Pathmos iste revocatus,
Ab Asianis flagitatus
Conscribit evangelium
Compendiosa brevitate,
Certantum de divinitate
Qui mortis sedat proelium.

101. Dilectus meus postquam rite
Transcurrit annos anno vitae
Nono cum nonagesimo,
Ab anno quidem, in quo Iesus
Occiditur flagellis caesus
Septeno sexagesimo

102. Annoque primo Traiani,
Benigni Caesaris Romani,
Quo sceptro non fidelior,
In chronicis ut adnotatur,
A plebe cui conclamatur:
Quis Traiano melior?

103. Adesse sibi sciens mortem,
Recipiat ut fructus sortem
Ex seminum manipulis,
Apparet illi rector caeli,
Salvator noster, verus Heli,
Bis senis cum discipulis:

104. Amice, dicens, tu perfecte
Certasti cursum complens recte,
Nunc tempus est, cum fratribus
Ut convivando gratuleris
Et gratulanter epuleris
Et dormias cum patribus.

105. A Domino sic invitatus,
Dum grates refert Christum ratus
Hunc Dei esse filium,
Qui mundum iussu genitoris
Effusi salvat vi cruoris
Et lapsis fert auxilium,

106. Venisse sciens mortis horam,
Quae nullam ultro trahat moram,
Effodi iubet tumulum,
Devoto corde missam dicens,
Astanti turbae valedicens
Subintrat vivens tumulum.

107. In fide firmans Ephesinos,
Reclinans artus resupinos
Effossa humo tegitur,
Qui carne vixit incorruptus,
Hic gravi poena non est ruptus
In morte, prout legitur.

108. De tumba namque huius rursum
Minutus pulvis scatet sursum,
Ut pluribus est cognitum,
Sed pulveris haec ebulligo
Protendat seu quid scaturigo,
Scit, cui nil incognitum.

109. En, hic est natus Zebedaei,
Amicus fortis ille Dei,
De quo sermo suboritur
Electos decem inter fratres,
Orthodoxorum veros patres,
Quod carus hic non moritur.

110. Hinc carus meus tot dotatus
Virtutibusque decoratus
Est praeferendus merito
Non solum flore castitatis,
Sed etiam maioritatis
Praerogativae merito.

111. Quapropter peto potiori,
Qua prece possum ampliori,
Ut, iuste iudex domine,
Dilectum meum decernatis
Maioris fore dignitatis
Re, meritis et nomine.

112. Et maxime cum sim parata,
Sunt in libello quae narrata,
Probare lucidissime
Tam testibus quam instrumentis
Et voce, fama, documentis
Et ceteris potissime.

* * *

113. Libellis vero sic oblatis
Et partibus percopiatis,
Utraque pars ut videat,
Quid petat sive quid praetendat,
Aut proponendo quid intendat,
Et artius praevideat,

114. Ut cauta sistat in agendo
Et cautior in deferendo,
In singulis cautissima,
Quae causae spectant ad tutelam,
Post laesam litem ad medelam
Recurrat ne tardissima,

115. Negatis tandem sic petitis
Legaliterque facto litis
Sollemni contestamine,
Ne vagus ordo partes laedat,
Sed hinc et inde res procedat
Aequato cum libramine,

116. Nec committatur fraudulentum
Calumniaeque iuramentum,
Utraque pars astringitur
Et quaevis actrix sic et rea
Pars ne putetur Pharisaea,
Utroque iure stringitur.

117. Partesque ambae sint claustrales
Et causae mere spiritales
Cum re, de qua lis agitur,
Tam veritate de dicenda
Malitia quam fugienda
Iurandum ius extrahitur.

118. His actis iudex usquequaque
Requirit hoc, quod pars utraque
Rem ductam in iudicium
Per testes probet fide dignos,
Veraces, fidos et benignos,
Quos nullum agat vitium.

119. Et instrumenta, quibus uti
Nitantur partes, ut astuti
Has advocati duxerint
Erudiendas studiose,
Ne doleant, incautelose
Sinistra si produxerint.

120. Utraque pars, ut ducat testes,
Quos sordis nullae gravant pestes
Fideli mente ruminant,
Et hos ut dignos, eminentes,
Veraces, fidos, competentes
In iuris forma nominant.

121. Salvator, Marcus, Lucas testes,
Matthaeus, angeli caelestes,
Pro quavis parte proferant,
Quod fore noscunt aequitatis,
Iustitiae, quod veritatis,
Fideli verbo referant;

122. Ac eminens evangelista,
Iohannes Christi symphonista,
Cum testis sit non varius,
In lite narrans simul ista
Tam pro se ferat quam baptista
Testamen luce clarius;

123. Et magnus Paulus, dux Tarsensis,
Eusebius Caesareensis,
Ambrosius, Isidorus,
Cum Anacleto papa Linus,
Gregorius et Augustinus,
Cum Beda Cassiodorus,

124. Hieronymus cum Innocente
Ac Origenes cum Clemente
Et Alexander tertius
Et Symmachus cum Adriano
Gelasioque non profano
Testamen dent apertius;

125. Hilarius cum Comestore,
Chrysostomus cum glossatore,
Calixtus, Eleutherius
Et Rhabanus cum Gratiano,
Papias cum Iustiniano
Testamen pandant verius;

126. Ecclesiastes, Isaias,
Ezechiel et Ieremias,
David, Ecclesiasticus,
Cum Iosepho dux legislator,
Vetustae legis propagator,
Sit testis non phantasticus;

127. Ac Iuvenalis cum Catone,
Sed et quam plures famae bonae,
Quod verum sciant, referant,
Verbali fide seriatim,
Vicissim tunc, nunc separatim
Examinanti proferant.

128. Praefati testes quid practendant,
Ac instrumenta quid portendant,
Tabellionum manibus
Notatum quidem hoc apparet
Et publicatum pulchre claret
Utrisque in marginibus.

129. Pars prima sic excipiendo:
Dilectus meus, quem defendo
Cum armis non fragilibus,
Est adulescens multum recens
Et ad amandum mire decens
Sub annis iuvenilibus,

130. Ornatus puritatis flore,
Amori sacri plenus rore,
Concertans quam agiliter,
Ut prior Christi dux cohortis,
Vexillifer et miles fortis
Aggreditur viriliter.

131. Incestuosos, scaenulentos,
Tyrannos saevos, truculentos
Cum scelerum proceribus,
Hos arguendo, ut est dictum,
Incestuosum ob delictum
Cum ceteris sceleribus.

132. Ad mortem usque quibus restat
Nec pacis locum pravis praestat
Nec mortem non abhorruit,
Certando tandem vir beatus
Rosarum serto laureatus
Sub ensis fato corruit.

133. In bello vitam salutari
Concludens morte militari
Hic pugil strenuissimus,
Mercedem pro quo pretiosam
In caelis capit copiosam
Ut victor invictissimus.

134. Dic, numquid ambae bene scimus,
Quod Abel iustus, martyr primus,
Quam iuvenis occiditur,
Et Aran ritus perfidorum
Detestans in Hur Chaldaeorum
Innoxius succenditur?

135. Sic Azahel, praecursor citus,
Cum hasta fossus et contritus
In inguine succubuit,
Sic Ionathas cum Saul rege
Pro sacra Dei certans lege
In montibus occubuit.

136. Sic Absalon, vir generosus,
Prae cunctis specie famosus,
In morte cadit duplici,
Quem capite rex cooperto
Illustris David in aperto
Deplangit luctu duplici.

137. Sic Iudas fortis Maccabaeus
Et Eleazarus Hebraeus
Restantes saevis regibus
Cum Ionatha, Iohanne quidem
Et Simone germanis pridem
Pro sacris cadunt legibus.

138. Sic Stephanus, primus levita,
In iuventutis cadit vita,
Sed et quam plures igitur,
Sic Iesus Christus, Iudaeorum
Rex, adulescens pro nostrorum
Delictis crucifigitur.

139. Sed carus tuus veteranus,
Caecutiens, vir claudus, canus,
Vir claudicans ingenio,
Singultans, stertens gemiscendo
Hiansque, spuens tussiendo
Concludit vitam senio.

140. Pars altera sic replicando,
Pro caro suo dimicando
Producit hoc in medium:
Suini tui nec grunnitus
Nec asinini me ruditus
Offendunt, sed dant taedium.

141. In lege cui praecavetur,
Ut senis vultus honoretur
Et capitis canities,
Et reverenter consurgatur,
Ac honor quivis impendatur;
Nec minuit calvities

142. Primaevi status honestatem
Nec acquisitam dignitatem
In rubea caesarie,
Sed radiantis ampliorem
Ab intus animi decorem
Testatur multifarie.

143. Sed tremit caput, tinnit auris,
Si sensus census cum thesauris
Evacuentur oculi,
Si pallet nasus, nares fluunt,
Si livet os, si dentes ruunt,
Et si caligant oculi,

144. Si tergum rigeat gibbosum,
Si propter rheuma saniosum
Strumosum pectus tussiat,
Si stomacho sit algor multus
Molestos ingerens singultus,
[Et] si lingua balbutiat,

145. Si manus tremulenta friget,
Si cespitat pes, planta riget,
Titillat si calcaneus,
Si virtus errat animalis,
Si calor tepet naturalis
Internus et extraneus,

146. Si cibi cessat appetitus,
Si potus squalet concupitus,
Si somnus procul exsulet,
Suspiriis cum tusse gravi,
Anhelitu odoris pravi
Si senex pressus eiulet.

147. Coturnix senex si laetetur,
Tau baculino sustentetur,
Nil honestati derogat
Contracta cutis, frons rugosa
In sene, quamvis onerosa
Onere senem praerogat.

148. Hinc cari mei detestanda
Senectus non est, sed laudanda,
Cum carnis non annositas
Sed animi sit contemplanda;
Si pura sit, haec veneranda
Putetur speciositas.

149. Cum carum meum detestaris
Ob senium et dedignaris,
Te nunquam, dic, invenio
De caro tuo gloriantem
Et arroganter adlegantem
Quod sit affectus senio

150. Uterque parens praecursoris?
Faceti tamen foret moris,
In altero quod respuens,
Hoc minus se decere credat,
Domestica cum membra laedat,
In barbam suam exspuens. —

151. Dic item tuus praedilectus
Cur senio sit sic affectus,
Cum Christi coaetaneus
Vel quasi fuerit nascendo,
Cum ipso simul moriendo
Cur non contemporaneus?

152. Et carum hic cum caro parum
Sit vivere, sed mori carum
Cum caro nil fidelius
Et caro carne lucrum mori,
Dissolvi sic et creatori
Nil conregnare melius.

153. Pars prolis dicit Zebedaei:
Voluntas si fuisset Dei,
Qui potens regnat undique,
Dilectus meus simul mori
Cum Iesu, suo salvatori,
Non recusasset utique,

154. Sed quia summae trinitatis
Praecise fuit voluntatis,
In gentibus praeconium
Ut crucifixi nuntiaret
Et resurgentis divulgaret
Ubique testimonium

155. Et revelanda scriptitaret,
Patrata quoque dilataret
Altissimi magnalia
Et regnum Dei praedicaret,
Vocatos quoque solidaret
Vitare temporalia.

156. Sed numquid Adam, homo primus,
Origo cuius erat limus,
Qui genus omne germinat,

Triginta tempus dum annorum
Transcurrit atque nongentorum
In pace vitam terminat?

157. Sic Seth cessante patris luctu,
De cuius Christus ventris fructu
Carnaliter egreditur,
Sic Enos, primus latrizator,
Divinitatis invocator,
Dum obit, senex creditur.

158. Sic Caynan quinquagenorum
Annorum quinque nongentorum
Examinat curricula,
Malalael quoque grandaevum
Dum senectutis agit aevum
Mors obruit in spicula.

159. Sic Iareth, sic et Enoch iustus
Mathusalemque, vir vetustus,
Signatum in temporibus,
Sic Lamech, sic Noe levatis
De lignis arcam levigatis
Gubernans in aequoribus.

160. Sic David, prius rector gregum,
Rex postmodum effectus regum
Dum monarchatum tenuit,
A casta frigens Sunamite
Fovetur annos claudens vitae
In pace, postquam senuit.

161. Sic Simeon, vir timorosus,
Vir iustus, senex spe famosus,
Solatur quem Emanuel,
Sic Anna, vates quam annosa,
De tribu Aser generosa,
Quam generavit Phanuel.

162. Sic multi reges et prophetae,
Sic patriarchae cum quiete
Divina freti gratia
Et plurimi, quos fovet Eva,
Grandaevi senes sic longaeva
Concludunt vitae spatia.

163. Iis namque Deus ampliora
Concessit vitae longiora
Dierum protelamina,
In posterum ut pretiosa
Tam fide digna quam famosa
Sint senum attestamina.

164. Sed carus tuus quid testari,
Quid loqui potest seu quid fari,
Quam pauca de exilibus?
Ut idiota pauca sciens,
Ad inferorum portas iens
Sub annis iuvenilibus.

165. Nam limes si sit ludaismi,
Nil tamen novit quam baptismi
De duplici remedio,
Ignarus Christi de virtute,
Quam operatur cum salute
In terrae nostrae medio. —

166. Pars prima sic respondet isti:
Dilectus meus signa Christi
Cognovit et miracula,
Cum surdis caeci dum curantur,
Et claudicantes restaurantur,
Leprosis cedit macula. —

167. Amicus tuus vinculatus,
Quot signa Christus operatus
Sit, audit a dicentibus
Discipulis, quos emittebat,
Sed signa per se non videbat
Confidens referentibus.

168. Quaesitus tamen quis de scitu,
Non valet testis de auditu,
Sit quamvis adminiculum,
Sed iudex testi tunc confidit,
Dum ore refert hunc, quem vidit,
Examinis articulum.

169. Respondet prima pars commota:
Baptista non est idiota,
Ut notum est veteribus

Narrantibus, quod sit propheta,
Cognoscens legis et decreta
Maternis in visceribus.

170. Sed carus tuus vir piscator,
Vir idiota, reparator
Est antiquorum retium,
In mari pisces capiendo
Et retia reficiendo
Conquirens panis pretium.

171. Respondet pars evangelistae:
Dic, ad quid sermo valet iste
Seu clamor incompositus,
Cum carus meus non ignarus,
Sed sciolus sit prudens, gnarus,
Vir utique compositus.

172. Vir, cui sensus est apertus,
Et in scripturis vir expertus,
Quem aperit altissimus
Divinum flamen insufflando,
Ut scriba doctus exarando
Sit iste velocissimus.

173. Sic meum cur incusas carum
Ut minus doctum scripturarum
De facultate tenera,
In ore cuius variarum
Cum idiomate linguarum
Nascuntur quaevis genera?

174. Dilectus meus si piscator
Et retium sit reparator,
Secutus tamen Dominum
Fit piscium hanc post capturam
Et retium post refecturam
Piscator sagax hominum.

175. Hos verbo vitae capiendo,
Ad litus fidei trahendo
Conclusos fidis retibus
Et ab errore revocatos,
In Christi fide solidatos
Supernis iungens coetibus.

176. Pars prima dicit: multum barris
Et cuculino modo garris
De Zebedaei filio,
Quod tuus fortis sit amicus,
Ut dicis, castus et pudicus,
Pudoris cinctus lilio,

177. Et ardens amor sui cordis,
Totius expers labe sordis,
Flos dotum mille milium,
Prae cunctis quoque Christo gratus,
Dic, in metallum relegatus
Cur patitur exsilium? —

178. Pro certo scias, carus meus
Non relegatur tamquam reus,
Sed Dei pro iustitia
Ab angeloque consolatur
Et revelata, quae rimatur,
Conscribit cum laetitia.

179. Sed scio quidem hoc pro certo,
Dilectus tuus in deserto
Quod subditur molestiis,
Ab angelo nec visitatur,
In abditis sed divagatur
Ut bestia cum bestiis.

180. Pars prima respondendo dicit:
Dic, leo Iuda numquid vicit
Luctando spiritaliter
Diebus quidem quadragenis
Deserti locis in obscaenis
Morando bestialiter?

181. Si carus tuus sic amatus,
A Christo cunctis praerogatus
Est, cur ut cervus sitiens,
Dum Iesus ducitur captivus,
Relicto Iesu fugitivus
Sit sindonem abiciens. —

182. Si carus meus fugam dedit,
Dic, numquid ipse cito redit?
Reversus stabat fixus

Cum matre Iesu iuxta crucem;
A Iesu visus numquid ducem
Hunc matri dat obnixius?

183. Si carus tuus praeamatur,
In carcere cur fatigatur
Et in ferventi dolio? —
Confide, carcer non fatigat,
Nec fervens liquor hunc castigat,
Sed sedet ut in solio

184. Regali stola decoratus
Et in olivae candidatus
Praenobili collirio;
Sed carus tuus carceratus
Non solum sed et decollatus
Exstinguitur martyrio.

185. Pars item procax baptizantis
Sic partem evangelizantis
Ad arguendum incitat:
Si carus tuus Christi scivit
Arcana, dic, cur pedes ivit
Et non pomposus equitat?

186. In equo scias phalerato,
Decenter frenis praeparato,
Dilectus meus equitat
Ut miles fortis, Christo gratus,
Sed carus tuus sordidatus
Ut garsio sic peditat. —

187. Et cur extollis sanctitate
Hunc simul et maioritate,
Scripturae quem oracula
Non attestantur praerogatum
In vita tamquam operatum
Vel signa vel miracula?

188. Sed carus meus, servus Christi,
Si supradicta meministi,
Divina per auxilia
In vita fecit gloriosa,
Miranda signa copiosa,
Famosa mirabilia.

189. Ad haec respondet pars baptistae:
Tu quidem bone nosti Christe,
Quod signa seu miracula
Non semper produnt sanctitatem,
Sed ampliorem dignitatem
Dat vita carens macula.

190. Hi namque, qui scripturas sciunt,
Noverunt, signa quia fiunt
Non solum a beneficis,
Sed etiam hic a malignis
Ariolis non fide dignis
Patrantur et maleficis. —

191. Tu exprobras, quod carus meus
Sit calvus, numquid Elisaeus,
Vir calvus, illudentibus
A pueris dum subsannatur,
Irridens turba laceratur
Ab ursis saevientibus?

192. Quapropter probra non loquaris,
Ne tali fato consumaris
Et pereas velocius,
Ut quadriginta duae vere
Tunc illusores periere
Discepti quam atrocius.

193. Praeterea dilectum meum
Cum detestaris tamquam reum
Ob capitis calvitium
Et tuum praefers monstruosum,
Hirsutum virum et pilosum,
Committis vere vitium.

194. Quid namque caro tuo praestat,
Quod est pilosus? numquid restat,
Quod vermes sint in crinibus,

Rodendo quibus impugnatur?
Dic, digne numquid aspernatur
Ob hoc in cutis finibus?

195. Pars item prima dicit: Quare
Vis praecursorem nominare
Dilectum tuum eiulum
Hinc, quod praecurrat claudicantem,
Cum carus meus triumphantem
Praecurrat crucis baiulum?

196. Nam causa cursus citioris
Si foret dignus praecursoris
Vocabulo, ut creditur,
Ad monumentum salvatoris
Praecurrens non maneret foris,
Dum Petrus hoc ingreditur.

197. Pars alt'ra primae respondebat:
Dic, quaeso, numquid hoc decebat
Clavigerum, quod comminus
Intrando fores aperiret,
Ut carus meus introiret
Cum commodo ut dominus?

198. Sed quare, demens agonista,
Hoc dicis, verus quod baptista
Dilectus tuus fuerit,
Cum prius hoc sis confessata,
Baptisma suum quod peccata
Reorum non abluerit? —

199. Baptista digne nuncupatur
Is, a quo princeps baptizatur,
Qui mundi scelus abolet
Et sese patri singulare
In ara crucis salutare
Incensum dignum adolet.

200. Et ea propter amplioris
Praerogativae dignioris
Censendus privilegio
Et merito dilectus meus,
Quem speciali praefert Deus
Honore quam egregio.

201. Pars alt'ra dicit: salva pace
Fidelium, pars caeca, tace
Rememorans celerius
Baptisma Iudae traditoris,
Quod est baptismo praecursoris
Perfectius et verius.

202. Pars ad hoc dicit praecursoris:
Si rationis plus quam oris
Te gladio praecinxeris,
Scripturae cito concordabunt
Et his solutionem dabunt,
Cum tempora distinxeris.

203. Pars alt'ra dicit: Quem commendo,
Quod maior tuo sit, ostendo
Non altercationibus
Aut frivolis vel mendicatis
Suffragiis, sed adprobatis
Praeclaris rationibus.

204. Salvator noster recumbentem
Maiorem plus quam servientem
Adfirmat per iudicium,
Stans enim gerit ministrantis,
Recumbens vero dominantis
Exsequitur officium.

205. Alterque verax testis fatur,
Quod Martha foris occupatur
Stans circa ministerium,
Maria sedens contemplatur
Et verbi Dei meditatur
Ut capiat mysterium.

206. Pars etsi stando ministrantis
Sit bona, tamen contemplantis
Sedendo fertur optima,
Ab ea quae non auferetur,
Pars, ecce, quantum praerogetur
Sedendo colens intima.

207. Idemque quidem testis refert,
Qui stantibus sedentes praefert
Maiores ut exilibus,
Vidisse sese saniores
Sex quater duces seniores
Sedentes in sedilibus

208. In throno Dei coram agno
Et Iesu salvatore magno,
Sed stantem cum proceribus
Magnificis innumerosam
Vidisse turbam copiosam,
Mirandum in operibus

209. Laudantem Deum gloriosum,
Prae cunctis forma speciosum,
Dicentem: Benedictio
Sit Deo, virtus, fortitudo,
Salutis honor, longitudo
Et gratiarum actio.

210. Sic carus tuus quidem stabat,
Andream Christus dum vocabat,
Et stare non erubuit,
Et carus meus praedilectus
In cena Christi supra pectus
Feliciter recubuit. —

211. Ad hoc respondet pars baptistae:
Revera scio, quod sophistae
Sunt in sermone garruli
Et velut tauri mugientes
Et ut leones rugientes,
Ut elephantes barruli.

212. Quapropter saepe dilabuntur,
In oris verbo capiuntur
Erroris retiaculo,
Loquaces prout improvisi,
Spe fragili quidem innisi
Arundinis in baculo.

213. Ab advocatis consolata,
Praecepto iuris informata
Fidenter volo dicere,
Quod morbo tactus aestuanti
Eodem morbo laboranti
Nil poterit obicere.

214. Sed supra ducis hoc in lucem,
Quod carus tuus iuxta crucem
Prae cunctis stetit fixius,
Et stantem culpas praecursorem,
Qui venientem salvatorem
Adclamitat obnixius.

215. Id certo cedas ut maiori
Dilecto meo praecursori,
Corruptae de visceribus,
Salvator noster ut testatur,
Quod maior nullus generatur
Nec pascitur uberibus.

216. Respondet pars evangelistae:
Nequaquam sermo fiet iste,
Nam scriptum hoc meminimus,
Quod teste rege supernorum
In regione qui caelorum
Videtur fore minimus,

217. Sit maior tuo praecursore
Tam dignitate quam honore,
Praecelsiore titulo,
Ut providus evangelista
Matthaeus simul narrat ista
Undecimo capitulo.

218. Ac Lucas sacer in septeno
Sermone quidem quam sereno
His perhibet praeconium,
Et iuxta legem seniorum
In ore trium vel duorum
Stat omne testimonium.

219. Quapropter quidem carus meus,
Quem generavit Zebedaeus
Secundus nulli creditur,
Cui virgam Iesse commendavit,
Cum crucis virgam flos sacravit,
De virga qui egreditur.

220. Pars prima sic respondens fatur:
Secundus nulli reputatur
Praecursor Dei filii,
Prae ceteris magnificatus,
Ab ipso quia baptizatus
Est angelus consilii.

221. Propterea pars prima fatur:
Dic, numquid digne commendatur
Praecipua maioritas

Dilecti mei, quam testatur
Archangelus et praeconatur
Altissimi auctoritas?

222. Respondet pars evangelistae:
Transmissus patrem ad baptistae
Legatus quidam aetheris
De caro tuo fabulatur,
Quod erit magnus, sed non fatur,
Quod erit maior ceteris.

223. Sed carus meus, Christo gratus,
Prae cunctis mage praerogatus
Honore quam egregio,
Non tantum magnae sed maioris
Praerogativae, celsioris
Praefulget privilegio.

224. Idcirco caro meo cede
Credendo testi fido Bedae
Presbyt'ro venerabili
Isidorique Hispalensis
Et Augustini Hipponensis
Assertioni stabili,

225. Veraci quoque meo caro,
Ut veritatis non ignaro,
Ferenti his praeconium,
Famosum quidem et sincerum,
Et scio vere, quia verum
Est eius testimonium.

226. Pars prima dicit: Nec scriptura
Hoc patitur nec sinunt iura
Seu scita legum sobria,
Quod scorti castam ornat vestis
Seu habilis et valens testis
Sit quis in causa propria.

227. Respondet pars evangelistae:
Ab his latratibus desiste,
Cum Christus auctor omnium
De semetipso veritatis
Perhibeat et aequitatis
Sollemne testimonium.

228. Romanae quoque sedis quidem
Antistes summus scribens pridem
Testatur Clemens tertius,
Quod quis in causa sua mere
Pro semetipso perhibere
Testamen queat certius.

229. His pars respondet praecursoris:
Testamen etsi salvatoris
Valere Deus maluit
In Christo tamquam speciale,
Non tamen fore personale
Pro caro suo valuit.

230. Videtur quoque, quod sis demens,
Dum profers hoc, quod papa Clemens
Inepte pridem statuit,
Cum illud tamquam lex profana
Sit abrogatum in membrana,
Quod occupanter latuit.

231. Pars alt'ra dicit: Si scriptura
Consideretur atque iura
Notentur diligentius,
Dic, numquid leges abrogatas,
Auctoritate denudatas
Adlegat Innocentius?

232. Pars prima respondendo fatur:
Hic papa sic argumentatur
Ex abrogatis legibus,
Ut pateat, quanto favore
Praelatam Petri sedem fore
A sacris olim regibus.

233. Sed etsi leges abrogatas
Adlegans exautorizatas
In culpa sit insipiens,
Dic, numquid procax adlegator,
Praesumptuosus recitator
In poena fiat sapiens?

234. Ab alt'ra parte respondetur:
Scriptura si consideretur,
Non solus de se filius

Altissimi testificatur,
Sed pater sibi suffragatur
Testificans habilius.

235. Pars prima dicit: Scias vere
Testamen pater perhibere
In causa nequit filii,
Ut narrat lex canonizata,
Quam canonizat adprobata
Sententia concilii.

236. Respondet pars evangelistae:
Pro certo scias, pater iste
Praedominatur regibus
Principibusque universis,
Romanis, Graecis, Medis, Persis
Nec adligatur legibus.

237. Imperatores atque reges
Hic statuit, hic novas leges,
Hic iura condit vetera,
Hic solus novit veritatem,
Iustitiam et aequitatem,
Ergo quidem et cetera.

238. Pars prima dicit: Etsi proli
Det pater forte iure poli
Augmentum testimonii,
In lite filiationis
Et testamenti factionis,
In causa matrimonii,

239. Non tamen pro maioritate
Seu praecellenti dignitate
Testari pater filio
Valebit famae pro augmento
Seu commodi pro incremento
Scripturae de consilio.

240. Pars alt'ra dicit: Pater ille,
Quem coetus angelorum mille
Testantur laude sedula,
Pro filii maioritate
Ac iteranda caritate
Testantur voce sedula.

241. Pars prima dicit: Tu deliras
Et gyrum caeli frustra gyras,
Cum cari mei dignitas
Non continetur positivo,
Sed magis in superlativo
Praefulgeat insignitas.

242. Nam sacer Beda venerandus,
Testificando non culpandus,
Sic dicit apertissime:
Parentes, senes infecundi,
De dono huius quod iucundi
Sunt prolis nobilissimae.

243. Pars alt'ra dicit: Iam quiesce
Et velut errans obmutesce,
Dum profers hoc praeconium,
Cum satis hoc sit notum genti,
Ullius quod non sit momenti
Unius testimonium.

244. Pars prima dicit: Christianis
Est notum simul et paganis,
Iudaeis, Graecis, Barbaris,
Aegyptiis, Samaritanis,
Lumbardis, Tuscis et Romanis,
Polonis, Slavis, Ungaris,

245. Gallosis, Gallis, Gallicanis,
Britonibus et Anglicanis,
Hibernis, Dacis, Tartaris,
Burgundis, Francis et Germanis,
Arabibusque et Hispanis,
Bohemis, Swavis, Bavaris,

246. Franconibus et Noramanis,
Vasconibus et Aquitanis,
Westphalis et Saxonibus,
Livonibusque cum Pruthenis,
Frisonibus sed et Ruthenis,
Turingis et Hassonibus,

247. Campanis, Siculisque Scotis,
Armenis, Medis, Persis, Gotis
Et fuscis Aethiopibus
Et, prout reor, Asianis,
Quadripartitis Africanis,
Innumeris Europibus,

248. Inveterati quod est moris,
Iohannis Christi praecursoris
Imago quod imprimitur
Florenis aureisque nummis,
Inter metalla tamquam summis,
Et literis exprimitur.

249. Et sicut aurum principatu
Metalla quaevis, potentatu
Realiter exsuperat,
Sic carus meus ampliori,
Praerogativa potiori
Amicum tuum superat.

250. Pars alt'ra dicit: Carus meus,
Prae ceteris quem amat Deus,
Si cautius adverteres,
Numismate de trinitatis,
Nostrorum nummo civitatis,
Hic imprimit caracteres.

251. Sed aurum quando peioratur,
Aeruginat, decoloratur
Et vertitur in scoriam,
Tunc cari mei quidem nummo
Caractere signato summo
Aeternam confert gloriam.

252. Hinc est baptistae praeponendus
Honoribusque praeferendus
Millenis mille milibus,
Ut aquila sublimiori
Praerogativa, potiori
Praefertur volatilibus.

253. Pars prima dicit: Scias vere,
Romani cives quod novere
Praesentes et praeteriti,
Quod vir dilectus cordis mei,
Iohannes, prodens agnum Dei,
Est excellentis meriti

254. Ex eo, quia Laterana
Basilica ut veterana
Ecclesiarum domina
In eius laude est fundata
Sollemniterque dedicata,
Ut pacis ferat omina.

255. In cuius ara principali
Servatur mensa cum mensali,
In qua cenavit Dominus
Discipulis cum duodenis,
Dum nummis venit pro trecenis,
Et virga nihilominus,

256. Quam aridam tunc Aaron gessit,
Ex ea quando flos processit,
Et urna vetus aurea,
Caeleste manna qua servatur,
Et vellus siccum, quod rigatur
Ieroboal in area.

257. Huiusque arae mos est talis
Praerogativae specialis,
Missarum quod sollemnia
In hac non quit quis celebrare,
Qui arae iura conservare
Voluerit indemnia,

258. Ni summus pontifex papalis
Episcopusve cardinalis;
Hinc carus meus merito
Est caro tuo praeponendus,
Maiori laude praeferendus
Ex nunc ut in praeterito.

259. Pars alt'ra dicit provocata:
Suffragia sunt mendicata-
Haec, quibus nunc inniteris,
Nam cunctis civibus Romanis
Indigenisque Lateranis,
Plebeis et presbyteris

260. Est notum, quod dilectus meus,
Quem generavit Zebedaeus,
Est princeps sublimissimus
Tonitruique vox in rota,
Qua tellus commovetur tota,
Tonatorque doctissimus,

261. Salutem tonans Asianis,
Europibus et Africanis
Et singulis Ephesiis,
Salutis verbo delibutis,
Et aliis sex constitutis
Per Asiam ecclesiis.'

262. Quid ultra possum plus referre,
Sed quod in fines orbis terrae
Hic tonat evangelium
Apocalypsimque cum tribus
Epistulis, quae sunt hic cibus,
Qui mortis sedat proelium?

263. Et ea propter amplioris
Praerogativae, celsioris
Est carus meus utique,
Tonitrui vox in aperto,
Quam vox clamantis in deserto;
Nam vox tonantis undique

264. In orbis gyro universi
Hos revocans, qui sunt dispersi,
Per tubam evangelicam,
Reducens oves ad ovile,
Conciliando pecus vile
Ad caulam trahit caelicam.

265. Pars prima dicit: Corde mundo
Dilectus meus est in mundo
Exemplum parcimoniae.
Pars alt'ra dicit: In aperto
Dilectus meus est pro certo
Eunuchus castimoniae.

266. Pars prima dicit: Multum praefers
Eunuchum tuum, sed non refers,
Quod iuxta legem etiam
Eunuchus et non membro sanus
Arcetur tamquam vir profanus,
Ne intret in ecclesiam.

267. Pars alt'ra dicit: Scio vere,
Quod hi, qui parci sunt in aere,
Extollunt parcimoniam,
Sed hi, qui sese catezizant,
Quod mente carnem eunuchizant,
Commendant castimoniam.

268. Pars prima dicit: Quod baptista
Sit dignior apocalysta,
Hoc patet lucidissime,
Dum letania decantatur,
Ut princeps magnus invocatur
Prae ceteris potissime.

269. Pars evangelizantis fatur:
Dum canon missae recitatur
Pro crucifixi gloria,
Dilectus meus invocatur
In primis atque veneratur
Sollemni cum memoria,

270. Et sicut quavis letania
Est missa maior fide dia,
Celebrior et dignior,
Sic praecursore seu baptista
Piscator seu evangelista
Est maior et insignior.

271. Pars prima dicit: Ista refers
Iactanter, quoque missam praefers,
Ut imbrigemur iterum,
Recordor namque te iactasse
Iohannem missam celebrasse,
Sic innuens presbyterum

272. Hunc exstitisse quam devotum,
Ut Ephesinis foret notum,
Qui celebrationibus
Missarum eius adfuerunt
Et pacis donum receperunt
Cum valedictionibus.

273. Sed haec narrare ad quid valet?
Pro certo sermo quivis squalet,
Per quem sectatur otium;
Dic, numquid tribu de paterna
Dilectus meus, Christi verna,
Est nactus sacerdotium?

274. Nam pater eius Zacharias,
Ut dictum est, Abiae vias
Sequens in sacerdotio,
Ut Deum fortem et immensum
Proflectat, immolat incensum,
Ut exigit devotio.

275. Respondet pars evangelistae:
Sacerdotalis ritus iste
Tunc quidem locum habuit,
Dum presbyter hunc et levita
Practereunt, in Samarita
Qui sauciatus tabuit.

276. Et cruor fusus vitulorum,
Hircinus simul et taurorum
Diminuunt peccamina,
Sed ritus iste servientem
Non perficit nec purgat gentem,
Quam foeda gravant famina.

277. Nam holocaustum animale,
Libamen caerimoniale
Ac cetera libamina
Mortalia non abluebant,
Quodammodo vix diluebant
Delicta venialia.

278. Nec cithara carnosae legis
Sonoro veri David regis
Concordat cum psalterio,
Et ea propter scias vere,
Vetusta quod exsulavere,
Stant nova sub mysterio.

279. Umbrosa namque tristi zelo
Lex Moysi velata velo
Evanuit famelica,
Et plenitudo gratiosa
Cum veritate spatiosa
Illuxit evangelica.

280. Dum pius ille Samarita
Tam sacerdote quam levita
Fugato aegrum erigit,
Fomentis olei cum vino
Lutoque sputo cum divino
Commixto secum dirigit,

281. Tunc carus meus celebravit
Missamque dicens consecravit
Hoc verum corpus Domini,
In fide quod sumenti rite
Cum bravio aeternae vitae
Salutem confert homini.

282. Servato ritu, quem indixit,
Hic sacrifex, quem crucifixit
Gens Iudaeorum perfida,
Sit cui virtus, fortitudo,
Laus et honoris longitudo
In trinitate trifida.

283. Pars prima dicit: Miror multum,
Ex ore tuo cur hoc stultum
Eloquium prodierit,
Dicendo, tuus quod dilectus
In cena Christi supra pectus
Recumbens obdormierit.

284. Nam etsi Iesu pastus esu
Et hoc in esu Christi Iesu
In sinu recubuerit,
Non tamen patet ex scripturis
Sententiisve scripti iuris,
Recumbens quod dormierit.

285. Pars alt'ra dicit: Hac in cena
Qua picta fratrum duodena
Cohorte Christus cingitur,
Dic, numquid meus praedilectus
Ibidem Iesu supra pectus
Obdormiens depingitur?

286. Quapropter quidem curo parum,
Sed munimentis scripturarum
Non fungar in certamine,
Cum mihi sint pro scripto iure
Consuetae veteres scripturae
Notabili testamine.

287. Gregoriusque doctor fatur,
Ut canon vetus attestatur,
Quod laicis cernentibus
Pro lectione sit pictura
Demonstrans ipsis hoc, scriptura
Quod clericis legentibus.

288. Pars prima dicit: Miror, quare
In tantum velis derogare
Baptistae benignissimo

Et piscatorem exaltare
Et praerogando sublimare
Relatu superbissimo?

289. Cum tamen viros piscatores
Nec res nec fama nec honores
Famosis viris praeferant,
Sed ipsis tamquam rusticanis,
Suadentibus pro quaestu panis,
In nullo prorsus deferant.

290. Pars alt'ra dicit: Hoc honori
Non congruit, quod piscatori
Decrepito sic derogas
Et moris contra rationem
Dilectum tuum, quem praeconem
Adfirmas esse, prorogas,

291. Cum tamen opus piscatorum
Officium sit beatorum
Et adprobatum moribus,
Officiumque praeconatus
Exercens non sit mundo gratus,
Ut sectus ab honoribus.

292. Praecones namque sunt clamosi,
Immites et malitiosi,
Sanguinolenti vindices
Saevarum persecutionum,
Causarum, exsecutionum
Letalium sunt indices.

293. Pars praecursoris ad hoc fatur:
Si quilibet, qui praeconatur,
Involveretur vitio,
Infames forent sacerdotes,
Legantur quibus sacrae dotes
Praeconis cum officio.

294. Praeterea quod carus meus
Non sit immitis, novit Deus
Malevolis compatiens,
Sed carus tuus est immitis
Ad ulciscendum, fomes litis,
Vir saevus et impatiens.

295. Quod patet, dum inviti curat,
Caelestis ignis ut comburat
Samaritanos accolas;
Sed numquid ob hoc increpatur
A Domino, qui humanatur,
Ut humi salvet incolas?

296. Pars alt'ra sic respondet primae:
Cur extolluntur in sublime
Sermones tui varii,
Cum carus meus agat pie;
Dic, numquid preces ad Eliae
Duo quinquagenarii,

297. Ab Ochozia qui mittuntur,
Caelesti flamma consumuntur,
Ut recitat historia?
Elias quoque commendatur,
Et factum vatis exaratur,
Ne cadat a memoria.

298. Pars praecursoris ad hoc fatur:
Quod in Elia commendatur
Amoris ob indicium,
In caro tuo hoc culpatur
Ut odiosum et damnatur
Rancoris propter vitium. —

299. Dic, numquid Phinees laudatur
Et pulchre sibi reputatur
Ad perpetem iustitiam,
Quod Zambri dignum ultione
Cum Chozbi necat pugione
Ob sceleris nequitiam?

300. Pars alt'ra dicit: Dei zelo
Accensus Phinees, non zelo
Rancoris fornicariis
Incensus est, ut exstinguatur
Sic Dei zelus et vertatur
A pravis operariis. —

301. Dic item simul et memento,
In novo Petrus testamento
Quod, prout Lucas indicat,
Reatum fraudis gravioris
Tam Ananiae quam uxoris
Festina morte vindicat.

302. Pars nati dicit Zachariae:
Tam Saphirae quam Ananiae
Si subita mors obfuit,
Revera cunctis ad medelam
Correctionis et sequelam
Aeterna vita profuit.

303. Sed ista quidem admiranda
Sunt potius quam imitanda
Pergendo via regia,
Nam etsi quinque porci gregem
Constituant, communem legem
Paucorum privilegia

304. Non faciunt, ut canon fatur.
Si placet ergo, dirimatur
Quantocius hoc proelium,
In foliis cum nulla vice,
Sed rationis in radice
Consistat evangelium.

305. Pars alt'ra dicit: Scio vere,
Quod in radice latuere
Virtutes sacrae paginae,
Sed istis quidem abutendo,
Reflexo calle gradiendo
Pertransis in imagine.

306. Idcirco cede, pars praeconis,
Ne te confundat vox echonis
Vel tonitrus percutiat,
Aut adversetur tibi Satan,
Seu prout Albiron et Dathan
Te terrula deglutiat.

307. Hic pars respondet praecursoris:
Pars mihi cede piscatoris,
Ne Dominus percutiat
Te sicut olim Her et Honam,
Vel ut rebellem vatem Ionam
Te cetus ne deglutiat.

* * *

308. Dum diu foret altercatum
Et alternatim adlegatum,
Et parti pars non cederet,
Sed pars utraque niteretur,
Quod parti pars sic praeferretur,
Ut alteram praecederet,

309. Assessor dicit: Hoc utrique
Si placeat, pars utrobique
Probationes abigat,
In causa quoque concludatur,
Et bene iudex instruatur,
Ne ius vel factum ambigat.

310. Respondet pars utraque: Placet,
Et reputetur, si qua tacet
Pars, utique consentiens;
Processibus et actitatis
Per iudicemque iudicatis
Pars neutra sit dissentiens.

311. Conclusa demum sic in causa
Et inter partes facta pausa
Traduntur acta iudici
Sollerter ad examinandum
Et artius ad auscultandum,
Si testes sint autentici,

312. Et quanta fides adhibenda
Sit ipsis iuxta requirenda
Legitimis in testibus,
Ut si corrupti sint amore
Seu odio, vel si favore
Seu lucrativis quaestibus,

313. Aut testes tamquam saniores
Exceptione sint maiores,
In dictis non falsidici,
Vulgari verbo sive fama,
Si vox audita sit in Rama,
Quod prorsus sint veridici,

314. Vel iuris ordo sit artatus
Enormiter seu vitiatus,
Vel si quid est propositum
Post litis contestationem
Vel ante per exceptionem,
Quod tendat ad oppositum.

315. Aut si processum hac in lite
Legaliter sit atque rite,
Seu si quidquam a partibus
Obmissum sit incuriose,
Quod suppleat quam cautelose
Hoc curiosis artibus.

316. Istisque sic examinatis
Et plenius consideratis
Ulterius non differat
Sententiam diffinitivam
Proferre, litis decisivam,
Sed citius hanc proferat,

317. Ac partium ambarum ora,
Laxata quarum erant lora,
Refraenet suetis moribus,
Taxatis simul et perpensis
Victrici victam in expensis
Condemnat et laboribus.

318. His actis iudex laude dignus,
Vir clemens, mitis et benignus,
Certantibus compatiens
Iustitiam cum aequitate
Hinc inde cum benignitate
Ut temperet, vir patiens

319. Tam testibus quam instrumentis
Quibuslibetque munimentis
Deductis et propositis,
Perlectis, visis luculenter,
Examinatis diligenter
Cum singulis depositis,

320. Consideratis auscultandis
Et observatis observandis,
In quantum est in omine,
Favore quovis posttergato
Devote prius invocato
Superni regis nomine,

321. Sic ut exstincta litis face
Pro partibus in bona pace
Res transeat aequaliter
Cum discretorum assessorum
Consilioque peritorum
Decernat aequus arbiter:

322. Cum positivus gratiosus,
Pacificus, compendiosus
Sit nutriens concordiam,
Comparativus odiosus,
Superbiens, contentiosus,
Parturiens discordiam,

323. Et proceres, pro quibus partes
Has disceptandi colunt artes,
Ut socium cum socio
Coaequet lex professionis
Et similis confessionis
Ac fidei devotio,

324. Ut positivum comitentur,
Comparativum detestentur,
Soli praecellentissimo
Superlativo reservato
Caelorum regi praerogato
Honore sublimissimo,

325. Apostolus cum hoc testetur,
Quod quaelibet evacuetur
In superis praelatio,
Et solus ille veneretur,
Qui claustra cordis intuetur,
Quem angit nec elatio.

326. Cum partibus eventum litis
Sperantibus sic de petitis
Imponitur silentium
Auctoritate iudicantis
Sententiamque confirmantis
Per legem ducis gentium,

327. In invicem deliberatae
Sic partes dicunt: Protestatae
Hoc sumus ab initio,
Quod iudex iuste iudicabit
Et litem solo terminabit
Iustitiae iudicio,

328. Sed ex quo non de positivo
Lis currit sed comparativo,
Ut meritis insignior
Appareat inter dilectos,
Amicos nostros praeelectos,
Quis maior sit et dignior,

329. Et iudex, prout est praemissum,
Se gravem reddit et remissum
Sententiando taliter
De re non ducta coram eo,
Delictum grave coram Deo
Committens actualiter

330. Iustitiam sic depravando
Et litigantes adgravando
Iniquam per sententiam,
Sententia si diceretur,
Quod dici tamen non meretur,
Ob iuris obsistentiam,

331. Cum lata sit de non petitis
Seu in libello requisitis,
Quamobrem apostolicam
Ad sedem sacram appellamus
Et supplicando postulamus
Sententiam catholicam

332. Benigni domini Iohannis,
Resistere qui scit tyrannis,
Secundi post vicesimum,
Salvator cui cum centeno
Ter cumulatum fructu deno
Det fructum sexagesimum.

333. Ut ne linquamur in errore
Et fiat error hic priore
Nocivior novissimus,
Decernat pius absque mora,
Pro iure quae sint saniora,
Ut princeps disertissimus,

334. In cuius pectoris clausura
Quiescunt leges atque iura,
Cum novis scripta vetera,
Obscura per quae discernuntur,
Et litigantes secernuntur,
Et bona fiunt cetera.

335. Et quoniam est appellatum
Et reverenter supplicatum,
Decenter et composite
Ex supra causis enarratis
A partibus sic adgravatis
Recenter interpositae

336. In scriptis appellationi,
Devotae supplicationi
Adharens quam humiliter
Scholaster Franco Meschedensis,
Dioecesis Coloniensis,
Se subicit agiliter

337. Tutissimae protectioni,
Praecelsae dominationi
Magnifici pontificis,
Praefati domini Iohannis,
Tenentis claves sub his annis
Magnalium opificis,

338. Postquam verbum est incarnatum,
Salutem quod est operatum,
Decurso cum millesimo
Eiusdem anno trecenteno,
Nunc caeli terrae molem freno
Regentis, in tricesimo,

339. Octavae Petri piscatoris
Et Pauli gentium doctoris
Dum stant in mediculio,
In mense, cui prius omen
Quintilis erat, sed nunc nomen
Romani dant a Iulio.

Cod. Patherbrunnen. (Verein f. Gesch. u. Altertumskunde) 17. saec. 15. — 3, 6. poblicibus. — 9, 4 altera; dies Wort ist im ganzen Gedichte mit zwei Ausnahmen (57, 1 und 140, 1) stets zweisilbig gemessen, weshalb stets alt'ra statt des handschriftlichen altera gesetzt wurde. Es genüge dies einmal hier bemerkt zu haben. — 10, 4 sq. Über imbrigare und disbrigare siehe Du Cange s. v. briga. — 48, 6 sollitudine. — 21, 1 Atypas post hoc. — 53, 1 certis. — 55, 6 Se meritis; vgl. unten 111, 6. — 67, 4 Amictus meus. — 70, 3 In creticando. — 70, 6 Fabricitans convaluit. — 81, 2 sit. — 114, 4 spectat. — 116, 4 Lies: sicut rea? — 120, 2 sordes. — 121, 3 praeferant. — 130, 2 Amori. — 143, 1 tinniet. — 144, 6 lingua dreisilbig; oder linguaque zu lesen. — 163, 6 Sunt senum. — 172, 6 Fit iste. — 177, 1 amor tui cordis. — 196, 2 Si foris dignus. — 210, 2 dum vitabat. — 210, 4 Lies: Sed carus meus? — 213, 5 Eodem modo laboranti. — 215, 5 Quo maior. — 224, 3 Presbytero. — 228, 3 Testetur. — 228, 5 prohibere. — 230, 1 quod sit. — 232, 2 Hinc papa. — 235, 2 prohibere. — 240, 3 laude cedula. — 241, 4 Non contentur. — 246, 1 et fehlt; Moramanis. — 273, 6 Est nactus

est sacerdotium. — 275, 5 Praetereunt in semivita (cfr. 280, 1). — 299, 3 perpetim. — 310, 6 neutra si dissentiens. — 332, 2 Resistere qui sit.

In der Hs. gehen den einzelnen Strophen oder Strophengruppen kurze Inhaltsangaben vorher, die in der Urschrift augenscheinlich am Rande vermerkt waren. Da dieselben zum Verständnisse nichts oder nur wenig beitragen, die Symmetrie des Druckes aber um so erheblicher stören würden, als sie bisweilen innerhalb der Strophen anzubringen wären, so sind sie im Texte fortgelassen und, falls jemand sie vermissen sollte, hier nachgetragen worden. Jedesmal wo der eine Teil den andern in der Rede ablöst, ohne dafs dies sonst ersichtlich wäre, ist ein Gedankenstrich eingefügt worden. — Vor Str. 9 Pars baptistae. — Vor 9, 4 Pars evangelistae. — Vor 10, 4 Pars baptistae. — Vor 16 Pars evangelistae. — Vor 19 Hic pars baptistae offert libellum suum. — Vor 20 Tenor libelli et quod Iohannes baptista sit vox clamantis in deserto. — Vor 21 Ulterius notentur virtutes et praerogativae Iohannis baptistae. — Vor 26 Quod Iohannes baptista exsultavit in utero matris. — Vor 29 Quod nomen baptistae pronuntiatum est ab angelo. — Vor 30 Quod pater baptistae fuit propheta. — Vor 31 Quod angelus praedixit, multos gavisuros in nativitate Io. bapt. — Vor 32 Quod nomen baptistae pronuntiatum est ab angelo [sic]. — Vor 35 Quod baptista egerit in XXX. anno aetatis suae et primo de baptismo. — Vor 38 Quod baptista Christum, quem prophetae praedixerunt, digito demonstravit dicens: Ecce, agnus Dei. — Vor 39 Quod baptista Christum baptizat. — Vor 40 Quod baptista sit mirae sanctitatis. — Vor 47 Quod Io. bapt. fuit initiator baptismatis. — Vor 48 Quod Ioh. bapt. fuit pilosus. — Vor 50 De morte Io. bapt. — Vor 54 Quod bapt. ratione praemissorum merito praeferendus sit Iohanni evang. — Vor 55 Petitio partis bapt. super narratis in libello et quod ipsa pars offert se probaturam ea, quae sunt narrata in libello. — Vor 57 Pars evangelistae offert libellum. — Vor 58 Tenor libelli. — Vor 62 Quod Christus nuptias Io. Evang. honoravit initio signorum suorum. — Vor 65 Quod Io. evang. transfigurationi Domini interfuit. — Vor 66 Quod Io. evang. interfuit, quando Dominus filiam archisynagogi suscitavit. — Vor 67 Quod Io. evang. in cena supra pectus Domini recubuit. — Vor 73 Quod Christus matrem virginem commendavit Iohanni virgini. — Vor 75 Quod evang. vidit, quod latus Domini perforatur, et ex eo exivit sanguis et aqua. — Vor 77 Quod Io. evang. fuit praecursor. — Vor 79 Quod Io. evang. cum Petro convertit quinque milia hominum. — Vor 82 Quod Io. evang. condemnat turpem simoniam una cum Simone, eius turpissimo inventore. — Vor 83 Quod evang. socialiter est iunctus Paulo per dexteram. — Vor 84 Quod Io. evang. etiam sit aquila. — Vor 85 Quod sit medicus. — Vor 87 Quod Io. evang. mutat substantias rerum et transfert naturas earum. — Vor 89 Quod sit advocatus. — Vor 90, 4 Quod etiam sit archidiaconus. — Vor 91, 3 Quod sit archangelus. — Vor 93 Quod Io. evang. sit propheta. — Vor 95 Hic notetur specialis effectus dilectionis, quam Christus exhibuit Iohanni evangelistae. — Vor 99 Quod Iohannes evangelista tres scribit epistolas canonicas. — Vor 100 Quod Iohannes evangelista revocatus ab Asia scribit evangelium. — 101 De morte Iohannis evangelistae. — Vor 101, 4 Quoto anno aetatis suae fuerit defunctus. — Vor 103 Quod Iohannes evangelista mortem praescivit et quod Christus cum discipulis suis sibi apparuit invitans eum ad aeternae vitae convivium. — Vor 105 Quod Iohannes evangelista confitetur Christum verum esse Dei filium. — Vor 106, 4 Quod Iohannes evangelista moriturus dixit. — Vor 107 Quod Iohannes ev. moriturus in fide roborat Ephesinos et eis valedicens vivens descendit in defossum sive locum et sic in pace senium finivit. — Vor 108 Quod de tumulo Io. ev. minutus pulvis scatet, et quid hic scaturigo significat, solus Deus scit. — Vor 109 Quod Io. ev. sit ille discipulus, de quo sermo exiit inter fratres, quod discipulus ille non moritur. — Vor 110 Quod Io. ev. merito praeferendus sit Io. bapt. — Vor 111 Petitio partis Io. ev. super narratis in libello, et quod ipsa pars offert se probaturam ea, quae sunt narrata in libello. —

Vor 118 Iudex requirit, quod partes legitime probent deducta in iudicium per testes et instrumenta. — Vor 120 Partes se deliberant (ut) de testibus producendis. — Vor 121 Hi sunt testes, quibus partes uti volunt ad intentiones suas fundandas. — Vor 128 Depositiones testium et instrumenta ac fides eorum patet. — Vor 129 Exceptio partis baptistae in vim peremptorie proposita, quod ipse baptista in iuventute occisus pro iustitia et evangelista mortem pro Christo passus non sit, sed in pace senium finierit. — Vor 134 Pars baptistae arguit ex eo, quod Abel et quam plures alii in iuventute sint occisi. — Vor 140 Pars evangelistae replicando prius utitur auctoritate novi testamenti allegans apostolum scribentem ad Timotheum et deinde auctoritatem veteris testamenti allegans ex levitico. — Vor 151 Pars baptistae. — Vor 153 Pars evang. — Vor 156 Pars evangelistae arguit ex eo, quod Adam et quam plures viri famosi senio affecti in pace vitam finierunt. — Vor 166 Pars bapt. — Vor 167 Pars evang. — Vor 169 Pars bapt. — Vor 171 Pars evang. — Vor 176 Pars bapt. — Vor 178 Pars evang. — Vor 180 Pars bapt. — Vor 182 Pars evang. — Vor 183 Pars bapt. — Vor Vor 183, 4 Pars evang. — Vor 185 Pars bapt. — Vor 187 Pars evang. dicit, quod baptista nulla signa fecerit in vita sua, sed evangelista multa. — Vor 189 Pars bapt. dicit quod signa non semper testantur sanctitatem ea facientis. — Vor 191 Ad hoc, quod pars baptistae dixit Iohannem evangelistam fuisse calvum. — Vor 195 Pars bapt. — Vor 197 Pars evang. — Vor 199 Pars bapt. — Vor 201 Pars evang. — Vor 202 Pars bapt. — Vor 203 Pars evang. arguit ex eo, quod Dominus dicit: quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? — Vor 211 Pars bapt. — Vor 216 Pars evang. — Vor 220 Pars bapt. — Vor 222 Pars evang. — Vor 226 Pars bapt. — Vor 227 Pars evang. — 229 Pars bapt. — 231 Pars evang. — Vor 232 Pars bapt. — Vor 234 Pars evang. — Vor 235 Pars bapt. — Vor 236 Pars evang. — Vor 238 Pars bapt. — Vor 240 Pars evang. — Vor 241 Pars bapt. — Vor 243 Pars evang. — Vor 244 Pars bapt. — Vor 250 Pars evang. — Vor 253 Pars bapt. — Vor 259 Pars evang. — Vor 265 Pars bapt. dicit, quod baptista sit exemplum parcimoniae. — Vor 265, 4 Pars evang. dicit, quod Io. Ev. sit eunuchus castimoniae. — Vor 266 Pars bapt. — Vor 267 Pars evang. — Vor 268 Pars bapt. arguit ex eo, quod in decantatione letaniae bapt. prius invocatur quam evang. — Vor 269 Pars evang. dicit, quod in canone missae Ioh. evang. veneratur et non bapt. — Vor 271 Pars bapt. — Vor 275 Pars evang. — Vor 283 Pars bapt. Hic pars bapt. respondet partem[!] evangelistae ex eo quod supra in libello dixit, eum recumbendo supra pectus Christi obdormisse et quod, quamvis recubuerit, non tamen obdormierit. — Vor 285 Pars evang. — Vor 288 Pars bapt. — Vor 290 Pars evang. — Vor 293 Pars bapt. — Vor 296 Pars evang. — Vor 298 Pars bapt. — Vor 300 Pars evang. — Vor 302 Pars bapt. — Vor 305 Pars evang. — Vor 307 Pars bapt. — Vor 308 Assessor instat, quod partes probationibus renuntient et concludant in causa. — Vor 310 Partes assessori consentiunt et concludunt. — Vor 311 Conclusione facta acta traduntur iudici ad examinandum. — Vor 318 Iudex actitata partium et singulos processus habitos in causa examinat. — Vor 321 Iudex Dei nomine invocato cum consilio assessorum et aliorum multorum discretorum diffinitivam fert sententiam. — Vor 327 Partes dicunt se per iniquam sententiam gravatas, deliberant super appellatione. — Vor 335 Hic Franko, Scholasticus Meschedensis, Coloniensis diocesis, appellationi adhaeret subiciens se speciali protectioni domini Iohannis papae XXII. — Vor 338 Quod appellatio interposita sit sub anno Domini M CCC XXX° in octava Petri et Pauli apostolorum.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

De Deo et Beata.

Nr.

De sanctissima Trinitate 1; 5
De Deo Patre 2
De Christo Domino . . . . . 3; 6—10
De Spiritu sancto . . . . . 4; 11—18
De sancta Cruce 20; 21
De Facie Domini 19
De beata Maria Virgine . . . . . 22; 23; 41—43

De Communi.

De Omnibus Sanctis 40
De ss. Angelis. 24; 25; 254; 255
De ss. Apostolis 30
De uno Apostolo 31
De ss. Confessoribus 36
De uno Confessore 37
De ss. Discipulis Domini 33
De ss. Evangelistis 32; 279
De ss. Martyribus 34
De uno Martyre 35
De ss. Patriarchis 28
De ss. Prophetis 29
De ss. Virginibus 38
De una Virgine 39

De Sanctis.

De s. Achatio 244
De s. Adriano 73
De s. Aegidio 106; 144; 168; 245
De s. Agatha 141; 246
De s. Agnete . . . . . 124—126; 169; 170; 247
De s. Albano 145
De s. Alberto Carmelita 171
De s. Aldegunde 248
De s. Alexio 249
De s. Amando 172

Nr.
De s. Ambrosio 95; 96; 99; 173
De s. Anania 174
De s. Andrea . . . . . 56; 250—252
De s. Angelo Custode 26; 27; 253
De s. Anna 48; 49; 157; 175; 176; 256
De s. Antonio Abbate 107; 177; 257
De s. Apollonia 133; 134; 258
De Apostolorum Divisione 259
De s. Audomaro 178
De s. Augustino 89; 90; 97; 179; 260
De s. Barbara . . . . . 121—123; 180; 181; 261; 262
De s. Barnaba 182
De s. Bartholomaeo 61; 146; 183; 263; 264
De s. Bavone 184
De s. Benedicto 108; 147; 185; 186; 265
De ss. Benedicto et Bernardo 266
De s. Bernardo 105; 187; 188
De s. Birgitta . . . . . 112—115
De s. Blasio 71; 189; 267
De s. Brigida 268
De s. Caecilia 137; 190
De s. Christina 131; 132; 191; 269
De s. Christophoro 76; 158; 192; 270; 271
De s. Clara 143; 193
De s. Clemente 148; 194
De s. Cornelio 195
De ss. Cosma et Damiano 80; 196
De s. Cyriaco 272
De s. Cuthberto 149
De ss. Decem Milibus Martyrum 77
De s. Dionysio 81
De Divisione Apostolorum 259
De s. Dominico 109; 198
De s. Donatiano 197
De s. Dorothea . . . . . 127—129; 273
De s. Edmundo 150
De s. Eduardo Confessore 151
De s. Eduardo Martyre 152
De s. Elisabeth 140; 274
De s. Erasmo 74; 275
De s. Eulalia 276
De s. Euphemia 277; 278
De s. Eustachio 88
De s. Francisco 110; 199
De s. Genovefa 200
De s. Georgio 72; 153; 280; 281
De s. Gertrude 138; 282; 283
De s. Gregorio 91; 92; 98; 201; 284
De s. Gregorio Martyre 285
De s. Guillelmo 202
De s. Guthlaco 154

Nr.
De s. Helena 286
De s. Hermolao 287
De s. Hieronymo . . . . . 93; 94; 100—102; 203; 288; 289
De s. Huberto 204
De s. Iacobo Maiore 57; 205; 290
De s. Iacobo Minore 60
De ss. Innocentibus . . . . . 206; 291—293
De s. Ioachim 46; 47
De s. Iohanne Baptista . . . . . 51; 207—209; 294
De s. Iohanne Beverley 159
De s. Iohanne Evangelista 59; 160; 210; 211; 295
De s. Ioseph 44; 45; 296
De s. Iuda Thaddaeo 65
De s. Iuliana 212
De s. Katharina . . . . . 118—120; 161; 213—217; 297
De s. Lamberto 218
De s. Laurentio 68; 69; 298; 299
De s. Leonhardo 300
De s. Livino 219; 301
De s. Luca 155
De s. Lucia 142; 302; 303
De s. Marco 220
De s. Margareta 130; 162; 221; 222; 304; 305
De s. Maria Aegyptiaca 306
De s. Maria Magdalena 116; 117; 163; 223; 307
De s. Martha 139; 308
De s. Martino 104; 224
De s. Matthaeo 58; 156; 309; 310
De s. Matthia 66; 225; 311
De s. Maurilio 226
De s. Mauritio 227; 312
De s. Mauro 228
De s. Michaele 164; 229
De s. Nicasio 85
De s. Nicolao 103; 165; 230
De s. Pancratio 313
De s. Panthaleone 83
De s. Paulo 54; 55; 231; 233
De s. Pauli Conversione 232; 314
De s. Petro 52; 53; 234; 315
De ss. Petro et Paulo 316
De s. Petro Martyre 84
De s. Philippo 62
De ss. Philippo et Iacobo 235; 317
De ss. Quadraginta Martyribus 318
De s. Quintino 236
De s. Remigio 237
De s. Scholastica 319
De s. Sebastiano 79
De s. Severino 238
De s. Silvestro 239; 320; 321

Nr.
De s. Simone 64
De ss. Simone et Iuda 240; 322; 323
De s. Sophia 324
De s. Stephano 67; 325; 326
De ss. Thebaeis 78
De s. Thoma 63; 241; 327
De s. Thoma Aquinate 111
De s. Thoma Cantuariensi 166; 167; 328; 329
De ss. Tribus Regibus 50; 330
De ss. Undecim milibus Virginum 136
De s. Ursula 135; 242; 331; 332
De s. Valentino 82
De ss. Victore et Corona 333
De s. Vincentio 70; 243; 334; 335
De s. Vito 86; 87; 336
De s. Walburga 337

Anhang.

Carmen Magistrale de B. M. V. 1
Altercatio de utroque Iohanne 2

II. Verbal-Index.

Seite
A carnalis sarcinae 72
Aeterni verbi entis summi . . . 193
Almi patres regulares 138
Ave abbas magnae laudis . . . 47
Ave Adriane gloriose 39
Ave Agnes Deo grata 52
Ave Agnes sidus clarum . . . 52
Ave angele caelestis 27
Ave angele fidelis 27
Ave Anna pia mater 33
Ave beata femina 50
Ave beata trinitas 20
Ave Birgitta sponsa Christi . . 49
Ave Blasi martyr pie 38
Ave caelum trinitatis 31
Ave chorus Thebaeorum 40
Ave Christi tu baptista 33
Ave civis tu caelestis 43
Ave clare splendor mundi . . . 28
Ave claviger caelorum 34
Ave creator spiritus 23
Ave crux sancti honoris 25
Ave cultor christianae 40
Ave decus virginale 53
Ave Dei tu amica 52
Ave Deus boni dator 39

Seite
Ave doctor Augustine 43
Ave doctor o Gregori 148
Ave doctor tu insignis 44
Ave doctor veritatis 46
Ave felix Iheronime 45
Ave felix Margareta 54
Ave felix medicorum 41
Ave felix militaris 42
Ave felix o Lucia 57
Ave felix tu Andrea 34
Ave felix tu Birgitta 48
Ave felix tu Francisce 48
Ave felix tu Gertrudis 56
Ave felix tu Vincenti 38
Ave fili tu Alphaei 35
Ave fili Zebedaei 35
Ave florens vultus Christi . . . 25
Ave florum flos Maria 26
Ave gemma Britannorum . . . 55
Ave gemma confessorum . . . 45
Ave gemma curatorum 84
Ave Iesu fili Dei 20
Ave Iesu iudex vere 21
Ave Iesu pastor bone 21
Ave Iesu pausa mentis 21
Ave Iesu reparator 22

	Seite
Ave Ioseph Deo gratus	31
Ave Ioseph vir perfectus	32
Ave Iuda tu Thaddaee	37
Ave iuste tu Ambrosi	45
Ave Katharina mitis	51
Ave Katharina pia	51
Ave lignum sanctae crucis	25
Ave lumen Romanorum	44
Ave lux apostolorum	33
Ave Mariae genitor	32
Ave martyr gloriose	42
Ave martyr honorande	37
Ave martyr pretiose	39
Ave martyr principalis	37
Ave martyr sancte Petre	41
Ave martyr sancte Vite	42
Ave martyr tu impolleus	29
Ave mater salvatoris	26
Ave mater sancta Anna	32
Ave miles Iesu Christi	38
Ave mundi aspernator	47
Ave N. confessor bone	29
Ave nobilis Birgitta	49
Ave nobilis Christina	54
Ave pastor miserorum	43
Ave pater Benedictus	47
Ave pater summe Deus	19
Ave Paule doctor legis	34
Ave pia et benigna	55
Ave pneuma sancte Deus	24
Ave pneuma tu sacratum	23
Ave pollens fide tota	53
Ave pulchra Christi sponsa	124
Ave rex aeterne Deus	35
Ave rosa Ungarorum	57
Ave sacer Dionysi	41
Ave sacra virgo Agnes	53
Ave sacrosanctum flamen	22
Ave sacrosanctum flamen	24
Ave salus Iesu Christe	20
Ave sancta Caecilia	56
Ave sancta Magdalena	50
Ave sancta trinitas	19
Ave sancte Augustine	45
Ave sancte Bartholomaee	36
Ave sancte Christophore	39
Ave sancte Damiane	40
Ave sancte Dominice	48
Ave sancte Iheronime	44
Ave sancte o Iohannes	35
Ave sancte o Laurenti	38
Ave sancte o Martine	46
Ave sancte o Matthia	37
Ave sancte patriarcha	32
Ave sancte tu Ambrosi	44
Ave sancte tu Gregori	43
Ave sancte Valentine	41
Ave Simon Cananaee	36
Ave spiritus sanctitatis	22
Ave splendor confessorum	46
Ave sponsa tu dilecta	55
Ave stella matutina	137
Avete caeli senatores	28
Avete Christi discipuli	28
Avete coetus angelorum	26
Avete fideles prophetae	27
Avete gemmae virginales	30
Avete omnes caeli cives	30
Avete omnes vos puellae	56
Avete reges gloriosi	33
Avete sancti angeli	26
Avete sancti confessores	29
Avete sancti coronati	29
Avete sancti patriarchae	27
Avete vos evangelistae	28
Ave Thoma de Aquino	48
Ave Thoma firmus fide	36
Ave tu alme spiritus	22
Ave tu Apollonia	55
Ave tu benignitatis	23
Ave tu Bernharde pie	47
Ave tu Gregori pie	45
Ave tu Nicasi digne	42
Ave turba virtualis	40
Ave turtur sine felle	52
Ave tu sancte spiritus	20
Ave vas electionis	34
Ave vera lampas mundi	36
Ave vivens caeli rosa	51
Ave virgo honoranda	51
Ave virgo gloriosa	53
Ave virgo sancta Clara	58
Ave virgo sancta Martha	56
Ave virgo sponsa Christi	30
Ave virgo tu Maria	30
Ave virgo tu praeclara	57
Barbara virgo flos florum	136
Bartholomaee insigne	137
Camelis potum tribuens	192
Christianismi nobiles	197
Christi miles et confessor	61
Dilecta Deo Christina	140

	Seite
Disciplinae militaris	74
Euge felix Euphemia	145
Excitare o cor meum	136
Exsultat iam ecclesia	149
Fons divinae caritatis	155
Gaude ad apostolatum	105
Gaude Agnes praeelecta	125
Gaude Agnes virgo Christi	93
Gaude Barbara regina	97
Gaude Barbara serena	97
Gaude Barbara fidelis	98
Gaude beata Christina	101
Gaude beatissime	180
Gaude chorus virginalis	119
Gaude Christi quae lavisti	112
Gaude Christophore mire	141
Gaude Christum quod portasti	101
Gaude Clemens praesul Christi	102
Gaude cuius virtus morum	105
Gaude cuncti forma cleri	88
Gaude decus angelorum	87
Gaude Domini athleta	100
Gaude Domini palpator	119
Gaude dulcis Katharina	108
Gaude felix Anania	95
Gaude felix Carmelita	94
Gaude felix eremita	93
Gaude felix o matrona	95
Gaude flos inter lilia	104
Gaude fuisse promotum	115
Gaude fulgens Christi signis	103
Gaude grandis Anna carens	84
Gaude Iohannes Baptista	107
Gaude Iohannes propheta	107
Gaude iuvenis praeclare	96
Gaude iuventutis flore	94
Gaude laude mundiali	126
Gaude lucerna ecclesiae	151
Gaude lux Donatiane	103
Gaude lux Londoniarum	89
Gaude magna Magdalena	86
Gaude Marce praesul grate	111
Gaude Maria Aegyptiaca	162
Gaude Maria pia nutrix	133
Gaude martyr flos Livine	111
Gaude martyr gloriose	88
Gaude martyr laureate	176
Gaude martyr o Quintine	117
Gaude martyr sancte Vite	182
Gaude mater matris Christi	95
Gaude Maure spernens mundum	114

	Seite
Gaude mundum qui vicisti	83
Gaude mundum quod sprevisti	98
Gaude nate Zebedaei	108
Gaude o Bartholomaee	98
Gaude pater hospitalis	171
Gaude pater mi Antoni	132
Gaude pater monachorum	99
Gaude pater monachorum	99
Gaude pater via morum	107
Gaude Paule vas electum	116
Gaude Paule vas electum	116
Gaude perpetim Bernardus	99
Gaude Petre fundamentum	116
Gaude pia laboratrix	163
Gaude plenus caritate	103
Gaude pontifex Lamberte	110
Gaude pontifex Martine	113
Gaude pontifex Maurili	113
Gaude praedilecte Dei	84
Gaude praesul Augustine	96
Gaude praesul o Huberte	105
Gaude princeps supernorum	115
Gaude privilegiate	159
Gaude quod ad fidem Christi	100
Gaude quod per te desertum	96
Gaude quod scandis amoenum	113
Gaude quod te desponsavit	93
Gaude Remigi Francorum	117
Gaude sacer dux Mauriti	165
Gaude sacer o Ambrosi	94
Gaude sacer praesul Christi	102
Gaude sacer Severine	118
Gaude sacra virgo Clara	101
Gaude spes salutis meae	164
Gaude sancta Katharina	156
Gaude sancta puellarum	135
Gaude sancte quod Bernardus	100
Gaude Silvester beate	118
Gaude sponsa Christi cara	104
Gaudete electi a Deo	119
Gaude te esse vocatum	104
Gaudete luces divinae	117
Gaude te priusquam natum	106
Gaude Thebaea legio	114
Gaudetote sancti plane	102
Gaude turba innocentum	106
Gaude vas electionis	115
Gaude victor o Vincenti	120
Gaude virgo Christi sancta	145
Gaude virgo Deo grata	86
Gaude virgo gloriosa	31

	Seite
Gaude virgo gloriosa	111
Gaude virgo Iuliana	108
Gaude virgo Katharina	85
Gaude virgo Katharina	109
Gaude virgo Katharina	110
Gaude virgo Katharina	110
Gaude virgo Margareta	112
Gaude virgo Margareta	161
Gaude virgo sponsa Christi	109
Haec est Esther quam Assuerus	190
Hermolae pontifex	150
Idcirco virgo pia	201
Illius assit gratia	185
Illustris memoriae	70
Incarnatum praedicans	64
Innocentes parvuli	153
Ioseph sancte et fidelis	156
Iucundat iam ecclesia	134
Lucia virgo Syracusana	160
Lucis heres caelicae	77
Magnum pietatis donum	142
Mariae laudes et honorem	186
Martyr Christi o Vincenti	180
O Aegidi Athenarum	124
O Alexi flos amoris	127
O Andrea gloriose	129
O Anna carissima	131
O beati innocentes	154
O Christi martyr Christophore	141
O doctorum doctor ave	151
O evangelistae grati	146
O Georgi miles Christi	147
O Gertrudis virgo grata	148
O Iacobe tu lucerna	152
O Laurenti martyr Christi	158
O Livine martyr Dei	159
O Maria Magdalena	162
O Matthaee virtutum flos	165
Omnipotens in area	191
O Pancrati martyr boue	166
O Philippe populator	168
O princeps apostolorum	167
O quam candor scientiae	167
O quos quantos quot honores	123
O sacra virgo Walburga	182
O sugentes innocentes	154
O summa spes fidelium	158
O tres reges tam potentes	177
O vernalis fulgens rosa	179
O Vincenti vere victor	181
O virtutis infinitae	130
O virtutum rex et scutum	155
Pie praesul o Gregori	149
Praeelecte signifer	62
Preces nostras rogo pia	131
Pro salute supplicum	78
Quod genitor ingenitus	202
Redolet in ecclesia	169
Rex Edwarde celebri	71
Sacerdotum flos perennis	68
Salve castitatis via	160
Salve iubar radiosum	128
Salve miles Dei care	129
Salve o Erasme sancte	144
Salve sancta o Sophia	173
Salve sponsi regis castrum	49
Salvete praeclarissima	168
Salve turba redimita	178
Salve virgo Dorothea	142
Salve virgo Margareta	161
Salve virgo speciosa	147
Salve virtutum gemmula	139
Sancta Apollonia	133
Sancta virgo Scholastica	170
Sancte Blasi martyr Christi	139
Sancte Dei iucundare	127
Sancte martyr Cyriace	141
Sancte Simon Cananaee	172
Sancte Stephane martyr Christi	174
Sancte Thoma archipraesul	175
Sanctissimo in Christo patri	205
Scrutatur ab infantia	188
Serve Dei venerande	165
Silvester Christi pontifex	170
Simon Iuda o dilecti	172
Solve captos Georgi beate	146
Sponsa Christi Eulalia	144
Stephane te laude plenum	174
Summae gerens signa	67
Testetur quid phantasticus	199
Thoma sidus angelorum	175
Vera regni perfruens	75
Vires augeus et invictae	65
Virgo haec est recens Eva	189

Nachträge und Berichtigungen.

Nr. 246 und 263 sind bereits im 15. Bande der Analecta (Nr. 143 und 159) aus einem Orationale Campense mitgeteilt; ebenso Nr. 309 = XV, Nr. 206.

Nr. 278 ist aus Teilen zusammengesetzt, die dem Officium auf dieselbe Heilige (V, Nr 59.) entlehnt sind.

Nr. 174. Überschrift: l. De sancto st. sancta.

Nr. 181. 1, 2: l. Virgo, patris st. Virgo patris.

Nr. 263. 3, 6: l. mitificans st. mutificans.

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXX.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Dritte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Dritte Folge.

Stunden- und Glossen-Lieder

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1898.

VORWORT.

Den Inhalt dieses Bandes bildet eine doppelte Gruppe von Reimgebeten, die ich Stunden- und Glossenlieder benenne, und von denen jene nach Analogie der liturgischen Hymnen auf sieben oder acht Tagzeiten (je nachdem die Laudes von der Matutin getrennt erscheinen oder nicht) verteilt sind, während diese irgend eine bekannte Gebetsformel zum Vorwurfe einer umschreibenden oder erweiternden poetischen Glosse machen, so indes, dafs der Text des paraphrasierten Gebetes wörtlich in den des glossierenden Gedichtes aufgenommen wird. Lieder, die sich blofs inhaltlich an den Gedankengang eines anderen prosaischen oder poetischen Gebetes anlehnen — ein Beispiel siehe Mone II, 126 — sind in den Begriff des Glossenliedes nicht einzubeziehen.

Die Stundenlieder zerfallen in gröfsere und kleinere, je nachdem auf die einzelnen Tagzeiten ein ganzer Hymnus oder nur eine Strophe eines Liedes entfällt.

Um thunlichst alle Lieder beider Gattungen zusammenzustellen, sind einige bereits bei Mone, Daniel u. a. vorhandene Lieder nicht ausgeschlossen worden. Dagegen glaubte ich, von Stundenliedern zurückstellen zu sollen die Anselm von Canterbury, Petrus Damiani, Bonaventura, gleichviel ob mit Recht oder Unrecht, zugeschriebenen (vgl. Mone II, Nr. 422–429; 574–578; I, 84—91; II, 433—443); von Glossenliedern zwei über das Salve regina von Bonaventura und Hieronymus von Monsee, (letzteres ungedruckt, ersteres Opp. XIII, 350) und zwei über das Ave Maria von Petrus Damiani und Guillaume de Deguiville, (ersteres Opp. IV, 10, letzteres noch ungedruckt).

Nicht als Stundenlieder sind zu betrachten das bekannte „Iesu dulcis memoria“, ein Rosarium, dem Heinrich Seuse die Hymnen zu seinem Cursus aeternae sapientiae entlehnt hat (vgl. Mone I, 329), sowie das Lied „Omnibus consideratis“, das bisweilen, doch nur äufserlich, auf sieben Tagzeiten verteilt erscheint. Auch aus dem Reimofficium Anal. XXVI, Nr. 92 ist ein Stundenlied mit dem Anfange Sinceri pueri etc. gebildet (vgl. Anal. XXVI, S. 267). Ähnlich ist aus drei Hymnen auf Franziskus von Assisi das Horenlied bei Mone III, 303 zusammengestoppelt.

Von Glossenliedern sind zwei bereits Anal. XV, 113 und 114 mitgeteilt. Unter den Gedichten Konrads von Gaming finden sich vier (Anal. III, 35, 37, 38, 40), unter denen des Ulrich Stöcklin drei Glossenlieder (Anal. III, 177; IV, 45 und Mone II, 225), von denen eines bei seinen Psalterien nachzutragen sein wird.

Glossenlieder, namentlich über das Ave Maria, kommen aber nicht blofs unter den Reimgebeten, sondern auch unter den Cantiones vor. Verwiesen sei auf Anal. I, 50, 93, 94; II, 126, 151; XX, 176, 179. Unter den Hymnen findet sich ein einziges Beispiel Anal. IV, 53, das vielleicht noch Entlehnung ist. Mehrere Fälle dagegen begegnen uns unter den Sequenzen; so Anal. IX, 74; X, 138; Mone II, 112, 216, 218, 228.

Wien, den 19. März 1898.

Guido Maria Dreves.

I.

STUNDEN-LIEDER.

1. De sanctissima Trinitate.

Ad Matutinum.

1. Quicunque vult animam
firmiter salvare,
Trinitatis gloriam
debet implorare,
Tres personas credere,
ipsas honorare,
Unum Deum dicere,
solum adorare.

Ad Primam.

2. Trinitatem credimus:
summum genitorem,
Sanctum eius filium,
nostrum redemptorem,
Spiritum paraclitum,
gratiae datorem;
Unum tamen dicimus
Deum creatorem.

Ad Tertiam.

3. In patre potentia
cuncta denotatur,
Nato providentia
omnis declaratur,
Universa bonitas
paraclito datur,
Qui cum patre, filio
simul adoratur.

Ad Sextam.

4. Patris beneplacito
filius est datus,
Est de sancto spiritu
de virgine natus,
Crucifixus, mortuus
atque tumulatus,
Resurgens a mortuis
caelo sublimatus.

Ad Nonam.

5. Vox a patre resonat
super baptizatum,
Ipsum vocans filium
dilectum et gratum,
In columbae specie
spiritum monstratum
Credimus super Iesum
et caelitus datum.

Ad Vesperam.

6. A se patrem credimus,
tamen generavit
Filium, de lumine
lumen resultavit,
Procedentem spiritum
uterque spiravit,
Neuter horum genuit
ipsum vel creavit.

Ad Completorium.

7. Et per ipsum erimus
omnes iudicati,
Beati ad gloriam
aeternam vocati,
Ad poenas perpetuas
mali condemnati,
Haec omnia credere
tenentur beati.

Conclusio.

8. Has horas sic recole,
ut in trinitate
Veneretur unitas,
et in unitate
Honoretur trinitas
in proprietate;
Quisque debet credere
hoc cum firmitate.

Orat. ms. S. Felicis Gerunden. s. n. saec. 14/15. A. — Horas de Nuestra Señora imp. in Çaragoça 1534. B — Horae BMV. sec. usum Romanum imp. Barcinonae 1572. C. — 1, 1 animas A. — 6, 1 Et te patrem A. — 6, 6 nostrumque A. — 8, 2 et in trinitate A.

2. De sanctissima Trinitate.

Ad Matutinum.

1. Quicunque vult animam
firmiter salvare,
Tres personas credere,
ipsas honorare
Tenetur et iugiter
precibus orare,
Unum Deum dicere,
solum adorare.

Ad Primam.

2. Trinitatem credimus:
summum genitorem,
Sanctum eius filium,
nostrum redemptorem,
Spiritum paraclitum,
gratiae datorem;
Unum tamen dicimus
Deum creatorem.

Ad Tertiam.

3. A se patrem credimus,
cum hunc generavit
Filium, de lumine
lumen resultavit,
Procedentem spiritum
uterque spiravit,
Nullus horum genuit
ipsum vel creavit.

Ad Sextam.

4. Vox ad patrem pertinet,
super baptizatum
Quae sonavit filium
humanae vocatum
Naturae susceptio,
columbae volatum
Credimus et speciem
paraclito datum.

Ad Nonam.

5. In patre potentia,
cuncta denotatur,
Filio prudentia
omnis declaratur,
Gratia paraclito
universa datur,
Qui cum patre natoque
conglorificatur.

Ad Vesperas.

6. Voluntate filius
patris incarnatus
Est de spiritu sancto,
de virgine natus,
Crucifixus, mortuus
atque tumulatus,
Resurgens discipulis
caelis sublimatus.

Ad Completorium.

7. Et per ipsum erimus
omnes iudicati,
Beati ad gloriam
aeternam vocati,
Ad poenas perpetuas
mali condemnati,
Haec omnia credere
tenentur beati.

Conclusio.

8. Has horas sic recolo,
ut in trinitate
Veneretur unitas,
et in unitate
Honoretur trinitas,
atque pietate
Faciat me credere
hoc cum firmitate.

Orat. ms. Iuliani Regin saec. 15. Cod. Parisien. 757. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. B. — 1, 4 pares honarare B. — 4, 3 filius A. — 4, 3 sq. Constr: [ad] filium vocatum [pertinet] humanae naturae susceptio. — 6, 1 sq. patris filius B. — 7, 7 sq. tenentur credere A. — Str. 8 fehlt B, statt dessen nur:

Has horas tibi recolo, trinitas beata,
Ut mea tibi anima post mortem fiat grata.

Dieses Lied findet sich auch in Orat. ms. Burlooense saec. 15. Cod. Anholtin. 9.

3. De sanctissima Trinitate.

Ad Matutinum.

1. Deus de nullo veniens,
Deus de Deo prodiens,
Deus ab his progrediens,
In nos veni subveniens.

2. Tu nostrum desiderium,
Tu sis amor et gaudium,
In te nostra cupiditas
Et in te sit iucunditas.

3. Pater, cunctorum domine,
Cum genito de virgine
Intus et in circuitu
Nos rege sancto spiritu.

Ad Laudes.

1. Trinitas, lumen luminum,
Illuminatrix hominum,
Tuam similitudinem
Conformans ad imaginem.

2. Ex te mens nostra fulgeat
Et in te vota compleat,
Ad te per te nos dirigat,
Credens, sperans te diligat.

3. Patri sit benedictio
Cum coaeterno filio,
Benedictus sanctus spiritus
Et nos in ipso caelitus.

Ad Primam.

1. A patre prodit genitus,
Ab utroque paraclitus,
In his est una deitas,
Quam laudat universitas.

2. Ex quo nostra condicio,
Per quem nostra redemptio,
In quo nostra remissio,
Cum hoc fruamur gaudio.

3. Genitori sit gloria,
Redemptori victoria,
Consolatori gratia
Nobisque per hunc venia.

Ad Tertiam.

1. Trinitas, salus omnium,
Cor sana male saucium,
Concede nobis veniam
Per septiformem gratiam.

2. Fac nos ex fide vivere,
Per spem fac sursum tendere,
Et caritatis geminae
Fac nos vestiri tegmine.

3. Trinitati sit gloria,
Laus, decus et potentia,
Quae sua nobis gratia
Concedat caeli gaudia.

Ad Sextam.

1. Caelestium rex agminum,
Fili, redemptor hominum,
Consolator maerentium,
Fer miseris solacium.

2. O veneranda trinitas,
Tua nobis benignitas
Succurat, ne fragilitas
Nos trahat ad res vetitas.

3. Trinitati, quam credimus,
Adoramus et colimus,
Sit gratiarum actio,
Salus et benedictio.

Ad Nonam.

1. Memento, sancta trinitas,
Quod tua fecit bonitas
Creando primum hominem,
Recreando per sanguinem.

2. Nam quod creavit unitas,
Redemit Iesu caritas
Patiendo, tunc diligens,
Nunc diligat nos erigens.

3. Trinitati sit gaudium,
Pax, virtus et imperium,
Decus, omnipotentia,
Laus, honor, reverentia.

Ad Vesperas.

1. O Deus, sancta trinitas,
De quo sanctorum sanctitas,
Te laudantes sanctifica
Donando nobis caelica.

2. Trinitas individua,
Nos tua lux perpetua
Et a damnatis segreget
Et cum beatis aggreget.

3. Sit tibi, sancta trinitas,
Decus, honor, sublimitas,
Potestas, dominatio,
Maiestas, collaudatio.

Ad Completorium.

1. Genitor ineffabilis,
Eius proles amabilis,
Paraclitus consimilis,
Memento vitae fragilis.

2. Ex te vitae principium,
Per te vitae remedium,
In te vitae solacium,
Da nobis vitae praemium.

3. Patri cum unigenito
Et spiritu paraclito
Sit maiestas et gloria,
Potestas et victoria.

Orat. ms. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Bruxellen. 10812—16. A. — Brev. ms. Palat. Vindobonen. 4005 saec. 15. B. — Cod. Palat. Vindobonen. 4096 saec. 15. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Chm. Monacen. 19991. D. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Chm. Monacen. 20021. E. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 24 anni 1538. F. — Aufschrift: Cursus de beatissima trinitate C. — Ad Matut. 3, 4 Nos rege cum B. — Ad Prim. 1—3 fehlen D. — 1, 1 A patre procedit BC. — Ad Tertiam. 2, 4 vellere F. — Ad Non. 2, 4 eruens B. — Ad Vesp. 1, 1 O decus F. — 1, 2 De qua F. — 3, 4 Maiestas fehlt F. —

Die meisten dieser Lieder stehen auch in Orat. ms. Augiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Carolsruhan. Aug. 36 (daraus bei Mone I, 23 ff). Dieselben sind aber hier nicht zu einem Kursus verbunden und stehen in anderer Reihenfolge. Es seien deshalb hier die Abweichungen des Augiensis nachgetragen:

Ad Matutin. 2, 2 amor atque gaudium. — Nach Str. 3 folgt noch, obschon Str. 3 Doxologie ist:

4. Regendo clemens corrige
Et corrigendo dirige,
Dirigendo nos erige
Et cum electis (nos) collige.

Ad Laudes. 1, 2 Illuminator. — 1, 4 Reformans. — Zwischen Str. 2 und 3 ist der Hymnus ad Tertiam ohne Doxologie eingeschoben.

Ad Primam. 2, 4 Erit et gloriatio. — Zwischen Str. 2 und 3 eingeschoben:

Vitam sanctis repositam
Ob artam vitae semitam
Praestes nobis gratuito,
Quam non debes ex merito.

Ad Tertiam. 1, 2 Morbos sana languentium. — Str. 3 fehlt. Vgl. das oben ad Laudes Bemerkte.

Ad Sextam. 2, 2 Nobis tua. — 3, 4 Honor et benedictio. — Zwischen Str. 2 und 3 eingeschoben:

Caventes a prohibitis
Utamur bene licitis,
Ut gaudeamus gaudio
Quo caeli gaudet contio.

Ad Nonam. Ist in der Hs. angehängt an den Hymnus ad Matut. — 1, 2—4 fehlen. — 2, 1 fehlt. — 2, 2 Christi caritas. — Statt Str. 3 nur: Decus omnipotentia, Laus et magnificentia.

Ad Vesperas. 1, 2 De qua. — 2, 2 Tua nos lux. — 2, 3 Et fehlt. — 3, 2 Laus honor. — Zwischen Str. 1 und 2 eingeschoben;

Trinitas immutabilis
Et unitas laudabilis,
Instantes tuis laudibus
Veris dita muneribus.

Cuius in nobis munera
Illa conservet dextera,
Quae benedicit credulos,
Reprobabit incredulos.

Ad Completorium. 1, 2 Ipsius proles parilis. — 1, 3 Paraclite. — Zwischen Str. 1 und 2 eingeschoben:

Proni sumus et labiles
Et ad peccandum fragiles,
Tua misericordia
Nos salvet a miseria.

Die Reichenauer Handschrift hat a. d. O. noch zwei weitere Hymnen, augenscheinlich von demselben Verfasser, die in dem Kursus nicht verwertet sind, nämlich *Pater, fili, paraclite* und *Pater, creator omnium.*

4. De sancto Spiritu.

Ad Matutinum.

1. Veni, creator spiritus,
Praecordiorum intima
Et visita divinitus
Ac doce suavissima.

2. Nostris infusus cordibus
Sensum redde pervigilem,
A cunctis purga sordibus
Cor, mentem da et humilem.

3. Mores, actus, eloquia
Tua rege potentia,
Virtutum affluentia
Sit munda conscientia.

Ad Laudes.

1. Lux surge nobis aurea,
Superni iubar luminis,
Corda redde aetherea
Virtute tui numinis.

2. Veni, largitor munerum,
Solator suavissime,
Nostrum sis memor pauperum,
Spes, vita, salus animae.

3. Tu largitas melliflua,
Da gratiam petentibus,
Suavitas largiflua.
Instilla nectar mentibus.

Ad Primam.

1. Fons vitalis, caritas,
Caritatem cordibus
Da, lux mentalis, claritas,
Infunde lumen sensibus.

2. O quam salubris unctio,
Quae menti dat tripudium,
Per quam fluit compunctio,
Salus, perrenne gaudium.

3. Virtutum pater optime,
Tu visita nos iugiter,
Ut videndo sanctissime
Te laudemus perenniter.

Ad Tertiam.

1. Nunc sancte nobis spiritus
Devotionis gratiam
Infunde, lumen caelitus,
Virtutum abundantiam.

2. Compunctionis fluvium,
Da gaudium cum gloria,
Unctionis convivium
Post intima suspiria.

Ad Sextam.

1. Rector potens, qui cordium
Meridiem sic instruis,
Amoris igne sordium
Caliginem qui destruis,

2. Aestum fuga luxuriae,
Litis et immunditiae,
Ut nos conformes gratiae
Heredes simus gloriae.

Ad Nonam.

1. Rerum causa efficiens,
Implens et regens omnia,
Fons vivus indeficiens,
Nos recreans inebria.

2. Astantes tuis laudibus
Nos visita continuo,
Sacris pleni virtutibus
Ut vivamus perpetuo.

Ad Vesperas.

1. Veni, pater orphanorum,
Veni pie, ne moreris,
Veni, pater egenorum,
Et egenum consoleris.

2. Veni, sacrum pneuma, veni,
Perfla suavissime
Velut auster flatu leni
Hortum meae animae.

3. Et a vitiis emunda,
Ut sic sanctis moribus,
Plena sit atque fecunda
Et virtutum floribus.

Ad Completorium.

1. Te lucis ante terminum,
Precamur, sanctum spiritum,
Ut custos clementissime
Sis corporis et animae.

2. Procul pelle daemonia,
Polluta fuge somnia,
Et universa noxia,
Quae mens abhorret anxia.

3. Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue,
Lux mentis et meridies,
Dies lucis perpetuae.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

5. De sancto Spiritu.

Ad Matutinum.

1. Nobis sancti spiritus
gratia sit data,
De qua virgo virginum
fuit obumbrata,
Cum per sanctum angelum
fuit salutata,
Verbum caro factum est,
virgo fecundata.

Ad Primam.

2. De virgine Maria
Christus fuit natus,
Crucifixus, mortuus
atque tumulatus,
Resurgens discipulis
fuit demonstratus
Et ipsis cernentibus
caelis elevatus.

Ad Tertiam.

3. Suum sanctum spiritum
Deus delegavit,
In die pentecostes
ipsos confirmavit
Et de linguis igneis
ipsos inflammavit,
Relinquere orphanos
ipsos denegavit.

Ad Sextam.

4. Septiformem gratiam
tunc acceptaverunt,
Quare idiomata
cuncta cognoverunt,
Ad diversa climata
mundi recesserunt
Et fidem catholicam
tunc praedicaverunt.

Ad Nonam.

5. Spiritus paraclitus
fuit appellatus
Donum Dei, caritas,
fons vivificatus,
Spiritalis unctio,
ignis inflammatus,
Septiformis gratiae
charisma vocatus.

Ad Vesperas.

6. Dextrae Dei digitus,
virtus spiritalis
Nos defendat, eruat
ab omnibus malis,
Ut nobis non noceat
daemon infernalis,
Protegat ac nutriat,
foveat sub alis.

Ad Completorium.

7. Spiritus paraclitus
nos velit iuvare,
Gressus nostros regere
et illuminare,
Ut, cum Deus venerit
omnes iudicare,
Nos velit ad dexteram
suam appellare.

Conclusio.

8. Has horas canonicas
cum devotione
Tibi, sancte spiritus,
pia ratione
Dixi, ut nos visites
inspiratione,
Ut vivamus iugiter
caeli regione.

Orat. ms. Flandricum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 50. A. — Orat. ms. Mediolanense saec. 15. Cod. Rossian. VIII 35. B. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 13. C. — Horae B. M. V. sec. usum Praedicatorum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 10. D. — Horarium ms. Flandricum saec. 15. Cod. Rossian. VIII. 4. E. — Orat. ms. Augiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Carolsruhan. Aug. 36 dreimal: 1) fol. 32 F; 2) fol. 40 a. G; 3) fol. 68 a. H. — Heures a lusaige de Romme imp. Parisiis [Hardouyn] s. a. [1516] I. — Offic. B. M V. sec. usum Romanum imp. Parisiis [Kerver] 1519. K. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanum imp. Parisiis [Vostre] s. a. [1508]. L. — Officium B. M. V. sec. usum Romanum imp. Parisiis [Kerver] 1501. M. — Heures a lusaige de Romme imp. Parisiis [Poytevin] 1502. N. — Officium B. M. V. imp. Venetiis [Marcolini] 1545. O. — Horae B. M. V. ad normam antiquae professionis Carmelitarum imp. Venetiis 1585 P. — Hortulus animae imp. Maguntiae [Schöffer] 1511. Q. — Orat. ms. S. Felicis Gerunden. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. S. Felicis s. n. R. — Horas de Nuestra Señora imp. in Çaragoça 1534. S. — Horae B. M. V. sec. usum Romanum imp. Barcinonae 1572. T.

Str. 1 fehlt C. — 1, 1 Mihi sancti G. — 1, 6 erat salutata G. — 1, 7 factum est fehlt B. — 1, 8 virgo fehlt B. — 2, 1 De virgine filius B; Virgine de filia F. — 2, 2 pater fuit natus F; filius fuit natus GH. — 2, 5 fuit discipulis C. — 2, 6 suis demonstratus B; suis fuit demonstratus GH. — 2, 8 caelos CF; oculis elevatus O. — 3, 1 Sumum sanctum B; Cum sanctum C; De caelo discipulos F; Spiritum paraclitum G. — 3, 2 Deus visitavit F. — 3, 3 In die sancto p. B; Suum sanctum spiritum F. — 3, 4 ipsos informavit GH; suos confirmavit IK; apostolos confirmavit CDO; eis delegavit F. — 3, 5 atque linguis GH; In die pentecostes F. — 3, 6 eos inflammavit BGH; ipsos confirmavit G. — 3, 7 Orphanos relinquere F. — 3, 8 eos denegavit CDGHIK; omnino denegavit O. — Str. 4 ad Nonam, 5 ad Sextam B. — 4, 1 Septiformis DGHO. — 4, 2 acceperunt C. — 4, 3 De qua ideomata G; ydeomata CE. — 4, 5 Ad diversa mundi CDO. — 4, 6 mondi B; climata recesserunt CDO. — 4, 8 tunc fehlt B. — 5, 1 paracletus O. — 5, 2 fuit fehlt B. — 5, 3 Domum Dei C; Dei digitus GH. — 5, 5 Spiritalis caritas GH. — 5, 7 gratia FIK. — 5, 8 chrismaque vocatus O; charisma beatus B. — 6, 1 Dexterae BO. — 6, 3 Me defendat G. — 6, 4 omnibus a malis F; ex malis GH. — 6, 5 Ut mihi non G. — 6, 7 ac

fehlt E; Protegat et foveat F; Protegat, eripiat B; Sed protegat, nutriat CD; Sed protegat, foveat IK. — 6, 8 nutriat sub alis FIK. — Str. 7 fehlt BF. — 7, 1 paracletus O. — 7, 2 me velit G. — 7, 3 Mentem visere, regere F. — 7, 4 et fehlt F. — 7, 5 cum iudex venerit F. — 7, 7 Me velit G. — 7, 8 suam collocare FGH. — 8, 3 Summe sancte G; Summe sancte H. — 8, 5 Dixit I; ut eos visites D; Decautavi dulciter F; Tua fac recolere GH. — 8, 6 miseratione FGH. — 8, 7 Et vivamus CDO; Sed vivamus A; Atque nos illumines H; Meque tu illumines G; Me aeterna illumines F. — 8, 8 In caeli BI; illustratione FGH.

H bemerkt an erster Stelle: Has horas canonicas de spiritu sancto compilavit papa Iohannes et indulgentiis eas dotavit; an dritter Stelle: Hoc officium sancti spiritus composuit papa Benedictus; jener der XXII., dieser der XII.

6. Septem Horulae operum divinorum septemplices.

I.

Ad Matutinum.

1. Pater Iesum generavit
Divina ex essentia,
Sanctum spiritum spiravit,
Creavit cuncta entia,
Iesus caelum decoravit
Angelica praesentia.

Ad Primam.

2. Iesus praemia donavit
Praecongrua spiritibus,
Pravos damnans confirmavit
Cum caeli pios dotibus,
Protoplaustos superavit
Satan pravis affatibus.

Ad Tertiam.

3. Iesus mundum subiugavit
Divinis gubernaculis,
Patrum chorum praelegavit
Mirificis miraculis,
Quibus se praenuntiavit
Veridicis oraculis.

Ad Sextam.

4. Ex Aegypto liberavit
Iesus plebem Iudaicam
Et in Sina promulgavit
Iustam legem Mosaicam,
Pios salvans castigavit
Per vim malos Chaldaicam.

Ad Nonam.

5. Iesus totam conservavit
Mariam sincerissimam,
Ioseph iusto copulavit
Ut sponsam praeclarissimam,
Voto cunctis praerogavit
Ut virginem firmissimam.

Ad Vesperas.

6. Pater virgini legavit
Divinam fortitudinem,
Quem nascendum nuntiavit
Iesum pellens formidinem,
Sanctum pneuma fecundavit
Consentientem virginem.

Ad Completorium.

7. Iesus vatem exaltavit
Mariae ministerio,
Pater vatis exsultavit
Salutis pro mysterio,
Ioseph angelus firmavit
Caelesti magisterio.

II.

Ad Matutinum.

1. Iesus nocte pauper natus
De virgine homuncio,
Fit pastoribus delatus
Angelico ex nuntio,
Bethlehem praesepi datus,
Quem laudat caeli contio.

Ad Primam.

2. Iesus sanctus praeputatus
Octavo fit [in] lumine,
Priscis aequus sublimatus
Salvifico sic nomine,
In salutem nobis datus
Hanc capit fuso sanguine.

Ad Tertiam.

3. Iesus magis declaratus
Splendenti novo sidere
Honoratur, adoratur
Triformi ab his munere,
Regum chorus informatus
Novo redit itinere.

Ad Sextam.

4. Iesus pauperum oblatus
Est patri sacrificiis,
Quem amanter amplexatus
Est senex sanctis brachiis
Prophetarumque laudatus
Condigne fit officiis.

Ad Nonam.

5. Iesus fugax est moratus
Aegyptio exsilio,
Innocentum grex mactatus
Herodis fit imperio,
Post quod Iesus fit relatus
Angelico consilio.

Ad Vesperas.

6. Iesus templo occupatus
Parentibus fit insciis,
Non inventus, vestigatus,
Quaesitus cum tristitiis,
Fit in templo declaratus
Et subditus nutriciis.

Ad Completorium.

7. Iam tricennis baptizatus
Iordanis Iesus flumine,
Dei natus declaratus
Fit patris clarus famine
Et columba demonstratus
Fit plenus sancto flamine.

III.

Ad Matutinum.

1. Iesus eremo moratus,
Adfligens se ieiunio,
Est tripliciter temptatus
Famescens a daemonio,
Qui devictus confutatur
Scripturae testimonio.

Ad Primam.

2. Dum ad nuptias vocatur
Iesus sua potentia,
Aqua vinum fit, monstratur
Hinc eius praeminentia,
Virginis cum postulatur
Compassae diligentia.

Ad Tertiam.

3. Iesu contio vocatur
Virtute apostolica,
A quo nova promulgatur
In mente lex catholica,
Sed et turba informatur
Doctrina parabolica.

Ad Sextam.

4. Quae doceret, operatur
Utrisque in temporibus,
Iesus gregi, fatigatur
Exemplar ens pastoribus,
Culpa piis relaxatur
A Iesu peccatoribus.

Ad Nonam.

5. Daemon hydropis fugatur,
Cum febre lepra pellitur,
Vita, sensus, vox donatur
A Iesu, motus redditur,
Panis multis procreatur
Sedatur mare, teritur.

Ad Vesperas.

6. Iesu pio derogatur
Divinis in miraculis,
Bonus Iesus blasphematur
Pro caelicis oraculis,
Et insidias dignatur
Sufferre ab homunculis.

Ad Completorium.

7. Plene Iesus adprobatur
Paterno ex oraculo,
Dum in monte transformatur
Multiplici miraculo,
Pneuma sanctum contestatur
Cum nubis umbraculo.

IV.

Ad Matutinum.

1. Iesum asinus portavit
Paratus cum panniculis,
Rex mansuetus tunc ploravit
Pravorum pro piaculis,
Dum hunc turba honoravit
Veste, voce, ramusculis.

Ad Primam.

2. Templum intrans exturbavit
Mercantum maleficium,
Sanitatis restauravit
Infirmis beneficium,
Iesus egens reintravit
Bethaniae hospitium.

Ad Tertiam.

3. Pharisaeos increpavit
Multiplici eloquio,
Iesus plebem informavit
Doctrinae cum obsequio.
Suos orbis praefirmavit
De fine cum praeloquio.

Ad Sextam.

4. Prava gens se adunavit
In Iesum conspiramine,
Quem a Iuda comparavit
Privato pio agmine,
Postquam Iesum pia lavit
Perungens hunc unguimine.

Ad Nonam.

5. Iam se Iesus absentavit
Pravorum a consortio,
Passionis praetractavit
Cum matre de exitio,
Suo suos contristavit
Venturo mox supplicio.

Ad Vesperas.

6. Iesus suis pedes lavit
Humillimo servitio,
Proditorem revocavit
Verbis, signis, officio,
Eucharistiae donavit
Se nobis beneficio.

Ad Completorium.

7. Iesus suos confortavit
Sermonis elegantia,
Patrem orans exsudavit
Cruorem pro instantia,
Se dans patri obviavit
Adversis cum constantia.

V.

Ad Matutinum.

1. Iesus traditus ligatur,
Offertur, ductus caeditur,
Criminatur, adiuratur,
Affligitur, illuditur,
Ter a Petro denegatur
A suis derelinquitur.

Ad Primam.

2. Iesus vinctus accusatur
Pilato, quo defenditur,
Sed Herodi destinatur,
Lusus, spretus remittitur,
Barrabas, cum allegatur
Mos, licto Iesu petitur.

Ad Tertiam.

3. Crucifigi postulatur,
Flagellis Iesus caeditur,
Ut rex spinis coronatur,
Cum veste sceptro luditur,
Adoratur, salutatur,
Illusus sic producitur.

Ad Sextam.

4. Iesus morte nunc damnatur
Pravorum pro clamoribus,
Sua cruce oneratur
Permagnis cum doloribus,
Volens cruci conclavatur
Pro nobis peccatoribus.

Ad Nonam.

5. A se patri immolatur
Pro mundi sacrificiis,
Iesus septem verba fatur
Exspirans in suppliciis,
Latus lancea foratur
Nos donans beneficiis.

Ad Vesperas.

6. Mundus Iesum lamentatur
Devotique cum virgine,
Dum de cruce declavatur
Piorum cum iuvamine,
Osculatur et lavatur
Cum lacrimarum flumine.

Ad Completorium.

7. Devotorum adparatur
Aromatum cum cumulo,
Rex caelestis interratur
Sepulcri habitaculo,
O quam maesta separatur
A Iesu mater tumulo.

VI.

Ad Matutinum.

1. Iesus patres visitavit
Proscriptos temporaliter,
Adumbratos illustravit
Seipso facialiter,
Illos sic felicitavit
Fruentes aeternaliter.

Ad Primam.

2. Patrum chorus exsultavit
Sollemni cum laetitia,
Quia Iesus visitavit
Hos sua cum praesentia,
Cuius orcum penetravit
Virtutis efficacia.

Ad Tertiam.

3. Nunc Iudaeus exsultavit
Iniquo nimis fibulo,
Custodiri impetravit
In suo Iesum tumulo
A Pilato, qui his favet,
Custodum dato cumulo.

Ad Sextam.

4. Quam permaxime plagavit
Iesu passi maestitia,
Fuit illa, quae portavit
Hunc spiritali gratia,
Tam hanc in hunc transformavit
Amoris vehementia.

Ad Nonam.

5. Pios nimis contristavit
Mors Domini vilissima,
Quibus mortem renovavit
Memoria piissima,
Quam deleri denegavit
Dilectio iustissima.

Ad Vesperas.

6. Desperatio prostravit
Cohortem apostolicam,
Sexus pius praeparavit
Tunc unctionem mysticam,
Fidem mater tunc servavit
Iesu sola catholicam.

Ad Completorium.

7. Iesus Satanam calcavit
Victoris formidine
Et infernum spoliavit
Virtutis valetudine,
Tristem mortem devoravit
Hanc spolians formidine.

VII.

Ad Matutinum.

1. Iesus felix remeavit
Ex mortuis primitiae,
Se dilectus declaravit
Repletus amicitiae,
Quos sic testes praeparavit
Fidelium militiae.

Ad Primam.

2. Iesus caelicum intravit
Cum patrum regnum agmine,
Quos beatos collocavit
In suo quosque ordine,
Spem in suis procreavit
De dando caeli culmine.

Ad Tertiam.

3. Iesus Spiritum legavit
Sanctissimum discipulis,
Illos omnium ornavit
Linguarum cum munusculis,
Mirum posse his donavit
Agendis in miraculis.

Ad Sextam.

4. Iesus matrem evocavit
Cum tota caeli curia,
Super cunctos coronavit
Imperiali gloria,
Advocatam ordinavit
Hanc mundo pro penuria.

Ad Nonam.

5. Iesus mundo derivavit
Doctrinam theologicam,
Qua ecclesiam fundavit
Per saeculum catholicam,
In qua duci demandavit
Nunc vitam apostolicam.

Ad Vesperas.

6. Iesus mundum iudicabit
Finali rex iudicio,
Orci malos condemnabit
Aeterno in supplicio,
Bonos vocis advocabit
Gratissimae officio.

Ad Completorium.

7. Iesus bonos liberabit
Omnis mali instantia
Et perfecta satiabit
Omnis boni praesentia,
Illos in se quietavit
Aeterna inhaerentia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — II. 5, 4 fit consilio. — V. 2, 6 Mos licto Iesu impetitur.

7. De Nativitate Domini.

Ad Vesperas.

1. Caelum ac terra gaudeat
Et hymnum novum concinat
In hac sacra vigilia
Pro nati regis gloria.

2. In forma servi Bethlehem
Caelestis dux Ierusalem
Mariae carne nascitur,
Cui omne genu flectitur.

3. Laus infanti, qui nascitur,
Laus patri, a quo mittitur,
Laus sancto sit consilio
In regni eius solio.

Ad Completorium.

1. Caelestis rex Ierusalem,
Qui nasceris in Bethlehem,
Quis tua valet promere
Mira vel intellegere?

2. Qui cum sis rex omnipotens,
Infirmus nunc et impotens
Virtutis tuae gratiam
Celasti per infantiam.

3. Tua misericordia
Et infinita gratia
Te trahens caeli gloria
Vestivit carnis tunica.

4. Unde laus sit quam maxima
Deo patri per saecula
Tibique, unigenite,
Qui imperas cum pneumate.

Ad Matutinum.

1. Salve, Iesu dulcissime,
Qui puer natus hodie
In civitate Bethlehem;
De caelesti Ierusalem

2. Te traxit in exsilium
Dilectis in solacium,
Qua maior non est, caritas
Et inexperta bonitas.

3. Cunctis erectis sensibus
Iam sursum in caelestibus
Te Deum natum humilem
Mihique colo similem.

4. Laus tibi sit perpetua,
Trinitatis essentia,
Fac nos caeli palatio
Collaetari perpetuo.

Ad Primam.

1. Infans Iesu pulcherrime,
Mariae qui de corpore
Ut flos prodit de gramine,
Tu processisti hodie.

2. Flos campi, rosa, lilium,
Mariae puerperium,
Per tuum natalitium
Fac, tecum sim in saeculum.

3. Aeterna laus et gloria
Et festiva laetitia
Caeli resultet curia
Trinitati per saecula.

Ad Tertiam.

1. O trinae splendor gloriae,
Caelesti lucens culmine,
In cunis virgo fasciis
Te cingit et panniculis.

2. Ploranti praebet ubera
Et fovet te per balnea,
Infigit ori oscula,
O quam felix puerpera!

3. Dum virgo mater recolit,
Quis, qualis, quantus, unde sit,
Adorat ex se genitum
Et Dei patris unicum.

4. Pro tua magna gloria
Et pietate maxima
In angelorum curia
Laus sit tibi per saecula.

Ad Sextam.

1. O regnans alto cardine,
Iesu, frater dulcissime,
Fac me laetare hodie
Cum omni tuo plasmate.

2. Maria, mater inclita,
Laetare iam et iubila,
Qui pater est et dominus,
Fit quoque tuus filius.

3. Quis cogitare poterit,
Quantum cordi tunc fuerit
Infusum pium gaudium,
Cum peperisti Dominum?

4. Nullus illud mortalium
Valebit in perpetuum.
Ergo sit laus et gloria
Trinitati per saecula.

Ad Nonam.

1. Nunc tempus adest gratiae,
In quo natus rex gloriae
Salvator et Emanuel
In civitate Bethlehem.

2. Gaude, mater dulcissima,
Tu, virgo, virga florida,
Osculare iam filium,
Amplectens cole Dominum.

3. Laus sit patri perpetua
Eiusque nato gloria,
Honor sit sancto flatui
Deo nostro amabili.

Ad Vesperas.

1. Haec est dies laetitiae,
Quae nos illustrat hodie,
Cum tu Deus altissimus
Infans factus es parvulus.

2. Natus matre castissima,
Cuius prece continua
Temet cum ipsa cernere
Fac nos in regno gloriae.

3. Laus sit tibi per saecula,
Qui regna regis caelica
Et matris sugens ubera
Simul adimples omnia.

Ad Completorium.

1. O descendens rex gloriae
In vallem hanc miseriae,
Hoc festum da cognoscere
Mundumque cor apponere.

2. Amore perfectissimo
Adhaerere perpetuo
Fac me tibi gratissimo
Aeterni regis filio.

3. Tu iacens diversorio
Pannorum nunc involucro,
Quamvis caeli sis Dominus,
Apparens hic pauperrimus.

4. Tibi, Iesu, melliflua
Laus, honor sit et gloria,
Qui iaces in praesaepio,
Caeli regnas palatio.

Orat. ms. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1262. — Ad Mat. 4, 2 In trinitatis. — Ad Prim. 1, 4 procesti.

8. Cursus de Anima Christi.

Ad Matutinum.

1. O Christi felix anima,
Sacrari tuo cultui
Fac nostri cordis intima,
Carnem subde spiritui.

2. In verbi te hypostasi
Adorant throni stupidi,
O si nos mentis exstasi
Tibi sternamur placidi.

3. Proposito consilii
Pater in te gratificat,
Adoptionis filii
Qui sint, et hos magnificat.

4. O patris secretaria,
Fac nos Dei docibiles,
Pigmenti thesauraria,
Da, simus mites, humiles.

5. Fac, pater, in paraclito
Nos conformari genito,
Configurari facias,
In nobis ut complaceas.

Ad Laudes.

1. O floridum tu lectulum
Cubantis in meridie,
Mens Iesu tabernaculum
Post velamentum gloriae.

2. Tu magni signum foederis,
Acervus testimonii,
Quem scandens tonsi velleris
Grex parte cubat solii.

3. Sub cataclismo gratiae
Das te pro nobis pretium,
In sabbatismo gloriae
Da te beatum praemium.

4. Orationum hostias,
Dicatas tuis laudibus,
Pro nobis tu suscipias
Et pro redemptis omnibus.

5. Cultu pio nos vivere
Morique tibi facias,
Trinitatis in aethere
Laudi per te nos unias.

Ad Primam.

1. O salutaris anima,
Personae verbi proxima,
Illustrans, regens condita,
Scrutans, censens abscondita.

2. Lucesce nostris mentibus,
Reduc nos ad iustitiam
Cunctisque purgans sordibus
Da nobis indulgentiam.

3. Fac, pater, in paraclito
Nos conformari genito,
Configurari facias,
In nobis ut complaceas.

Ad Tertiam.

1. Effere dignis laudibus
Te Christi quisnam anima
Possit, creatis omnibus
Praestans et divinissima?

2. Quam in persona filii
Cives adorant superi,
Vi multa pressi proelii
Te suspiramus miseri.

3. Cultu pio nos vivere
Morique tibi facias,
Trinitatis in aethere
Laudi per te nos unias.

Ad Sextam.

1. Aurora lucis rutilat,
Caelum laudibus intonat,
Mundus exsultans iubilat,
Gemens infernus ululat.

2. Cum rex ille fortissimus
Mortis confractis viribus
Pede conculcans tartara
Solvit a poena miseros.

3. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Nonam.

1. O mens excedens aciem
Visus caeli militiae,
Piam ostende faciem
Mortis hora malitiae.

2. In meritis nos tunc tuis
Salvandos reos suscipe,
Aspectibus perpetuis
Laetandos poenis eripe.

3. Cultu pio nos vivere
Morique tibi facias,
Trinitatis in aethere
Laudi per te nos unias.

Ad Vesperas.

1. O anima mirifica
Christi Dei et hominis,
Amori nos dignifica
Laudique tui numinis.

2. Tu vas es auri solidum,
Ornatum omni lapide,
Tu concha, vellus roridum
Opusque plenum gloriae.

3. Redundans supereffluis
Abysso fontis luminis,
Undam beantem influis
Ipsa fons facta fluminis.

4. Sub unionis copula
Usa totali gratia,
Sub visionis specula
Freta fontali gloria.

5. Hausisti patris abdita,
Charismatum aromata,
Horum da nobis habitus
Usus per dona spiritus.

6. Fac, pater, in paraclito
Nos conformari genito,
Configurari facias,
In nobis ut complaceas.

Ad Completorium.

1. O verbo nubens anima
Sub personali copula,
Tu nostrae sis cultissima
Mentis morumque regula.

2. Tu dubio consilium,
Pectori fer auxilium,
Temptato sis praesidium,
Thesaurus mundis cordium.

3. Cultu pio nos vivere
Morique tibi facias,
Trinitatis in aethere
Laudi per te nos unias.

Orat. ms. Novacellense saec. 15. Cod. Oenipontan. 353. A. — Orat. ms. saec 15. Clm. Monacen. 676. B. — Cursus hinc inde collecti imp. Augustae 1487. C. — Ad Mat. 1, 1 O fehlt A. — 1, 2 tui vultui AC. — 2, 4 sternam A. — 4, 2 dociles AC. — 4, 4 mites et humiles ABC. — Ad Laud. 1, 1 O fehlt A, te lectulum AC. — 2, 4 Grex in arce cubat AC. — 3, 3 In baptismo A. — 5, 1 Vultu pio AC. — 5, 4 Laudi per te nos vivas A: Laude per te unias B. — Ad Prim. 1, 1 O fehlt A. — Ad Tert. 1, 1 Offerre B. — 2, 3 praedii AC. — 3, 1 Vultu AC. — Ad Non. 1, 4 militiae A. — 3, 1 Vultu AC. — Ad Vesp. 3, 1 superfluis AC. — Ad Complet. 1, 1 A verbo A. — 1, 2 copia AC. — 2, 2 Factori fer AC. — 3, 1 Vultu AC.

9. Officium Corporis Christi.

Ad Matutinum.

1. Veneremur consecratum
In altari Dei verbum,
Ut pascamur interius
Cibo suavissimo.

2. Iubilemus lingua, corde,
Accedamus pura mente
Manducemusque devote
Panem salutiferum.

3. Gloria tibi, Domine,
Sumpto sub panis specie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Primam.

1. Iam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut nos simus participes
Tam salutaris hostiae.

2. O vere digna hostia,
Quae vitam nobis omnibus,
Qui te devote sumimus,
Hic praestas et in patria.

3. Gloria tibi, Domine,
Sumpto sub panis specie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Tertiam.

1. O fragiles, accedite
Ad datum nobis ferculum,
O tristes, omnes bibite
Oblatum nobis poculum.

2. Accedens non conteritur,
Sed tali cibo pascitur,
Quo in aeternum vivitur,
Si tamen digne sumitur.

3. Gloria tibi, Domine,
Sumpto sub panis specie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Sextam.

1. Nobis cibus salvificus,
Panis datur angelicus,
Manducat pauper et servus
Id, quod manducat angelus.

2. Mirabilis dilectio
Monstratur hic a Domino,
O qualis manducatio
Nunc facta est a saeculo.

3. Gloria tibi, Domine,
Sumpto sub panis specie
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Nonam.

1. Candente sole gratiae
Se Christus verus lucifer
Infundat nostris mentibus,
Illustret quas interius.

2. Ut digne suum sanguinem
Eiusque corpus sumere
Atque devote colere
Possimus et diligere.

3. Gloria tibi, Domine,
Sumpto sub panis specie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Vesperas.

1. Fratres, hic attendite
Mecumque obstupescite
Modum, quo nobis Dominus
Se tradidit absconditus.

2. Consecratus ab homine
Aeterni patris filius
Bibitur et manducatur
Et quidem non ab omnibus.

3. Nam sicut bonum satiat
Perfectumque sanctificat,
Sic malum fame cruciat
Animamque mortificat.

4. Fidenter tamen adeat
Ille, quem iam non mordeat,
Sed liberum se sentiat
Discussa conscientia.

5. Gloria tibi, Domine,
Sumpto sub panis specie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Completorium.

1. Te lucis ante terminum,
Rerum creator, poscimus,
Ut per tuam praesentiam
Purgentur nostra vitia.

2. Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Ut digne te suscipere
Possimus et diligere.

3. Gloria tibi, Domine,
Sumpto sub panis specie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Orat. ms. Capit. Toletani 34—71. saec. 15/16. — Ad Tert. 1, 1 O fehlt. — 2, 3 Cum in aeternum. — Ad Sext. 1, 3 pauper servus et. — Ad Non. 1, 4 Illustret quod. — Ad Vesp. 2, 4 Man erwartet nach dem Zusammenhange etwas wie Aequaliter, eodem modo. — 3, 1 Iam sicut.

10. Officium Corporis Christi.

Ad Matutinum.

1. Corporis mysterium
pange gloriosi
Atque Christi sanguinis,
lingua, pretiosi,
Qui in mundi pretium
ventris generosi
Fructus damnum daemonis
fuit venerosi.

Ad Primam.

2. Cenam cum discipulis
affectans cenare,
Exemplis, sermonibus
ipsos informare,
Panem in substantiam
carnis transformare,
Vinum in essentiam
sanguinis mutare.

Ad Tertiam.

3. Fregit panem dixitque:
hoc est corpus meum,
Calicem accipiens
benedixit eum
Et ipsum accipite,
dixit, ecce, Deum
Qui indigne sumpserit,
sentiat se reum.

Ad Sextam.

4. Et quicunque panem hunc
verum manducabit
Atque dignum calicem
etiam potabit.
Mortem Dei filii
sic annuntiabit
Et monstrabit firmiter,
donec remeabit.

Ad Nonam.

5. Qui indigne sumpserit,
factus erit reus
Corporis et sanguinis,
quem effudit Deus,
Dum latus aperuit
ipsius Iudaeus
Cumque Heli clamitat,
hoc est: Deus meus.

Ad Vesperas.

6. Verbum caro factum est,
panis gloriosus,
Vinum Christi factum est
sanguis gratiosus,
Traditur discipulis
cibus pretiosus,
Sic manducat Dominum
servus timorosus.

Ad Completorium.

7. A iustis fidelibus
ita manducatur,
Sed ob hoc in aliquo
nunquam laceratur,
Totus in particula
confracta moratur,
Aliena specie
Deus occultatur.

Conclusio.

8. Has horas sic recolo
pia ratione
Tibi, corpus Domini,
ut confessione
Contritus et praevia
satisfactione,
Valeam te sumere
cum devotione.

Orat. ms. S. Felicis Gerunden. s. n. saec. ^{14} 15. A. — Orat. ms. Capituli Toletani 34—71. saec. $^{15}/_{16}$. B. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. C. — Orat. ms. Iuliani Regin saec. 15 Cod. Parisin. 757. D. — Horas de Nuestra Señora imp. in Çaragoça 1534. E — Horae B. M. V. sec. ritum Romanum imp. Barcinonae 1572. F. — Orat. ms. Corssendoncanum saec. 15. Cod. Leodien. 397. G. — Str. 1 fehlt A; dafür steht die 1. Str. des Pange

lingua des Thomas Aquinas. — 1, 7 damni B; damnumque C. — 2, 2 affectat C. — 3, 5 Christus eis accipite A. — 3, 6 ecce Domini A. — 3, 7 susceperit A. — 3, 8 putet se esse reum. B. — 4, 2 denti manducabit C. — 4, 3 Aut quicunque calicem C. — 4, 4 sanguinis potabit C. — 4, 6 hic C. — 5, 7 Heli clamitavit A, clamavit B; Dum Heli clamaverit C. — 6, 3 Vinum sanguis factum est C. — 6, 4 Christi gratiosus C. — 6, 7 Qui manducat C. — 7, 1 Iustis et fidelibus C. — 7, 3 ab hoc AB. — 7, 7 Aliquanta specie C. — 8, 7 Te valeam credere (lies edere?) A.

11. Heures du precieux sacrement.

Ad Matutinum.

1. Iesus donat Dominus
In diebus singulis
Cibum, potum protinus,
Ut dedit discipulis.

Ad Primam.

2. Praesens institutio
Sic nobis declaratur,
In eius officio
Dum corpus consecratur.

Ad Tertiam.

3. Dum corpus dominicum
In altari videmus,
Vere Christum unicum
Credere debemus.

Ad Sextam.

4. Sic hoc sacrificium
Congruit presbyteris,
Ut sumant hoc pretium
Tribuantque ceteris.

Ad Nonam.

5. Christus carnem tribuit
Nobis in cibum verum,
Et sanguinem voluit
Esse potum sincerum.

Ad Vesperas.

6. Cibus fuit Christi caro,
Hoc debemus credere,
Vinum fuit sanguis, caro
Datur nobis opere.

Ad Completorium.

7. Isto sancto sacramento
Da nobis, Christe, frui,
Quod absque impedimento
Possimus esse tui.

Heures a lusaige de Rome imp. à Paris 1505. — 4, 1 hoc fehlt. — 5, 2 fehlen zwei Silben; Nobis ergänzt. — 6, 1 Cibus est Christi, wo eine Silbe fehlt; geändert nach 6, 3.

12. Cursus de Misericordia Domini.

Ad Matutinum.

1. O lux misericordiae,
Tu primo mortis tempore
Ad patrem precem supplicem
Fundendo sudas sanguinem.

2. Sic, pie doctor, instruis,
Ut suis in angustiis
Turbatum cor te anxium
Tuum petat auxilium.

3. Salutis fons et gratiae,
Splendor supernae patriae,
De nocte nos miseriae
Perduc ad diem gloriae.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Ad Laudes.

1. Per signum pacis traderis,
Ut latro vinctus duceris
Sacrilegorum manibus,
Sistendus pontificibus.

2. Consputus tunc blasphemias
Et caesus contumelias
Velato vultu passus es
Mortisque reus dictus es.

3. Nostrae noctis caligine
Contenebratus, Domine,
Tu nostri cordis intima
Dici lux illumina.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Ad Primam.

1. O dici diluculum,
Quam flebile spectaculum,
Pilato praesentatus es,
Malorum palmis caesus es.

2. Ad Herodem transmitteris,
Accusatus condemneris,
Alba veste deluderis,
Pilato sic reduceris.

3. Benigne rex iustitiae,
Pater misericordiae,
Cum iudicare veneris,
Tunc parce nobis miseris.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Ad Tertiam.

1. Flagellis dire caesus es
Et sanguine perfusus es,
Corona punctus spinea
Rideris veste rubea.

2. Data mortis sententia
Cum magna patientia
Crucem portans in humeris
Ad mortem sponte graderis.

3. Haec tua contumelia
Sit nostra semper gloria,
Tuam fac nos ferre crucem
Et te sequi vitae ducem.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Ad Sextam.

1. In cruce tendens brachia
Et ad te trahis omnia,
Fundens salutis flumina
Per vulnera sanctissima.

2. Suspensus cum latronibus,
Orans pro confixoribus,
Compassus nobis miseris
Flevisse pie crederis.

3. Quam dura, quam crudelia,
Sed nobis salutifera
Sunt facta confixoria,
Quae membra pungunt regia.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Ad Nonam.

1. O vitae fons dulcissime,
Bellator invictissime,
Vincens morte diabolum
Patri commendans spiritum.

2. Expavescunt caelestia,
Contremiscunt terrestria,
Tua potenter anima
Vadit praedari tartara.

3. Latus apertum lancea
Cruore manat et aqua,
Quae sacra stillicidia
Dant vitae beneficia.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Ad Vesperas.

1. Nostrae salutis hostia,
In ara crucis torrida,
Devicto mortis stimulo
Deponeris patibulo.

2. O quanta lamentatio,
Quae lacrimarum fusio
Piae matris et omnium
Te, Christe, diligentium.

3. Corda tuorum arida
Fac lacrimis irrigua,
Ut mortem tuam defleant
Et sordes suas abluant.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Ad Completorium.

1. Post cursum tandem temporis
Passionis et operis
Conditus aromatibus
Sepultus es a fratribus.

2. In manu tua, Domine,
Nostrae serventur animae,
Sit nobis in te requies,
Quos sanguine mercatus es.

3. Guberna nos salubriter
Conservaque feliciter,
Ut veniam et gratiam
Consequamur et gloriam.

4. Sit trinitati gloria,
Quae pia nos clementia
Donet post transitoria
Sui frui praesentia.

Orat. ms. Campoliliense 2. saec. 15. A. — Orat. ms. Novacellense saec. 15. Cod. Oenipontan. 353. B. — Orat. ms. saec. 15. ex. Cod. Eremiten. 766. C. — Orat. ms. Petri Bestolzs, burgimagistri Aquensis anni 1505. Cod. Darmstadien. 964. D. — Cursus hinc inde collecti imp. Augustae 1487. E. — Ad Mat. 1, 3 Precem ad patrem D. — 3, 2 paternae patriae D. — 3, 4 Perducat diem D. — 4, 2 Qui pia A. — Ad Laud. 3, 2 Contenebratis D. — 3, 3 nosti D. — Ad Prim. 3, 4 Tunc per te D. — Ad Tert. 3, 2 Sint A. — Ad Sext. 2, 2 crucifixoribus CDE. — 3, 1 quam fidelia B. — 3, 2 Sed fehlt D. — 3, 3 crucifixoria E. — 3, 4 pungunt membra D. — Ad Compl. 2, 2 Animae nostrae serventur D.

13. De Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Patris sapientia,
veritas divina,
Deus homo captus est
hora matutina,
A notis, discipulis
cito derelictus
Iudaeis est venditus,
traditus, afflictus.

Ad Primam.

2. Hora prima ductus est
Iesus ad Pilatum,
Falsis testimoniis
multum accusatum
In collo percutiunt,
manibus ligatum,
Vultum Dei conspuunt,
lumen caeli gratum.

Ad Tertiam.

3. Crucifige clamitant
hora tertiarum,
Illusus induitur
veste purpurarum,
Caput eius pungitur
corona spinarum,
Crucem portat umeris
ad locum poenarum.

Ad Sextam.

4. Hora sexta Iesus est
cruci conclavatus
Et est cum latronibus
pendens deputatus,
Prae tormentis sitiens
felle saturatus,
Agnus crimen diluit
sic ludificatus.

Ad Nonam.

5. Hora nona Dominus
Iesus exspiravit,
Heli clamans animam
patri commendavit,
Latus eius lancea
miles perforavit,
Terra tunc contremuit,
et sol obscuravit.

Ad Vesperas.

6. De cruce deponitur
hora vespertina,
Fortitudo latuit
in mente divina,
Talem mortem subiit
vitae medicina,
Heu, corona gloriae,
iacuit supina.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
datur sepulturae
Corpus Christi nobile,
spes vitae futurae,
Conditur aromate,
complentur scripturae,
Iugis sit memoriae
mors haec mihi curae.

Conclusio.

8. Has horas canonicas
cum devotione
Tibi, Christe, recolo
pia ratione,
Ut, qui pro me passus es
amoris ardore,
Sis mihi solacium
mortis in agone.

Orat. ms. Andreae Donato, potestati Mechamauti, anni 1468. Cod. Rossian. VIII 53 A. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 48. B. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 52. C. — Orat. ms. Flandricum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 50. D. — Orat. ms. Augiense saec. 14/15. Cod. Carolsruhan. Aug. 36. E. — Hortulus animae imp. Argentinae 1508. F. — Heures a lusaige de Rome imp. Parisiis s. a. [1516] G. — Heures a lusaige de Rome tout au long imp. Parisiis s. a. [1531] H. — Officium B. M. V. imp. Venetiis 1545. I.

Ferner: Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20002 K. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19356. L. — Brev. ms. Arelatense saec. 14. Cod. Vatican. Burgh. A I 53. M. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Rossian. VIII 13. N. — Horae B. M. V. sec. usum Romanae curiae saec. 15. Cod. Rossian. VIII 33. O. — Cod. Berolinen. Theol. lat. Oct. 55. saec. 15. P. — Cod. Florentin. Magl. XXXV 15. saec. 15. Q. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Casanaten. A IV 16. R. — Orat. ms. Florentinum[?] saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 519. S. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 165. T. — Horar. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 1737. U. — Horae B.M.V. sec. usum. Romanum saec. 15. Cod. Vatican. 6259. V. — Horae ad normam antiquae professionis Carmelitarum imp. Venetiis 1585. W. — Officium BMV. sec. usum Romanum imp. Parisiis (Kerver) 1519. X. — Heures a lusaige de Romme imp. Parisiis (Poytevin) 1502 Y. — Bre-

viarium Zagrabiense imp. Venetiis 1484. Z. — Orat. ms. S. Felicis Gerunden. saec. 14/15. Cod. S. Felicis s. n. Aa. — Horas de Nuestra Señora imp. in Çaragoça 1534. Bb. — Horae B. M. V. sec. ritum Romanum imp. Barcinonae 1572. Cc.

1, 3 et homo B; Christus Iesus captus E. — 1, 5 A suis discipulis DFHO. — 1, 6 et notis E; derelictus fehlt E. — 1, 7 A Iudaeis est venditus AB; A Iudaeis traditus GHIN; A Iudaeis est traditus CD; Ac Iudaeis traditur O; est fehlt F. — 1, 8 traditus et afflictus ABF; venditus afflictus O; venditus et afflictus CDGHIN. — 2, 3 A falsis testibus A; Et a falsis testibus I. — 2, 5 In collum F; Colaphis percutiunt I; Graviter percussus est A. — 2, 7 Vultum eius AN; Conspuentes faciem F. — 2, 8 caeli o gratum A; ut est prophetatum F. — 3, 3 Illuxus C. — 3, 5 Caput suum E. — 3, 7 portant C; fert in humeris F; Trabem fert in humeris E. — 3, 8 loca BF. — 4, 1 Iesus in A; Dominus Iesus est BI; Iesus hora sexta est E. — 4, 2 Cruce est elevatus A; crucis conclavatus B. — 4, 3 sq. und 4, 5 sq. umgestellt EF. — 4, 3 est fehlt I; Deinde cum latronibus A; Pendens cum EF. — 4, 4 est pendens A; cum eis deputatus E; par his reputatus F. — 4, 5 Et prae tormentis A. — 4, 6 est felle potatus A; felle est potatus E. — 4, 7 diluens B; doluit A; Sinister eum reprobat F. — 4, 8 Sic deificatus DN; tunc est deificatus A; latro sceleratus F. — 5, 3 clamans spiritum I. — 5, 5 Eius latus E. — 5, 7 Tunc terra tremuit B. — 5, 8 se obscuravit FN. — 6, 8 iacet hic supina E. — 7, 3 Corpus Iesu nobile E. — 7, 6 implentur AEN. — Sic memoriae CD; Iugi sit memoria OG; Iugis sit memoria FI. — 7, 8 mors fehlt C; mors haec BEG: tuae curae E; mors sit mihi A. — 8, 3 Tibi Iesu recolo E. — 8, 4 oratione C. — 8, 5 Tu qui pro ne passus es C; Ut sicut tu passus es E. — 8, 6 poenas in agone CD. — 8, 7 Sic labori consonans CD. — 8, 8 mortis in angore O; consors sim coronae CD.

Bemerkungen: Incipit officium (sanctae) breve sanctae crucis editum a domino papa Iohanne XXII, qui concessit cui(us)libet dicenti semel in die unum annum papalis indulgentiae B. — Sequitur officium passionis Christi compositum per Iohannem papam XXII, qui singulas horas devote dicentibus dedit unum annum indulgentiarum F. — Has horas canonicas edidit sanctus papa Iohannes III. et concedens devote dicentibus cc dies indulgentiarium et vult per hoc peccata ablui per syncompassionem cuncta sacerdotibus. K. — Incipit officium editum a domno papa Iohanne XXII. L. — Incipit officium crucifixi per dominum Iohannem papam XXII compositum. Qui singulis diebus dixerit, indulgentiae pro qualibet vice unum annum [consequitur] M. — Incipit officium sanctae crucis compositum a beatissimo in Christo papa Iohanne O. — Incipit officium sanctae crucis compositum per Iohannem papam XXII, qui concessit unum annum indulgentiarum cuilibet illud dicenti. Q. — Incipit officium crucis Domini nostri Iesu Christi, editum a summo pontifice Iohanne XXII, qui devote dicenti omni die unius annî indulgentiam tribuit R. — Incipit aliud officium passionis editum a papa Iohanne XXII. S. — Incipit officium sanctae crucis compositum a papa Iohanne vicesimo secundo T. — Incipit officium sacratissimi Domini nostri Iesu Christi, editum per dominum nostrum papam Iohannem. U. — Incipit officium crucis parvum, compilatum a domino . . . . . papa vigesimo secundo. V. — Iohannes papa XXII omnibus, qui sequentes horas de passione Domini circa singulas horas canonicas suo ordine recitaverint, unius anni indulgentias est largitus. Z. — Tota persona qui diga aquestes VII oracions les quales papa clement a hordona per comemoracion de VII dolors les quals sostench Madona sancta maria en la passion del su fil per cascuna ha xl dies de pardon. Aa. —

Hanc orationem magister Aegidius magnus composuit et ccc dies dicentibus eam largissime condonavit. P. — Eine Handschrift aus Lichtenthal (bei Mone I, 108) besagt:

Subscriptas horas edidit de Iesu passione
Egidius episcopus ex devotione,
Trecentisque diebus indulgentiae dotavit,
Quos et apostolicus Iohannes confirmavit.

Dies Lied ist von Sebastian Brant dreimal in drei verschiedenen klassischen Metren bearbeitet worden. Vgl. Varia Sebastiani Brant Carmina imp. Basileae 1498.

14. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Patris sapientia,
Christus, in agone
Nocte fudit sanguinem
in oratione,
Mox hunc Iudas tradidit
deosculatione,
Se offert turbis Dominus
occurrens illis prone.

2. Capitur et stringitur
a suis derelictus,
In domo Annae spernitur
per alapam adflictus,
Negat hunc discipulus
timore mortis victus,
Ducitur ad Caipham
Iesus dire strictus.

3. Falsos testes patitur
blasphemus iudicatur,
Reus mortis dicitur
et colaphis mactatur,
Hinc velatus facie
sputis maculatur
Et a percussoribus
prophetare clamatur.

Ad Primam.

4. Hora prima Dominus
Pilato praesentatur,
Falsis testimoniis
a multis accusatur,
Herodi missus spernitur,
veste subsannatur,
Hinc Pilato redditur,
ut morte puniatur.

Ad Tertiam.

5. Crudele concambium,
hora tertiarum
Latro solvi petitur,
necari rex terrarum,
Crucifigi clamitant
gentes tenebrarum,
Vestibus exuitur
vestitor animarum.

6. Ad columnam ducitur,
vinculis ligatur,
Flagris atque virgulis
dire laceratur,
Purpura induitur,
spinis coronatur,
Percutitur arundine,
false salutatur.

7. Caeditur, conspuitur
vultus eius lactus,
Atque multicipliter
a gentibus sic spretus,
Exit de praetorio
opprobriis repletus,
Crucifige repetit
Iudaeorum coetus.

Ad Sextam.

8. Hora sexta Dominum
sententia damnavit,
Crucem suam propriam
Calvariam portavit,
Ipsum turba militum
vestibus nudavit,
Adfigens in patibulo
clavis perforavit.

9. Ut propheta cecinit,
vestes dividuntur,
Titulus inscribitur,
ludibria dicuntur,
Matris cor et filii
simul patiuntur,
Virgo cum discipulo
pariter iunguntur.

Ad Nonam.

10. Hora nona Dominus
relinqui se clamavit,
Salutem nostram sitiens
acetum, fel potavit,
Dicens „consummatum est“
spiritum efflavit,
Tunc eius latus lancea
miles perforavit.

Ad Vesperas.

11. De cruce deponitur
hora vespertina,
Ungitur aromate
vitae medicina,
Volvitur in sindone,
latet vis divina,
Sic corona gloriae
iacuit supina.

Ad Completorium.

12. Hora completorii
Iesus tumulatur,
Petra grandi clauditur,
amare lamentatur,
Infernus perdit spolia,
caelum reseratur,
Sic salus olim perdita
per Iesum reparatur.

Clm. Monacen. ol. (Eberspergen.) 6033. saec. 15. A. — Schöne, alte, Catholische Gesang und Ruff. Tegernsee 1577. B. — 1, 5 sq. und 1, 7 sq. umgestellt B. — 2, 1 Capitur et stringitur B. — 3, 8 conclamatur A. — 4, 4 A fehlt B. — 5, 5 Crucifige B. — 6, 3 atque vinculis A. — 8, 5 Iesum turba B. — 10, 7 latus eius B. — Der gedruckte Münchener Handschriftenkatalog bemerkt „Michaelis, prioris in Buxheim, rhythmi pro horis canonicis.“ Aus B steht das Lied bei Wackernagel I, 167 u. f.

15. De Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Ut homo resurgeret
mortis a ruina,
Dei natus captus est
hora matutina,
A suis deseritur
fuga repentina,
A Iudaeis trahitur
fune latrocina.

Ad Primam.

2. Hora prima praesidi
captus praesentatur,
Falsis testimoniis
iustus accusatur,
Alapis adfligitur
et colaphizatur,
Sputis eius facies
tota sordidatur.

Ad Tertiam.

3. Hora vero tertia
dire flagellatur,
Purpura induitur,
spinis coronatur,
Crucifigi petitur,
quod mox demandatur,
Crux ad locum Golgatha
sibi ferri datur.

Ad Sextam.

4. Hora sexta patiens
cruci adplicatur,
Extensis manibus et
pedibus clavatur,
Cum aceto sitiens
et felle potatur,
Qui salvas alios, te
salva, blasphematur.

Ad Nonam.

5. Hora nona moriens
heli vocitavit
Et commendans animam
patri exspiravit,
Latus eius lancea
miles perforavit,
Tunc terra contremuit,
se sol obscuravit.

Ad Vesperas.

6. De cruce deponitur
hora vesperorum,
Mori sic disposuit
vita mortuorum,
Ut suos redimeret
a poenis tortorum,
Descendens ad inferos
fregit portas horum.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
sepulturae datur,
Corpus eius sindone
munda circumdatur,
Monumenti ostium
cum saxo signatur,
Milites custodiunt,
ne furtim tollatur.

Conclusio.

8. Horas illas canimus
tibi, Iesu bone,
Mortem nostram destruens
necis in agone
Vitam surgens reparas
obruto dracone,
Fac nos dignos effici
tua passione.

9. Quam des ut memoriter
corde teneamus
Et eam fideliter
fletu recolamus,
Ut compuncti iugiter
tecum assurgamus
Et in caelis pariter
tecum convivamus.

Orat. ms. Augiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Carolsruhan. Aug. 36. — Mone I, 110 und f. — Augenscheinlich Umdichtung des Patris sapiendia.

16. Horae de Passione Domini.

Introductio.

1. Recolamus sedulo,
Qualiter immundum
Rex aeternae gloriae
Reparavit mundum,
Passionis iugiter
Eius recordemur,
Ut in regno pariter
secum collaetemur.

2. Dominorum dominus,
Potens rex caelorum,
Christus, Dei filius,
Vita beatorum,
Qualiter sit venditus
Modico argento,
Nunc, homo, medullitus
Iugiter memento.

Ad Matutinum.

3. Matutino tempore
Deus angelorum
Traditur per osculum
Turmis Iudaeorum,
A cunctis deseritur
Salus peccatorum,
Annae primo sistitur
Iudex saeculorum.

4. Ducunt hunc ad Caipham
Manibus ligatum,
Collum eius feriunt,
Facie velatum
Et illusum conspuunt,
Probris saturatum,
Sic Messiam respuunt
Illis destinatum.

Ad Primam.

5. Hora prima pertrahunt
Iesum ad Pilatum,
Multis testimoniis
Falsis accusatum,
Seductorem asserunt
Lege condemnatum,
Alapis percutiunt
Christum, Dei natum.

Ad Tertiam.

6. Iesus hora tertia
Mori postulatur,
Tolle, tolle dicitur,
Tolle clamitatur,
Ad columnam nectitur,
Dire flagellatur,
Clamyde induitur,
Spinis coronatur.

Ad Sextam.

7. Hora sexta Dominus
Iesus iudicatur,
Ad mortem impellitur,
Cruce oneratur,
Nudus crucifigitur,
Malis sociatur,
Sitiens absinthio
Felleque potatur.

Ad Nonam.

8. Hora nona Dominus
Cuncta consummavit,
Iohanni discipulo
Matrem commendavit,
Heli, Heli clamitans
Spiritum efflavit,
Lancea transfigitur,
Solem tenebravit.

9. Mortem Dei filii
Cuncta recognoscunt,
Iudaeorum proceres
Soli non cognoscunt,
Sed eorum facinus
Petrae perhorrescunt,
Elementa omnia
Christo condolescunt.

Ad Vesperas.

10. De cruce deponitur
Hora vesperarum
A Ioseph senatore
Corpus Christi carum,
Mater hinc maestissima
Vulnera plagarum'
Osculando abluit
Fonte lacrimarum.

11. Tali morte Dominus
Mundum reparavit,
Patri nos sic filius
Reconciliavit,
Crucis suae baculo
Zabulum prostravit,
Paradisi ianuam
Nobis reseravit.

Ad Completorium.

12. Hora completorii
Corpus plaga quina
Transfossum inungitur.
Vitae medicina,
Monumento tegitur
Vera lux divina,
Ut salvaret homines
Mortis a ruina.

13. Iesu nunc dulcissime,
Da, ut omnes gentes
Mortem amarissimam
Tuam recensentes
Cordeque promptissimo
Tibi condolentes
In caelorum culmine
Tecum sint gaudentes.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1140.

17. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Iesus Christus humanatus
Matutino tempore
Est pro nobis contristatus,
Aquam sudans sanguine,
Iudas fuit osculatus
Eum traditorie,
Captus, vinctus est, allatus
Est ad Annam impie
Et discipulis orbatus,
Ter negatus publice,
Caesus et alapizatus
Hinc in domo Caiphae,
Falsis testibus vexatus
Cum nota blasphemiae.

Ad Primam.

2. Hora prima praesentatus
Iesus coram iudice
False fuit accusatus,
Agnus innocentiae,
Iudaeorum grex inflatus
Clamat reum perdere,
Iudex satis informatus
Vult insontem vivere;
Ergo misit hunc Pilatus
Ad Herodem temere,
A quo est interrogatus
Curioso famine,
Alba veste reportatus
Spretus irrisorie.

Ad Tertiam.

3. Hora terna reprobatus
Iudaeorum rabie
Barrabas est liberatus,
Iesus nudus corpore
Est ad statuam ligatus,
Flagellatus maxime,
Spinis saevis coronatus
Fuit acerbissime,
Ut rex vilis purpuratus
Sceptrali arundine,
Est derisus, adoratus,
Consputus in facie,
Est et plebi ostentatus
Deformatus specie.

Ad Sextam.

4. Hora sexta iudicatus
Est cruci vilissime,
Inter nequam reputatus,
Pressus crucis onere,
Vestibus est spoliatus
In loco Calvariae,
Clavis diris perforatus,
Extensus saevissime,
A diversis blasphematus,
Sors datur pro tegmine,
Patrem suum est precatus
Pro torquentum scelere,
Matrem suam consolatus
Iesus est mitissime.

Ad Nonam.

5. Hora nona satiatus
Est poenis acerrime,
Clamans, quod sit elongatus
A patris solamine,
Sitiens felle potatus,
Consummans plenissime
Cuncta mori est dignatus
Inclinato capite,
Patri animam paratus
Tradit voluntarie,
Per Longinum lanceatus,
Exit aqua sanguine,
Sic pro nobis est oblatus
Iesus salutifere.

Ad Vesperas et Comp.

6. Vespere est declavatum
Corpus devotissime,
Flenti matri est donatum
Involutum sindone,
Heu, heu iacet hic prostratum
Lumen summae gloriae.
In Completo corpus condunt
Lacrimantes feminae,
Ioseph, Nicodemus fundunt
Fletus amarissime
Et sepultum sic abscondunt
Claudentes sub lapide.

Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II. — 2, 4 Dignus fuit.

18. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Flectit genu, contristatur,
Orat, suos consolatur,
Pallet, sanguine rigatur,
Patris subest placito;
Iudas praeit, osculatur,
Turba ruit, Iesus fatur,
Malchum sanat, captivatur
Solus sine socio.

Ad Primam.

2. Vinclis ligant, trahunt, trudunt,
Supra dorsum pugnis cudunt,
Lutum iactant et illudunt
Nec sic parcunt verbere;
Stat innocens, praesentatur,
Praesul quaerit, accusatur,
Tacet, gena verberatur,
Reum clamant funere.

Ad Tertiam.

3. Ab Herode ad Pilatum
Fessum, spretum, adligatum
Flagris caedunt, vulneratum
Verberum frequentia;
Flectunt genu coronato,
Spuunt, ludunt sceptro dato,
Colaphizant praesentato,
Nulla datur venia.

Ad Sextam.

4. Reum clamant, latro detur,
Rex non est hic, crucietur,
Crucem portat et defletur
Fessus in intinere;
Crucem parant, denudatum
Sternunt, tendunt, conclavatum,
Ab amicis separatum,
Flagitantem misere.

Ad Nonam.

5. Crucem levant blasphemantes,
Clamant vaeh improperantes,
Felle potant observantes,
Sors datur pro vestibus;
Pendens orat, consolatur,
Clamans obit, lanceatur,
Miles videt et miratur
Creaturis testibus.

Ad Vesperas.

6. Stant amici deplorantes,
Tangunt corpus declavantes,
Deferunt id contemplantes
Rigidum cum sanguine;
Quando matri corpus datur,
Pallet, gemit, osculatur,
Lacrimando syncopatur,
Condolent tunc feminae.

Ad Completorium.

7. Viri corpus contrectantes
Linunt, ungunt balsamantes,
Volvunt sindone parantes
Et dolentes aspere;
Dum sepulcro corpus condunt,
Dolent, gemunt, pectus tundunt,
Suspirant et fletus fundunt
Claudentes sub lapide.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4, 8 Flagitantes. — 6, 2 Candunt. — 7, 6 tondunt; der Reim condunt — tundunt verrät den französischen Verfasser.

19. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Laus sit Christo, qui proditur,
Trahitur ad iudicium,
Velatur et conspuitur,
Caeditur palmis hostium,
Nec reclinat, nec loquitur
Ad falsum testimonium,
Sed propter omnes patitur,
Ut culpas tollat omnium.

Ad Primam.

2. Laus sit Dei filio,
Quem coadunati
Damnant in concilio
Viri scelerati
Et tradunt iudicio
Pontii Pilati.

Ad Tertiam.

3. Laus Christo sit et gloria,
Qui pro salute saeculi
Fert spinas et ludibria
Et ad locum patibuli
Ducitur hora tertia,
Damnatus voce populi.

Ad Sextam.

4. Laus sit Christo,
qui, dum a gentibus
Confoditur
in crucis arbore,
Patrem rogat
pro peccatoribus,
Toto sparsim
distentus corpore,
Blasphematur
a transeuntibus
Quasi fractus
humano robore.

Ad Nonam.

5. Laus Christo, qui latrunculum
Revocavit ad meritum,
Matri dedit discipulum
Tamquam ministrum inclitum
Sicque post fellis poculum
Clamans emisit spiritum.

Ad Vesperas.

6. Lauda Christum,
pauper homuncio,
Qui per spinas,
clavos, arundinem
Pro sceleris
tui remedio
Suum fudit
in cruce sanguinem
Et conclusus
in terrae medio
Tuae mortis
gessit imaginem;

Tam felici,
tam dulci pretio
Tam miserum
redemit hominem.

Ad Completorium.

7. Laus sit Christo,
qui patrum veterum
Morte sua
morsum absorbuit,
Dum mortuus
momordit inferum
Et mortuos
a morte rapuit,
Sic mors mortem
exclusit scelerum,
Dum mortua
caro refloruit.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Gotingen. Theol. 232. A. — Heures a lusaige de Rome. imp. à Paris 1505. B. — 1, 1 qui aditur A. — 2, 1 Deo A. — 5, 1 Laus sit A. — 5, 2 ad maritum B. — 5, 5 pro fellis B. — 6, 6 tuis A.

20. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Surge, dilecta anima,
Christum quaere, quem diligis,
Doloris et angustia
Plena, quare non moreris?

2. Ecce, tu vides, misera,
Captum sponsum, quem sequeris,
Et es relicta vidua
Et secum non abiceris?

3. Perfusa ergo lacrimis
Deplora Dei filium,
Qui pro te noctis tenebris
Tantum suffert supplicium.

4. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Ad Laudes.

1. Christus iam captus, vinctus est
A pravis infidelibus,
Consputus et illusus est
Pro nobis peccatoribus.

2. Colaphizatur turpiter
Sibi velata facie
Percutitur et nequiter
Cum palmis et arundine.

3. Heu, quam dura vincula,
Quibus, Christe, ligatus es,
Heu, quam dura vulnera
In carne munda passus es.

4. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Ad Primam.

1. Recessis noctis tenebris
Sunt mane ipsae tenebrae,
Dum Christus regens omnia
Rectori nequam traditur.

2. Metam petunt mysteria
Redemptionis hominum,
Crucis tormenta proximant
Christo iam passo duriter.

3. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Ad Tertiam.

1. Hora iam quasi tertia
Exutus veste propria
Purpurea indueris
Veste iam derisoria.

2. Spinis coronae pungeris,
Sanguis sacratus defluit,
Crucemque tibi baiulans
Tormentis totus lividus.

3. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Ad Sextam.

1. Christus pro nobis hostia
In cruce pendens ponitur,
Manus pedesque ferreis
Clavis forantur fortiter.

2. Vestimenta divisa sunt,
Nudus cum nudo praelians
Morte foetentes suscitat,
Vincens mortis initium.

3. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Ad Nonam.

1. En, sol privatus lumine,
Dum sol caelestis patitur,
Et elementa condolent
Suo regi, dum moritur.

2. Iam terra tremit fortiter,
Et velum templi scinditur,
Monumenta aperta sunt,
Lapisque durus frangitur.

3. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Ad Vesperas.

1. Cursu celeri transeunt,
Quae propheta loquitur
De Christo Deo, homine
Qui de cruce deponitur.

2. Iam spoliat Aegyptios
Suos captivos liberans
Et morti mors efficitur
Infernum morsu lacerans.

3. Fit vivis sanctis omnibus
Dolor intollerabilis
Et mortuis fidelibus
Laetitia mirabilis.

4. O dolor mixtus gaudio,
Cor meum tecum posside.
Tangens doloris gladio,
Quem Christus sensit latere.

5. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Ad Completorium.

1. Emanuel sepultus est,
Qui nostra lavit crimina,
Et sua mater tristis est
Habens doloris vulnera.

2. O Christe, dulcis hostia,
Qui confregisti tartara,
Me pro te passum visita,
Coronans me in gloria.

3. Tibi, Christe, sit gloria,
Mihi inclita venia,
Cum patre, sancto spiritu
Regnas per cuncta saecula.

Orat. ms. Spalatense anni 1291. Cod. Musaei Veneti s. n. A. — Orat. ms. Iuliani Regin. saec. 15. Cod. Parisin. 757. B. — Ad Mat. 1, 3 sq. lauten: Sopita stans miserrima, Quare tamdiu negligis. Diese sowie die folgenden beiden Strophen, von denen die zweite in A fehlt, sind, wie der Reim darthut, in B überarbeitet:

2. Iam sponsus tuus traditur
Falsi profecto osculo
Et tamquam latro ducitur
A Iudaeorum populo.

Cum fustibus et gladiis
Ducunt ligatis manibus,
Accusant cum insidiis
Nequam subductis testibus.

3, 1 Profusa B. — 3, 2 Curre post Dei filium B. — 4, 2 Mihi donata venia B. — Ad Laud. 1, 2 Ab ipsis infidelibus B. — 2, 2 velatus A. — 2, 3 Percussus et B. — 2, 4 Est palmis B. — 3, 2 Quibus columnae strictus est B. — 4, 2 Mihi donata venia B. — Ad Prim. 1, 1 Expulsis tenebris noctis B, lies: noctis tenebris. — 1, 2 Lux ipsa mane B, ergänze oritur. — 1, 3 Dum Christus rex tam celebris B. — 2, 1 Opera petunt A. — 2, 2 Redemptoris A. — 2, 3 sq.: Iam apparent vestigia in salvatore omnium B. — Str. 4 lautet in B:

Gloria tibi, Domine,
Qui passus es pro miseris
Da sempiterna gaudia
Servis et tuis filiis.

Ad Tert. Str. 1 und 2 sind in B also überarbeitet:

1. Hora iam, ecce, tertia,
Iesu, mi rex, exueris
Et veste derisoria
Purpurea indueris.

2. Sanguis sacratus defluit
Serti punctus aculeis,
Crux sancta tibi adfluit,
Quam membris fers eburneis.

1, 3 Purpurea indueris A. — Ad Sext. 1, 1 pro nobis omnibus B. — 1, 2 In cruce nudus penditur B. — 1, 3 Per pedes manus latera B. — 1, 4 Usque ad cor transfoditur B. — 2, 2 Nudus cum nudo B. — 2, 3 Vincit mortis initium B. — 3, 4 Suos captivos liberans B. — 3, 1 sqq. Gloria tibi, Domine etc. B. — Ad Non. 1, 1 privatur B. — 2, 1 tremuit A, cernit B. — 2, 3 Sepulcra reddunt mortuos B. — 2, 4 Durique lapides franguntur B. — Ad Vesp. 1, 1 transeunte B. — 1, 2 Quem propheta B. — 1, 3 Deo et homine A. — 3, 1 Sit vivis A, Sic unus sanctis B. — 3, 3 Sed mortuis B. — 4, 1 O fehlt B. — 4, 2 reple cor meum vulnere B. — 4, 3 Pungens amoris B. — 4, 4 sentit A. — Ad Compl. 2, 3 Me prompte visita B. — 3, 1 sqq. Gloria tibi, Domine etc. B.

Die Beschreibung der interessanten Hs. A, die irrig als Brevier bezeichnet wird, vgl. in Archivio Veneto, tom. 32 (Venetia 1886) S. 227 ff.

21. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Lux mundi, sol iustitiae,
In primo noctis tempore
Ad patrem precem supplicem
Fundendo sudat sanguinem.

2. Guttatim currens undique
De sacro suo corpore
Horrorem mortis indicans
Et poenas diras explicans.

3. Per signum pacis traditur,
Ut latro vinctus ducitur
Sacrilegorum manibus
Sistendus pontificibus.

4. Salutis fons et gratiae,
Splendor supernae patriae,
De nocte nos miseriae
Perduc ad diem gloriae.

Ad Laudes.

1. Auctor salutis unicus,
Mundi redemptor inclitus,
Pro nobis nunc iniurias
Suffert et contumelias.

2. En falsos testes patitur,
Per quem nil mali agitur,
Ut eum morti traderent
De terraque eraderent.

3. Tunc coram pontificibus
Et ceteris astantibus,
Dum veritatem loquitur,
Blasphemasse astruitur.

4. Hinc reum mortis clamitant
Et colaphis percutiunt,
Hinc velant, spuunt, alapant
Et clarum vultum lacerant.

5. Nostrae noctis caligine
Contenebratus, Domine,
Tu nostri cordis intima,
Dei splendor, illumina.

Ad Primam.

1. Diei ad diluculum
Fit magnum, en, concilium,
Iesus Pilato traditur
Et nequiter impetitur.

2. Sed tacet summa veritas,
Et dominatur falsitas,
Nam iudicari sustinet,
Ut nobis iudex parceret.

3. Ad Herodem transmittitur,
Accusatus contemnitur,
Alba veste illuditur,
Pilato sic reducitur.

4. Benigne rex iustitiae,
Pater misericordiae,
Cum iudicare veneris,
Tunc parce nobis miseris.

Ad Tertiam.

1. Iesus nudatur vestibus
Columnae strictus fortius,
Flagellis dire caeditur
Et sanguine perfunditur.

2. Purpura induitur,
Capite spina pungitur,
Flexo genu illuditur
Et alapis adfligitur.

3. Tunc facie conspuitur,
Arundine percutitur,
A gentibus sic spernitur
Et crucifigi petitur.

4. Te, bone Iesu, petimus,
Ut nobis sis propitius,
Et per has contumelias
Nos duc ad sedes caelicas.

Ad Sextam.

1. Data mortis sententia
Iesus mente promptissima
Crucem portat in humeris
Immolandus pro miseris.

2. Hinc poenose exuitur,
Crudeliter distenditur,
Pedibus, palmis (per)foditur,
Clavis sic crucifigitur.

3. Suspensus cum latronibus
Orat pro confixoribus,
Salutis fluunt flumina
Per vulnera sanctissima.

4. Tunc titulus inscribitur,
Ludibriis afficitur,
Maternum cor adfligitur,
Vatis cultro transfigitur.

5. Honor et benedictio
Sit crucifixo Domino,
Qui suo nos supplicio
Redemit ab exitio.

Ad Nonam.

1. Pendens in cruce Dominus,
Fons vitae praedulcissimus,
Hac hora dicens „sitio“
Acetum, fel fit potio.

2. Tunc consummatis omnibus
Redemptionis actibus
Clamans emisit spiritum,
Mundum sic salvans perditum.

3. Expavescunt caelestia,
Contremiscunt terrestria,
Sua potenter anima
Vadit praedari tartara.

4. Latus perforat lancea,
Sanguis emanat et aqua,
Quae sacra stillicidia
Dant vitae beneficia.

5. Laus, honor Christo Domino,
Nos lavans fonte profluo,
Passo mortem pro populo
In aspero patibulo.

Ad Vesperas.

1. Nostrae salutis hostia
In ara crucis torrida,
Devicto mortis stimulo
Deponitur patibulo.

2. In passione Domini,
Qua datur salus homini,
Sit nostrum refrigerium
Et cordis desiderium.

3. Portemus in memoria
Poenas et opprobria,
Christi coronam spineam,
Crucem, clavos et lanceam.

4. Et plagas sacratissimas,
Omni laude dignissimas,
Acetum, fel, arundinem,
Mortis amaritudinem.

5. Haec omnia nos satient
Et dulciter inebrient,
Nos repleant virtutibus
Et gloriosis fructibus.

6. Te crucifixum colimus,
Te toto corde poscimus,
Ut nos sanctorum coetibus
Coniungas in caelestibus.

Ad Completorium.

1. Post cursum tandem temporis
Passionis et operis
Conditus aromatibus
Sepultus est a fratribus.

2. Qui iacuisti mortuus
In petra, rex innocuus,
Fac nos in te quiescere
Semperque laudes reddere.

3. Sucurre nobis, Domine,
Quos redemisti sanguine,
Sub crucis tuae tegmine
Nostrae salventur animae.

4. Guberna nos salubriter
Confirmaque feliciter,
Ut veniam et gratiam
Consequamur et gloriam.

5. Laus tibi infinities,
Pro omnibus, qui passus es,
Perduc nos ad caelestia
Aeternae pacis gaudia.

Orat. ms. Tegrinsense anni 1470. Clm. Monacen 20021. — Dies ist eine Bearbeitung und Erweiterung des Cursus de Misericordia Domini.

22. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui tuo sacras lumine
Tempora noctis mediae,
Natus de pura virgine.

2. In nocte tribus vicibus
Ad patrem flexis genibus
Precem effundis supplicem
Pavensque sudas sanguinem.

3. A Iuda nocte traditus,
Osculi signo proditus,
Comprehensus ab impiis
Duris ligaris vinculis.

4. O Dei sapientia,
Quam benigna clementia,
Bonus male tractatus es,
Dignus indigna passus es.

5. Nostrae noctis caligine
Obtenebratus, Domine,
Tu nostra taetra limina,
Dici lux, illumina.

6. Nocte venturus media
In tuba archangelica
Fac nos accensa lampade
Digne tibi occurrere.

7. O lux misericordiae,
O rex aeternae gloriae,
De nocte nos miseriae
Tranfer ad lucem gloriae.

8. Laus tibi, rex clementiae,
Qui captus es hoc tempore,
Cum patre et paraclito
Perenni manens gaudio.

Ad Primam.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui primae horae tempore
Homo factus es impotens,
Manens Deus omnipotens.

2. O diei diluculum,
Quam indignum spectaculum
Dignatus es pro homine
Fieri, Deus, Domine.

3. Tu rex regum spectabilis,
Totus desiderabilis,
Per multum es ludibrium
Nimis factus opprobrium.

4. Assisteris iudicio,
Addiceris supplicio,
Palmis caesus sacrilegis,
Os ut agnus non aperis.

5. Innocens criminatus es,
Veste ludificatus es,
Consputus, flagellatus es
Ac spinis coronatus es.

6. Iniuste iudicatus es,
Qui iustus ipse iudex es,
Te ipsum exinaniens
Mitis exstas et patiens.

7. O rex potens iustitiae,
Deus totius gratiae,
Cum iudicare veneris,
Tunc parce nobis miseris.

8. Decus honor et gaudium
Sit tibi regi omnium
In trinitatis nomine,
Qui passus es hoc tempore.

Ad Tertiam.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui tertiae horae tempore
Crucis sumis sententiam
Et hoc ad nostram gloriam.

2. Ad mortem crucis factus es
Deo patri oboediens,
Cum immolatus agnus es
Et ad victimam ductus es.

3. Tu mansuetus, humilis
Propriis gestabas umeris
Tuae crucis patibulum
Sacrans vitae mysterium.

4. Haec tua contumelia
Sit nostra semper gloria,
Fac nos ferre tuam crucem
Et te sequi vitae ducem.

5. Spiritus sancti gratia,
Hora diei tertia
Quae Domini discipulis
Venit in linguis igneis,

6. Ad nos dignanter veniat
Et corda nostra repleat,
Mala clemens amoveat
Et bona large tribuat.

7. Sit solamen continuum,
Sit tutamen perpetuum,
Salutis det consilium,
Virtutis det auxilium.

8. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Nobisque mittat filius
Charisma sancti spiritus.

Ad Sextam.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui sextae horae tempore
Vestibus spoliatus es
Et in cruce levatus es.

2. In cruce tendis brachia
Et ad te trahis omnia,
Bonus pastor et optimus
Te impendis pro ovibus.

3. Quam dura, quam crudelia,
Sed nobis salutaria
Sunt sancta confixoria,
Quae pungunt membra regia.

4. Ex tuis innocentibus
Manibus atque pedibus
Vulnera sacratissima
Stillant salutis flumina.

5. Summus caelorum Dominus
Latronum pendens medius,
Oras pro confixoribus,
Redemptis esto propitius.

6. Rex Iudaeorum scriptus es
Et rex noster effectus es,
Semper in omni gratia
Nobis, precamur, impera.

7. Passionis remedium
Fac nobis salutiferum,
Tui sanguinis pretium
Nos salvet in perpetuum.

8. Tibi laus sit perpetua,
Qui passus es innumera
Cum patre ac spiramine
In summo caeli culmine.

Ad Nonam.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui nonae horae tempore
Per multam abundantiam
Latroni praestas gratiam.

2. Iohannem dilectissimum
Custodem das virgineum
Sanctae virgini virginum,
Quae te genuit filium.

3. Gustans amaritudinem
Dona vitae dulcedinem,
Mortem solvens indebitam
Nostram sustolle debitam.

4. Expasvescunt caelestia,
Contremiscunt terrestria,
Deo patri sanctissimum
Cum commendasti spiritum.

5. O salvatoris anima
Pia et benignissima,
Nostras migrantes animas
In aevum salvas facias.

6. Sit tua crucifixio
Nostra, Christe, redemptio,
Sit crucis consignatio
Aeterna benedictio.

7. Latus apertum lancea
Sanguine manat et aqua,
Quae sacra stillicidia
Dent vitae beneficia.

8. Decora nunc laudatio
Sit tibi Dei filio,
Qui factus es redemptio,
Cum patre et paraclito.

Ad Vesperas.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui, cum cenares vespere,
Discipulis vivifica
Tua dedisti mysteria.

2. Tu pro nobis vespertinum
Factus es sacrificium,
Immaculata hostia
In ara crucis torrida.

3. Quanta lamenta flentium,
Te Christe diligentium,
Tuas plagas cernentium
Et in te confidentium.

4. Inter quas praecipua
Mater erat virginea,
Doloris immanissimus
Quam pertransivit gladius.

5. O Iesu Christe Domine,
Qui tanta es pro homine
Passus in tuo corpore,
Nos miseratus refove.

6. Magnus omnipotentia,
Sed maximus clementia,
Tua exinanitio
Nostra sit exaltatio.

7. Nos protegas ac munias
Et saluti restituas,
Animas atque corpora
Salvando beatifica.

8. Tibi regi altissimo
Laus sit et benedictio,
Qui per mortem asperrimam
Supernam reddis patriam.

Ad Completorium.

1. Gloria tibi, Domine,
Qui iam completo opere
Salutis atque gratiae
Triumpho polles gloriae.

2. A Ioseph et Nicodemo
Depositus patibulo,
Conditus aromatibus
Es in sepulcro positus.

3. Tua potenter anima
Vadit praedari tartara,
Imperavit divinitas
Ac salvavit humanitas.

4. Ut nostrae nunquam animae
Morti fiant obnoxiae,
Nec hostis malignus rapiat,
Tua manus eripiat.

5. Nec nos a te destituas,
Sed ad regnum restituas,
Tua sumus adoptio,
Tua sumus redemptio.

6. Tremenda die ultima,
Cum simul pavent omnia,
Tunc tuam dulcem faciem
Nobis ostende placabilem.

7. In manu tua, Domine,
Simus in omni tempore,
Nos consumma feliciter
Nos salvos fac perenniter.

8. Laus tibi, bone Domine,
Qui humana custodia
Munitus es hoc tempore
Potenter vivens numine.

Orat. ms. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmstadien. 1262. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. B. — Ad Mat. 1, 2 Qui deifico lumine B. — 1, 4 de Maria virgine A. — 2, 3 Effundens precem B. — 2, 4 Pavens et sudans B. — 3, 2 Et osculi A. — 3, 4 ligatus B. — 4, 4 Et dignus A. — 5, 2 es Domine AB. — 5, 3 Tu taetra nostra lumina B. — 6, 2 angelica B. — Str. 8 fehlt B. — Ad Prim. 1, 2 hora prima B. — 1, 4 Deus manens B. — 2, 1 O dei B. — 3, 3 Es per multum B. — 3, 4 in opprobrium B. — 4, 1 Assistens B. — 5, 3 sq. fehlen B. — 6, 2 Qui iuste ipse est B. — 6, 4 Mitis et totus patiens B. — 7, 1 sq. fehlen B. — Str. 8 fehlt B. — Ad Tert. 1, 2 hora tertia B. — Str. 2 lautet in B:

Tu mortem crucis sustinens,
Deo patri oboediens,
Tu immolatus agnus es
Et ad victimam ductus es.

3, 2 Propriis tuis humeris B. — 3, 3 Gestans crucis patibulum B. — 3, 4 Praebens exemplum mysticum B. — 4, 3 Tuam fac nos ferre B. — 5, 1 Sancti spiritus B. — 5, 3 In Domini discipulis A. — 5, 4 Veniens linguis B. — 6, 1 venias B. — 6, 2 repleas B. — 6, 3 amoveas B. — 6, 4 tribuas B. — 7, 1 Sis B. — 7, 2 Et tutamen B. — 7, 3 da B. — 7, 4 Et virtutis auxilium B. — Str. 8 fehlt B. — Ad Sex. 1, 2 hora sexta B. — 1, 3 Es vestibus spoliatus B. — 1, 4 es levatus B. — 2, 1 Et expandisti brachia B. — 2, 2 Ad te trahens et omnia B. — 2, 4 Es sufficiens omnibus B. — 3, 1 O quam dura et quam A. — 3, 3 Sunt haec sancta opprobria B. — 3, 4 membra pungunt B. — 5, 2 Latrone B. — 5, 3 Orans et pro tortoribus B. — 5, 4 Qui ignoscens et omnibus B. — 6, 1 est scriptus B. — 6, 2 Qui frater noster est factus B. — 6, 3 Semper et super omnia B. — 6, 4 Fac nos ut tua gratia B. — Str. 7 lautet in B:

Passionis mysterium
Donum refrigerium
Atque tutum adiuvamen
Ad aeternam vitam. Amen.

Str. 8 fehlt B. — 2, 2 des virginem B. — Ad Non. 1, 2 hora nona B. — 2, 3 Beatae virgini B. — 3, 1 mortis amaritudinem A. — 3, 2 Et dans B. — 3, 3 solvis B. — 3, 4 sustilis B. — 4, 3 sq. umgestellt B. — 5, 1 salutaris B. — 5, 2 beatissima B. — 5, 3 ingratas animas B. — 6, 1 exspiratio B. — 6, 2 semper nostra protectio B. — 6, 3 Et crux pia defensio B. — 6, 4 consignatio B. — 7, 2 manans B. — 7, 3 Det vitae beneficia B. — 7, 4 Aeternae lucis praemia B. — Str. 8 fehlt B. — Ad Vesp. 1, 2 Qui vespertino tempore B. — 1, 4 Tradidisti B. — 2, 3 Immolata B. — 3, 1 O quanta A. — 3, 4 Et pie deosculantium A. — Str. 4 und 5 lauten in B:

Haec cernens via Maria,
Dulcis mater atque pia,
Quam pertransivit gladius
Doloris immanissimus.

O Iesu, rex mitissime,
Quanta passus es pro homine
In tuo sancto corpore
Nostro misertus errore!

6, 1 O magnus in potentia B. — 6, 2 Aequalis in B. — 6, 4 exsultatio B. — Str. 7 lautet in B:

Nos munias et protegas
Ac saluti restitnas
In anima et corpore
Salvando omni tempore.

Str. 8 fehlt B. — Ad Compl. 1, 2 iam fehlt B. — 1, 3 sq. umgestellt B. — 1, 3 et gratiae A. — 1, 4 Pollens triumpho B. — 2, 4 sepuleris B. — 3, 4 sq. lauten in B: In petra vis humanitas, Non te deserens deitas. — Str. 4 und ff. lauten in B:

4. O Iesu benignissime,
Ne unquam nostrae animae
Morti fiant obnoxiae,
Sed salva nos mitissime.

5. Ne vel malignus rapiat,
Tua manus eripiat,
Ne nos a te destituas,
Sed ad regnum constituas.

6. Tua sumus redemptio,
Tua sumus adoptio;
Tremenda die ultima,
Cum simul pavent omnia,

7. Tuam nobis placabilem
Ostende piam faciem;
In tua manu, Domine,
Simus omni tempore.

9. Nos consumma feliciter
Et salvos fac perenniter
Per bona temporalia
Hic et in tua gloria.

23. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Iesu bone, fili Dei,
Rogo te, memento mei
In hoc pravo saeculo,
Propter tuum dulce nomen
Et per sanctam passionem
Miserere misero.

2. Tu passurus vigilasti,
Orans patrem tu sudasti
Sudorem sanguineum,
Currunt turbae cum fragore
Et cum Iuda traditore,
Cui praebes osculum.

3. Ab his tandem captivaris,
Velut latro colligaris
Et ad Annam duceris,
Caiphae tunc praesentaris,
Coram quo colaphizaris
Et misere conspueris.

4. Exclamantes falsi testes,
Pontifex discindit vestes
Dans mortis sententiam,
Obvelantes te illudunt,
Pugnis caedunt atque trudunt,
Servas patientiam.

5. Haec es passus, Iesu bone,
Bonitate tua prone
Toto noctis tempore;
Te adoro cum tremore,
Quia dignus es amore
Ac paternae gloriae.

6. Pro quo tibi salvatori,
Simul tuo genitori
Et sancto spiritui
Promo carmen toto corde,
Ut purgatum me a sorde
Des te vita perfrui.

Ad Laudes.

1. Iesu bone, facto mane
Iudaeorum turbae vanae
Te praesentant praesidi
Et accusant mentientes,
Regem dicunt, nescientes,
Quia rex es saeculi.

2. Te appellant deceptorem,
Veritatis quem doctorem
Audire refugiunt,
Et signorum patratorem,
Mortuorum reductorem
Videre fastidiunt.

3. Vitam veram Saducaeos,
Pietatem Pharisaeos
Tu, Iesu, docueras,
Templum Dei revereri,
Peccatorum misereri,
Nullique nocueras.

4. Te perducunt ad Herodem
Alba veste, ab eodem
Pilato restituunt,
Tunc Pilatus te excusat,
Plebs perversa hoc recusat,
Et latronem expetunt.

5. Unde tibi, fili Dei,
Laudes, o redemptor rei,
Cano corde humili,
Gloria sit patri Deo
Atque redemptori meo
Et sancto spiritui.

Ad Primam.

1. Iesu bone, Dei nate,
Vestimenta tollunt a te,
Nudum corpus caeditur,
Caput tuum coronatur
Spinis atque perforatur,
Cruore perfunditur.

2. Purpura te circumdantes,
Flexo genu adorantes
Salutant risorie,
Caput sacrum cruentatum
Et spinis dilaceratum
Adfligunt arundine.

3. Foras ducit te Pilatus,
A Iudaeis inclamatus
Crucifigi quaereris,
Sanguis tuus super illos,
Tam maiores quam pusillos
Sumitur a miseris.

4. Tunc Pilatus lavit manus
Et te tradit ut vesanus
Genti crudelissimae;
Hora prima terminata
Facie tua velata
Trahunt immanissime.

5. Hora prima sic finita
Morti daris, qui es vita
Vere decedentium;
Inde tibi salvatori
Sit laus, simul genitori
Et flamini in saeculum.

Ad Tertiam.

1. Iesu bone, foras urbe
Trahunt te crudeles turbae,
Mole crucis onerant,
Gemitus sed mulierum
Et matris tuae sincerum
Cor tuum plus aggravant.

2. Te deducunt pleni dolis
Tunc ad locum passionis
Hora diei tertia,
Vestes tuas auferentes,
Super has sortem mittentes
Non discissa tunica.

3. Sicque cruci te appendunt,
Membra trahunt et distendunt
Clavis ad foramina,
Inde aceto murrato
Felle potant vitiato,
Erigunt in aera.

4. Iesu, qui es sic adflictus
Sceleratisque addictus,
Te supplex glorifico,
Laudo patrem, qui te misit,
Culpam nostram sic dimisit,
Cum spiritu paraclito.

Ad Sextam.

1. Iesu bone, hora sexta
Virtus tua manifesta
Fit, et fiunt tenebrae,
Sol et dies obscuratur,
Velum templi laceratur,
Das terram contremere.

2. Petrae durae dissinduntur
Monumentaque panduntur,
Corda pavent omnium,
Sed Iudaei obdurescunt,
Blasphemantes insolescunt
Contra te mitissimum.

3. Iuxta crucem tunc Maria
Cum Iohanne mente pia
Stabat tecum unico,
Quos ut vidisti turbatos,
Gementes ac desolatos,
Commendasti mutuo.

4. Bone, Iesu, consolator,
Tuorum fidus amator
Sis mihi propitius
Deus pater, generator,
Spiritusque consolator
Me soletur citius.

5. Te Deum miseratorem
Collaudamus et honorem
Tibi damus inclito,
Simul tuum genitorem
Et spiritum consolatorem
Honoramus sedulo.

Ad Nonam.

1. Iesu bone, horae nonae
Vocans patrem in agone
Formam nobis tribuis,
Ut in Deo spem ponamus,
Preces illi profundamus
Stantes in periculis.

2. Post haec oras pro Iudaeis,
Tua passione reis,
Et crucifixoribus
Hoc exemplo nobis dicis,
Ut parcamus inimicis
Et malefactoribus.

3. Hinc latroni confitenti,
Tuam gratiam petenti
Paradisum aperis,
Ostendis, quod quamvis sero
Paenitentem corde mero
Tu clementer accipis.

4. Tuum sic, fons pietatis,
Spiritum in manus patris
Commendasti, Domine,
Voce magna exclamasti,
Animam dum exhalasti
Inclinato capite.

5. Laus sit tibi, fili Dei,
Qui hanc mortem causa mei
Sufferre volueras,
Qui in una deitate
Cum spiritu atque patre
Semper vivens imperas.

Ad Vesperas.

1. Iesu bone, qui attente
Passionem tuam mente
Recolens compatitur,
Non post vulnerum laborem
Vitaeque positionem
Poena superadditur.

2. Latus rigens perforatur,
Et cor mite vulneratur
Ferro dirae lanceae,
Ut ait scriptura sacra,
Sanguis profluxit et aqua
Vespertino tempore.

3. Caecus his illuminatur,
Et cor eius illustratur
Virtute miraculi,
Sed Iudaei excaecantur
Hisque visis indurantur
A gratia vacui.

4. Corpus hi de cruce tollunt,
Munda sindone involvunt
Nicodemus, Ioseph mere
Ac ponunt in monumentum,
Quod in horto est inventum,
Aromatum pondere.

5. Mulieres insistentes
Sepulturae valde flentes
Compellente vespera
Matrem tuam conducentes
Hospitio et ementes
Pararunt aromata.

6. Bone Iesu, qui sic mori
Dignatus es, genitori
Taliter oboediens,
Cum quo manes Deus unus,
Esto mihi iudex pius
In futuro rediens.

Ad Completorium.

1. Iesu bone, formidantes
Te Iudaei observantes
Signaverunt tumulum
Et custodes adaptantes,
In hoc suae demonstrantes
Malitiaeque cumulum.

2. Sed quanto plus hoc fecerunt,
Tanto magis ostenderunt
Resurgentis gloriam,
Et suam sic perdiderunt,
Quam decepti speraverunt,
De Iesu victoriam.

3. Dum iaceret sic in tumba
Corpus tuum, ad profunda
Limbi transit anima,
Et quae daemon captivavit,
Sua luce perlustravit
Patrum tollens agmina.

4. Et duxit in paradisum,
Ubi cum latrone risum
Habent et solacium;
Ad quos ipse nos perducat,
Qui promissa nunquam mutat,
Post hoc vitae spatium.

Orat. ms. Halesbrunense saec. 15. Cod. Erlangen. 770. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Ad Mat. 1, 1 Bone Iesu B. — 1, 5 Sanctamque A. — 3, 4 Hinc Caiphae B. — 4, 3 Dat B. — 5, 2 pro me A. — 5, 5 honore B. — Ad Laud. 1, 2 turbae malae B. — 1, 3 Repraesentant B. — 4, 4 Videns iudex te excusat. B. — 4, 5 Sed Iudaei te recusant B. — 4, 6 Et ut latronem A. — 5, 2 Laudes in ortu diei B. — Ad Prim. 1, 6 Cruoreque A, Sanguine B. — Str. 2 fehlt B. — 3, 1 Foris B. — 3, 2 inclinatus A. — 3, 3 Cruci ut affigeris B — Ad Tert. 1, 1 foris A. — 1, 4 Sedque gemitus A. — 1, 6 suum B. — 2, 1 ducunt A. — 2, 5 Sortem super has B. — 3, 4 acetum myrrhatum A. — 3, 5 Felleque vitiatum A. — 4, 6 Et spiritu A. — Ad Sext. 3, 4 Quos vidisti ut B. — 3, 5 Gementes atque A; Ac gementes desolatos B. — 4, 1 Iesu bonus B. — 4, 2 Tuorumque A. — 4, 3 Mihi sis B. — 4, 4 Deus genitor A. — 4, 5 Et spiritus A. — 4, 6 consolentur A. — 5, 2 Laudamus sed et B. — 5, 6 Honoremus B. — Ad Non. 1, 2 Vocas A. — 3, 5 Paenitentes B. — 5, 3 Perferre B. — Ad Vesp. 1, 3 Recolit A. — 1, 4 dolorem B. — 2, 1 rigans A. — 2, 2 mite perforatur AB. — 2, 4 Ut scriptura dicit B. — 2, 5 Profluxit sanguis B. — Str. 3 fehlt B. — 4, 2 Sindone munda B. — 4, 3 mere fehlt A. — 5, 2 large flentes B. — 5, 6 Paraverunt A. — 6, 4 manes fehlt A. — Ad Compl. 3, 2 in profunda B. — 3, 3 transit limina A. — 3, 4 captivaverat A. — 3, 5 Suo lumine declarat A; prolustravit B. — 4, 1 ducit B. — 4, 4 nos fehlt A. — 4, 5 promisit B. — 4, 6 Post huius B.

„Oratio sancti Bernhardi ad omnes horas de passione Domini“ A; „Item sancti Bernardi de passione Domini.“ B. Daſs im Ernste an diese Autorschaft nicht zu denken ist, braucht nicht bemerkt zu werden. Das Gedicht fehlt bei Hauréau, Des poëmes attribués a Saint Bernard.

24. Horae de Passione Domini.

Ad Vesperas.

1. Ave, Iesu, panis vitae,
Pascens cuncta, regens rite,
Advenisse cum sciebas
Tempus tuum, veniebas
Ad cenam ad vesperas.

2. Legis agnum manducasti
Cum amicis, quo monstrasti
Iam tunc verum sanctum agnum
Te pro cunctis immolandum
Pascha mutans typicum.

3. Convescendo tuis caris
Te tradendum fatebaris
Ab eorum uno fure,
Celas eum, sed future
Praenuntias luere.

4. Hinc a cena surgis cito
Tuis atque maledicto
Lavas, tergis, oscularis
Pedes; o quam singularis
Amor nimis humilis!

5. Tuis novum das mandatum,
Hoc est tibi summe gratum,
Invicem ut diligamus
Tibique inhaereamus,
Tu nos amasti primitus.

6. Resedisti dominator,
Vivi panis consecrator,
Corpus, sanguis mundi vita
Fit ex pane, vino ita
Te sacrante mystica.

7. Novum testamentum tale
Vocas et memoriale,
Sacramentum laude plenum,
O quam dulce et amoenum
Est hoc et sanctissimum.

8. Tandem post recessum Iudae
Multa praemonstrasti nude
Tuis tuo de parente
Alta loquens blanda mente
Et de sancto pneumate.

9. Iesu, fac me tuae cenae
Caelitus consortem plene,
Et mandatum nobis datum
Per me fiat, ut sit gratum
Tibi atque placitum;

10. Vita cum advesperascit,
Christe, corpus tuum assit,
Da, ut sumam semper digne,
Quia laudo te, benigne,
Patremque cum flamine.

Ad Completorium.

1. Ave, Iesu, rex caelorum,
Consolator miserorum,
Qui post cenam exis parum
Mox ad montem olivarum
Tuum turbans animum.

2. Hora ultima diei,
O salvator omnis rei,
Anxiatus es in prece
Amarissima pro nece
Imminenti propere.

3. Nostra tactus egestate
Terram petens petis a te
Patrem calicem auferre,
Velle suum sed praeferre
Voluisti, Domine.

4. Forti tunc in agonia
Pugnas, vera tu sophia,
Sudor sanguinis emanat
De te, cuius virtus sanat
Saucios et recreat.

5. Ab angelo voluisti
Confortari, sed scivisti
Nobis illud profuturum,
Ut semper de te securum
Speremus auxilium.

6. Exhortatus es orare
Tuos atque vigilare,
O mi bone exhortator,
Da, ut vigil sim orator,
Audi, cum te deprecor.

7. Consolare me, o pie
Fili Dei ac Mariae,
Cum agone mortis premor.
Iesu, tunc sis mei memor
Semperque, cum tribulor.

8. Sudor tuus, nate Dei,
Sanet culpas tui rei
Maculasque peccatorum
Mundet et me praeceptorum
Dei reddat strenuum.

9. Tibi laudes, Iesu Christe,
Quamdiu est mundus iste,
Dicant omnes creaturae
Lucis huius et futurae,
Laudent te perpetue.

10. Gloria sit patri Deo,
Salvatori quoque meo
Et spiritui aequali,
Laus sit Deo aeternali
A me vili humili.

Ad Matutinum.

1. Ave, Iesu mi benigne,
Mitis et redemptor digne,
Qui in nocte matutina
Mente obvias agnina
Hostium ad agmina.

2. Innocens ad malam gentem
Te praesentas inquirentem,
Vitam tuam trucidare
Iudas spondet, signum dare,
Osculo te tradere.

3. Voce tua sunt prostrati
Ipse Iudas et ingrati,
Manu impia ceperunt
Teque terrae prostraverunt,
Funibus te vinciunt.

4. Sed pro malis bona donas,
Quando aurem Malchi sanas,
Duceris ut latro reus
Quam crudeliter, o Deus,
Usque Annam protinus.

5. Es a tuis derelictus,
Petrus negat ter convictus,
Multum plorat et minister
Tibi dat, summe magister,
Alapam atrociter.

6. Tunc te trahunt animosi
Domum Caiphae dolosi,
In te surgunt falsi testes,
Pontifex dirumpit vestes,
Te blasphemant pluries.

7. Adclamarunt „reus mortis“,
Siles, agne mitis, fortis,
Truci manu alaparis,
Saepius colaphizaris,
A spurcis conspueris.

8. Velo turpiter illudunt,
Palmis caedunt, pugnis trudunt,
Poscunt te prophetizare,
Te ut stultum subsannare
Repetunt cum verbere.

9. Solve, Christe, funes mortis,
Aufer male pravae sortis,
Pelle servos inferorum,
Fidem evangeliorum
Da tenere omnium.

10. Sputa tua me decorent,
Plagae durae robur donent
Velumque defendat bene,
A me tibi laus sit plene
Patrique cum flamine.

Ad Primam.

1. Ave, Iesu Christe suavis,
Multa passus es a pravis,
Hora prima dum Pilato
Mali tradunt te irato,
Iudici nefario.

2. Negant regem accusantes,
Falsa dicunt malignantes,
Taces, Christe, nec reclamas,
Iudex noscit, quia amas,
Veritatem praedicas.

3. Plebis clamant subversorem,
Te Pilatus ad Herodem
Misit et ille derisit,
Alba veste te remisit
Et Pilato adnuit.

4. Iesus Barrabae aequatur,
Pro latrone iustus datur,
Et dimittunt reum istum,
Crucifigi Iesum Christum
Poscunt ut maleficum.

5. Hinc nudatur sua veste,
Ligant ad columnam reste
Dominum liberatorem
Virgis flagrisque cruorem
Fundunt atque sanguinem.

6. Plagis lacerantes terunt,
Magisque punire quaerunt,
Undique dilaniatum
Indumento purpuratum
Derident ut fatuum.

7. Caput sacrum pungunt spinis
Ita, ut profundis rinis
Sanguinem decorum rorant,
Arundinem dextrae donant,
Ave, rex, ingeminant.

8. Illudentes simul ruunt,
Alapizant atque spuunt,
Genas roseas evellunt
Caput sceptroque percellunt,
Ironiam repetunt.

9. Vestes tuae ironiae,
Sputa, flagra atque spinae
Et arundo tua, Christe,
Me defendant poenae istae
Cum fluente sanguine.

10. Cuncta fac me imitari,
Quia digna sunt laudari,
Tu pro istis sis laudatus,
Pater simul atque flatus
Ex corde medullitus.

Ad Tertiam.

1. Ave, Iesu clemens, pie,
Nobis dux caelestis viae,
Qui ad crucem postulatus
Es, excusat te Pilatus
Anxius et territus.

2. Verbum iterant malignum,
Crucifigi dicunt dignum,
Regem sempiternum negant,
Caesarem pro se allegant,
Ut Christum interimant.

3. Foris ducit te vesanus
Lavatque Pilatus manus,
Sistit tribunali Iesum
Coronatum atque caesum,
Falsum fert iudicium.

4. Iudaeorum voluntati
Tradit Iesum, qui irati
Tractant ipsum dure nimis,
Sputis, plagis atque minis,
Satiant opprobriis.

5. Spinis, purpura exutum,
Suis vestibus indutum
Et corona regravatum,
Trabe crucis oneratum
Trahunt ad supplicium.

6. Turba multa comitatur,
Mulieres consolatur
Iesus anxius et fessus
Et sub crucis mole pressus
Golgath venit gravius.

7. Crucem vestesque deponunt
Violenter et reponunt
Laeso capiti spinetum,
Potum dant fel et acetum,
Cruci iungunt inclitum.

8. Sacri artus lacerantur,
Ossa cuncta numerantur,
Clavi forant manus, pedes,
Sanguis ornat crucis aedes,
O dolenda species.

9. O innocens agne Dei,
Sis benignus iudex mei,
Fac me crucem baiulare,
Fac in cruce tecum stare
Sicque te diligere.

10. Te collaudo, mi redemptor,
Vitae dator, necis demptor,
Tibi sint cum patre laudes,
Pneumati, in quo congaudes,
Centies et millies.

Ad Sextam.

1. Ave, Iesu mihi care,
Caritatem tuam clare
Hora sexta ostendisti,
Cum ad te cuncta traxisti
Crucis fixus stipite.

2. Casu crucis conquassatus,
Sceleratis adaequatus,
Pendens medius latronum,
Cunctis praestans caeli donum,
Adae solvens debitum.

3. Vestes tuas ludo emunt,
Praeeuntes te infremunt,
Caput movent, Vach clamatur,
Quare non per se salvatur,
Qui salvasse dicitur?

4. Sed abyssus pietatis
Orat patrem pro ingratis,
Nobis ponens istis normam,
Praeses scribit regis formam
Christo signans gloriam.

5. Hinc latronem blasphemantem
Sustines, sed paenitentem
Suscipis aperiendo
Paradisum et spondendo,
Spem dans omni impio.

6. Vides piam matrem flentem
Dolesque compatientem,
O quam valde visus tristis,
Quando commutatur istis
Filius et genetrix.

7. De Iohanne audit mater:
Tuus natus, meus frater,
Audit iste de Maria:
Ecce, mater tua pia;
O quam mirabilia!

8. Cumque cessat visus horum,
Tenebrescit lux caelorum
Usque horam nonam plene,
O mi Iesu, fac me bene
Laudes tibi canere.

9. Me defende cruce tua,
Clavi sanguisque vi sua
Me absolvant et regalis
Titulus a cunctis malis
Servet et periculis.

10. Matri me recommendare,
Paradiso me vocare
Velis, Iesu, lux aeterna,
Tibi, Christe, sit paterna
Cum spiritu gloria.

Ad Nonam.

1. Ave, Iesu, nostra vita,
Crucis poenas passus ita,
Hora nona tu dixisti:
Heli, cur me reliquisti?
Voce clamans lugubri.

2. Aliena persolvebas,
Nostra crimina lugebas,
Clamitasti te sitire,
Ut velimus ad te ire,
Hoc sitisti, Domine.

3. Sempiterna tu dulcedo,
Dulcis totus plus quam medo,
Quam amarum fel gustasti,
Quando morti propinquasti,
O amor incendii.

4. Consummatum est, tu clamas
Et ad mortem usque amas
Nos rebelles peccatores,
Dolens nostros malos mores,
Ut nos ad te traheres.

5. Hinc fecisti altum planctum
Spiritumque vere sanctum
Patris manibus commendas,
Ut nobis vel sic ostendas,
Quantum tu oboedias.

6. Nam inclinas caput dignum,
Nobis praebens te benignum
Et exhalas tuum flatum
Sanctum et immaculatum
Nostrum sanans spiritum.

7. Terram movit mors haec dura,
Petras scidit haec pressura,
Velum templi scissum docet,
Mors haec malis quantum nocet,
Cum pios sanctificet.

8. O vitale lignum crucis,
Ferens mortem mortis trucis,
Quae et mortem sempiternam
Interfecit et aeternam
Nobis dedit gloriam.

9. Ne relinquas nos, salvator,
Nunc sis aquae vivae dator,
Fac nos bene consummari,
Patri per te commendari
Et a morte eripi.

10. Gratiarum laudes magnae
Tibi sint, o Dei agne,
Morte crucis sic oblatus
Sit cum patre collaudatus,
Sanctus quoque spiritus.

Ad Vesperas.

1. Ave, Iesu, spes reorum,
Miserator peccatorum,
Qui ad horam vespertinam
Mortis sanctam post ruinam
Diram suffers lanceam.

2. Latus sacrum reseratur,
Et cor mite vulneratur,
Ut amorem revelaret,
Quo peccator subintraret,
Dum adversa sustinet.

3. Fluit unda, quoque sanguis,
Quis prostatur vetus anguis,
Sic, sic homo renovatur,
Et cor eius debriatur,
Vitaque reficitur.

4. Homo, ibi si fuisses
Et cruorem collegisses
Tui Iesu, posses scire,
Quam suave sit sitire
Calicem et bibere.

5. Hinc Ioseph et Nicodemus
Tollunt Iesum, quem amemus,
Et de cruce tradunt tristi
Dulci matri Iesu Christi
Casto dantes sinui.

6. Dulces lacrimae irrorant
Membra Christi, quae decorant,
Et os ori applicatur,
Cuncta membra osculatur,
Sic dilecto iungitur.

7. Quis det digne contristari
Tibi, mater, et aptari,
Quae sic raperis amore,
Mori posses prae fervore,
Prae luctu deficere.

8. Virgo, facta mea flere
Fac et tibi condolere,
Tibi me recommendatum
Habe, mater, et placatum
Tuum redde filium.

9. Iesu, vulnera cor meum
Et fac me amare Deum
Et cruore tuo sana,
Aqua lava, plagis plana
Cuncta mea crimina.

10. Christe, grates tibi promo,
Patri in superna domo
Et spiritui amborum,
Sit decora laus hymnorum,
Honor et imperium.

Ad Completorium.

1. Ave, Iesu, salus vera,
Aromate hora sera
Recondit uterque iustus
Te Ioseph et Nicodemus,
Planctus dant et gemitus.

2. Munda sindone involvunt
Sacrum corpus et resolvunt
Dulces rivos lacrimarum
Et magistrum dulcem, carum
Ponunt in mausoleum.

3. Saxo tumulum obserant,
Surrecturum tamen sperant,
Sed Iudaei saxum signant,
Opes dant servis, ut fingant
Et furatum asserant.

4. Lamentantur mulieres
Tunc devotae ac sinceres
Unigenitique planctum
Super te peragunt sanctum,
Te amantes unicum.

5. Cum iaceret sic in petra
Corpus tuum, tunc ad taetra
Loca descendis inferni,
Portas serasque Arverni
Manu rumpis celeri.

6. Sempiterna nox lucescit,
Turba daemonum horrescit,
Ligat Satan rex serenus,
Fit iucundus laude plenus
Vinctus Dei populus.

7. Advenisti exspectatus,
Clamant, et desideratus,
Nostram noctem illustrasti,
Educ tecum, quos levasti,
De carcere tartari.

8. Regem sequitur grex lactus
Paradisum, tunc quietus,
Conspicit Eliam bonum
Enoch et dextrum latronem,
Omnes laudant Dominum.

9. Castitate involutum
Fac me tibi consepultum
Et virtutibus condiri,
Iesu, fac me planctum iri,
De tenebris erigi.

10. Custodire me dignare,
Paradisum da intrare,
Quia tibi hymnum canto,
Patri pneumatique sancto
Laudes sint cum iubilo.

De Resurrectione.

1. Ave, Iesu gloriose,
Noster rex victoriose,
Qui ut leo fortis nimis
Propria virtute imis
Resurgis a mortuis.

2. Totus nam glorificatus
Triumphoque laureatus
Exis tumulo serato,
Sic decepto cum Pilato
Iudaeorum populo.

3. Luce resurgentis visa
Virtus militum elisa,
Iacent, tremunt tabescentes,
Contremiscuut malae gentes,
Iusti fiunt alacres.

4. Prima sabbatorum sane
Surgis, rex caelorum, mane,
Cum unguentis te quaerentes
Mulierum pias mentes
Respicis et humiles.

5. Nam post visum angelorum
Vident te, o spes maestorum,
Plus amanti Magdalenae
Prius te monstrasti plene,
Ut te narret vivere.

6. Ioseph, qui est iustus homo,
Monstras te et Nicodemo,
Iacobo in speciali
Petroque fiduciali,
Post hoc te discipuli

7. Omnes vident convescentem
Et ignaros edocentem,
Thomae confers dubitanti
Latus, vulnera palpanti,
Laudem verae fidei.

8. Sed prae cunctis, credo, piae
Matri monstras te Mariae,
Fide plenam reples visu
Dulci tuo et adrisu,
Plausum das pro gemitu.

9. Inclite rex, victor mortis,
Tuus sim athleta fortis,
Da videre amorosum
Te in regno gloriosum
Post hunc vitae terminum.

10. Qui sedes ad dextram patris,
Fac, ut surgam cum beatis,
Et cum tuis da regnare,
Tibi glisco laudes dare,
Patri cum spiramine.

Clm. Monacen. (ol. Abrispacen.) saec. 15. 287ᵇ. — „Incipit centenarius laudis id est carmen centum versuum in venerationem et orationem, gratiarum actionem passionis Iesu Christi compositus, decem membris per singulos denarios versuum distinctus, multum devotus V. S.“ Am Schlusse; Memento te compositoris V. S. — Ad Vesp. 8, 3 fehlen zwei Silben; tuo ergänzt.

25. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Heu misera condicio
Carnis humanae vitio
Compressa naturali,
Qui dormis, expergiscere,
Poenarum reminiscere,
Quibus pro te mortali
Salvator sic affligitur,
Dum pro te sponte traditur
Hora matutinali.

2. Quam durum o supplicium,
Mortis quod factor omnium
Expavit traditurus
Ad tempus momentaneum,
Sudorem dum sanguineum
Profudit oblaturus
Pro reis, quo post capitur,
Vinctus ut latro ducitur
Proinde damnaturus.

3. Iesu pie, qui patiens
Adversa tot suscipiens
Venisti nos salvare,
Veni, cor meum visita,
Me somnolentum excita,
Da mihi vigilare
In tuis semper laudibus
Et tuam totis viribus
Me mortem explorare.

Ad Primam.

1. Iam lucis orto sidere,
Quo cuncta, quibus vivere
Concedis, exsultare
Solent, tu solus, Domine
Iesu, pro mundi crimine
Dolos, heu, cur et quare?
Iam tibi nunc condoleo,
Qui te dolentem video
Pro me ligatum stare.

2. Gens rea, gens te misera
Voce proclamans aspera
Convulsit et ligavit,
Te reum mortis arguit,
Te vinctum, caesum conspuit,
Te facie velavit,
Te sistens in iudicio
Falsoque testimonio
Pilato praesentavit.

3. Iesu benigne, respice
Me miserum, ne despice
Sic emptum pretiose,

Pro quo volebas respui,
Ligari, caedi, conspui,
Da mihi copiose
Hanc tuam poenam plangere
Sic mane, ne sub vespere
Damner sic criminose.

Ad Tertiam.

1. Cur diem inutiliter,
Cor, transis et inaniter,
Quem nunquam redditurum
Scis, hora cuius tertia
Iesum vides iudicia
Tot mortis subiturum,
Dum turba clamat, insonat
Et Crucifige personat,
Heu me, quam verbum durum!

2. Innocens morti traditur
A reis et exuitur
Direque flagellatur,
Contunditur, illuditur,
Purpureis induitur
Spinisque coronatur,
Post sibi crux imponitur
Et sic ad montem ducitur,
Ubi crucifigatur.

3. Iesu, qui tot supplicia
Pro mea fers miseria,
Tu mei miserere,
Et qui pro me te victimas,
Da mihi veras lacrimas,
Ut digne possim flere
Mala commissa nequiter
Et tuae morti pariter
Ad mortem condolere.

Ad Sextam.

1. O mira Dei bonitas,
O plus miranda caritas,
Crucem pro me subire
Dignatur Dei filius;
Quid sum, quid sibi melius?
Me salvo quod perire
Vult potius, quam peream,
Felle potatus etiam
Non desinit sitire.

2. Sitivit, non ut biberet,
Sed ut me lucrifaceret,
Se totum hinc impendit,
Ad horam sextam Dominus,
Dum agonizans protinus
Patibulum ascendit
Crucis, perfusus sanguine
Diraeque mortis turbine
Convulsus hinc pependit.

3. O salus indeficiens,
Iesu salutem sitiens
Nostrae salvationis,
Fac o sitire supplicem
Me tuae mortis calicem
Tuaeque passionis,

Da locum paenitentiae,
Cor purae conscientiae
Fletumque compunctionis.

Ad Nonam.

1. O stupor incognitus,
En, patris unigenitus
In cruce victimatur,
Extensa cuius viscera
Sunt et aperta vulnera,
Latusque perforatur,
Sanguis et aqua profluunt
Mundique scelus abluunt,
Quo caelum reseratur.

2. In ligno vita moritur,
Reisque vita redditur,
Dum mortem mors prostravit,
Sol obscuratus latuit,
Terra commota tremuit,
Infernus et expavit,
Ad nonam Dei filius
Inter latrones medius
Dum pendens exspiravit.

3. O Iesu benignissime,
Qui mortis amarissimae
Poenam pro me subisti,
Tu fluxi carnis opera
Mortifices mortifera
Rigans, quo transivisti,
Me tuae mortis poculo,
Qui crucis in patibulo
Latronem suscepisti.

Ad Vesperas.

1. Quas ore laudes offeram,
Quod Dominus ad vesperam,
Dum Pascha manducavit
Dans corpus suum fratribus
Et sanguinem cenantibus
Eisque praemonstravit
Per paschale mysterium
Sacrae mortis martyrium,
Quo sponte declinavit.

2. Iam Iesus a supplicio
Crucis perpesso vario
Morteque consummata
De ligno crucis solvitur,
Cor matris hinc transfigitur,
Dum sic amaritata
Tot nati cernit vulnera,
Transitque cordis viscera
Dolore mens prostrata.

3. Iesu, paterna pietas,
Iam scelerum nimietas
Ad vesperam me duxit,
Ad hac me peste suscita,
Per mortis tuae merita,
Qua mundo lux illuxit,
Me tuae matris precibus
A mortis solve nexibus,
Quam tua mors destruxit.

Ad Completorium.

1. Iam dies, ecce, praeterit
Et horam hora conterit
Neutraque reditura,
Infelix, o sic transeo,
Non est hic firma mansio;
Mens haec et haec praecura:
Creator mundi traditur
Ad mortem, qua reducitur
Ad vitam creatura.

2. Ad horam Iesus ultimam
Post patri datam animam
De cruceque solutus
Involvitur in sindone,
Murra simul et aloe
Mixtura praelibutus,
In monumentum ponitur,
Lapisque magnus additur
Ad ostium volutus.

3. Iesu, nostra redemptio,
Pro tuae mortis pretio
Me solvas a peccatis,
Me lapsum pie corrige,
Manumque mihi porrige
Tuae benignitatis
Et ad superna dirige,
Me configurans gloriae
Tuae perennitatis.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. A. — Cod. S. Floriani II 13. saec. 15. B. — Clm. Monacem. (ol. Emmeramen.) 14841. saec. 15. C. — Orat. ms. Carthusiae Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz). D. — Hortulus animae imp. Argentinae 1508 E. — Ad Mat. 1, 3 Compassa A. — 1, 6 Pro quibus te B. — 1, 9 matutina B. — 3, 1 Iesu, qui pie E. — 3, 2 sustinens A. — 3, 3 me salutare B. — 3, 9 Me fehlt AC. — Ad Prim. 1, 3 explorare A. — 1, 6 Dolens A. — 2, 3 Avulsit A. — 2, 4 Quem reum A. — 3, 9 tam criminose BE; sic fehlt C. — Ad Tert. 1, 1 Cor B. — 1, 2 Cur ABE. — 1, 4 Deus hora cum tertia A. — 2, 2 Acriusque A. — 2, 4 Confunditur B. — 2, 5 In purpuris A. — 2, 6 que fehlt D. — 2, 8 mortem ABCE. — 3, 3 fehlt C. — Ad Sext. 1, 5 Quo sum quod A; Quod sum quod B. — 1, 6 Quod salvo me A. — 1, 9 Non fehlt A. — 3, 4 Fac, Iesu, sitire A. — Ad Non. 1, 1 fehlt eine Silbe ABCDE. — 1, 5 Sunt fehlt A. — 2, 2 Reis et E. — 2, 3 Dum morte mortem stravit B. — 2, 9 Dum fehlt A. — 3, 5 letifera BE. — 3, 6 quo redemisti C. — 3, 7 mortis pretio B. — 3, 9 Latronem sero suscepisti A. — Ad Vesp. 1, 1 Quas horae A. — 1, 2 Qua A. — 1, 6 Ipsis praenotavit A. — 1, 8 Sacro E. — 2, 1 a fehlt A. — 2, 6 amaritatur A. — 2, 9 prostratur A. — 3, 5 Pro A. — Ad Compl. 1, 4 si sic A. — 1, 5 Neque haec A. — 1, 6 O mens A. — 3, 5 mihi fehlt A. — 3, 7 Nos ad BE. — 3, 8 configures E. — In BE folgt am Schlusse dieser Zusatz:

Salve, Iesu mitissime,
Immensae rex clementiae,
Creator potens omnium,
Et firma spes credentium,
Qui natus es de virgine
Sine virili semine,
A nostro nos peccamine
Sacro sanasti sanguine
Mortem in cruce sustinens
Et portas mortis conterens,
Ut hostis ferus [verus B] succumberet,

Et homo tibi viveret.
Eia ergo, redemptor dulcissime,
In hac valle miseriae
Oculos tuae misericordiae
Ad nos converte lumenque
Salvificum tuae gratiae
In nobis nunc accende
Et post hoc exsilium
Vultum tuum gloriosum
Nobis ostende,
O clemens, o pie,
O dulcis Iesu, fili Mariae.

26. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Iesum Christum adoremus,
Qui per crucem nos salvavit,
Et in hymnis praedicemus,
Quae pro nobis supportavit,
Semper ipsum collaudemus,
Nam a morte nos curavit,
Grates sibi persolvemus,
Per nos cruci se dicavit.

2. Sed quis grates possit digne
Tibi, Christe, persolvisse?
Cum recordor, quam maligne
Tibi plagae sunt infixae,
Quas pro nobis te benigne
Reminiscor suscepisse,
Et pro dantibus indigne
Deum patrem oravisse.

3. Te a Iuda osculatus
Permisisti captivari
Et ad Caipham ligatus
Et Pilato praesentari,
Illudendo salutatus
Ac columna flagellari,
Sputo multo deturpatus
Genas palma verberari.

4. Te prophetae praedicabant,
Accusabant Pharisaei,
Sancti patres adorabant,
Blasphemabant Saducaei,
In te simul coniurabant
Et gentiles et Hebraei,
Et ad mortem condemnabant
Et Pilatus et Iudaei.

5. Postquam crucem ascendisti
Cum latronibus coniunctus,
Inter eos pependisti
Fixus clavo, spina punctus,
Et aceto, dum sitisti,
Es potatus iam consumptus,
Cum spiritum tradidisti,
Tunc expavit mundus cunctus.

6. Laudes ergo tibi, Christe,
Atque grates persolvamus,
Sintque laudes prece mixtae,
Et te supplices oramus,
Ut post mortem nihil triste,
Nihil durum sentiamus,
Sed nobiscum tu consiste,
Ut in gloria vivamus.

Ad Laudes.

1. Recolamus mente [pura]
Christi sanctas passiones,
Nocte capti subobscura
Inter fustes et mucrones,
Plagas et flagella dura,
Poenas et illusiones,
Quae ut nobis profutura
Sint, tu, Christe, nobis dones.

2. Tu sanguineum sudorem
Effudisti, cum orares,
Nam mors intulit pavorem,
Cum a morte nos piares;
Cum ad Iudam proditorem
Et Iudaeos propinquares,
Ceciderunt, ut maiorem
Super illos te monstrares.

3. Postquam maior es ostensus,
Ut tu ipse voluisti,
A Iudaeis comprehensus
Multa probra pertulisti,
Et cum iudex sis immensus,
Iudicatus tum fuisti,
Et caecavit eos sensus
Te damnantes morte tristi.

4. Oves tuae sunt dispersae,
Cum pastorem te ceperunt,
Unaquaeque fugit per se
Et te captum reliquerunt,
Coniurantes tunc inter se
Falsos testes adduxerunt
Et caedentes te perverse
Tuum vultum conspuerunt.

5. Quanto zelo caritatis
Iesus Christus nos amavit,
Cum pro nobis sceleratis
Tot et tanta supportavit,
Rex immensae potestatis
Formam servi subintravit,
Cuncta creans pro creatis
Vita mortem toleravit.

6. Sit gens ergo nostra grata,
Quantum sibi posse datur,
Et pro gloria collata
Christo laus referatur,
Quae a morte liberatur,
Iesu Christe, te precatur,
Ut in caelis collocata
Tecum esse mereatur.

Ad Primam.

1. Sacerdotes prima hora
Iesum facie velatum
Sputoque conspersum ora,
In maxilla verberatum,
Cum ruberet [vix] aurora,
Eduxerunt ad Pilatum,
Postulantes sine mora
Fore morti condemnatum.

2. Iudas, eos ut aspexit
Iesum morti damnavisse,
Eis clare se expressit,
Virum iustum tradidisse,
Nec eorum mentem flexit
Eis nummos reddidisse,
Nec ab ipsis ut discessit,
Semet ipsum suspendisse.

3. Sed surrexit clamor fortis
Et latronem praeelegit,
Sed non tumor nec cohortis
Timor Christi mentem fregit,
Sed subire poenam mortis,
Ut salvaret nos, elegit;
Quisque ergo nostrae sortis
Laudet ipsum, qui sic egit.

Ad Tertiam.

1. Hora tertia praelatum
Christo furem dimiserunt,
Iesum vero flagellatum
In praetorium duxerunt,
Spinis caput coronatum,
Cannam manu posuerunt
Et pro rege salutatum
Genu flexo deriserunt.

2. Cum Pilatus procuravit
Iesum velle relaxari,
Nam, ut erat, aestimavit
Iesum falso accusari,
At gens saeva proclamavit
Et incepit comminari,
Ex quo manus sibi lavit
Iubens ipsum eis dari.

3. Collo demum imponentes
Sibi crucem violenter,
Ut salvaret omnes gentes,
Eam tulit patienter,
Unde grates referentes
Laudemus reverenter,
Sibi preces porrigentes,
Ut nos foveat clementer.

Ad Sextam.

1. Hora sexta veniente
Iesus cruci conclavatus,
Manus exstitit repente
Atque pedes perforatus,
Ipso quoque exsistente
Inter fures est precatus
Patrem, ne de tali gente
Poenam sumeret iratus.
2. Nec tamen hiis contenta
Gens maligna requievit,
Per tenebras et portenta
Eis furor non decrevit,
Sed sortiti vestimenta
Multis modis eum sprevit,
Ridens planctum et lamenta
Turbae, quae pro ipso flevit.
3. Iesu Christe, te precamur
Per tormenta, quae tulisti,
Ut per ipsa mereamur,
Per quod iter ascendisti,
Laudantes te sequamur
Et in paradiso sisti,
Ubi boni perfruamur,
Tuis angelis consisti.

Ad Nonam.

1. Iesu punctus a corona,
Fessus poenis et flagellis,
Cum sitiret hora nona,
Gens crudelis et rebellis
Et ad malum semper prona
Illi dedit potum fellis,
Qui tot eis dedit bona
Et de petra favum mellis.
2. In his poenis et tormentis
Alte clamans exspiravit
Et in signis et portentis
Deum esse se monstravit,
Velum templi tam ingentis
Scissum est, sol obscuravit
Et apertis monumentis
Iam defunctos suscitavit.
3. Christum ergo, nostrum ducem,
Tota mente veneremur,
Qui est passus mortem trucem,
Ut a morte liberemur,
Nam pro nobis tulit crucem,
Ipsum ergo deprecemur,
Ut perducat nos ad lucem,
Quam a nobis non meremur.

Ad Vesperas.

1. Vesper erat iam diei,
Cum defuncto morte dura
Miles latus fodit ei,
Sanguis tunc et unda pura
Inde fluxit, et Iudaei
Rogaverunt summa cura,
Ut qui simul erant rei,
Frangerentur eis crura.
2. Sed ad Iesum venientes
Iam defunctum invenerunt,
Tum scripturas adimplentes
Ossa non comminuerunt,
Sed latronibus frangentes
Viderunt, quem transfixerunt,
Caeci vera tum cernentes,
Quae prophetae praedixerunt.
3. Vidit, Christe, Zacharias
Te ad templum venientem,
Laudes turba dantes pias
Super asinum sedentem,
Te ad montem Ieremias
Tamquam agnum innocentem
Duci, sic et Isaias,
Ut salvares omnem gentem.

4. Nulla posset lingua satis
Christi laudes explicari,
Iustus nostris pro peccatis
Se est passus immolari,
Caelum reddere damnatis,
Maestos venit consolari,
Lumen dedit excaecatis
Atque mutis posse fari.

5. Rex cunctorum et creator,
Cum non essem, me fecisti,
Perditorum tu salvator,
Cum perissem, redemisti,
Tua morte, liberator,
Pro me morti te dedisti,
Et inferni debellator,
Inde patres extraxisti.

6. Quantum scimus et valemus,
Christo laudes praecinamus,
Et si, quantos deberemus,
Nos non posse cognoscamus,
Grates tamen referemus
Et devote supplicamus,
Ut in caelis tecum stemus,
Quem in terris adoramus.

Ad Completorium.

1. In diei complemento
Ioseph, homo Deo gratus,
Iesum dare monumento
Est Pilatum deprecatus
Et ab ipso hoc obtento
Fuit sindonem mercatus,
Qua involvens cum lamento,
Est ab ipso tumulatus.

2. Nocte quoque subobscura
Ferens murrae libras centum
Nicodemus et mixtura
Aloe fecit pigmentum,
Ex quo unxit summa cura
Iesum Christum iam peremptum,
Corpus ut in sepultura
Conservaret hoc unguentum.

3. Involutus sic et vinctus
In sepulcro accubavit,
Qui pro nobis est defunctus,
Nos a morte liberavit
Resurgendo, post assumptus
Caeli portas reseravit;
Laudet ergo mundus cunctus,
Nobis vitam qui donavit.

Cod. Vatican. 4729. saec. 15. — Ad Mat. 3, 6 A columna. — 4, 7 morte. — Ad Laud. 1, 5 fragella. — 2, 6 proriquares. — Ad Prim. 3, 7 Quilibet ergo. — Ad Non. 1, 2 Fexus. — Ad Vesp. 2, 6 Viderunt que. — 5, 6 Per me morti me. — Ad Compl. 2, 2 Feres. — Laus und laudare sind durchschnittlich zwei-, beziehungsweise viersilbig, hi, der mittelalterlichen Schreibung hii entsprechend, zweisilbig gemessen.

„Incipit officium editum a comite Francisco de Corbario in commemorationem Domini Iesu Christi.“

27. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

O rex summae maiestatis,
Magister humilitatis,
Pascha legis celebrato
Animo desiderato

5. Servus factus es servorum,
Dum pedes discipulorum
Lavas, detergis et servi
Iudae pessimi, protervi,
Fisque cibus servulorum,

10. Dominus tu dominorum;
Pie terres proditorem,
Praemones et negatorem;
Hinc sermone longo facto,
Scandalo cunctorum tacto

15. Vadis ad orationem
Ad tristissimum agonem.
Sanguinem sudasti mire
Prae pavore mortis dirae,
Dormientes excitasti,

20. Ad orandum provocasti,

Turbis sponte occurristi,
Omnes verbo prostravisti,
Iudae osculum malignum
Sumpsisti in fraudis signum.
Servo aurem amputatam
Reddidisti mox sanatam,
Ab ingratis e converso
Grege tuo nunc disperso
Captus es et dure strictus
Tamquam latro maledictus.

Ducunt te ad Annam primum,
Tractant te ut stultum mimum,
Multa contra te testantur,
Quae mentita comprobantur.
Te velantes colaphizant,
Conspuunt et alapizant,
Crine, barba depilaris
Et a Petro ter negaris,
Sed pie a te respectus
Flens amare mansit rectus.

R° O quid vermis vilitatis
Reddam regi maiestatis
Pro tam intimo amore
Et tam maximo dolore?
Si membratim dimembrarer,
Non plane recruciarer,
Si millesies obirem,
Digne solvere nequirem.

In hac matutina hora
Tibi, Christe, laus decora,
Grates, gloria et honor.
Sume grates, quantum conor,
Pro salute acquisita
Saecula per infinita;
Dolor tuus ad ovamen
Caeli me perducat Amen.

Ad Primam.

Hora prima tamquam latro
Coram iudice Pilato
Iudex mundi stas ligatus,
Falsis multis accusatus.
Malefactor criminaris,
In multis interrogaris,
Nil ad cuncta respondisti,
Sed ut ovis mutuisti,
Et miratur vehementer
Praeses, quod hoc fers libenter.
Dehinc duo quaerit a te,
De regno, de veritate.
Ad primum tu respondisti,
Ad altrum tu tacuisti;
Nam iudex in falsitate

Non est dignus veritate,
Tamen probat te expresse
Absque omni culpa esse.
Tunc te ad Herodem misit,
Qui te sprevit et derisit,
Veste alba fatuatum
Te remisit ad Pilatum,
Valde turpiter illusum,
In via hinc inde trusum.
Dum constanter accusaris,
Iustus esse comprobaris,
Tam a Iuda proditore
Quam Pilato et uxore;
Iudex clamat te solvendum,
Sed Iudaei suspendendum.

Ad Tertiam.

Hora tertia ligaris
Ad columnam, flagellaris
Tam horrende et tam dure,
Acsi peior esses fure.
Totum corpus vulneratur,
Circumquaque cruentatur,
Veste rubra circumdaris,
Duris spinis coronaris,
Fit arundo tuum sceptrum;
Tunc ut vilem et ineptum,

Stultum regem te honorant,
Te salutant, te adorant,
Quod fit totum irridendo,
Palmas dando, conspuendo.
Sic appares maculosus,
Plus deformis quam leprosus,
Caput tuum delicatum
Cum arundine plagatum,
Usque cerebrum conquassum
Mille et puncturas passum.

Talem te iudex monstravit:
Ecce, homo, proclamavit,
Ut Iudaei sic cessarent
Nec te ultra accusarent.
Sed his omnes infelices
Plus clamant per multas vices:
Tolle hunc et crucifige,
Barrabam dimitte pie.
Tunc Pilatus manus lavit
Et cruci adiudicavit;
Sanguis tuus super eos,
Qui sic optant, dant se reos.
Purpura dehinc exutus,
Veste tua reindutus
Furca propria gravaris
Et sub illa incurvaris;
Nulli furi vel latroni
Solet crimen par imponi.
Mulieres te plangebant,
Alii te deridebant,
Lutum in te iaciebant
Et hinc inde comprimebant.
Portans caelum, terram, mare
Nequis crucem tunc portare
Prae magna debilitate;
Tunc Simon angariatus
Tecum tulit male gratus.
Sic ut agnum et insontem
Ducunt ad poenalem montem;
Heu, quam grave et horrendum
Matri fuit hoc videndum!

Ad Sextam.

Hora sexta denudatus
Et in terram es prostratus,
Super crucem es extensus,
Clavis ferreis appensus;
Sic in altum elevaris,
Ut a cunctis videaris,
Sed ut magis confundaris,
Medius latronum daris.
Tunc te omnes maledicunt
Atque vach clamantes dicunt:
Hic destructor templi Dei
Salvet se, credimus ei.
Item principes dixerunt,
Caput contra te moverunt:
Alios hic salvos fecit,
In se ipso nunc defecit.
Tunc [hoc] nefas tu excusas
Ad patrem per preces fusas,
Laevus latro tecum pendens
Te blasphemat vilipendens,
Sed hunc dexter increpavit,
Dicens: culpa nos damnavit,
Hic vero nil mali gessit,
Sed hunc gens iniuste pressit;
Et ait: memento mei,
Domine, in regno Dei.
Et Iesus: nunc mecum eris,
In paradiso laeteris.
Quis hinc potest desperare,
Qui hoc bene vult pensare.
Vides, Iesu, matrem stantem,
Singultantem et plorantem,
Luctus gladio transfixam,
Tecum totam crucifixam;
Doles plus de hoc maerore
Quam de vulnerum livore;
Hanc in curam das nepotis,
Quam accepit summis votis.
Sol te planxit obscurando,
Per tres horas sic durando.

Ad Nonam.

Hora nona, o rex caeli,
Clamasti ad patrem Heli,
Cur te sic derelinquisset,
Quod in nullo subvenisset
In tanta calamitate
Et poenarum gravitate;
Nunquam enim fuit dolor
Gravior quam tuus dolor.
Dulcius os tuum melle
Potatur aceto, felle;
Tunc dixisti congaudendo,
Cuncta bene concludendo:
Nunc est totum consummatum,
Quod est ante prophetatum

Tam de mea passione
Quam mundi redemptione.
Tunc te patri commendasti,
Voce magna exspirasti,
Tunc fit terrae motus magnus;
Dum obisti verus agnus,
Petrae, veli fit scissura,
Sepulcrorum apertura,
Et sic omnes creaturae
Tibi sunt compassae iure
Praeter miser homo solus,
Pro quo tu es passus solus.
Haec centurio auscultans
Clamat mirans et singultans:
Vere erat, vobis, promo,
Dei natus iste homo.
Nullam ossis fert fracturam,
Quod signatur per figuram;
Miles latus perforavit.
Sanguis, aqua emanavit,
Aqua in ablutionem,
Sanguis in redemptionem,
Aqua sacra baptismalis
Et sanguis sacramentalis.
Vere multum te oderunt,
Dum nec functo pepercerunt.
Stabat mater videns cuncta,
Pallens quasi iam defuncta.
Nunquam potest explicari
Dolor talis nec pensari;
Dolor fuit tam immensus,
Quod humanos fugit sensus,
Quae sic mente cruciatur,
Plus quam martyr comprobatur.

Ad Vesperas.

Vespertina tandem hora
Corpus tuum sine mora
Ioseph ab Arimathia
A Pilato mente pia
Impetravit sibi dari,
Ut sic posses tumulari.
Qui assumpto Nicodemo,
Uno principe supremo,
Ad solvendum accesserunt
Et corpus deposuerunt.
Quod ut vidit mater tristis,
Se libens coniunxit istis
Paululumque respirabat,
Quantum quibat, adiuvabat.
Unus clavos extrahebat,
Alter corpus sustinebat,
Ipsa vero assistebat,
Supra pectus attrahebat
Caput manusque cruentas
Dependentes atque lentas,
Quibus oscula impressit
Valde se servilem gessit;
Illi corpus assumpserunt,
Super terram posuerunt,
Ipsa semper lacrimatur,
Semper dolor innovatur,
Fuit occupata nimis
Vulnerum tergendis rivis,
Caput suum tenens maesta
Pia voce est conquesta:
Ubi gaudia sunt grata,
Mihi quondam nuntiata?
Nunc sunt versa in maerorem
Et in nimium dolorem.
Quis det mihi tecum mori,
Ut sic finem dem dolori?
O quantus tunc erat luctus
Matris sicut maris fluctus,
Spiritus est intus anctus,
Foris fit amarus planctus.
Quando sic dilectus natus
Mortuus et laceratus,
Cruentatus, denigratus
Est in sinu reclinatus.
Plus quam mors est talis vita,
In maerore tanto sita,
Mariae ut compassio,
Eius sic miseratio.

Ad Completorium.

Hora completoriali
Sepeliris modo tali,
Cum te Ioseph impetrasset,
Nicodemusque portasset
Centum species librarum,
Quibus corpus tuum carum
Gloriose condiderunt,
Velo mundo involverunt.
Cum vellent te sepelire,
Coepit mater impedire,
Petens sibi misereri,
Ut parumper intueri
Posset tuum vultum gratum,
Licet totum deformatum,
Mortuum te sibi dari
Aut te secum tumulari.
Fit conflictus tunc in istis
Ad videndum valde tristis,
Hic sepulcro te ponendo,
Mater ad se retrahendo,
Tantum dolens lacrimando,
Modo valde miserando,
Quod omnes, qui hoc videbant,
Secum flendo condolebant,
Et virorum corda dura
Movit tristis haec planctura
Ad singultum, fletum multum,
Lacrimis rigando vultum,
Quod nequibant fari bene
Nec formare verba plene.
Vae tunc mater persolvebat,
Quod in partu non habebat,
In partu fuit absque vae,
Omni in morte plena vae;
Miror cor tenellum tactum
Tanto vae non esse fractum.
Tandem in conflictu victa
Pia matre benedicta
Te sepelierunt verum
Planctu vitae mortis erum
In tumba odore plena,
Non tua sed aliena.
Heu, tam pauper fis bonorum
Tu heres universorum.

Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. — Ad Mat. 7 et fehlt. — Ad Sext. 17 fehlt eine Silbe. — Ad Compl. 8 Tela mundo. — Der Rundreim: O quid vermis etc. wiederholt sich nach jeder Hore, wobei statt „In hac matutina hora“ der Reihe nach eingesetzt prima, tertia, sexta, nona, vespertina, completorii hora.

28. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

Ave, verbum summi patris,
Flos et fructus castae matris,
Pie Iesu Nazarene,
Mitis, clemens et serene,
Qui in hora matutina,
Ut me reum a sentina
Peccatorum emundares,
Tuo patri reformares,
Gravi turba te vallante
Ac te Iuda osculante
Capi, trahi ac ligari
Atque sputo maculari
A Iudaeis voluisti,
Patienter et tulisti,
Quando Petrum te negantem
Suscepisti lacrimantem;
Meas, precor, sume preces,
Delictorum terge faeces
Et da fontem lacrimarum,
O redemptor animarum,
Ut in corde sic contrito
Caritatis et ignito
Tibi merear servire,
Tuis iussis oboedire.
O Iesu, precor, vendite,
Mundi redemptor inclite,
Tua morte pro amara,
Quam tulisti, crucis ara
In tuo sacro corpore,
Succurre mortis tempore.

Ad Primam.

Ave, verbum incarnatum,
Ex Maria procreatum,
Christe, fili magni regis,
Consecrator novae legis,
Cui diei hora prima,
Ut me reum ad sublima
Revocares supernorum,
Mox a turbis Iudaeorum
Ducebaris ad Pilatum,
Scelerosum et elatum,
Pia facie velatus,
Ab iniquis accusatus,
Flexis illusus genibus,
Colaphizatus ictibus,
Sacris manibus ligatus,
Licet innocens fuisti,
Ut mutus tamen tacuisti;
Unde, precor, vitae dator,
Gravis licet sim peccator,
Me perfunde caeli rore,
Ut te duce, te rectore
Hostes queam superare
Et ardenter te amare.

Ad Tertiam.

Ave, princeps verae pacis,
Qui credentes salvos facis
In te, Iesu, agne Dei,
Fili matris sanctae spei,
Tu, qui in hora tertia
Multa ferens opprobria
Coram plebe et Pilato,
Ut me mundares a peccato,
Exstitisti praesentatus,
Illudendus, spoliatus,
Ad columnam flagellatus
Et ad mortem condemnatus,
Quique vestitus purpura
Coronatus atque spina,
Caput caesum arundine,
Vultus perfusus sanguine
Ut leprosus tu stetisti,
Crucem in umeris tulisti,
Fac me, quaeso, te sequi ducem,
Paenitendo ferre crucem,
Ut in extremo tempore,
Dum resurgam in corpore,
Me digneris excusare,
Patris iram mitigare.

Ad Sextam.

Ave, caeli reserator,
Peccatorum reformator,
Alme Iesu, fons amoris,
Orbis nate conditoris,
Hora sexta qui diei
Tamquam ovis causa mei
Tu innocens et patiens
Urbis portam egrediens
Nudus cruci es adfixus,
Post erectus sic distentus,
A Iudaeis es contemptus.
Qui latronem confitentem
Suscepisti paenitentem,
Meas preces, precor, audi,
Christe clemens, et exaudi.
Fac peccata me deflere,
Morti tuae condolere,
Ne me damnes pro delicto
In iudicio districto,
Sed te iuvante libere
Merear evadere
Iudicium ultionis
Causa tuae passionis.

Ad Nonam.

Ave, crucis consecrator,
Christe, pacis reparator,
Dulcis fructus sanitatis
Et amator castitatis,
Qui diei hora nona
Humanatus in persona

Pro me pendens crucis ara
Vulneratus in amara,
A Iudaeis blasphematus
Et opprobriis saturatus,
Iussu patris qui completo
Fel potasti cum aceto
Et inclinato capite,
O redemptor inclite,
Patri spiritum tradidisti,
Sic me lapsum redemisti.
Heu quantam, Christe, gratiam
Perdidi per malitiam,
Culpis licet sim gravatus,
Morte tua me mercatus
Es, caelestis agne Dei,
Miserere, precor, mei,
Redde misericorditer,
Quod perdidi fragiliter.

Ad Vesperas.

Ave, panis angelorum,
Nutrimentum conditorum,
Bone Iesu, leo fortis
Et aeternae victor mortis,
Qui in hora vespertina
Matre stante in vicina
De ligno crucis levatus,
In sinu matris collocatus.
Plena erat tristitiae,
Mater solis iustitiae,
Cuius ensis cor transfixit,
Senex Simeon quod praedixit,
Unde, precor, verbum patris,
Per dolorem tuae matris,
Quem in corde sustinuit,
Dum te in sinu tenuit,
Praesta locum paenitendi,
Nam in multis te offendi,
Mea ut plangam scelera
Per tua quinque vulnera,
Da devota ut in mente,
Puro corde te favente
Vitam meam, Iesu care,
Fine bono consummare.

Ad Completorium.

Ave, lumen veritatis,
Vas insigne deitatis,
Sacer Iesu, vita vera;
Hostia sacra, lux sincera,
Hora diei ultima
Qui pro morte turpissima,
Quam passurum te scivisti,
Guttas sanguinis fudisti.
Corpus tuum perforatum
A Iudaeis et necatum
In sepulcro dum quievit,
Quam amare mater flevit;
Huius fletus memorare,
Quaeso, Christe, splendor clare,
Per amaram tuam mortem
Fac sanctorum me consortem,
Ut instante die mortis,
Rex aeterne, iudex fortis,
Me digneris visitare,
Mortis horam nuntiare,
Ut spe firma, fide recta
Caritateque perfecta
In te queam exspirare,
Semper tecum exsultare.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. 4° 29.

29. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Iesus orans intime
mente contristatur,
Iesus sudat sanguinem,
terra madidatur.

2. Iesus vili pretio
venditur Iudaeis,
Iesus Iudae osculo
traditus est eis.

3. Iesus sponte capitur,
viliter tractatur,
Iesus duris vinculis
fortiter ligatur.

4. Iesus a discipulis
fuit derelictus,
Iesus ductus turpiter
opprobriis afflictus.

5. Iesus Annae primitus
fuit praesentatus,
Iesus a discipulis
fuit ter negatus.

6. Iesus manu servuli
fuit alapatus,
Iesus vinctus Caiphae
fuit praesentatus.

7. Iesus falsis testibus
fuit accusatus,
Iesus de blasphemia
fuit inculpatus.

8. Iesus diffinitus est,
quod sit mortis reus,
Iesus duris colaphis
punitur homo Deus.

9. Iesus infidelium
sputis defoedatur,
Iesus palmis perfidis
vultu verberatur.

10. Iesu laetam faciem
coeperunt obvelare,
Iesum impiissimi
iusserunt prophetare.

Ad Primam.

1. Iesus ad praetorium
Pilato praesentatur,
Iesus multo crimine
ibidem accusatur.

2. Iesus regi mittitur,
qui congratulatur,
Iesum rex interrogat,
responsum nullum datur.

3. Iesus multo scelere
constanter accusatur,
Iesus cum nil diceret,
a cunctis aspernatur.

4. Iesus tunc ironice
albis est vestitus,
Iesus Pilato redditus
receptus est invitus.

Ad Tertiam.

1. Iesus morti traditur
latro liberatur,
Iesus veste propria
flebiliter nudatur.

2. Iesus flagris caeditur
fortiter ligatus,
Iesus est purpurea
veste subsannatus.

3. Iesu caput inclitum
spinis contorquetur,
Iesus arundineo
sceptro irridetur.

4. Iesus flexis genibus
false adoratur,
Iesus a militibus
Pilati alapatur.

5. Iesu laetam faciem
sputis maculabant,
Iesu caput innocens
cum canna verberabant.

6. Iesus spretus turpiter
Iudaeis demonstratur,
Iesum tolli clamitant,
ut cruci suspendatur.

Ad Sextam.

1. Iesus tribunalibus
Pilato praesentatur,
Iesus per sententiam
mortis condemnatur.

2. Iesus crucem propriam
in umeris portavit,
Iesus locum Golgathae
poenaliter intravit.

3. Iesus suis vestibus
cunctis spoliatur,
Iesus membris omnibus
in cruce dilatatur.

4. Iesu manum dexteram
clavus perforavit,
Iesu laevam carnifex
dire conclavavit.

5. Iesus pede dextero
vulnus capiebat,
Iesus pede altero
ex vulnere dolebat.

6. Iesus cruce positus
in altum elevatur,
Iesus cum latronibus
pendens deputatur.

7. Iesu vestes inclitae
sorte dividuntur,
Iesu regales tituli
a iudice scribuntur.

8. Iesus in patibulo
crucis exprobratur,
Iesus a latronibus
tunc convitiatur.

9. Iesus matris intime
compassus est dolori,
Iesus hanc discipuli
dat curae et amori.

Ad Nonam.

1. Iesus patri caelico
relinqui se clamavit,
Iesus dicens *sitio*
acetum, fel potavit.

2. Iesus *consummatum est*
alte personavit,
Iesus patri spiritum
exspirans commendavit.

3. Iesu latus lancea
miles perforavit,
Iesus nobis sanguinem
cum aqua propinavit.

Ad Vesperas.

1. Iesus de cruce ponitur
hora vespertina,
Iesus murra unguitur,
vitae medicina.

2. Iesus pannis volvitur,
latet vis divina,
Iesus, mundi gloria,
iacuit in spina.

Ad Completorium.

1. Iesus completorii
hora tumulatur,
Iesus specu clauditur,
a suis lamentatur.

2. Iesus limbum spolians
caelos reseravit,
Iesus olim perditam
ovem reparavit.

3. Iesu, pie Domine,
munus de passione,
Christe, tibi offero
cordis devotione.

4. Iesu, cordis gaudium,
o salvator bone,
Iesu, nos participes
tuae fac coronae.

Conclusio

per modum orationis.

1. Iesu, fons dulcedinis,
da copiam amoris,
Nostro cordi imprime
tui vim doloris.

2. Iesu, mores corrige
vitam tribuendo,
Hostes nostros comprime
pacem largiendo.

3. Iesu, nos ad patriam
duc aeternitatis
Et nos fac participes
divinae claritatis.

Praeparationes devotae ad digne celebrandum seu communicandum per Iulium Accoltum primitus collectae etc. Tegernsee 1577. fol. 54 b. sqq. — Ad Prim. 3, 2 viliterque. — Concl. 1, 2 da copiam tui amoris. — Ob die Verteilung auf die kanonischen Stunden diesem Liede ursprünglich ist, erscheint zweifelhaft.

30. Horae de Passione Domini.

Ad Matutinum.

1. Ad Matutinum gemide
Tu patrem exorasti,
Qui prae maerore tremide
Cruorem sudasti,

2. Recumbens in angustia
In monte olivarum
Cum tristi querimonia
Instantium poenarum.

3. Ast interim cum facibus
Iudaei venientes
Et gladiis minacibus
Te propere quaerentes,

4. Per osculum miserrimi
Te Iudae cognoverunt,
Te servi sed asperrimi
Ligantes abduxerunt

5. Apostolis timentibus
Saevitiam cohortis
Atque fugientibus
Timore dirae mortis.

6. Hinc coram pontificibus
Fuisti praesentatus,
In causis multiplicibus
Non minus accusatus

7. Per testes iniquissimos
omni modo mendaces,
Et viros per nequissimos
Et nimium procaces.

8. In collo tuo caesus es,
In roseis maxillis,
Percussus atque laesus es
Cum palmis et pugillis.

9. Tis faciem sputamine
Iudaei maculantes,
Cum albo linteamine
Etiam velantes,

10. Te multum derisorie
Caedendo verberarunt,
Te valde despectorie
Calcando subsannarunt.

11. Petrum tribus te vicibus
Negantem audivisti,
A diris carnificibus
Illusus dum fuisti,

12. Haec horrida convicia
Tu quia sustulisti
Et alia supplicia,
Quibus nos redemisti.

Ad Primam.

1. Ad primam praesentatus es
Tu praesidi Pilato,
De quo iam destinatus es
Herodi scelerato,

2. Sed et hic, sua contio
Te, proh dolor, irrisit,
In alba veste Pontio
Pilato te remisit.

3. Qui quidem multifarie
Te iam examinavit
Immunem et a carie
Te fore proclamavit.

4. Verumtamen instantibus
Nequissimis Iudaeis
Te multum accusantibus
Assentit hic et eis.

5. Nam Barrabam redemerant,
Ad statuam ligarunt,
Flagellis corpus foderant,
Dire castigarunt.

6. Post clamydem coccineam
Te supervestientes
Atque in caput spineam
Coronam imprimentes

7. Arundinem in manibus
Hinc tibi tribuerunt
Et verbis cum minacibus
Illudere coeperunt.

8. Nam iuvenes cum senibus
Furentium tortorum
Clamabant flexis genibus:
Ave, rex Iudaeorum.

9. Qui caput, heu, spiniferum
Hinc tuum verberarunt
Arundine mortiferum
Et ictum replicarunt,

10. Ut cruor ab acumine
Spinarum emanaret
Et rubicundo flumine
Te prorsus irrigaret.

Ad Tertiam.

1. Ad tertiam nequissimus
Ab aequitate cedens
Pilatus, atrocissimus
Pro tribunali sedens,

2. Iniquam per sententiam
Te mori iudicavit,
Qui tuam innocentiam
Iniuste condemnavit.

3. Amicis tuis flentibus
Iudicium tam durum
Tuumque deplangentibus
Supplicium futurum.

4. Hinc saevis carnificibus
Fuisti derelictus,
A quibus multiplicibus
Es cladibus adflictus.

5. Qui crucem tuis umeris
Gerendam tunc viderunt,
Conviciis innumeris
Te quidem affecerunt.

6. Nam geminis praedonibus
Fuisti sociatus,
Praesertim cum latronibus
Iniquis reputatus.

7. Te sequebatur flentium
Caterva matronarum
Et tuum deplangentium
Dolorem tam amarum

8. Ad locum despectissimum
Calvariae vocatum,
Exosum, dedignissimum,
Latronibus aptatum.

9. Ubi secundario
Milites te nudabant
Et flagra tua vario
Tormento renovabant,

10. Iam tuum coaequaliter
Vestitum dividentes
Et partes socialiter
Ex eis capientes.

Ad Sextam.

1. Ad sextam cum funiculis
Extensus es in cruce
Et fixus cum claviculis
A gente nimis truce

2. Per poenas ineffabiles
Per palmas sacrosanctas,
Sicut per venerabiles
Etiam tuas plantas,

3. Ut tua caro regia
Sit quasi lacerata,
Cum tua praeegregia
Sint membra numerata.

4. Hinc supra epitaphium
Pilatus cruci fixit,
Per tripartitum graphium
Conscriptum, quo edixit:

5. Hic Iesus Nazarenus,
Rex verus Iudaeorum,
Regale cui est genus
De stirpe proavorum.

6. O vere dolor nimius,
Cum omnes tui cari
Viderunt te sublimius
In cruce sublevari.

7. Tunc sese dilataverant
Clavorum fixurae
Et sanguinem stillaverant
Pedes manusque purae.

8. Sed inter haec supplicia,
Quae valde te gravabant,
Multimoda convicia
Iudaei tibi dabant,

9. Dicentes: aegrotarios
Hic multos sanos fecit
Atque languentes varios,
Nunc sibimet defecit.

10. Non minus inculpaverat
Te latro sinistrinus,
E contra reprobraverat
Hunc latro dexterinus.

11. Unius obloquentiam
Benigne sustulisti,
Alius paenitentiam
Condigne suscepisti.

12. In rupe Calvariae
Tu matrem prope stantem,
Carentem omni carie,
Vidisti lacrimantem.

13. Hanc tuo consanguineo,
Quem mere dilexisti,
Discipulo virgineo
Iohanni commisisti.

Ad Nonam.

1. Ad nonam „ego sitio“
Clamasti, Iesu bone,
Prae nimio supplicio
Cum esses in agone.

2. Gens mala tibi tribuit
Potare fel amarum
Per spongiam, sed libuit
Hoc bibere te parum,

3. Dicendo: Consummatum est,
De passione mea
Quod ante prophetatum est
Per vates in Iudaea.

4. Hinc tuis pro tortoribus
Patrem exoravisti,
Pro tuis derisoribus
Cum lacrimis dixisti:

5. His, pater amantissime,
Dimitte, qui me plagant
Et cruciant gravissime,
Cum nesciant, quid agant.

6. Me tuum quare filium
Liquisti, heli, heli?
Hoc mortis est exsilium,
Plasmator alme caeli.

7. En, morior pro homine
De morte redimendo,
In manus tuas, Domine,
Spiritum commendo.

8. Sic poenis in gravissimis
Pendens clamitasti
Altisonis cum vocibus,
Cum vitam exhalasti.

Ad Vesperam.

1. Ad vesperam aromata
Vir Ioseph Deo carus
Et Nicodemus, grammata
Qui novit legis gnarus,

2. Discipulorum nomine
Private se gerentes
Tibique, Christe Domine,
Sincere condolentes,

3. Audacter tunc intraverunt
Ad iudicem Pilatum
Et tuum impetraverunt
Corpusculum beatum.

4. Cum quibus secundarie
Tortores abierunt
Et ad locum Calvariae
Te mortuum viderunt.

5. Quapropter grex carnificum
Os tibi non confregit,
Longinus sed deificum
Tuum latus impegit

6. Cum lancea gravissima,
Qua cruor emanavit,
Cum aqua limpidissima
Quae nos a noxa lavit.

7. Per sanguinem sacerrimum
Rigasti crucis postem,
Quo zabulum asperrimum
Necasti nobis hostem.

8. Nam agnus absque macula
Tu es praefiguratus,
Qui diluis piacula
In pascha consecratus.

9. Extractis hinc claviculis
Fuisti resolutus
Et lineis panniculis
Dignanter involutus

10. Pro tuis funeralibus,
Quae Ioseph comparavit,
Expensis qui magnalibus
Exsequias paravit.

Ad Completorium.

1. Ad horam completorii
Fuisti deportatus
Ad specum promontorii,
Ibidem tumulatus,

2. In candido sudario
Gratifice consutus
Aromate cum vario
Condigne delibutus.

3. Ex murrae mixturamine
Et aloes conditus
Cum mundo linteamine
Decenter investitus.

4. Hinc lapidem eximium
Discipuli volverunt
Et monumentum nimium
Bene obstruxerunt.

5. Plangentes suum dominum
Te, mundi redemptorem,
Salvantem genus hominum
Ob maximum amorem.

6. In terra sanctissimae,
Salvator Iesu bone,
Tam virgines clarissimae
Quam nobiles matronae

7. Sederunt cum maestitia
Cis tuum monumentum
In cordis amaritia
Fundentes, heu, lamentum

8. Cum domina sacerrima,
Maria gloriosa,
Benigna, praepulcherrima,
Praedigna, praeformosa.

9. Quae fletibus rigaverat,
Heu, virginalem vultum
Gemendoque spiraverat
Continue singultum.

10. Haec mater vere nobilis
Sepulcro cohaerebat
Et permanens immobilis
Cum fletibus tunc flebat.

11. O quanta desolatio
Tis matrem tunc affecit,
Eidem consolatio
Nam utique defecit,

12. Dum haec cum violentia
De tumba traheretur,
Amabili praesentia
Sic tua privaretur.

13. Sic flebiles exsequiae
Fuerunt adimpletae,
In tua sancta requie
Sunt horae iam completae.

Cod. Heidelbergen. s. n. saec. 15; daraus bei Mone I, 121 ff. — Ad Mat. 1, 3 pro. — 2, 3 querimonio. — 8, 2 in fehlt. — Ad Prim. 5, 1 Nam et. — Ad Sext. 2, 3 Sic etiam venerabiles. — 2, 4 Etiam fehlt. — 3, 2 Fit quasi. — 3, 4 enumerata. — 4, 4 qui dixit. — 5, 3 genus est. — 9, 3 Atque fehlt. — 10, 4 dextrinus.. — Ad Non. 1, 2 Clamitasti. — Ad Vesp. 4, 3 Et fehlt. — 7, 3 zabalum. — 10, 2 Quos Ioseph. — Ad Complet. 12, 4 Non utique. — Nach Str. 13 noch folgende entlehnte und nicht hiehergehörige Doxologie:

Laus, honor Christo vendito
Et sine causa perdito,
Passo mortem pro populo
In aspero patibulo.

Im Vorstehenden ist in der Mehrzahl der Fälle die Lesart der Handschrift wiederhergestellt, wo Mone ungerechtfertigte Änderungen vorgenommen. Namentlich war ihm der mittelalterliche Gebrauch von mis (mei) und tis (tui) fremd, welch letzteres er zweimal (Mat. 9, 1 und Compl. 11, 2) ausgemerzt.

31. De Corona Spinea.

Ad Matutinum.

1. Aeterno regi gloriae
Devota laudum cantica
Fideles solvant hodie
Pro corona dominica.

2. Coronat regem omnium
Corona contumeliae,
Cuius nobis opprobrium
Coronam confert gloriae.

Ad Laudes.

1. De spinarum aculeis
Christi corona plectitur,
Qua ministris tartareis
Mundi potestas tollitur.

2. Corona Christi capitis,
Sacro perfusa sanguine,
Poenae solutis debitis
Reos purgat a crimine.

Ad Primam.

1. Iam lucis mundi conditor
Impiissime tractatur,
Conspuitur, illuditur,
Postremum flagellatur.

2. Corona de spinis plectitur,
Qua caput Christi pungitur,
Punctum dedit medicinam
Et gloriam sempiternam.

Ad Tertiam.

1. Nunc sanctus pater omnium
A Pilato damnatur,
Corona infidelium
Spinea coronatur.
2. Hunc summum regem gloriae,
Spinis coronatum,
Deridet plebs perfidiae
Morte condemnatum.

Ad Nonam.

1. Rerum Deus aculeis
Spinarum transfoditur,
Vultus rubet sanguineis
Guttis, et sub his moritur.
2. Pungens spina vulnerat
Christum patientem
Et a morte liberat
Populum credentem.

Ad Sextam.

1. Rector potens, verax Deus,
Se permisit coronari,
Ut redemptor esset verus,
Tam vilis voluit reputari.
2. O quam felix punctio,
Quam beata spina,
De qua fluxit unctio,
Mundi medicina.

Ad Vesperas.

1. Ave, lumen saeculi,
Sub spinis quod coronae
Stas infidelis populi,
A mortis me solve mucrone.
2. Spinae rubent sanguine
Christum cruentantes,
Mundum lavant crimine
Caelum reserantes.

Ad Completorium.

1. Fit porta caeli patula,
Spinea dum corona
Caput Christi pungitur,
Et effluunt caelica dona.
2. Genus omne saeculi,
Laudes solve debitas
Spineae coronae Domini,
Quae abluit nostras noxas.
3. Laus Christo, regi gloriae,
Pro coronae virtutibus,
Qua nos reformans gratiae
Coronat in caelestibus.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — Dies Stundenlied ist mit erborgten Stellen aus Hymnen und Reimofficien durchsetzt; die vom Sammler zugefügten Strophen kennzeichnen sich durch metrische Verwahrlosung.

32. Horae de Resurrectione Domini.

Ad Vesperas.

1. Gratulemur nisu toto
cumulando gaudia
In sollemnitatis huius
aurea vigilia.
2. In qua Christo triumphante
saevus hostis vincitur,
Pulsus homo paradiso
liber restituitur.
3. Pro hac libertate data
victori mortis gloria
Cum patre ac paraclito
nunc et sine termino.

Ad Matutinum.

1. Corpus tuum deificum,
Iesu, valde mirificum,
Mane sepulcro prodiit
Et vitam mundo tribuit.

2. Da per festum magnificum,
Quo perlustrasti saeculum,
Ut laetemur cum omnibus,
Qui gaudent in caelestibus.

3. Ob cuius reverentiam
Nunc trinitati gloriam
Omnes sensus iam concrepent
Et sine fine iubilent.

Ad Primam.

1. O dominator dominans,
Aurora semper rutilans,
De morte surgis glorians,
Caelum, terram illuminans.

2. Hac hora tu illumina
Mentes, sensus et corpora,
Ut post mundi exsilia
Tecum simus in gloria.

3. O caelorum rex optime,
Iesu, cum sancto pneumate
Districto in examine
Iunge sanctis in aethere.

Ad Tertiam.

1. O splendor patris unice,
Qui ipsa carne hodie
Surrexisti de pulvere,
Qua natus es de virgine,

2. Fac me nunc esse memorem,
Quod ad inenarrabilem
Videndam tuam speciem
Prece ducar in requiem.

3. Hora diei tertia
Nunc patri laus quam maxima
Pro nati sit victoria
Sanctique flatus gratia.

Ad Sextam.

1. O rex virtutum Domine,
Qui processisti hodie
Indutus stola gloriae,
Ut sol splendens meridie,

2. Quaerenti te iam indica,
Quis sit cibus in patria,
Quam hac die sanctissima
Ministrabis in gloria.

3. O delicate iuvenis,
Pro impendendis gaudiis
Tibi laus et imperium
Sit nunc et in perpetuum.

Ad Nonam.

1. O dies venerabilis,
Qua triumphator nobilis
Surrexisti a mortuis,
Non solus sed cum plurimis.

2. Pro immensa laetitia,
Qua pro tua victoria
Simul adimples omnia,
Nos salvos fac per saecula.

3. Haec tua resurrectio
Est omni plena gaudio,
Ergo sit laus et gloria
Trinitati per saecula.

Ad Vesperas.

1. O Christe, sponsus virginum,
Oblatus es ad vesperum,
Sed versus est in gaudium
Luctus et in tripudium,

2. Cum reviviscis hodie,
Consolator maestitiae,
Reflorens flos e tumulo
Mane primo diluculo.

3. Tibi summo laus principi
Sit, qui nunc nostri debiti
Delevisti chirographum
Et regnas in perpetuum.

Ad Completorium.

1. O tu summa benignitas
Et mira cordis suavitas,
Huius diei claritas
Finitur et serenitas.

2. Ergo educ exsilio,
Nos caeli iunge gaudio,
Quo festo hoc gratissimo
Laetemur sine termino.

3. Iesu, nostra redemptio
Et nostra resurrectio,
Cum patre et paraclito
Laus sit tibi perpetuo.

Orat. ms. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1262. — Ad Prim. 1, 2 O aurora.

33. Horae de Resurrectione Domini.

Ad Matutinum.

1. Salve, nox sacratissima,
Quam diligere est iustitia,
Sensus mortalis hominis
Non valet comprehendere
Te suavem in tuo lumine.

2. O nox beatissima,
Omni plena laetitia,
Expellens tua dignitas
Omnes tenebras noxias.

3. Qui humano in corpore
Multa tulit pro homine,
Ad eruendum properat,
Quem liberare venerat.

4. Ornatum quondam angelum
Ligat nunc diabolum,
Ut hominem restituat,
Quem de limo plasmaverat.

5. Gloria tibi, Domine,
Qui virtute potentiae
Ab omni tristitia
Liberasti hac nocte tua opera.

Ad Primam.

1. Iam illuxit divinitus
Dies ille dulcissimus,
Quem Christus, sol iustitiae,
Consecravit praecipue,
Qui optatus est perenniter
Et donatus feliciter.

2. Huius diei sollemnitas
Est aeterna suavitas,
Vincit mellis dulcedinem
Et dat omne gaudium.

3. Mater et virgo nobilis,
Quae viro est incognita,
Iam videt suum filium,
Quem luxit nimis mortuum.

4. Eius congaudet victoriae,
Quam sic peregit optime,
Quod mortem vicit viriliter
Et vivit aeternaliter.

5. Quis illa ineffabilia
Pensare posset gaudia,
Qua de filii dulci praesentia
Laetatur mater unica,
Quae illum ut propriam
Nimis dilexit animam.

6. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defendas populum.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Tertiam.

1. Nunc rimante spiritu
Celebremus insignia
Huius diei gaudia
Et indefesso corpore
Laudemus regem gloriae.

2. Gaude simul, ecclesia,
Superna quoque curia,
Plaude iucundis manibus
Excelsis cum ordinibus.

3. Agnus mansuetissimus
Est leo factus fortissimus,
Dum suis subiecit pedibus,
Qui nos devicit fraudibus.

4. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

5. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Sextam.

1. Rector potentissimus,
Qui vultu est pulcherrimus,
In se ipso renituit,
Dum de morte convaluit.

2. Superna illa divinitas,
Quae est summa suavitas,
Exsurge, ait, mea gloria;
Caro respondit te tumulo:
Exsurgam diluculo.

3. Horam illius dulcedinis
Non valet homo fragilis
Vel parum intellegere,
Quantae fuerit gloriae.

4. Quanta fuit suavitas,
Quod summa divinitas
In terris tota pleniter
Habitavit ineffabiliter.

5. De hac tanta dulcedine
Infundamur hodie,
Ut corde devotissimo
Serviamus Domino.

Ad Nonam.

1. Rerum Deus inclite
Nos caelestium vere protege,
Ut in tua dilectione
Ferveamus assidue.

2. Qui triumphali potentia
Claustra destruxisti infernalia,
Nos ad vitae gaudia
Per festa duc paschalia.

3. Quanta et quali gloria
Procedebas ad tartara,
Cum te senatus angelicus
Praecessit ut regem nuntius.

4. O quam pulchra processio,
Ornata omni gaudio,
Quae vexillis niveis
Exibat de tenebris!

O laudandum per saecula,
Per quem fit haec victoria.

Ad Vesperas.

1. Salve, dies sanctitatis
Simul et iucunditatis,
Haec est excelsior cunctis
Sanctiorque universis.

2. Salve, dies miserationis
Totiusque liberationis,
Vivis qui es gaudium,
Defunctis refrigerium.

3. Salve, dies decora et praeclara,
Angelis et hominibus cara,
In qua nos salvator mundi
A morte aeternae
Maledictionis redemit
Et planctum nostrum
In gaudium convertit.

4. Salve, dies festa,
In qua consolantur corda maesta,
Cunctis vivis et defunctis grata
Quia in ipso omnium
Artata sunt peccata.

5. Salve, gloria dierum,
In qua dominus caelorum
Hodie in paradisum
Restituit hominem reum.

6. Huic sanctissimae diei
Collaetentur omnes iusti et rei,
Et regina caeli
Laudem pangat filio Dei
Cum sexu femineo,

7. Congaudeat in hac sacra die
Unico specioso filio regnanti,
Contempletur ovans luce,
Quem morientem vidit in cruce.

8. Laudent te omnes angeli et archangeli,
Omnes sancti et iusti,
Quia hodie eorum
Numerum adimplesti.

9. Laudent te omnes sancti
Patriarchae et prophetae,
Quia hodie eorum numerum
Visitasti et liberasti.

10. Laudent te omnes sancti
Et electi tui,
Quos per resurrectionem tuam
Ad vitam aeternam reparasti.
Et nos peccatores te laudamus
Gratias agentes

Suppliciterque deprecantes,
Ut in eorum consortio
Te in perpetuum
Laudare mereamur.

Ad Completorium.

1. Laudandus est Dominus,
Qui divinitatis viribus
Hostem humani generis
Spoliavit in inferis.

2. O laudanda victoria,
Quia illa dulcissima
Anima se circumdedit
Et divinitate armavit.

3. O quantus clamor oritur,
Dum manus illa porrigitur,
Quae suam ad imaginem
Plasmaverat tunc hominem.

4. Et quem irata facie
Quaerebat in meridie,
Eum nunc non quaeritat,
Sed ut placatum videat.

5. Ille resolutus in lacrimis
Obviam ei clamitat:
Nunc advenisti, Domine,
Quem nos diutissime
Nostris uberrimis
Exspectavimus lacrimis.

6. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Cod. Voravien. 158. saec. 15. — Ad Mat. 3, 3 erudiendum. — Ad Sext. 3, 1 Hora.

34. Cursus de sanctis Angelis.

Ad Matutinum.

1. O Seraphim ignivoma
Et Cherubim aetherea
Divinaque subsellia,
Numina dominantia,

2. Sidera principantia
Potestasque almiphona,
Virtus quoque uranica
Et phalanx archangelica,

3. Beata plebs angelica,
Cuncta superna agmina,
Laus Deo pro vestra gloria,
Cui iungat nos ex gratia.

Ad Laudes.

1. Omnes caelestes ordines,
Caelestis aulae milites
Mille milleni millies,
Vestros audite supplices.

2. Potentes in virtutibus,
Tremendi quoque nutibus
Et fulgurosi vultibus,
Christi favete plebibus.

3. Salve, beata trinitas,
Simul et una deitas,
Iuva creatrix saeculum,
Quae regnas in perpetuum.

Ad Primam.

1. Patrone fidelissime
Custosque mi angelice
Ac propugnator optime,
Caeli consors militiae,

2. Tibi laudes magnificas
Et grates reddo debitas,
Tuae datum custodiae
Perduc in regnum patriae

3. Pro omni tua gloria
Et fida patrocinia
Sit sempiterno Domino
Laus fideli custodia.

Ad Tertiam.

1. O Michael, dux inclite,
Primas caeli militiae,
Qui clarior prae ceteris
In arce fulges aetheris.

2. Paradisi praeposite,
Christi princeps ecclesiae,
Agones nostros prospice,
Post mortem pius suscipe.

3. Doxa regi altissimo
In principe clarissimo,
Cuius nos forti brachio
Caeli coronet bravio.

Ad Sextam.

1. O viva caeli sidera
Et paradisi lilia,
Nobile decus patriae,
Dei gaudentes facie,

2. Sublimi vestrae gloriae
Congratulemur intime,
Cuius et nos participes
Vestros facite supplices.

3. Trinitati deificae
Laus, honor, decus latriae,
Creatis et spiritibus,
Quos beat in caelestibus.

Ad Nonam.

1. Laus angelorum inclita,
Spes conditorum unica,
Lumen Deus de lumine,
Tu nos ab alto respice.

2. Nostris quies sit mentibus
Angelorum precatibus,
Quorum piis concentibus
Nos iungas in caelestibus.

3. Te cuncta laudent pariter,
Summe cunctorum arbiter,
Est cuius regnum stabile
Per aevum sine tempore.

Ad Vesperas.

1. Chori novem angelici
Canori et hymnidici
Creatorem dulcisonis
Semper laudantes organis,

2. Apud ipsum causidici
Nostri sitis pacifici,
Ut mereamur adici
Melodis regni caelici.

3. Hinc laetabundis mentibus
Vobiscum summis civibus
Laudes Deo concinimus,
Ut det nos vestris coetibus.

Ad Completorium.

1. O angeli fortissimi
Ac victoriosissimi,
En, vestrae fortitudini
Hostes cedunt tartarei.

2. Pugnamus hic in stadio
Salutis desiderio,
Ferte nobis auxilia
Contra bella hostilia.

3. Salus, virtus, victoria
Deo nostro in saecula,
Qui robur dat pugnantibus,
Coronam triumphantibus.

Orat. ms. Tegrinsense anni 1470. Clm. Monacen. 20 012.

35. Cursus de ss. Angelis.

Ad Matutinum.

1. Assiste, lux angelica,
Perlustra noctem, carceres,
Solve vinctos et indica,
Quod nos ducendo liberes.

2. Qui educit de tenebris
Vinctos in fortitudine,
Nos ducat ab illecebris,
Rex angelorum lumine.

Ad Laudes.

1. Si[c] nocte lux angelica
Nos Iacobitas faciat,
Ut aurora transelica
Israelitas pariat.

2. Praesta, beata trinitas,
Nobis sic hostes vincere,
Ut nostra sit felicitas
Cum angelis te cernere.

Ad Primam.

1. Sic tibi, Deus, offerat
Cor sui primogenita,
Ut angelis mox inferat
Mactanda carnis vetita.

2. Sic tibi, Deus trinitas,
Se nostra dent praecordia,
Ut des te nobis deitas
Cum angelis in patria.

Ad Tertiam.

1. Pergentibus ad patriam
Caelestem nobis angeli
Castra veniant obviam
Nosque sumant archangeli.

2. Trino Deo et simplici
Sit laus et benedictio,
Qui nos regit multiplici
Angelorum obsequio.

Ad Sextam.

1. Ne uramur incendio
Fornacis Babylonicae,
Urat nos Christus radio
Caritatis angelicae.

2. Trino Deo praeconium
Trina det mundi fabrica,
Trinamque pellat hostium
Vim trina vis angelica.

Ad Nonam.

1. Sic pane continentiae
Nos angeli reficiant,
Ut aqua sapientiae
Mentes ad hanc perveniant.

2. Nos panis fortitudine
Angelorum induere
Et tuam altidudinem
Fac, trinitas, conscendere.

Ad Vesperas.

1. Vespertina oratio
Ascendat ad te, Domine,
Et Gabriele nuntio
Solvamur a ligamine.

2. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul spiritui,
Qui ducant ab exsilio
Nos angelorum statui.

Ad Completorium.

1. Iam post solis occubitum,
Sol vere, da quiescere
Et ad tui contuitum
Cum angelis ascendere.

2. In te sit nostra requies,
Trinitas beatissima,
In nobis pauset facies
Angelis praegratissima.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Mus. Ferdinandei Oenipontan. s. n. (Vgl. Iahresbericht 1887, Handschriften Nr. 9.). — Ad Tert. 1, 3 sint obviam — Ad Sext. 2, 3 Trinumque. — Ad Non. 1, 2 Non angeli.

36. Cursus de ss. Angelis.

Ad Matut. et Vesp.

1. A summo choro Seraphim
Concentum ad puerorum
Ardenter Christo Domino
Psallemus nunc altissimo.

2. Beata cuius genetrix
Semper virgo decorata,
Caritate inflammata
Est supra celsa Seraphim.

3. Creator aulae Cherubim,
Scientiae effluentis,
Susceptans formam servuli
Errores fugat saeculi.

4. Domus cuius sanctissima
Spiritus sancti gratia
Fit Christi habitaculum,
Mentium veri luminis.

5. E caelo iudex mittitur
In throno cuncta ruminans,
Laxare gratis vinculum,
Tyrannus sic deluditur.

6. Fit mater Dei famula,
Quod non erat, dum assumpsit,
Et matris nutu iudicans
Per cuncta mundi saecula.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Ad Primam.

1. Hic patet in praesaepio
Dominus dominantium
Pastoribus stupentibus
Iubilum concinentium.

2. Ioseph, felix nutritius,
Et cor Mariae virginis
Mirantur super omnibus
Insuetis concurrentibus.

3. Katholicam ecclesiam,
Te deprecamur supplices,
Principatum principatu
Vincendo, Christe, complices.

4. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Ad Tertiam.

1. Mariae natus unicus
Patrisque unigenitus
Summi, bovis et asini
In stabulo qui socius,

2. Nunc matris pellat precibus
Potestatem malignorum
Spirituum electorum
Potestate angelorum.

3. O rex virtutum gloriae,
Peccata nostra ablue,
Virtutibus nos perfice
Et hostem semper comprime.

4. Praesta tu hoc, piissime
Pater et patris unice
Compar, cum sancto spiritu
Regnans per omne saeculum.

Ad Sextam.

1. Quem Chaldaeorum proceres
Visitant cum muneribus,
Hunc stella caeli indicat,
Sed quaerit rex, ut perimat.

2. Regis nati archangeli,
Altis qui praesunt omnibus,
Nati matris clementiae
Nos ducant ad caelestia.

3. Sepelit enses impius
Piorum in visceribus
Per nuntios satellites.
Ut tuorum angelorum,

4. Te poscimus, piissime,
Intercedente virgine,
A daemonum insidiis
Custodia nos protegas.

Ad Nonam et Complet.

1. Verbum caro effugatur,
Dum vibrat ensem carnifex,
Aegyptum inde visitat,
Quam olim plagis laeserat.

2. Xristus puer revertitur
Cum matre semper virgine
Post mortem regis impii,
Carentis aevo requie.

3. Ymaginem tu suscipe,
Quam recreasti hodie,
Similem tibi precibus
Et electorum meritis,

4. Zizania cum lolio
Repulsis nutu virginis,
Ut Adonay gloriam
Demus ylion in excelsis.

Cod. Vatican. Pallat. 412. saec. 15. (enthaltend den Adamas colluctantium aquilarum des Wynandus de Stega, Doctoris decretalium) fol. 103b. „Dominicae nativitatis anno millesimo quadringentesimo vigesimo in civitate Augustensi in crastino Epiphaniae hunc composui hymnum in laudem Dei, gloriosae virginis Mariae et omnium civium supernorum. Qui ad omnes horas cantabilis est sub nota hymni: A solis ortus cardine.“ Den Hymnus begleitet eine lange mystische Erklärung. Am Schlusse derselben heifst es: Item ylion est dictio Hebraica et legitur per duas syllabas et est idem, quod altissimus, et debet scribi per Graecum y, quod solum ponitur in dictionibus Graecis et barbaricis secundum Katholicon. . . . . Et haec glosula ostendens compositoris nomen tot habet capitales literas, quot habet hymnus abecedarias. Et sic est finis huius. Amen.“

Diese Initialen der Glosse ergeben: „Doctor Winandus me ornavit.“ Das Titelbild des Buches stellt die Überreichung desselben an den Pfalzgrafen Ludwig, dapifer imperii, dar; danach trägt der Verfasser einen blauen Mantel mit Hermelinkragen und rotes Pileolum, ihm zu Füfsen sein Wappen, das in Gold einen schräglinken weifsen Steg, darüber einen roten Löwen- oder Hundekopf zeigt.

37. De s. Angelo Custode.

Ad Matutinum.

1. Tu, qui es notitia
doctus matutina,
Quam in verbo conspicis,
aurem nunc inclina
Mentemque illumina
sacra medicina,
Imple tibi creditum
caelesti doctrina.

Ad Primam.

2. Prima norma traditur
timor filialis,
Hunc imprime fortiter,
inest tibi talis,
Servilem mox abice,
retrahe a malis,
Sic commissum refice
et fove sub alis.

Ad Tertiam.

3. Tertia petitio,
quam tibi praesento,
Ut in fide instruas
me pro fundamento,
Intra, extra munias
ubique iuvando,
Ut amicus protegas
me omni momento.

Ad Sextam.

4. Arce, quaeso, daemonem
nunc meridianum
Et constanter prohibe
diram eius manum,
Sume scutum protinus,
non sit tibi vanum,
Subverte insidias
hostemque profanum.

Ad Nonam.

5. Nonus ordo, cuius es,
ad hoc deputatur,
Mentem meam excitet,
ut ab omni labe
Sincere refugiens
ad bonum trahatur,
Sic et vitam dirige,
quam flens praestolatur.

Ad Vesperas.

6. Tu nosti veraciter
luce vespertina,
Quae desunt utilia,
da mihi, festina
Ministrando prospera,
adversa declina,
Hoc tibi officium
dat virtus divina.

Ad Completorium.

7. Ultimo cum fuerit
haec vita completa,
Confer patrocinium
in mortis dieta,
Prostra hostem perfidum
ut fortis athleta,
Testis sis propitius
in finali meta.

Conclusio.

8. Eia, ergo, inclite,
clarum tenens vultum,
Haec, quae tibi offero
nunc devoto cultu,
Fac vivam pacifice
hic sine tumultu,
Et, ubi laetitia,
remoto singultu.

Orat. ms. S. Clementis Tolitani saec. 15. Cod Matriten. Tolet. 122. — 3, 5 extra fehlt. — 8, 4 vultu. — 8, 7 ubi est.

38. De Conceptione BMV.

Invitatorium.

Eia, mea labia,
Nunc annuntiate
Laudes et praeconia
Virginis beatae.

Ad Matutinum.

1. Salve, mundi domina,
caelorum regina,
Salve, virgo virginum,
stella matutina,
Salve, plena gratia,
clara lux divina,
Meum in auxilium,
domina, festina.

2. Post invitatorium
tuum inchoatum
Submersum presbyterum,
Acheronti datum,
Inde pie eruis,
admones, ut statum
Mutans tuum celebret
conceptum beatum.

Ad Primam.

1. Salve, sapientiae
domus dedicata,
Columna septemplici
mire perornata,
Ab omni contagio
mundi praeservata,
Ante sancta in utero
parentis quam nata.

2. Ab aeterno Dominus
te praedestinavit
Matrem unigeniti
fore, qui creavit
Terram, pontum, aethera,
quam sic sublimavit,
Nulla culpa penitus
sibi subiugavit.

Ad Tertiam.

1. Salve arca foederis,
thronus Salomonis,
Arcus pulcher aetheris,
rubus visionis,
Virga frondens germinis,
vellus Gedeonis,
Porta clausa numinis,
expers livionis.

2. Decuit tam nobilem
natum praecavere
A culpae miseria
matrem suam vere,
Quam sibi elegerat
in matrem habere,
Nulli unquam velle [hanc]
labi subiacere.

Ad Sextam.

1. Salve, virgo virginum,
templum trinitatis,
Angelorum gaudium,
cella puritatis,
Solamen maerentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.

2. Helsini navicula
undis agitatur,
A quo mox ut monito
caelitus iuratur,
Quod tua conceptio
devote colatur,
Aequor ad imperium
tuum mitigatur.

Ad Nonam.

1. Salve, urbs refugii
turrisque munita,
David propugnaculis
miris insignita,
Tu sponsato coniugem
ducente levita,
Nonam cum inciperet,
hunc affaris ita:

2. Numquid non pulcherrima
sum? dic ergo, quare
Me dimissa aliam
vis sponsam amare?
Noli hoc sic agere,
mihi famulare
Et hinc meum conceptum
cura celebrare.

Ad Vesperas.

1. Salve horologium,
quo retrogradatur
Phoebus decem lineis,
verbum incarnatur,
Ut homo ab inferis
ad summa vehatur,
Immensus ab angelis
paulo minoratur.

2. Solis huius radiis,
domina, fugetur
Tetra nox, et acies
mentis illustretur,
Amorisque facibus
cor tepens flammetur,
Ut hunc pure diligat,
huic famuletur.

Ad Completorium.

1. Salve, virgo puerpera,
mater illibata,
Regina clementiae,
dulcis advocata,
Prae cunctis angelicis
choris ordinata
Et ad dextram filii
in regno locata.

2. Ad te, mater gratiae,
dulcis spes reorum,
Preces supplex dirigo,
ut regni caelorum
Adipisci merear
gaudia sanctorum,
Adiunctus splendiferis
choris angelorum.

Conclusio.

Supplices offerimus
tibi, mater pia,
Has horas canonicas,
tu nos in hac via
Ducas cursu prospero
et in agonia
Astes nobis exitus,
o dulcis Maria.

Orat. ms. Cleophae de Baden anni 1516. Cod. Paulan. Sanblas. memb. 76. A. — Orat. ms. Ambergen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990. B. — Ad Prim. 2, 5 Terra A. — Ad Tert. 1, 5 fronde B. — Ad Vesp. 2, 2 daemon fugetur A. — 2, 6 Tepe cor B. — Ad Compl. 1, 8 collocata B. — Conclusio fehlt A.

39. De Conceptione BMV.

Ad Matutinum.

1. Benedicta conceptio
Virginis matris Mariae
Festivetur cum gaudio,
Assit dies laetitiae,
Laetetur tota regio
Serviens regi gloriae
Non obstante obiurgio
Detrahentis invidiae.

Ad Primam.

2. Erubescant insensati,
Qui respuunt celebrare
Mysteria tam sacrati
Diei ac festivare,
Qui fuerunt copulati,
Vir cum sua muliere,
Pessime sunt avisati
Sic volentes deviare.

Ad Tertiam.

3. Conceptio laudabilis
Ab angelo nuntiata
Mariae tam amabilis
In conceptu praeservata,
Est unde venerabilis
Ecclesia illustrata
Et in suis miraculis
Et laudibus honorata.

Ad Sextam.

4. Ave, regina caelorum,
Inter omnes mitissima,
Ave, decus angelorum
Inter omnes pulcherrima
Simul et archangelorum
Omni laude dignissima,
Quae concepta vitiorum
Sine labe purissima.

Ad Nonam.

5. Tuum corpus ac viscera,
Quae Dominum portaverunt,
Virginalia ubera,
Quae ipsummet lactaverunt,
Beata sunt et opera
Tua, et qui crediderunt,
Quod sine labe concepta
Post et ante permanserunt.

Ad Vesperas.

6. Salve, mater salvatoris,
Quae es soror insignita,
Salve, quia Deum paris,
Angelorum spes et vita,
Salve, virgo singularis,
Vera sacra margarita,
Salve, quia stella maris
Es sine labe concepta.

Ad Completorium.

7. Matris Dei conceptio
Est nostrae redemptionis
Potissima inceptio
Atque reparationis
Et, non mirum, exemptio
Antiquae contagionis
Fuit et in principio
Ipsius creationis.

Conclusio.

8. Conceptionis honore
Has horas, Christe, diximus
Corde devoto et ore
Matris tuae, quam petimus,
Ut nos mundes a foetore
Peccatorum, quae fecimus,
Precum suarum fervore,
Ut in caelo tecum simus.

Cod. Palat. Vindobonen. 1862. saec. 15. A. — Clm. Monacen. 4423 anni 1481. B. — Cod. Parisin. 3639 saec. $^{15}/_{16}$. C. — Horae B.VM. sec. usum Romanum. imp. Parisiis 1522. D. — Horae BMV. sec. usum Romanum imp. Parisiis (Kerver) 1519. E. — 1, 2 Virginis fehlt A. — 1, 8 munditiae A. — Str. 1 fehlt B. — 2, 2 Qui contemnunt B. — 2, 6 Sanctus vir cum sua B; dann schiebt B die Zeile ein: Ut in statu innocentum. — 2, 7 Percisse sunt advisati A; Pessime exsistunt advisati B. — 2, 8 Sic fehlt A. — 3, 3 tam mirabilis B; tam laudabilis D. — 3, 5 est fehlt hier B. — 3, 6 Ecclesia est illustrata B. — 3, 7 Signis et miraculis B. — Str. 4 ad Nonam B. — 4, 4 omnes venustissima B. — 4, 7 Quae sola concepta es vitiorum B. — Str. 5 ad Sextam B. — 5, 1 Suum corpus AD. — 5, 2 Quae Deum B. — 5, 6 et fehlt B. — 5, 7 Quae sine AD. — 6, 1 redemptoris B. — 6, 4 sol et vita D. — 6, 6 Christi felix margarita B. — 6, 7 Vale vera stella maris B. — 6, 8 Tu sola sine labe concepta laetaris B. — 7, 1 Matris Dei conceptio dignissima B. — 7, 2 Nostrae erat redemptionis B. — 7, 3 Inceptio potissima B. — 6, 5 Eapropter non mirum si exceptio B. — 7, 7 Adesse debuit in principio B. — 7, 8 Humanae restaurationis B; hinter 7, 8 noch: perpetua salvatio E. — Str. 8 fehlt AB. — 8, 2 dicimus E. —

40. De Conceptione BMV.

Ad Matutinum.

1. Fletus longaevi rex regum misertus
Angelum mittit, gaudium pro luctu,
Ut dicat Annae: tempore senili
Prolem habebis.

2. Aeterni verbi concipies matrem,
Anna, tu gaude, quoniam nec talem
Esse nec credas futuram, hanc dicent
Omnes beatam.

3. Ioachim magno gaudio repletur,
Vocem dum audit angeli dicentis:
Pariet tibi Anna matrem Dei,
Grandem prae cunctis.

4. Gloria patri genitaeque proli,
Flamini sancto virginique matri,
Quae Dei natum genuit hominem,
Sit laus perennis.

Ad Primam.

1. Terminum noctis aeternus aurora
Reddidit mundo Mariam praemittens,
Gaudium mundi, stellam matutinam,
Praeviam solis.

2. In ortu lucis stellae maris pontus,
Terra laetetur, gaudeat peccator,
Nascitur mater Iesu redemptoris,
Maria clemens.

3. Caelici cives, reges terrae colunt,
Sterilis parit, miratur natura,
Stupet infernus videns sine labe
Virginem nasci.

Ad Tertiam.

1. Salutem mundo tribuere volens
E caelis Deus angelum Mariae
Mittit, ut dicat eam salutando:
Ave, Maria.

2. Gratia plena, concipies Deum,
Hoc tibi signum: Elisabeth, tua
Parens, concepit sterilisque sua
In senectute.

3. Puella gaudens Gabrielis ore
Suscipit verba, respondens sic dicit:
Ecce, ancilla Domini fiatque
Hoc verbum tuum.

Ad Sextam.

1. Puerum vatem habentem supremi
Alvo reclusum cognatam Maria
Montana Iudae ascendens salutat
Festino gressu.

2. Maria vocem Elisabeth audit,
Exsultat infans in utero clausus,
Prophetat mater dicens: quia credis,
Concipis verbum.

3. Virgo tam mira audiens et videns
Canticum novum reddit creatori,
Dulce dans melos: Magnificat Deum
Anima mea.

Ad Nonam.

1. Nascitur mundo verbum caro factum,
Solis transcendens lucem lux perfecta
Tenebris lucens, capere quam sui
Generis nolunt.

2. Gloriam Deo, pacem terrae cantat
Chorus caelorum, lux oritur nova,
Custodes gregis cantus angelorum
Audiunt nocte.

3. Pastores currunt cantus audientes
Natum videre pannis involutum,
Mariae natum vident in praesaepe,
Redeunt laeti.

Ad Vesperas.

1. Morte dum vides ortum vitae mori,
Quis, quantus dolor, gladius pertransit
Animam tuam, genetrix tu vitae,
O clemens mater!

2. Corporis nati videns plagas, latus,
Sanguinis fluxum, derisorum verba,
Lacrimas fundens tu subiaces humo,
Tu pia mater.

3. Me tecum flere plagasque sentire,
Genetrix, dona tua prece nati,
Lancea, clavis, cruce, spinis pungi
Fac, dulcis mater.

Ad Completorium.

1. Reginae caeli e domo refertur
Iosaphat corpus, nihil reperitur
Ni locus, in quo, mannaque de caelo
Ibidem esse.

2. Credimus pie sanctorum cum choris
Iesum venisse, Deo iubilantes,
Animam, corpus simul sociantes
In summo caelo.

3. Trinitas sancta suscipiens matrem
Sertis coronat ter denis centenis,
Gaudium semper, iubilus in aevum
Sit tibi, mater.

Horae sec. usum Parisinum saec. 15. Cod. Lincen. Cc II 3 A. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanum imp. Parisiis (Kerver) 1501. B. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanum imp. Parisiis (Hardouyn) s. a 1509). C. — Horas de Nuestra Señora segun la orden Romana, Çaragoça 1534. D. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanae curiae imp. in Castro Lauro curtis maioris 1503. E. — Horae beatae M. V. sec. usum Romanum totaliter ad longum imp. Parisiis s. a. [ca 1831]. F. — Ad Mat. 1, 1 longaevum A. — 2, 1 Etenim verbi A. — Ad Prim. 1, 1 aeternum CF; aeternae B. — 1, 2 promittens D. — 2, 1 stella A. — 2, 2 laetantur BF. — 3, 1 Felici B; Caeli cives C. — 3, 4 nascens A. — Ad Tert. 2, 3 sterilis filium CF. — 3, 2 suscepit F. — Ad Sext. 1, 2 reclusum amore Maria BD. Mariam F. — 1, 3 Montana Iudaea scandens AC. — 2, 4 Concipies AC. — Ad Vesp. 1, 1 Forte dum F. — 1, 2 patransivit AF. — 1, 3 o genetrix vitae C. — 2, 3 fundens tu fehlt A; fundens tunc FC; homo A. — Ad Compl. 1, 1 e domo delatum BD. — 1, 3 Nisi locus A; que fehlt A. — Nach jeder Strophe wiederholt sich die Doxologie. — Cfr. Mone II, 15 ff. Anal. XVI, 8.

41. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. Ave, virgo, stella maris,
Orta mundo consecraris,
Sancto verbo fecundaris,
Laudans Iesum, o Maria;
Ave, nocte solem paris,
Votis, donis veneraris,
Circumcisum offers aris,
Celans Iesum, o Maria.

Ad Laudes.

2. Ave, laudes confers Christi,
Quaerens prolem invenisti,
Post baptismum supplevisti
Vinum Iesu, o Maria;
Ave, mira congruisti,
Cena facta captum scisti,
Ter negatum deflevisti,
Caesum Iesum, o Maria.

Ad Primam.

3. Ave, natum exprobratum,
Mane latum ad Pilatum,
Hinc delatum, scis relatum,
Spretum Iesum, o Maria;
Ave, gratum reprobatum,
Accusatum, flagellatum,
Purpuratum et velatum
Plangis Iesum, o Maria.

Ad Tertiam.

4. Ave, caput spinis sutum,
Cuius orbis sentit nutum,
Hora tertia consputum
Cernis Iesum, o Maria;
Ave, sanctum, impollutum
Deflens luto delibutum,
Crucifige vulgus brutum
Clamat Iesum, o Maria.

Ad Sextam.

5. Ave, crucem sequebaris,
Mortem trucem specularis,
Hora ducem contemplaris
Sexta pungi, o Maria;
Ave, noto commendaris,
Toto corde confossaris
Fellis potu, sic orbaris
Iesum flendo, o Maria.

Ad Nonam.

6. Ave, vox, sol, nox obscura,
Velum, tellus, petra dura
Sunt in nona signa plura
Necis Iesu, o Maria;
Ave, de te trux natura
Tempus nacta partus iura
Iam extorquet cum usura,
Poenas Iesu, o Maria.

Ad Vesperas.

7. Ave, Ioseph dum precatur,
Hora vespertina datur
Corpus sacrum, lanceatur
Latus Iesu, o Maria;
Ave, corpus sublevatur,
Non frustratur, sed murratur,
At infernus spoliatur
Iesu duce, o Maria.

Ad Completorium.

8. Ave sero tres Mariae
Murram parant tumbae diae,
Surgens scandit donans pie
Pneuma Iesus, o Maria;
Ave, iuncta nunc Messiae
Trinae fulgens hierarchiae,
Nos inscribas in hac die
Libro Iesu, o Maria.

Scala caeli Saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

42. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. Mater sapientiae,
rosa sine spina,
Maria ingemuit
hora matutina,
Dum audivit Dominum
captum et ligatum,
Pergit Ierosolymam,
ut videret natum.

Ad Primam.

2. Hora prima filium
caesum et afflictum
Cernit et ab impiis
vinculis astrictum,
Ad Pilatum praesidem
duci cum clamore
Fili mi, ingeminans
magno cum angore.

Ad Tertiam.

3. Adclamantem populum
hora tertiarum
Crucifige percipit,
cor fit plus amarum,
Spinis punctum aspicit
natum et ferentem
Crucem, sequens filium
maestam habet mentem.

Ad Sextam.

4. Hora sexta Dominum
in crucem levari
Perspicit et ferreis
clavis conclavari,
Frangi membra geniti
sanguinemque fundi,
Mente fit exanimis
dominatrix mundi.

Ad Nonam.

5. Hora nona spiritum
patri commendantem
Audit natum, valida
voce exspirantem,
Cuius latus lancea
quando perforavit,
Genetricis viscera
ferrum penetravit.

Ad Vesperas.

6. De cruce depositum
hora vespertina
Tenet inter brachia
caelorum regina,
Quae dum lavit lacrimis
madidum cruore,
Se aspergit sanguinis
sacrati rubore.

Ad Completorium.

7. Hora completorii,
quando sepulturae
Corpus sacrum traditur,
virgo mater dure
Lamentatur, eiulans
se tum desolatam
Natoque tam inclito
se fore privatam.

Conclusio.

8. Has horas canonicas
tibi cum amore,
Virgo mater, offero
tuo pro dolore,
Ut quae crucem filii
mente pertulisti,
Nos ducas ad gaudia
sempiterna Christi.

Cod. Palat. Vindobonen. 4076. saec. 15. A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3860. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. D. — Praeparationes devotae etc. Tegernsee 1577. fol. 51b sqq. E. — 2, 7 Fili clamans corruit CE. — 2, 8 prae dolore CE. — 3, 4 plus fit A. — 4, 5 Frangi membra peremti A. — 4, 6 Et sanguine fundi E. — 4, 7 Inde fit exanimis E. — 5, 3 natum lugubri BE. — 6, 8 colore C, dolore E. — 7, 6 se tam E. — 7, 8 sic fore E. — 8, 4 pro tuo dolore E. — 8, 8 coaeterna E.

43. De Compassione B. M. V.

Ad Matutinum.

1. Imperialis Domina,
Maria turbabatur,
Cum ei Christus Dominus
dententus nuntiatur,
Suspiriis, doloribus
obruta pertremescit
Hora noctis media,
quae peccatum nescit.

Ad Primam.

2. Puellarum sanctissima,
Maria oneratur,
Hora prima filius
dum false accusatur,
Respexit tristis domina
carum suum natum,
De supernis sedibus
aperte ei datum.

Ad Tertiam.

3. Suavitatis viola
in ara turbabatur,
Cum hora Christus tertia
spinis coronabatur,
Plena amaritudinis
plus cunctis virgo dia
Natum vidit in sanguine
caelestis hierarchia.

Ad Sextam.

4. Tunc castitatis lilium
Maria adgravatur,
Hora sexta Dominus
cum cruci conclavatur,
Tunc pertransivit acrius
primo Simeonis
Animam castae virginis
gladius doloris.

Ad Nonam.

5. Hora nona domina
Maria orbabatur
Dilecto suo filio,
dum moriebatur,
Amens in terram cecidit,
vix spirans Deo vota,
Quem Iohannes mox sustulit,
trinitatis rota.

Ad Vesperas.

6. Sacrum corpus Domini
Maria praedivina
Plangit, hunc depositum
hora vespertina,
Osculatur vulnera
cruenta nati patris,
Tunc innovantur omnia
lamenta piae matris.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
Maria laureatum
Ad se trahit debili
voce denigratum,
Ioseph fidelis sepelit
Mariae florem Iesse,
Luce claret prophetica
Iesum Deum esse.

Conclusio.

8. Sublimis o puerpera
complectens omni tempore
Tui dilecti vulnera
in sacrosancto pectore,
Ad nostrum fac solacium
dilectum tui uteri
Nostrorum semper cordium
totis medullis inseri.

9. Has horas, o sanctissima,
tibi et tuo nato
Decanto laudabiliter,
in caelo aureato
Digneris me et alios
christicolas locare,
In laudem vestram iugiter
nos iustis sociare.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen XIII. E 3. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. B. — 1, 3 Iesus Dominus B. — 1, 4 nunciabatur A. — 1, 6 contremiscit B. — 2, 3 Hora prima dum Dominus B. — 2, 4 Nequiter accusatur B. — 2, 6 Sunm dulcem natum B. — 2, 7 und 8: Iam alapis caesum conspntum et colaphizatum B. — 3, 2 sqq: Maria nuncupatur, Spinis cum hora tertia Iesus coronatur, Quavis amaritudine plus plena virgo dia B. — 4, 3 Hora sexta cum B. — 4, 4 In cruce conclavatur B. — 4, 6 Hoc verbum Simeonis B. — 4, 7 und 8 Animam tuam gladius meabit passionis B. — 5, 1 Hora nona castissima B. — 5, 4 Dum hic B. — 5, 4 Dum hic B. — 5, 8 Qui est trinitatis rota B. — 6, 1 Sacratum corpus B. — 6, 3 Plangens depositum continens B. — 6, 6 Sacrosancta nati patris B. — 7, 2 Generosa lanceatum B. — 7, 3 Ad se traxit flebiliter B. — 7, 4 Amplexibus vallatum B. — 7, 4 Fidelis Ioseph sepelit Mariae florem Iesse, Iesum, lucem Dominicam, qui dat omnibus esse B. — Str. 8 steht in B. vor Str. 1. — 8, 1 O felix puerpera B. — 8, 5 Fac ad menm B. — 8, 6 Dilecti A. — 8, 7 Mearum semper mentium B. — 9, 3 Psallo nunc temporaliter B. — 9, 4 laureato B. — 9, 7 und 8 In tuo regno iugiter Et sanctis sociare B. — Incipit oratio ad modum „Patris sapientia“. A.

44. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. Consolatrix pauperum,
caelica regina,
Audit captum filium
hora matutina,
Gregem apostolicum
intellegit dispersum,
Sicque sibi gladium
sentit in cor mersum.

Ad Primam.

2. Hora prima conspicit,
qualiter Pilato
Iesum turba tradidit,
viro reprobato,
Cernens proli faciem
sputo maculatam
Ensis sentit aciem
in corde vibratam.

Ad Tertiam.

3. Cum advenit tertia,
videt coronatum
Spinis et sententia
prava condemnatum,
Virgis caesum intuens,
crucem baiulantem
Et mucronem sentiens
sese perforantem.

Ad Sextam.

4. Hora sexta filium
videt conclavari,
Inter duos medium
audit blasphemari,
Ex amaritudine
murratae potionis
Est in matre virgine
mucro Simeonis.

Ad Nonam.

5. Audit in meridie
vocem morientis,
Lanceam in latere
viderat pendentis,
Terrae motus, tenebrae,
quae tunc evenerunt,
Mariam in pectore
dire transfixerunt.

Ad Vesperas.

6. Cum de ligni nexibus
vespere movetur,
Maternis amplexibus
stringens intuetur,
Ungit, tergit vulnera,
flet et osculatur
Mater et in anima
sic transverberatur.

Ad Completorium.

7. Sepulturae deditum
occidente die
Magnum est supplicium
virgini Mariae,
Viva carens mortuo
mater benedicta
Est prophetae gladio
graviter adflicta.

Conclusio.

8. Hunc sermonem, domina,
tibi iam oblatum
Et quondam ante tempora
a sene prophetatum
Dignare, clementissima,
acceptare gratum
Meque tecum iugiter
fac vere beatum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3835. anni 1451. A. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. B. — 1, 3 Audis A. — 1, 6 intellegis A. — 1, 7 tibi A. — 1, 8 sentis A. — 2, 1 conspicis A. — 2, 5 Prolis cernens B. — 2, 7 Ac lancea acie A. — 2, 8 in corde vulneratam A. — 3, 2 vides A. — 3, 8 te matrem perforantem A. — 4, 2 ligno conclavari A. — 4, 4 videt A. — 4, 5 Prae B. — 4, 7 in te matre A. — 5, 4 videsque A. — 5, 5 et tenebrae B. — 5, 7 Te matrem in A. — Str. 6 lautet in A:

Infantem, quem in gremio materno tractabas care,
De cruce hunc depositum amplexaris amare,
Maestis (!) cernis vulnera, fles et oscularis,
Mater, et in anima sic transverberaris.

7, 3 et B. — 7, 4 Tibi virgini A. — 7, 5 Vivo carens et B. — 7, 7 Es A. — Vgl. Daniel I, 338 sqq.

45. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. Dum Christi mater inclita,
caelica regina,
Audit captum filium
hora matutina,
Cor est concussum virginis,
simul et expavit,
Et hic rumor virginem
nimis exturbavit.

Ad Primam.

2. Hora prima filium
caesum et adflictum
Cernit et ab impiis
vinculis astrictum,
Ad Pilatum praesidem
duci cum clamore,
Expavit eius spiritus
cordis prae dolore.

Ad Tertiam.

3. Dum hora venit tertia,
vidit flagellatum,
Indutum quoque purpura,
spinis coronatum,
Crucis quem supplicio
praeses condemnavit,
Tunc doloris gladius
cor matris penetravit.

Ad Sextam.

4. Hora sexta filium
vidit conclavari
Clavis acutissimis
in cruceque levari,
Transfigi membra geniti
sanguinemque fundi,
Inde fit exanimis
dominatrix mundi.

Ad Nonam.

5. Hora nona filium
attendit clamitantem
Prae dolore nimio
et caput inclinantem.
Mariae dulcis filius
tunc moriens defecit,
Doloris ensis animam
ipsius tunc perfecit.

Ad Vesperas.

6. De cruceque depositum
hora vespertina
Tenet inter brachia
caelica regina,
Tergit, ungit vulnera,
flet et osculatur,
Dulcissimae cor virginis
gladio vulneratur.

Ad Completorium.

7. Sepulturae deditum
occidente die
Magnum est supplicium
virgini Mariae,
Dulci carens filio
mater benedicta
Est doloris gladio
graviter adflicta.

Conclusio.

8. Hunc sermonem, domina,
tibi cum amore,
Virgo mater, offero
tuo pro dolore,
Quem digneris, clementissima,
acceptare gratum
Meque tecum iugiter
facere beatum.

Orat. ms. Nicolai Muffel Nurembergen. anni 1462. Cod. Sigmaringen. 1462. — Bearbeitung des vorigen.

46. De Compassione B. M. V.

Ad Matutinum.

1. Matutino tempore
Mariae nuntiatur,
Quod a Iudaeis perfidis
Christus capiatur.
Domum Annae petiit,
nam illuc ducebatur,
Toto corde tremuit,
dum male tractabatur.

Ad Primam.

2. Hora prima Maria
Iesum suum natum
Lacrimis perfusa
sequitur ad Pilatum,
Falsis testimoniis
in multis accusatum,
Vultum suum conspuunt,
lumen caeli gratum.

Ad Tertiam.

3. Hora audit tertia
crucifigi natum,
Videns tectum purpura,
spinis coronatum,
Post mortis sententia
eundem damnatum,
Trabe crucis maxima
dure oneratum.

Ad Sextam.

4. Hora sexta Maria
vidit conclavari
Corpus Christi tenerum,
in altum levari,
Sitientem etiam
felle satiari,
Suam vestem filii
sanguine rubrari.

Ad Nonam.

5. Hora nona filium
videt exspirantem,
Heli voce audiens
maxima clamantem,
Iohanni se et spiritum
patri commendantem,
Simeonis gladium
cor eius perforantem.

Ad Vesperas.

6. Vespertino tempore
Maria dolorosa
De cruce depositum
voce quaerulosa
Continens in gremio,
dicens: o meorum
Senectutis baculus,
lumen oculorum.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
venit ad sepulcrum
Unxitque aromate
Christi corpus pulchrum,
Deformatum filium
pallore mortis durae,
Vitae nostrae praemium,
praesentis et futurae.

Conclusio.

8. Has horas canonicas,
Maria, mater pia,
Tuae laudi refero
cordis symphonia,
Sicut tu compassa es
nato in agone,
Sic me sibi socium
facias coronae.

Scala coeli saec. 14. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. S. Floriani III 13. saec. 15. B. — Cod. S. Floriani XI 122. saec. 16. C. — Cod. Ducumburgen. 63. saec. 15. D. — Orat. ms. Scoterum Vindobon. 54 h 8. anni 1410. E. — Cod. Palat. Vindobon. (ol. Campen.) 883. saec. 14 et 15. F. — Orat. ms. Halesbrunense saec. 15. Cod. Erlangen. 770. G. — Cod. Paulanus Hosp. Cart. 326. saec. 15. H. — Orat. ms. Combergense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 87. I. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Capit. Toletani 34—28.

K. — Orat. ms. Carth. Erphesforden. saec. 15. Cod. Rossian. VIII 56. L. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Eremiten. 764. M. — Hortulus animae imp. Nurembergae 1518. N.

1, 1 Hora matutina BCDIMN. — 1, 3 Quod. Iesus a Iudaeis BDN; Quod a Iudaeis traditus M. — 1, 4 falsis captivatur BDN; Iesus captivatur M; Christus captivatur CEH; filius captivatur L. — 1, 5 Mox domum A. — 1, 6 nam ibi A; nam fehlt BDN; quo Iesus ducebatur L; qua deducebatur M. — 1, 7 Magdalena socians M. — 1, 8 cum male E; nam male H; male dum tractatur BN; dum male Iesus tractabatur L; fleus comitabatur M. — A hat nach jeder Strophe noch folgende Verse, in denen dann statt matutinam jedesmal primam, tertiam u. s. f. einzusetzen:

Hanc horam matutinam, Maria, mater pia,
Tuae laudi refero cum cordis symphonia,
Ut sicut tu compassa es nato in agone
Et nunc conregna(n)s unico, a mortis me mucrone
Ereptum tu constituas dextro cum latrone.
O mater benignissima summae deitatis,
Pone compassionem tuam inter animam
Meam et iudicium tui dilecti filii.

2, 1 Hora prima genetrix L. — 2, 2 primo suum natum L. — 2, 3 Sequitur suspiriis L, singultibus M; Crebris suspiriis BN. — 2, 4 crebris ad Pilatum LM. — 2, 5 Falsos testes audiens BLN; Testes falsos audiens M. — 2, 6 sputo maculatum BMN; vidit maculatum L. — 2, 7 Cernit suum filium M; Cernens ingemiscit BN; Sputis et ingemuit L. — 2, 8 acriter alapatum BLN; et colaphizatum M; die ganze Strophe lautet in EH:

Hora prima sequitur Maria suum natum
Singultibus ac lacrimis perfusa ad Pilatum,
Falsos testes audiens sputo maculatum
Ingemiscens conspicit, dire alapatum,

nur hat H Fletibus ac lacrimis. — 3, 1 Audivit H; audit hora tertia BLMN; Hora tertia Maria audit D. — 3, 3 Crucifige AHN. — Vidit BDMN, Tectum vidit purpura L; Purpura vestitum et E. — 3, 4 vidit coronatum E. — 3, 5 sq. und 3, 7 sq. umgestellt L. — 3, 5 Ad mortis BN; Morti per M; Et post mortis D; Tunc per sententiam L. — 3, 6 filium damnatum M; morte condemnatum L. — 3, 7 Trabe magna crucis BN; Trabe crucis magna D, maxima L, horrida M, gravi C. — 3, 8 valde oneratum E; graviter oneratum BDLN; nimis oneratum M; exhinc oneratum C. — 4, 1 sexta filium M; sexta genetrix L. — 4, 2 videt A. — 4, 3 Corpus Iesu C; corpus cruce M; Corpus eius E. — 4, 4 elevari H; sursum elevari M. — 4, 5 Iesum sitientem cum BDN; Sitientem insuper E; Sitientem filium L; Sitientem queritur M. — 4, 6 cum felle H; felleque L; saturari EM. — 4, 7 Et vestem propriam BN; Suamque vestem CEHL; Eius quoque vestes D; Vestem suam sanguine M. — 4, 8 De sanguine E; cum sanguine D; rubricari BN; nati rubricari M. — 5, 1 Hora nona Maria BMN; Hora nona conspicit L. — 5, 2 Iesum exspirantem BDMN; mater exspirantem L. — 5, 3 Heli, heli E; Videns audivit voce BN; Videns audit Heli voce D; Iesum lacrimabili L; Audit Heli, heli voce M. — 5, 4 magna clamantem DM; magnaque BN; maxime E; voce proclamantem L. — 5, 5 Iohanni matrem, flamen BMN; Iohanni matrem, animam D; Ipsam Iohanni, spiritum L. — 5, 7 Ensem Simeonis BDMN; 5, 7 gladios L. 5, 8 tunc sensit perforantem E; (ipsius) animam perforavit L. — 6, 1 Hora vespertina BCDMN. — 6, 4 quaerulosa L; 6, 6 dicens fehlt L; dixit BN. — 6, 7 Vitae sustentatio BN. — 6, 8 et lumen AL. — Str. 6 lautet in M:

Hora vespertina Maria suo nato
De cruce deposito, toto vulnerato
Eiulando loquitur: Fili, salus mundi,
Tantis poenis me et te voluisti tundi.

7, 2 ivit ad H. — 7, 3 Unxit aromate BN, cum aromate E; Aromate Maria D; Maria aromatibus L. — 7, 4 unxit corpus DL; Christi corpus E. — 7, 5 Iesu deformatum BN; Deformatum specie E; Tabefactum fuerat L. — 7, 7 Redemptionis nostrae BDN; Redemtoris omnium L. — 7, 8 praemium futurae BDN; vitae spes futurae L. — Die ganze Str. 7 lautet in M:

Hora completorii mater vulneratur
Novo maerore, cum filius tumulatur,
Magdalena luctuans ei sociatur,
Nunc matrem nunc filium quae lamentabatur.

Str. 8 fehlt A. — 8, 4 dulci symphonia L. — 8, 5 Ut sicut passa es E; Ut sicut compassa es C; Ut sicut cum compassa es L. — 8, 6 filii in agone E. — 8, 7 Sic huic conregnans BN; Sic huic conregnans me D; Sic labore insonans H; Sic me consortem effice L. — 8, 8 socium fac coronae D; me fac coronae BN; consors sim tuae coronae H; filii coronae L. — 8, 5 ff. lauten in E:

Sic conregnans unico a mortis me mucrone
Ereptum constituas cum dextero latrone.

Die ganze Schlufsstrophe lautet noch abweichender in M:

Has horas canonicas, pie mater Dei,
Tuae laudi refero, miserere mei,
Plagas tui filii fac me memorari,
Tecum ut perenniter valeam laetari.

Bemerkungen: Clemens papa VI. composuit has horas sequentes, et quicunque eas devote dixerit cum septem *Pater noster* et *Ave Maria*, consequitur indulgentias XVIII M dierum de peccatis venialibus, secunda vice totidem criminalium, tertia vice consequitur modo totidem dies carenarum K. — Dieselben Tagzeiten finden sich in Orat. Cisterciense saec. 15. Cod. Darmstadien. 1228; hier die Bemerkung: Clemens papa VI. composuit, ut legitur, has orationes de dolore beatae virginis, et quicunque eas semel devote dixerit cum tribus *Pater noster* et totidem *Ave Maria*, consequitur XVIII milium dierum indulgentias de venialibus peccatis; qui vero secunda vice eas dixerit, consequitur indulgentias totidem dierum mortalium peccatorum; qui vero tertia vice dixerit, consequitur indulgentias totidem dierum mortalium carenarum. — Sequuntur nunc horae compassionis beatae Mariae virginis, quas papa Clemens composuit et concessit eas devote dicentibus CCCC dies indulgentiae. Hortulus animae imp. Argentinae 1508. — Incipiunt horae de beata virgine, quas papa Iohannes [X]XII. composuit. Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

47. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. Matris cor virgineum
Threna totum trivit,
Quando suum filium
Nocte captum scivit,
Ductum ad praetorium
Mane cum audivit,
Frequens dans suspirium
Saepe singultivit.

Ad Primam.

2. Hora prima domina
videns flagellatum
Suum unigenitum,
turpiter tractatum,
Colaphis et alapis,
sputo deformatum,
Manus torquens acriter
ruit in ploratum.

Ad Tertiam.

3. Videns virgo filium
hora tertiarum,
Caput punctum viliter
corona spinarum,
Crucem ferre scapulis
ad locum poenarum,
Heu, dolore sternitur
luto platearum.

Ad Sextam.

4. Hora sexta respicit
mater suum natum,
Obsessum vulneribus,
cruci conclavatum,
Inter fures positum
felleque potatum,
Illa secum sentiens
reddit eiulatum.

Ad Nonam.

5. Hora nona flebilis
cernit exspirantem,
Patri dando spiritum
Heloi clamantem,
Militem cum lancea
latus perforantem,
Cadit tunc in exstasi,
dolor sternit stantem.

Ad Vesperas.

6. De cruce deponitur
hora vesperarum,
Mater, cum aspiceret
eius natum carum,
Osculis amplectitur
pignus caeli clarum,
Corpus Christi madidans
stillis lacrimarum.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
mater excitatur,
Ut lugeret mortuum,
ubi tumulatur,
Nec vult hinc recedere,
sed ibi moratur,
Usque dum ad filium
tandem exaltatur.

Conclusio.

8. Ergo, mater, miseris
miserere mitis,
Pro quibus compateris
presso botro vitis,
Nos a peste funeris
salva fuga Dytis
Et nos iunge ceteris
vita redimitis.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211. B. — Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II. C. — B wiederholt nach jeder Strophe folgenden Rundreim:

Te laudamus, te rogamus,
Mater Iesu Christi,
Ut intendas et defendas
Nos a morte tristi.

2, 6 sputis BC. — 2, 7 graviter BC. — 3, 3 capite A; punctum filii BC. — 3, 6 locum ad B. — 4, 3 Ob cessum B. — 4, 8 incolatum A. — 5, 1 flebilem A. — 5, 2 cernis haec spirantem B. — 5, 3 Pater A. — 5, 7 Cadit dum in exitu A. — 5, 8 doloris vidit stantem A. — 7, 2 properatur B, contristatur C. — 7, 3 Quae deplorat C. — 7, 5 sqq. lauten in C:

Nunc congaudet Domino,
ubi gloriatur,
Ac in caeli palatio
regina honoratur.

Str. 8 fehlt C.

48. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. O beata, perturbata,
Pia mater Domini,
De amara et avara
Morte tui filii.

2. Quot tormenta, quot lamenta,
Quanti tui gemitus,
Cum rex caeli tam crudeli
Morte fuit traditus!

3. Corde tristi pertulisti
Passionis gladium,
Dum rex fortis dirae mortis
Patitur supplicium.

4. Nam rex magnus velut agnus
Immolari voluit
Et per crucem nobis lucem
Salutis restituit.

5. Duris Iesus plagis caesus
Et corona spinea
Coronatus et per latus
Est transfixus lancea.

6. Post hoc sui nati frui
Caeli in palatio
Vultu digno ac benigno
Matris det compassio.

7. In amore et honore
Matris passo filio
Sit decennis ac perennis
Laus et iubilatio.

Ad Laudes.

1. O Maria, mater Christi,
Dolore plena tu fuisti,
Cum filius in cruce totus
Cruore suo fuit lotus.

2. Acetum sumpsit felle mistum,
Dum gustasset potum istum,
Caput suum inclinavit,
Patri spiritum commendavit.

3. Sic per mortem temporalem
Nostram solvit aeternalem,
Grates tantae caritati
Nunc agamus vulnerati.

4. Imploramus te, piissima,
Pro impetranda venia,
Ut nobis Christi passio
Culparum sit remissio.

5. Hoc praestet tuus filius,
Iesus benignissimus,
Cum patre et paraclito
Qui regnat sine termino.

Ad Primam.

1. Iam lucis perit claritas,
Quae mundi fuit sanctitas
Mortem per turpissimam
Vere et immanissimam.

2. Lingua nulla exprimit,
Lumen quid idem pertulit
Crucis in patibulo,
Quae nostra sit redemptio.

3. Deo patri cum filio
Et spiritu paraclito
Nunc et semper sit gloria
Per saeculorum saecula.

Ad Tertiam.

1. Nunc, sancte, nobis omnibus
Ignosce delinquentibus,
Christe, redemptor omnium,
Exaudi preces supplicum.

2. Os, lingua, mens te flagitat,
Ut idem nobis tribuat
Tua benigna pietas
Et piae matris bonitas.

3. Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurum praemium,
Sit nostra in te gloria
Per sacculorum saecula.

Ad Sextam.

1. Rector potens, tu aspice
Et mala ista comprime,
Quae tuum premunt populum,
Et ei fer auxilium.

2. Exstingue flammas mentium
Miserarum gentium,
Matris per subsidium
Tu culpas dele omnium.

3. Tu esto nostrum gaudium.

Ad Nonam.

1. Rerum Deus piissime,
Matris planctum respice,
Quem sub cruce pertulit,
Dum cor eius ensis laedit.

2. Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsus criminum
Nec mortis ferre reditum.

3. Tu esto nostrum gaudium.

Ad Vesperas.

1. O Maria, stella maris,
Ecce, tuus salutaris
Pro salute hominum
Crucis subiit supplicium.

2. Haec palma victoriae,
Portus et porta gloriae,
In qua, mater, tuus natus
Totus pendet vulneratus.

3. Haec salutaris passio
Et sanguinis effusio
Mundum purget a peccatis
Opus complens pietatis.

4. Tui virtute sanguinis,
Obtentu matris virginis
Da nobis mundum vincere
Et tecum semper vivere.

5. Haec castae matris dignitas,
Sacra praestet trinitas,
Pater atque filius
Sanctus quoque spiritus.

Ad Completorium.

1. Fit porta nostra hodie
Patens caelestis gloriae
In apertura lateris
Filii Mariae virginis.

2. Genus omne saeculi
Laudes sacrae virgini
Tu cane in perpetuum,
Quae solvit Evae debitum.

3. Honor decet filio,
Suo qui supplicio
Nos duxit ad caelestia
Aeternae pacis gaudia.

4. Laus patri sit et filio
Et spiritui paraclito,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — Ad Laud. 1, 3 Cum tuus filius in. — Ad Prim. 2, 2 Lux quid idem. — Ad Vesp. 5, 2 praestat.

49. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. Dulce lilium vernale,
O te quantum vae poenale
Circumtexit et aspexit
Tota nocteque correxit,
O et Alpha dum captatur.

Ad Primam.

2. Rivi madent fluviales
Vultum velut pluviales
Illa hora, qua Pilato
Natus tibi pro peccato
Adae vinctus praedicatur.

Ad Tertiam.

3. Numquid plangam, Tertiarum
Dum dat hora lacrimarum
Velut montes altos fontes,
Stultitia dum per sontes
Damnat cruci redemptorem.

Ad Sextam.

4. Ensis sexta Simeonis
Scindit vellus Gedeonis,
Tau dum Christus amplexatur,
Ex quo scelus relaxatur
Gulae per triumphatorem.

Ad Nonam.

5. Altus dolor te concingit,
Dumque vitam mors confringit,
Et tu morti adligaris
Christi, nobis pro precaris,
Rosa vernans o serena.

Ad Vesperas.

6. Eia, mater, fons amoris,
Te exhausit vis maeroris,
Oculis dum aspexisti
Reclinari corpus Christi,
Virgo virginum amoena.

Ad Completorium.

7. Mordet ensis bipertitus
Mundum cor et tripertitus,
En, hora completorii
Fit cura dum clausorii
Et immensitas dolorum.

Conclusio.

8. Christifera castissima,
Iesu mater carissima,
Te laudo his harmoniis,
En, tu me a daemoniis
Tege clipeo caelorum.

Ad Angelos.

9. Virtutes omnes caelici
Trinarumque angelici
Spiritus sint signiferi
Venturique caeliferi
Pulsis pompis infernorum.

Ad omnes sanctos.

10. Reos salvent clarissime
Alteque ferventissime
Tantorum preces electorum,
Reductorum miserorum
A tortura damnatorum.

Ad omnes animas.

11. Dulciter, omnes animae,
In ignis ut examine
Dum bravium ceperitis
In bonoque fueritis,
Tunc nostri recordamini,
Et tunc nobis rependatis
Sinum, ad quem festinatis,
Christicolarum precibus
Aptamus qui, ut faecibus
Mitius eruamini.

Cod. Vatican. Palat. 411. saec. 15. fol. 35b. Verfasser ist Wynandus de Stega; vgl. oben Nr. 36. Vor dem Gedichte, auf welches noch eine prosaische „Conclusio praemissorum“ folgt, befindet sich folgende Rubrik: „Brevis oratio de horis beatae Mariae virginis, de angelis cunctis et omnibus sanctis ac fidelibus animabus cum conclusione aptissima pro itinerantibus, ut nostrum iter quotidianum et finale in ictu mortis feliciter concludatur. Edita Ambergae ad complacentiam gloriosi, sereni ac illustris principis et Domini, Domini Ludovici, saeri Romani etc. Comitis Palentini (!) et Bavariae ducis“ u. s. w.; fol 26a steht dieselbe Rubrik in deutscher Übertragung, in der aber nach dem Herzoge auch seiner Gemahlin mit den Worten gedacht wird: „vnd bevoraus der durchleuchtigsten, hochgepornen furstin vnd frawen, fraw Mechtild, seyner elichen wirtein“. Hernach folgt das Gedicht verdeutscht wie folgt:

Czu metten czeit.

O sufse lilge meilicher blut,
Eya, wie viel der pynen glut
Mit schrecken was umbgeben dich
Die ganeze nacht so bitterlich,
Vrsprung vnd ende do wart gefangen.

Czu prime czeit.

Rinnende czeher als beche flos,
Clingend gleich des reges gofs,
Hersprungen in ir czu prime czeit,
Loblicher crist, do dich der neit
Vor pylatum stalt in banden.

Czu tercze czeit.

Clagen sult ich die traurige stunde,
Hochzugkende aufs deyns herzensgrunde
Threhen den brunflussen gleich,
In hohen bergen die herspringen sich,
Gekreucziget do christus wart mit czungen.

Czu sexte czeit.

In czeit der sexte swert symeons
Mit grim sneit dich her gedeons
Fell, da christus aim crucz stait
Vor aller menschen missetait,
Recht als er were beczwongen.

Czu none czeit.

Sweres we dich umbkleit
Truplichen da der dot verschneit
Iesum, dem du wonte bey,
Nu traurik, aller freyden fry,
Vilscheynende rose du clare.

Czu vesper.

Nu, brunne de liebe manickfalt,
Dich herschopfet das we mit seyner gewalt,
Hochwirdige, do di arme vnd augen dein
Empfingen crist nach dotes peyn,
Reine du liepliche Iunefraw czware.

Czu Complet.

Nachdem czwey swerde verschneyden dein
Hercz vnd trew in grosser peyn,
Eya, Iuncfraw czu der lesten stunt
Reyfset auch die peyn deines herzens grunt,
Nye vnimerme ist semblich we.
Lauter allerkeuste christi geberin,
Vollenkumen liebste iesu christi dregerin,
Dich loben ich mit diesem sange,
O lose du mich won teufels czwange,
Wonsche ich hyemelschilt du vor mich ste.

Czu den engeln.

Ir engel dreyer ierarchey,
Chore der neumden in hyemel krey,
Pflanczet vor vns euwer banyer,
Herhymelt vns nach dote schier,
Auch die teufel von vns wendent.

Czu allen heyligen.

Losen auch vns die leuterlich
Clar hoch vnd gar hicziglich
Zart gepet aller aufsherkorn
Gewaysen, derczu vns verloren
Recht strasse, die czu freyden endet.

Czu allen selen.

Auch alle ir susse vnd getreu seln,
Von hicz peyn in martel qwel,
In korczer czeit so wird euch bas,
Nv bitten wir gedenkent an das
Brot, euwer besten speyse.

Ir sult uns billichen wyeder geben
Recht des gleichen, wen wir streben,
In fleyfse wi ir wert herloste,
Nirgent habpt ir anders troste,
Eynes gleichen bitten wir uns beweysen.

50. Horae de gaudiis BMV.

Ad Matutinum.

1. Gaudeamus in Domino,
Qui Mariam adoptavit,
Suo in matrem filio,
Unde ipsam praeservavit,
Quia in matris utero
Eam sibi consecravit.

2. Et Gabriel archangelus
A summo caelo mittitur,
Ut nuntiaret funditus
Illum, in quo mors moritur,
Iste est Dei filius,
In quo vita exoritur.

Ad Primam.

1. Gaudeamus et iterum,
Quia peperit Maria
Dulcissimum Dei filium
Et permansit virgo pia.
Quis potest tantum gaudium
Cogitare in via!

2. En, flos florem genuit
Et flos flore laetatur,
Radix germen protulit,
Homo quo reformatur,
Et quod in Adam cecidit,
Iam in Christo reparatur.

Ad Tertiam.

1. Gaudeamus ergo vere,
Quia iam venerunt reges
Christum Deum adorare
Tamquam ad pastorem greges,
Iam incepit pullulare
In occulto nova seges.

2. En, de longinquo veniunt,
Philosophi munerati
Et Mariam inveniunt,
Claram matrem tanti nati,
Et cum ea conspiciunt
Iesum, in quo sunt salvati.

Ad Sextam.

1. Gaudeamus et praeclare
Christo Iesu resurgente
Non cessemusque laudare
Sacro sole apparente,
En, coepit illuminare
Sanctos patres hic repente.

2. Qui clamitabant in limbo,
Iam congaudent veritati
Et soluti omni morbo
Sunt a poena liberati
Ac in Dei gaudent verbo,
In quo sunt illuminati.

Ad Nonam.

1. Gaudeamus iucundanter,
Quia nostra salvatio
Iam ascendit festinanter
Super caelorum solio,
Ubi regnat coruscanter
In summo caeli thalamo.

2. In quo nobis praeparatur
Vera vita et iucunda,
Quae a Christo Iesu datur
Et erit semper fecunda,
Et in illa commendatur
Omnis requies abunda.

Ad Vesperas.

1. Gaudeamus cum gaudio,
Quia sanctus paraclitus
A summo consitorio
Missus fuit caelitus,
Ut esset consolatio
Devotis et fidelibus.

2. Quia Christus, salus nostra,
Hoc promisit apostolis
Et Maria, mater nostra,
Super cunctis aliis
Fuit sic illuminata,
Ut esset via ceteris.

Ad Completorium.

1. Gaudeamus modo satis,
Quia iam est super caelos
Mater Dei cum beatis,
Ubi fundit dulce melos;
Ecce, mater pietatis
Iam destruxit omnes dolos.

2. Ergo, sacra virgo pia,
Nostri, precor, miserere,
Quia tu, dulcis Maria,
Nobis debes condolere
Nos iuvando in hac via,
Quia tui sumus vere.

Orat. ms. Tegrinsense saec. 15. Clm. Monacen. 20132.

51. De VII Gaudiis BMV.

Ad Matutinum.

1. Hora matutina
tuus, virgo, filius
Per Gabrielem nuntium
annuntiatur Dominus,
Per quem dicta vatica
vere sunt completa
Et tua casta viscera,
Maria, sunt repleta.

Ad Primam.

2. Hanc horam primulam,
virgo, cum amore
Tuo decanto dulciter
virgineo pudore,
Ex qua prodivit caelitus
lux solaris more.
Mater virgo permanes
virgineo cum pudore.

Ad Tertiam.

3. Hora tertia, virgula,
tuum natum quaerunt
Reges tres de insula,
secum dona ferunt,
Sternentes se ad cunabula
ipsum adoraverunt
Oblatisque muneribus
ad partes recesserunt.

Ad Sextam.

4. Ad templum sacerdotibus
tua praesentavit,
Mater benigna, pietas
hunc, qui mundum lavit,
Quem dum cernens, Simeon
ensem prophetavit,
Qui mortis suae tempore
te, virgo, penetravit.

Ad Nonam.

5. Hac hora sacratissima
tibi tunc detexit
Vultum suum Dominus,
quando resurrexit,
Qui secum patres veteres
tunc de limbo vexit,
Ob hoc desperatissimos
multos hic allexit.

Ad Vesperas.

6. Inauditum gaudium,
virgo, concepisti
Quando tuum filium
scandere vidisti,
Cum Ierusalemam
post eum exivisti,
Tandem Ierusalemam
gavisa introisti.

Ad Completorium.

7. Virgo splendens lucida
ac pulchra quasi stella,
Post natum scandis in mora,
regia o cella,
Advocata optima
sis nobis, o puella,
Pro nobis et miseris
semper interpella.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 7, 4 regia ad cella. — Nach jeder Strophe wiederholt sich der folgende Rundreim:

Hanc horam matutinam,
vere virgo pia,
De primo tuo gaudio,
o regia Maria,

Dulciter excordulo
cum votis, harmonia,
Et ob hoc me miserum
duc ad (l: ducas) caeli via.

O mater, omni plena gaudio,
Me tuo reconcilia filio,
Ne damner in extremo iudicio.

Dabei ist in Zeile 1 der Reihe nach einzusetzen: Hanc sacram horam primulam, hanc horam tertiam, hanc horam sacratissimam (zweimal), hanc horam vespertinam, hanc completorii; ebenso Zeile 3 de secundo, tertio etc. Zeile 5 Dulciter ex cordulo.

52. Cursus de VII Gaudiis B. M. V.

Ad Matutinum.

1. Novum salutis gaudium
Caelesti sponsae mittitur,
Dum verbi per mysterium
Sub carne verbum clauditur.

2. Sermone blando nuntiat
Fulgenti veste rutilans,
Ut mira verbo faciat
Virgo Deum obnubilans.

3. Modi secretum reserat
Fortis de caelo veniens,
Quod per te lapsum reparat,
Virgo Deum concipiens.

4. Concepto, virgo, filio
Culpae reatum diluas,
Floris candentis lilio
A sorde mentes abluas.

5. O dulcis virgo virginum,
Pro tam sollemni gaudio
Devicta morte criminum
Concepto iunge filio.

Ad Laudes.

1. Alvus tumescit virginis
Serato ventris vasculo,
Virga florescit germinis
Clauso carnis ergastulo.

2. Venter puellae baiulat
Alti secreta conscia,
Verbum, quo virgo rutilat,
Carnis labentis nescia.

3. Arto condens cubiculo
Aeterni patris filium
Confracto culpae iaculo
Ducat ad caeli gaudium.

4. Virgo fluens deliciis,
Quae pascis inter lilia,
Pro laetis his primordiis
Concepti des solacia.

5. Gloria tibi, domina,
Quae regem geris omnium,
Dimittat nobis crimina
Caelorum prece civium.

Ad Primam.

1. Gaude, mater, in gaudiis,
Dum virgo paris filium,
Novis psalle praeconiis
Novum ferendo lilium.

2. Noctis silente medio
Verbum in carne loquitur,
Cum novi cantus gaudio
Verbum de caelo mittitur.

3. Lumen de caelo rutilat
Nati fulgente gloria,
Pater in terris iubilat
Novi partus laetitia.

4. Memento, virgo regia,
Quae regem paris omnium,
Quod pro culpae miseria
Tu Dei lactas filium.

5. O dulcis virgo virginum,
Pro tanti partus gaudio
Devicta morte criminum
Nos nato iunge filio.

Ad Tertiam.

1. Gaude, mater cum parvulo,
Rege nascente gloriae,
Quem parvo geris vasculo,
Fert mundo munus gratiae.

2. Intrant magi cubiculum
Regis regentis sidera,
Et matris sacrum uterum
Et sacra laudant ubera.

3. Artum cernunt praesepium
Sub clarae lucis radio
Et castum matris gremium
Grato repletum filio.

4. O quantum matris gaudium,
Cum natus sugit ubera,
Cuius altum dominium
Monstrant caelorum sidera.

5. Gloria tibi, domina,
Rege regentem sidera,
In caeli regis curia
Nos tua pascant ubera.

Ad Sextam.

1. Adest triumphus nobilis,
Quo pia mater gratiae,
Pro Christi morte flebilis,
Concernit regem gloriae.

2. Sermone blandus angelus
Regem viventem nuntiat,
Ut novi cantus iubilus
Te, virgo, laetam faciat.

3. Patris potestas regia
Magnum de terra gaudium
Verbi fulgente gloria
Dat matri reddens filium.

4. O felix vere hostia,
Divae matris suffragio
Ad caeli duc nos ostia,
Quae tua pandit passio.

5. Laus matri regis gloriae
Pro resurgentis gloria,
Quae nos cum signo gratiae
Ducat ad caeli gaudia.

Ad Nonam.

1. Gaude, regina gloriae,
Novo perfusa gaudio,
Nam Christus, rex iustitiae,
Transit in nubis solio.

2. Tremunt videntes angeli
Regis ascensum nobilem,
Quem pro cursu mirabili
Mirantur venerabilem.

3. Grata regis ascensio
Dat matri consistorium
Et pietatis atrio
Dulce reclinatorium.

4. Tu esto nostrum gaudium,
Praedulcis mater gratiae,
Et post praesens exsilium
Duc nos ad thronum gloriae.

5. Gloria tibi, domina,
Rege regnante gloriae,
Dimitte nobis crimina
Cum signo divae gratiae.

Ad Vesperas.

1. Beata matris gaudia
Misso de caelis spiritu
Nostra replent praecordia
Flammis, caelesti sonitu.

2. Virgo parens spiramine
Verbum in carne protulit,
Quod recumbente lumine
Ignem de caelis attulit.

3. Linguis fantur magnalia
Fecundae partus virginis
Corda dudum carnalia
Caelesti dono numinis.

4. Hora recumbens tertia
Sancto repletur spiritu
Virgo perfusa gratia
Caeli tonante sonitu.

5. Veni, creator spiritus,
Per piae matris merita
Et luce fusa caelitus
Nos somno mortis excita.

6. O virgo clementissima,
Pro tanti festi gaudio
Fac nos mente promptissima
Tuo dignos servitio.

7. Sit laus matri cum filio
Flamma fulgente caelitus,
Qui nobis in exsilio
Donet charisma spiritus.

Ad Completorium.

1. Gaude, mater, in gaudio
Tantis referta gaudiis,
Caeli locata solio
Nati fruens deliciis.

2. Enixa virgo virgini,
Decoro sponso virginum,
Sanctorum consors agmini
Sono praecellis carminum.

3. Sanctos excedis meritis,
Amoris privilegio,
Castis stringendo gremiis
Natum in cordis iubilo.

4. Tibi congaudent virgines
Sertis ornatae roseis
Et constipatae liliis,
Albis fulgentes niveis.

5. Ergo gaudet cum filio
Tantis dotata dotibus,
Fulgens ex lucis radio,
Trinis locata sedibus.

6. Assiste, virgo virginum,
Ostendens nato viscera,
Ne mors devoret criminum,
Pro quibus suxit ubera.

7. Conforta, virgo, tepidos,
Peccati pressos vulnere,
Nec diu sinas trepidos
Torpentes carnis pondere.

8. Precare, mater, filium
Pro lapsu fratrum ordine,
Reduc nos ad principium
Sancto flante spiramine.

9. Gloria tibi, domina,
Assumpta super sidera,
In caeli regis curia
Fruamur tua gratia.

Orat. ms. Campoliliense 2. saec. 15. A. — Orat. ms. Novacellense saec. 15. Cod. Oenipontan. 353. B. — Orat. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 23184. C. —

Cursus hinc inde collecti. imp. Augustae 1487. D. — Ad Mat. 2, 3 satiat C. — Ad Laud. 1, 2 flasculo B. — 3, 1 Ratio condens BCD, Facio A. — 4, 2 Quem A. — 4, 3 Prolens pascis C. — Ad Prim. 3, 2 fulgenti ABC. — Ad Tert. 2, 1 Inierunt ABCD. — 5, 2 Rege regente A. — Ad Sext. 1, 2 Qui C. — 1, 3 flebiles C. — 2, 2 vincentem A. — 3, 1 Matris B. — 3, 3 fulgenti ABC. — 5, 3 gratiae fehlt ABCD. — Ad Non. 1, 4 Transivit CD. — 3, 4 declinatorium B. — Ad Vesp. 5, 4 somnis C, summis B. — Ad Compl. 7, 4 Torpentes fehlt A. — 8, 2 fratris C.

53. De VII Gaudiis BMV.

Ad Matutinum.

1. Gaude primum, o Maria,
Ab aeterno tui quia
Facta est praevisio,
Gaude, porta semper clausa
Nostraeque salutis causa
Et culpae discissio.

2. Gaude, nullum scire credo,
Quanta tui sit dulcedo
Et nominis descriptio,
Gaude, sapit plus quam caeli
Manna plebi Israeli
Datum in Aegyptio.

3. Gaude, Aaron virgo frondens,
Fructum vitae nobis spondens,
Mirando indicio,
Gaude, imber gratiarum,
Vas distillans, vas praeclarum,
Istum imbrem sitio.

4. Gaude, nostrum ad necesse
Te produxit radix Iesse
De regali solio,
Gaude, dono speciali
Fulta, quod non queas mali
Vitiari lolio.

5. Gaude, David stirps et heres,
Cui super mulieres
Datur benedictio
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

6. Gaude, virgo, vitae porta,
Per quam nobis lux est orta,
Caeli fit apertio,
Gaude, clavis es de sera,
Per quam prophetarum vera
Patefit assertio.

7. Gaude, ventre in materno
Deus servat a veterno
Te culpae contagio,
Gaude, Anna te produxit,
Stella maris mundo luxit
Salvans a naufragio.

8. Gaude, rosa carens spina,
Morum nitens disciplina,
Dei vacans otio,
Gaude, virgo, nulla talis,
Te non vicit temporalis
Saeculi commotio.

Ad Primam.

1. Gaude, virgo, Ioseph viro
Desponsaris more miro
Sine matrimonio,
Gaude, virginalem florem
Deus celat et pudorem
Tali testimonio.

2. Gaude, templo praesentaris,
Angelorum visitaris
Frequenti obsequio,
Gaude, solam in conclavi
Salutavit te suavi
Gabriel colloquio.

3. Gaude, viso Gabriele
Eius dulcis te loquelae
Roborat intentio,
Gaude, sola digna fore
Salutari novo more,
O verbi inventio!

4. Gaude, inquit, ave, digna,
In te sunt virtutum signa
Et mundi salvatio,
Gaude, gratia tu plena,
Salvat te ab omni poena
Dei miseratio.

5. Gaude, virgo, tecum Deus,
Ne damnetur homo reus,
Per te cedit ultio,
Gaude, virtute amicta,
Super omnes benedicta,
Te his verbis fulcio.

6. Gaude, virgo, corde puro
Mirabaris de obscuro
Verbo ac mysterio,
Gaude, inquit verbi lator,
Ex te nasci vult salvator
Pio desiderio.

7. Gaude, partum expavescis,
Edoceris, quia nescis,
Qualis sit conceptio;
Gaude, tua fides fecit,
Quod resurgunt, quos deiecit
Colubris deceptio.

8. Gaude, virgo, regnum David
Tuae proli adaptavit
Deus ab initio,
Gaude, pneuma Dei patris
Nomen tibi aptat matris
Absque carnis vitio.

Ad Tertiam.

1. Gaude, Deus te suscepit,
Ut salvaret, quos decepit
Fraudulenta sponsio,
Gaude, tua, quod consentis,
Caput trivit mox serpentis
Humilis responsio.

2. Gaude per humilitatem
Te vocasse deitatem
De caeli palatio,
Gaude, quod te obumbravit
Pneuma sacrum, cum intravit
Te divina natio.

3. Gaude, Deum concupivit
Tuum cor, quod erudivit
Sui roris unctio,
Gaude, virgo, concepisti
Iesum, quando credidisti
Gabrieli nuntio.

4. Gaude Dei ex conceptu
Virginalique conseptu
Et pudoris lilio,
Gaude, cuncta claudens palmo
Est in tui ventris almo
Clausus domicilio.

5. Gaude, quod ad montem ire
Festinabas et servire
Cognatae cum studio,
Gaude, Elisabeth audit
Verbum tuum, unde plaudit
Cordis cum tripudio.

6. Gaude, matrem Christi novit
Te Iohannes, quando movit
Se in matris gremio,
Gaude, regis ad edictum
Quando isti, benedictum
Fructum das cum praemio.

7. Gaude, vice obstetricum
Bethlehem implesti vicum
Seraphim servitio,
Gaude, quia angelorum
Scit adesse tibi chorum
Tua parturitio.

8. Gaude, quando paris Iesum,
Virginale non est laesum
Decus suo flosculo,
Gaude, tibi caeli cives
Assunt, pauper simul dives
Uniuntur osculo.

Ad Sextam.

1. Gaude, mater, tibi soli
Competit ac tuae proli
Laus et genuflexio,
Gaude, in te virginalis
Et honoris maternalis
Vera est connexio.

2. Gaude, parens novae laudis,
Angelorum voces audis,
Vernat caeli regio,
Gaude, Christus cum locatur
In praesepe, visitatur
Pastorum collegio.

3. Gaude, tuum corpus Christum
Pavit, angelorum pistum,
Lacte cum virgineo,
Gaude, nomen proli datur,
Circumcisus purpuratur
Colore sanguineo.

4. Gaude, verbi Dei cella,
Magos duxit lucens stella
Suo ministerio,
Gaude, reges tres adorant
Tuam prolem et honorant
Te in puerperio.

5. Gaude, quia magos docet,
Quod Herodi regi nocet,
Nocturnalis visio,
Gaude, quod decepit regem,
Dans in Christum mortis legem
Infantum occisio.

6. Gaude, prolis tu vagitum
Placas iuxta matrum ritum
Osculi solacio,
Gaude, virgo et matrona,
Christus sui in persona
Templi fit oblatio.

7. Gaude, quando vitae prolem
Offers, senex verum solem
Videt cordis oculo,
Gaude, Iesum videns Anna
Mox divinum gustat manna
Cum salutis poculo.

8. Gaude, regis fugis minas,
Partes quaeris peregrinas
Angeli consilio,
Gaude, Ioseph quod monetur,
Puer ut reducceretur
Tecum de exsilio.

Ad Nonam.

1. Gaude, quod in templo natum
Invenisti collocatum
In doctorum medio,
Gaude . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

2. Gaude, Iesu baptizato
Mundat omnes a peccato
Baptismalis lotio,
Gaude, nam, quae tunc geruntur
Et de Christo referuntur,
Conservat devotio.

3. Gaude, mundus hoc exegit,
Quod apostolos elegit
Christus in hoc bivio,
Gaude, quia te praesente
Iesus vinum de torrente
Fecit in convivio.

4. Gaude, Iesus manifestat
Se, salutem quando praestat
Signis et prodigio,
Gaude, Christus non quievit
Laborare, donec crevit
Haec sancta religio.

5. Gaude, Iesus triumphavit,
Mortem vincens liberavit
Nos de mortis vinculo.
Gaude, consolantur flentes
Mulieres tres quaerentes
Dominum in tumulo.

6. Gaude, mira quia gessit
Christus, visus dum excessit
De sepulchri solio,
Gaude, postquam rexurrexit,
Quosdam extra limbum vexit
Pio facto spolio.

7. Gaude, per terrenos testes
Declaratur et caelestes
Christi resurrectio,
Gaude, quia Thomae tactus
Est revera nobis factus
Fidei erectio.

8. Gaude, Christus, ut praedixit,
Consolatur, quos adflixit
Mortis in supplicio,
Gaude, suis se ostendit
Multis modis et accendit
Verbi beneficio.

Ad Vesperas.

1. Gaude, die quadrageno
Iesus latus est sereno
Te vidente nubilo,
Gaude, Christus caelos redit
Et ad dextram patris sedit
Cum ingenti iubilo.

2. Gaude, Christus dat in igne
Virtutis donum insigne
Clausis in cenaculo,
Gaude mundo quod electi
Praedicare sunt directi
Fidem cum miraculo.

3. Gaude, quae per Christum legis
Normam datam novae legis
Populo catholico,
Gaude, quod in mortis hora
Circumdaris sine mora
Coetu apostolico.

4. Gaude quod assumptioni
Tuae assunt omnes throni
Christo quidem praevio,
Gaude, es ad caelos vecta,
Per te patet via recta,
Quam sequens non devio.

5. Gaude, his in terra usa,
Sed in caelis es diffusa
Ampliori gaudio,
Gaude, hoc delectat si te
Carmen, supplicanti rite,
Quaeso, dic: exaudio.

6. Gaude, quae in fide cernis
Iesum cum turmis supernis
Tollentem te de saeculo,
Gaude, anima et caro
Tua lucent in praeclaro
Deitatis speculo.

7. Gaude, cunctis superlata,
Nulli viro comparata
Dignitatis socio,
Gaude, laudum et honorum
Sic secura, quod eorum
Nulla est amotio.

8. Gaude, Christo sic coniuncta,
Quod cum ipso agis cuncta,
O felix conventio!
Gaude, caeli luminare,
Claritatis carens pare,
Paris nec sit mentio.

Ad Completorium.

1. Gaude, nam ex tuo vultu
Sanctis et ex miro cultu
Venit iucundatio,
Gaude, quae indifferenter
Cunctis ades, si decenter
Tui fit invocatio.

2. Gaude, virgo semper laeta,
Misereri reis sueta
Quovis in periculo,
Gaude, quae dum invocaris,
Opem ferre non moraris
Pio adminiculo.

3. Gaude, gaudens nunc postremo,
Est remotus quia nemo
A tuo praesidio,
Gaude, gaudens in perenne,
Virgo mater, a gehennae
Salva me discidio.

4. O Maria, quae fomenta
Das virtutum, me sustenta
Pietatis humero
Atque vitae meae cursum
Post hanc vitam loca sursum
In sanctorum numero.

5. Ubi sceptrum cum corona
Regni tenes, ibi bona
Detur mihi portio,
Pro hac laude gaudiorum,
Virgo mater, angelorum
Iunge me consortio.

6. O Maria, qui hoc sertum
Tibi promo, fac me certum
Tuo de auxilio,
Assis mihi in extremis
Collocando in supremis
Cum dilecto filio.

7. O Maria, virgo pia,
Mater Christi, caeli via,
Spes et miseratio,
Praesta mihi, qui tuorum
Sum succentor gaudiorum,
Sim et in solacio

8. Eorundem te praestante,
Iesu Christo mihi dante,
Cuius iram metuo,
Cum quo regnas, es et vivis,
Princeps mundi, caeli civis
Nunc et in perpetuo.

9. Omnis homo dicat Amen,
Orans patrem, natum, flamen,
Caeli frui gaudio.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824 anni 1490. — Ad Mat. 1, 6. culpae desiderio. — 4, 6 lilio. — 7, 2 servavit. — Ad Text. 1, 2 deiecit. — Ad Sext. 5, 2 Quia Herodi. — 8, 1 fugis nefas. — Ad Non. 5, 3 mortis tumulo. — 6, 2 dum expressit. — Ad Compl. 1, 6 Lies: Tis fit?

54. De Assumptione B. M. V.

Ad 1. Vesperas.

1. Maria, candens lilium,
Rosa sine spina,
Vocat suum filium
Hora vespertina.

Ad Completorium.

2. Quae completo tempore
Languens prae amore
Obdormivit dulciter
Mortis in sopore.

Ad Matutinum.

3. Adest matri Dominus
Luce cum divina,
Sic ad astra tollitur
Stella matutina.

Ad Primam.

4. Cum cymbalis ac citharis
Post a ierarchia
In magna suscipitur
Gloria Maria.

Ad Tertiam.

5. Altius conducitur,
Medii caelorum
Occurrunt exercitus
Patris angelorum.

Ad Sextam.

6. Qui trans sextum dominam
chorum conduxerunt,
Cherubim et Seraphim
huic obviaverunt.

Ad Nonam.

7. Hinc iucunde geritur
Chorum ultra nonum
Et in summum ponitur
Ierarchiae thronum.

Ad 2. Vesperas.

8. Ibi cum laetitia
Maria coronata
Regnabit in saecula
Mire sublimata.

Ubi mille milia
Deo electorum
Et centena milia
Astant angelorum,
Qui suis in citharis
Et organis caelorum
Mariam magnificant
In saecla saeculorum.

Cod. Bruxellen. (ol. S. Laureantii Leodien.) 9700—4. saec. 15. — 2, 3 dulcis.

55. Horae beatae Mariae V.

Ad Matutinum.

1. Deus, qui primum hominem
de limo terrae creavit
Et ad similitudinem
Suam propriam formavit,
Te praeelegit virginem
Et in te se obumbravit,
Ut humanam propaginem
Redimeret, quae peccavit.

Ad Primam.

2. Nos Deus in hoc crimine
Pati nolens ordinavit,
Quod sicut mors in homine
Per mulierem intravit,
Sic per merita feminae
Vitam ei restauravit,
De David regis semine
Quam Ioachim generavit.

Ad Tertiam.

3. De mulierum numero
Haec sola sanctificata
Fuit in matris utero
Sanctaque semper servata,
In aevo quoque tenero
Templo fuit praesentata,
Castitatem Deo vero
Vovit sponte dedicata.

Ad Sextam.

4. Deus causa munditiae
Suae nec non sanctitatis
Carnem nostrae miseriae
Sumpsit et humanitatis,
Peperit regem gloriae
Nil habens anxietatis,
Manente pudicitiae
Floreque virginitatis.

Ad Nonam.

5. Ipsum suis uberibus
Virginali lacte pavit
Et in pannis pauperibus
Involutum comportavit
Cibisque melioribus,
Quos habuit, hunc cibavit,
Donec a puerilibus
Annis omnino migravit.

Ad Vesperas.

6. Et post Christi passionem,
Quam praesens vidit Maria,
Et eius ascensionem
Usque regna caelestia
Templi petit mansionem,
Sicut prius virgo pia,
Repetens orationem,
Donec finit vitae via.

Ad Completorium.

7. In obitu convenerunt
Eius omnes discipuli
Ipsamque sepelierunt,
Et post tres dies singuli
Corpus in sepulcro quaerunt,
Nil invenerunt seduli,
Hinc id assumptum asserunt
In caelum omnes creduli.

Recommendatio.

8. Tuae matris in honore
Has horas, Christe, diximus
Corde devoto et ore,
Mariam quoque petimus,
Ut nos mundet a foetore
Peccatorum, quae fecimus,
Precum suarum fervore
Ut in caelis secum simus.

Brev. ms. S. Clarae Neapol. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). A. — Orat. ms. Atrebatense saec. 15. Cod. Miss. Urban. Ianuen. 31. 4. 8. B. — Orat. ms. Iuliani Regin saec. 15. Cod. Parisin. 757. C. — 1, 1 cunctum hominem A. — 1, 5 Te fehlt A; Et sic praeelegit B. — 1, 6 Et sic in se B. — 2, 5 pro A. — 2, 6 ei fehlt A. — 3, 4 semper fehlt A; Semperque virgo B. — 4, 2 Virginis in ea gratia C. — 4, 6 Nihil A. — 4, 8 Floresque A. — 5, 1 Ipsam A. — 5, 4 comparavit B. — 5, 5 Ceterisque melioribus B. — 5, 6 hunc habuit B. — 5, 7 a fehlt C; pueribus B. — 6, 5 Templum C. — 6, 7 Reparans A, Ceptens C. — 6, 8 Donec fuit AB. — 7, 2 Omnes eius AB. — 7, 7 Illud assumptum B, Illum A. — 8, 2 fehlt A. — 8, 8 Et in caelis C, tecum A.

56. Horae beatae Mariae V.

Ad Matutinum.

1. Ave, decus trinitatis,
Theotocos maiestatis,
Emanans dulcedinem,
Ave, caeli paradisus,
Hortus clausus, non divisus,
Servans plenitudinem.

2. Vestem, ecce, praeparamus
Purpuream et rogamus
Te clementem dominam,
Ut confortes fluctuantes,
Hostes fuga adversantes
Donans nobis gratiam.

3. Phlegetontis a ruina
Nos custodi, o regina,
Et da caeli gloriam.

Ad Primam.

1. Salve, thronus deitatis,
Arca plena sanctitatis,
Venustate rosea,
Salve, speculum sanctorum,
Mater regis supernorum,
Caritate ignea.

2. Salve, murra semper fragrans,
Iugiter amore flagrans,
Pietate nitida,
Veste rubea ornari,
Teque prolem venerari
Fac nos, flos convallium.

3. Morum confer sanctitatem,
Mentis auge puritatem,
Dei contubernium.

Ad Tertiam.

1. Salve, mundi recreamen,
Peccatorum relevamen,
Huic orbi consolamen,
Dei mater inclita.

2. Salve, stella matutina,
Virgo, mater et regina,
Nos a morte repentina
Praeserva, carissima.

3. Stolam blaniam parare
Ac peccata emendare,
Ad superna respirare
Fac nos, pia domina.

Ad Sextam.

1. Ave, nardus humilis,
Corona virtutum,
Tellus inarabilis,
Imbecillis scutum.

2. Ecce, vestis grisea,
Stella vespertina,
Virgo et puerpera,
Rosa sine spina.

3. Ave, caeli gaudium,
Iter viatorum,
Nostrum privilegium,
Placatrix reorum.

Ad Nonam.

1. Salve, rosa paradisi,
Per quam hostes sunt divisi,
Tis calcaneo elisi,
Pax humani generis.

2. Salve, vitis irrigata,
Stola viridi ornata,
Dei donis decorata,
Vera spes terigenis.

3. Phoebus luna clarior,
Luna astris ceteris,
Sic Maria sanctior
Universis conditis.

Ad Vesperas.

1. Heu, Maria videt natum
Fixum cruci, desolatum
In monte Calvariae,
Videt Iesum cruentatum,
Circumquaque perforatum
Perfida ab acie.

2. Eia, mater benedicta,
Ligno crucis mente fixa,
Poenis plena animae.
Plagas Iesu contemplatur,
Gemit virgo, lacrimatur,
Tristi pallens facie.

3. Vestem nigram praeparare,
Iesu mortem frequentare
Nos fac, mater gratiae.

Ad Completorium.

1. Vale, caeli symphonia,
Salvandorum melodia,
Stans pro pace foederis,
Vale, aula praemunita.
Stola alba redimita,
Dos aeterni muneris.

2. Vale, sponsa Dei dicta,
Sole Olympi amicta,
Septa sanctis angelis,
O alumna pietatis,
Arca immortalitatis,
Solaris decora,

3. Nos perfrui perennibus
Caelorum regni tinnulis,
Da, fulgens aurora.

Orat. ms. Augustin. saec. 15/16. Cod. Maguntin. II 344. — Ad. Mat. 2, 2 Purpuream. — Ad Complet. 3, 1 Nobis perfrui. — Das Lied ist in der Hs. auf die sieben Wochentage statt auf die sieben Tagzeiten verteilt.

57. Horae beatae Mariae V.

Ad Matutinum.

1. Collaudemus universi
Gratiarum fonte tersi
Mariam christiferam,
Quae nos eius ventris fructu
De perditionis luctu
Refecit per gratiam.

2. Mater miserationis,
Spes humanae contionis,
Consolare populum,
Quem de lacu mortis tristi,
De contemptu transtulisti
In vivorum numerum.

3. Fac nos tibi nunc vacare
Et ad Christum convolare
Mentis desiderio,
Hostis vepre ne pungamur,
Per te large perfundamur
Gratiarum oleo.

4. Virgo felix et iucunda,
Contemplari mente munda
Fac nos tuam faciem,
Christum pure nunc amare
Deitatisque potare
Supernam dulcedinem.

5. Claritatis vestimento
Doce, virgo, vultu laeto
Christum nos induere,
Inter caeli legiones
Gratiarum actiones
Condecenter canere.

6. Sit cum Christo laus parenti
Ab utroque procedenti
Plena iubilatio,
Genetrici illibatae
Sit cum sancta trinitate
Summa benedictio.

Ad Primam.

1. Superni sponsa principis,
Propitiatrix hominis,
Maria, virgo regia,
Plena laudis et gratia,

2. Compesce carnis fomitem
Hostisque saevi rabiem,
Terrena da despicere,
Superna concupiscere.

3. Illustra facem sensuum,
Da robur, fer auxilium,
De caelis rora gratiam
Tuam super familiam.

4. Perfectos et gratissimos
Nos Christi fac discipulos,
Da utriusque providam
Testamenti custodiam.

5. Fac nos gustare caelitus
Charisma sancti spiritus
Et contemplari filium
Cum sanctis in perpetuum.

6. Fides, spes, amor, latria
Patri, nato, paraclito,
Mariae, sanctis omnibus
Hymnus, plausus et iubilus.

Ad Tertiam.

1. Maria, stirps egregia,
Lux mundi, spes et gloria,
Dilectum placa filium
Salute pro fidelium.

2. Festina, ne tardaveris
Auxiliari miseris
Quos emit Christus proprio
Cruoris sui pretio.

3. Da pietatis gratiam,
Devotionis copiam,
Thesaurum sapientiae,
Salutis, pacis, veniae.

4. Nos pio vultu respice,
Reforma, rege, refice
Ac impertire filiis
Caelestis haustum luminis.

5. Peccati sana vulnera,
Da gratiarum munera,
Hostis doma malitiam
Et transfer nos ad gloriam.

6. Fides, spes, amor, latria
Patri, nato, paraclito,
Mariae, sanctis omnibus
Hymnus, plausus et iubilus.

Ad Sextam.

1. [O] consolatrix omnium,
Flos florum, virgo virginum,
Audi preces lugentium
Devote te quaerentium.

2. Dilecta, veni propere
Te diligentes visere,
Tuam catervam satia
Superna Dei gratia.

3. Servorum vota filio
Fer interventu sobrio,
Ut culpas nostras deleat
Et caritate repleat.

4. Compunctionis calice
Deserta corda refice,
Da duplicis continuum
Sanctitatis irriguum.

5. In nobis, mater inclita,
Fervoris flammam suscita,
Sensus nostros irradia
Divina sapientia.

6. Fides, spes, amor, latria
Patri, nato, paraclito,
Mariae, sanctis omnibus
Hymnus, plausus et iubilus.

Ad Nonam.

1. Tu castitatis lilium,
Virtutum domicilium,
Vas vitae, fons clementiae,
Ros caeli, thronus gloriae.

2. Amica, sponsa, socia
Dei patris et filia,
Tu nobis sis auxilium
Apud patrem et filium.

3. Occultis a reatibus
Devotis lava fletibus
Et gratiarum sicera
Nos incrassare propera.

4. Constringe nos suavibus
Tuis, mater, amplexibus
Et recommenda filio
Plenoque reple gaudio.

5. Donorum auge praemia,
Pro parvis da magnalia,
Sanctorum quoque mystica
Bona nobis communica.

6. Fides, spes, amor, latria
Patri, nato, paraclito,
Mariae, sanctis omnibus
Hymnus, plausus et iubilus.

Ad Vesperas.

1. Summi sponsa creatoris,
Soror, dos et filia,
Parens patris, nata prolis,
Virginum primaria,
Florens hortus, fons dulcoris,
Mundi spes eximia.

2. Audi planctum filiorum,
Fons misericordiae,
Consolatrix orphanorum,
Dona praesta gratiae
Ac ascribe nos ad chorum
Caelestis militiae.

3. Arma plebem militantem
Hac in solitudine,
Pande fontem nos lavantem
Imbre paenitentiae,
Confer palmam triumphantem
Et coronam gloriae.

4. Pietatis vas insigne,
Supplices refrigera,
Vivo caritatis igne
Confovere propera,
Quo libemus tibi digne
Gratiarum munera.

5. Ad te suspiramus, pia,
Pauperum refugium,
Angelorum melodia,
Misereris omnium
Nunc et semper, o Maria
Tibi supplicantium.

6. Laus perennis Deo patri
Sanctoque paraclito,
Laus inviolatae matri
Ac ipsius filio,
Quae nos sanctae trinitati
Iungat cum tripudio.

Ad Completorium.

I.

1. Ave, rosa generosa,
Diva, potentissima,
Mater virgo, vitae pyrgo,
Stella serenissima.

2. Christum Deum, Nazarcum
Nobis reconcilia
Et culparum tu nostrarum
Relaxa contagia.

3. Fons virtutum, numen tutum,
Vino nos inebria
Deitatis daque gratis
Paradisi gaudia.

4. O praelata, fecundata
Dei patris filio,
Nos dignare te laudare
Voto cordis sobrio.

5. Contemplari, osculari
Ac amplecti filium
Puro corde sine sorde
Da post hoc exsilium.

6. Sit Mariae, matri piae
Laudum modulatio
In aeternum sit supernum
Melos Dei filio.

II.

1. Maris stellae, Christi cellae
Melodias promere
Convenite, Israelitae,
Mentis cum dulcedine.

2. Cordis fletum atque metum,
Christe rex, discrimina
Per parentis te foventis
Mariae precamina.

3. Propagatrix lucis, matrix
Pacis et clementiae,
Salutare nos gustare
Tuum semper tribue.

4. Fac in caelis, spes fidelis,
Ipsum nos agnoscere,
Qui mudavit nosque pavit
Pretioso sanguine.

5. Exsultantes, lamentantes,
Virgo mater, collige
Ac in castra super astra
Supernorum dirige.

6. Virgo parens labe carens,
Tibi laus et gloria
Sit cum nato tibi grato
Per aeterna saecula.

Orat. ms. Tegurinum anni 1490. Clm. Monacen. 19824. — Ad Prim. 6, 3 Mariae cum sanctis omnibus, auch in den folgenden Hymnen an der entsprechenden Stelle. — Ad Sext. 4, 3 contiguum. — Ad Vesp. 4, 4 Confoveri. — Ad Complet. II 5, 1 Exsultantes. — Der Hymnus ad Completorium ist augenscheinlich aus zwei getrennten Liedern zusammengesetzt, weshalb diese im Drucke als selbständige Ganze kenntlich gemacht sind. Vgl. Mone II, Nr. 543 ff.

58. Horae beatae Mariae V.

Ad Matutinum.

1. Gaude, virgo principalis,
Per quam decor virginalis
Accepit exordium,
Per quam amor enituit,
Amor in mundo floruit
Inter spinas lilium.

2. Gaude, virgo, decus morum,
Cuius nomen est flos florum,
Flos amoris, flos gaudii,
Flos aeterni palatii.

3. O flos florem concipiens,
O rosa rosam pariens,
Tuo rore nos irrora,
Tuo flore nos colora,
Per te mens nostra gaudeat
Et in Deo refloreat.

4. Gaude, decus ecclesiae,
Mater misericordiae,
Virgo mitis et benigna,
Sola bona, sola digna
Omni laude et honore
Omni loco et tempore,
Omni maior praeconio
Omnique desiderio.

5. Tuas virtutes canere
Laudes auditas facere
Nec ipsa vox angelica
Nec tota posset musica:
Te amare, te laudare,
Te post Christum suspirare
Sit nostra sapientia,
Sit nobis super omnia.

6. Gaude, gemma puellarum
Et Maria Mariarum,
Hoc nomen praestat ceteris
Quinque formatum literis:
Te magnam prima litera,
Almam designat altera,
Et tertia te regnantem,
Quarta vero imperantem,
Quinta te agnam nuntiat,
Agnam, quae labe careat.

7. O virgo mater Domini,
Tuo beato nomini
Nostra subscribe nomina
In libri vitae pagina.

8. Gaude, regina nobilis,
Virgo incomparabilis,
Cuius est corpus puritas
Et novitatum novitas,
Cuius mens desiderium
Et gaudiorum gaudium.

9. Gaude, virgo dulcissima,
Cuius corpus et anima
Singulare miraculum,
Miraculorum speculum.

10. Gaude, cuius eloquia
Sunt sicut mala aurea,
Et cuius motus animi
Vincunt odorem balsami.

11. Gaude, cuius operibus
Tamquam stolis regalibus
Nitet corpus ecclesiae,
Vestitur rex iustitiae.

12. Gaude, virgo amabilis,
Tota desiderabilis,
Rosa rosarum omnium
Et liliorum lilium,
Da nobis desiderium
Videndi te et filium,
Ut vestro desiderio
Vestra accedat visio.

13. O laudanda fecunditas,
Quam sic amat virginitas.
Ut osculo perpetuo
Se osculentur mutuo.
Tam pia foederatio,
Quae in te floret unica,
Nos per te iungat filio,
Mater tota deifica.

14. O filii tu filia,
Tu amori semper vaca
Et dilectum nobis placa
Orandi instantia.

15. Nunc abundat iniquitas,
Et refrigescit caritas
In multorum cordibus,
Unde magis est gemendum,
Humilibus innitendum
Tuis almis precibus.

16. Tuus amor afficiat,
Ad te cor nostrum rapiat
Totum, non dimidium,
Ut cantemus prae amore
Laudes tuas cum honore
In terra viventium;

Ut nostra contemplatio
Tibi et tuo filio
Vacet cum laetitia,
Vos laudando cotemplari,
Contemplando admirari
Est suprema gloria.

17. Gaude, nostra sollemnitas,
Gaude, nova iucunditas,
Gaude, gaude, ros gratiae,
Gaude, gaude, flos gloriae,
Gaude, quae veste candida
Omniformi et fulgida
Sola fulgens in solio
Sedes imperatorio.

18. Gaude, quam sapientia
Zona praecinxit aurea,
Zona non ab hominibus,
Sed Dei facta manibus;
Gaude, quam Deus annulis
Ornavit et muraenulis,
Armilla, dextrochirio,
Torque, monili regio.

19. Gaude, virgo pulchra tota,
In amoris fonte lota
Manu innocentiae,
Per quam amor mundum lavit
Et lavando dealbavit
Candore iustitiae.

20. O mater desiderii,
O civitas refugii,
O gemma iustitiae,
Tibi soli sit sanctitas,
Sit primatus, sit dignitas
Honorificentiae.

21. Da gaudium auditui,
Da et nostro spiritui,
Non superbe sapere,
Sed ex affectu intimo
Deo, tibi et proximo
Totam mentem subdere.

22. Fac nos per tuum meritum
Unum cum Deo spiritum
Caritate gemina,
Ut cursu semper prospero
De nostro fluant utero
Aquae vivae flumina.

23. Gaude, quae turtur turturum,
Columba es columbarum,
Cuius nidus simplicitas,
Et volatus est castitas.

24. Gaude, cuius castitati,
Cuius summae maiestati
Caeli caelorum rutilant,
Caeli caelorum iubilant.

25. Gaude, per quam caelestia
Amplexantur terrestria,
Per quam suscepit saeculum
Cum Deo pacis osculum.

26. Gaude, mater orphanorum,
Vera nutrix parvulorum,
Quos lacte nutris gratiae,
Sinu fovens clementiae.

27. Gaude, nostra felicitas,
Dulcedo, spes, victoria,
Vita, salus, sublimitas,
Virtus, misericordia.
Da nobis inter ubera
Dulcem murrae fasciculum,
Cuius vis salutifera
Cordis conservet loculum.

28. O sublimis puerpera,
Complectens omni tempore
Dilecti tui vulnera
In sacrosancto pectore,
Fac ad nostrum solacium
Dilectum tui uteri
Nostrorum semper cordium
Totis medullis inseri.

29. Tu balsamus pretiosa
Dans balsamum salutare,
Tu vitis es generosa,
Vivo fecunda nectare;
Huius nos vino nectaris
Vivo potu vivifica
Et balsami salutaris
Unctione salvifica.

Ad Laudes.

1. Gaude, virgo egregia,
Mater solis et filia,
Per quam nox finem habuit,
Sol de sole resplenduit.

2. Gaude felici gaudio,
Eodem gaudens filio,
Quem Deus, auctor omnium,
Gaudet habere filium.

3. Gaude tanto consortio,
Condigna Deo socio,
Et da, ut in hoc foedere
Sit nobis nasci, vivere,
Sit mors, sit resurrectio,
Sit nostra consummatio.

4. Gaude, nostrae lux fidei,
Praedux stella sanctae spei,
Dux ad montem aromatum,
Ex sabbato ad sabbatum,
Dux a fide ad speciem,
Ad iubilaei requiem.

5. Gaude, serena domina,
Splendor verus, lux divina,
Caelum, caeli serenitas,
Stella, stellarum claritas,
Nobis intus irradia
Tui splendoris gloria,
Ut cordis nostri mansio
Vero splendescat radio.

6. Tu virtutum harmonia,
Luna defectus nescia,
Tota melos et iubilus,
Tota lumen et oculus;
Tuum melos nos mulceat,
Tuum lumen nos induat,
Sit nobis tua facies
In noctibus meridies.

7. Gaude, sponsa, quae amorem
Pium habes dilectorem,
Dilecta prae omnibus,
Tu amorem grata vice
Amantem amas unice
Totis ex visceribus.

8. O sponsa, quae plus amasti,
Plus amando suspirasti
Sponsi tui speciem,
Te iustum est plus gaudere,
Te dignum est plus videre
Eius sacram faciem.

9. Ergo gaude plus quam multum
Et dilecti vide vultum
Singulari gratia,
Amplexantem amplexare,
Osculantem osculare
Perenni concordia.

10. Cui cum patre ingenito
Et spiritu paraclito
Humilitatis hostiam
Offerimus et gloriam.

Ad Primam.

1. Gaude, aurora saeculi,
Domus novi diluculi,
De qua lux lucis prodiit
Et in mundo apparuit.

2. Gaude, mater, salvo flore
Ortus surgentis aurorae,
Quae dici primordia
Dedisti in ecclesia.

3. Gaude, mater luciferi,
De cuius sacri uteri
Benedicto sacrario
Refulsit benedictio.

4. Gaude, mater principii,
Gaude, flos desiderii,
Quae edidisti omnibus
Desideratum gentibus.

5. Gaude, Sion ecclesiae,
Per quam apparente die
Umbra noctis evanuit
Et lactum mane claruit.
Esto lux nobis praevia
Et oriens ad gaudia,
Ut solis veri specie,
Vero fruamur hodie.

6. Imperatrix palliata
Novo sole, coronata
Duodecim sideribus,
Lunam habens sub pedibus.
Verum nobis luciferum,
Sidus ostende siderum,
Ut cernamus sine fine
Lumen in eius lumin

7. Gaude, quae es forma Dei,
Diadema speciei,
Gaude, per quam mundus ridet,
Quia veram lucem videt.

8. Gaude, tota munditia,
Tota dies et gloria,
Per te ex alto veniens
Illuminet non oriens,
In quo cor meum rideat
Risu, qui fine careat.

9. Gaude, prima laetantium,
Primitiae gaudentium,
Da mane sine vespera,
Da corda nobis libera.
Da primae pacis prospera,
Da unitatis foedera,
Da sanctitatis munera
Da honestatis opera.

10. Da fidei constantiam,
Da veram sapientiam,
Da laetam patientiam,
Da gratam verecundiam,
Da spiritus modestiam,
Da puram conscientiam.

11. Gaude, lampas caritatis
Et lucifer humilium,
Sol septuplae claritatis,
Dies dierum omnium;
Iube, ut nos humilitas,
Virtus virtutum, impleat,
Per quam in nobis caritas
Ardens et lucens fulgeat.

12. O orientis oriens,
Aurora solis nuntia,
O sol solem parturiens,
Dies diei praevia;
Da tam praesuavi sibilo
Mentis adflari intima,
Per quem amoris iubilo
Nostra exsultet anima.

13. O ver, veris temperies,
Quo reviviscunt omnia,
Aestas, aestatis species,
Quo innovantur gaudia,
Fac nos intus innovari
Virore, qui non deficit,
Et in Deo iucundari,
Qui solus vere sufficit.

14. Deus, aeterna puritas,
Una et trina suavitas,
Sit tibi iubilatio
Purae mentis affectio.

Ad Tertiam.

1. Gaude, nostra Hierusalem,
Per quam pacem principalem
In aeternum habebimus,
Quando Christum videbimus,
Quem amare est pietas,
Quem videre satietas.

2. Gaude, porta iustitiae,
Via supernae patriae,
Cuius sequi vestigia
Est veritas et gloria.

3. Gaude, quae dilecto tuo
Amore individuo
Coniuncta aeternaliter
Gaudes ineffabiliter.

4. Gaude, ficus suavifera,
Dei plantata dextera,
Finis amaritudinis,
Principium dulcedinis.

5. Gaude, virgo de Nazareth,
In te vere nihil aret,
Tu tota innocentia,
Flos et magnificentia,
Libertas, incorruptio,
Ubertas et electio,
Honestas, elegantia,
Potestas, excellentia,
Maiestas, dominatio,
Venustas, admiratio;

Da, ut mente Nazarei,
A vitiis alieni,
Proferamus sine spina
Multa virtutum germina.

6. Gaude, caelestis viola,
Flos dignus Deo incola,
In qua Deus et amore
Totus mansit et corpore;
Beata tua viscera,
Venter, dorsum et latera,
Pectus, guttur, lac, ubera,
Os, oculi et labia,
Caput, collum, frons et aures,
Lingua, dentes, genae, nares,
Lacerti, manus, humeri,
Crura, pedes et digiti,
Quinque sensus corporei,
Crines, vestes et calcei,
Cogitatus et opera
Et tua verba omnia.

7. O lux mundi, lucis mater,
Te signavit Deus pater,
Qui nasci de te voluit
Deum, quem de se genuit;
Tam praeclara nativitas
Sit nostrae mentis claritas,
Et nos per te simus dii,
Dei et tui filii.

8. O virgo, flos imperii,
O pulchrituto gaudii,
Gaude, maior imperio,
Et singulari gaudio.
Gaude, origo gaudii,
Mater aeterni lilii,
Per quam Christus, flos montium,
Flos factus est convallium.

9. O dilecta cum dilecto,
O electa cum electo
O rosa cum lilio,
Tibi candor cum rubore,
Tibi decus cum decore,
Tibi laus cum gaudio.

10. In te sibi complacuit,
In te amor constituit
Locum suae gloriae,
Te elegit, te amavit,
Te prae cunctis consecravit
Oleo laetitiae.

11. Da, ut nos amor vulneret
Et vulnerando superet
Felici victoria,
Amor, qui supereminet,
Sperat, suffert et sustinet,
Credit et vincit omnia.

12. Dulcis vocum symphonia
Cum iubilo mentis piae
Det hymnum et gloriam
Invicto regi gloriae.

Ad Sextam.

1. Gaude, plena veritatis,
Plenitudo bonitatis,
De cuius abundantia
Bonis abundant omnia.

2. Gaude, reorum venia,
Gaude iustorum copia,
Gaude, mater glorifica,
Spiritu balsamitica,
Carne autem cum ossibus
Murra cum aromatibus.

3. Gaude, cuius cor humile
Vulnus amoris nobile
Pertransivit medullitus
Et fecundavit caelitus,
Cuius opus clementia
Et voluntas potentia,
Cuius odor est vitalis
Medicina immortalis.
Da nobis spei gaudia,
Da amoris suspiria.

4. Gaude, virgo, quae oleum
Per uterum eburneum,
Austro perflata dulciter,
Nobis fudisti largiter.
Unge cor nostrum oleo,
Quod per te partu aureo
Sua se nobis gratia
Plena effudit copia.

5. Paradisus voluptatis,
Aquis vivis irriguus,
Fons totius pietatis,
Lacte et melle profluus,
Puro lacte, pio melle
Nostra infundens vascula,
Fac nos pios sine felle,
Puros sine macula.

6. Gaude, manna virginale,
Manna novum et regale,
Quod nulli sapit hominum,
Nisi palato virginum.

7. Gaude, felix, et iubila,
Cum melle fruens simila,
Cum lacte bibens balsamum
Intra amoris thalamum;
Quae tua pascis specie
Dilectum in meridie,
De cuius mensa regia
Vivit omnis ecclesia,
Da nobis Deum sapere,
Eius amore vivere.

8. Gaude, per quem panis caeli
Novo datur Israeli,
Quem nulli licet edere,
Qui necdum scit diligere;
Tu vallis et frumentalis,
Quae frumenti aeternalis
Protulisti nobis granum,
Cuius esu cor fit sanum,
Fit pinguior, fit fortior
Noster homo interior.

9. Talis frumenti adipe
Nos saginari praecipe,
Ne cor nostrum arefiat
Et in via deficiat,
Da veritatis epulum,
Sinceritatis poculum,
Ut cum sinceris animis
Epulemur in azimis.

10. O insignis sponsa Dei,
Alma mater almae spei,
Lignum vitae almifluum,
Fructum ferens praecipuum,
Ostende nobis sobrias
Sponsi sponsaeque nuptias,
In illa dulci patria
Fructu vitae nos satia.

11. Gaude, virgo aetherea,
Vivam nucem parturiens,
Urna decens et aurea,
Verum manna suscipiens;
Huius panis angelici
Nos repleas pinguedine,
Ut tam pii viatici
Oblectemur dulcedine.

12. In te dulce convivium,
In te omnes deliciae,
In te electuarium
Et sapor omnis gratiae.

13. Deus pater, Deus fili,
Deus amborum caritas,
Tibi soli laudabili
Sit laus, honor et claritas.

Ad Nonam.

1. Gaude, columna gemmea,
Cuius basis est aurea,
Columna mundum sustinens
Et super caelos eminens.

2. Gaude, nardus humillima,
Humilitate maxima,
Tota virgo humilitas
Et humilis virginitas.

3. Gaude, pascha fidelium,
Laudatio laudantium,
Per quam nobis ad gaudia
Fit transitus paschalia,
Ubi semper gaudebimus,
Christum et te videbimus.

4. Gaude, cedrus exaltata,
In amore radicata,
Gaude, oliva viridis,
Ramis iucunda floridis;
Hortus clausus et amoenus,
Omni flore semper plenus,
Quem totum singulariter
Auster perflavit dulciter.

5. Gaude, quae septem sidera
In tua habes dextera,
Maria re et nomine,
Quae omni luces lumine.

6. Beati, qui te diligunt,
Qui te amore eligunt
Affectu plenario,
Te diligentes dilige,
Te eligentes elige
In caeli palatio.

7. Gaude, cuius nativitas
Vernalis est amoenitas,
Per quam hiems pertransiit,
Aestivum tempus rediit,
Cuius natura bonitas,
Cuius statura sanctitas,
Cuius forma dilectio,
Excisa Dei digito,
Nostrae decenter animae
Formam amoris imprime.

8. Gaude, templum marmoreum
Et civitas solstitii,
Castellum solis vitreum,
Solis occasus nescii;
Fac nos templum castitatis,
In quo sit Dei solium,
Fac castellum puritatis,
In quo fiat solstitium.

9. Gaude, mundi reparatrix,
Creaturae recreatrix,
Quod sine te fecit Deus,
Tecum refecit dignius,
Et quod per se disposuit,
Per te complere voluit,
Ut merito quodam iure
Nomineris creaturae
Finis atque initium
Cum filio per filium.
Ope tui et favore
Sit in nobis iugi more
Humilitas plenaria,
Quae omnis est iustitia.

10. Gaude, cuius melodia
Laus nimis amatoria,
Vox est arcani moduli,
Vox osculorum osculi,
Dat auri lene sibilum,
Dat iubilorum iubilum.
Qui habet aures audiat,
Aure amoris capiat,
Qui enim non amaverit,
Nunquam audire poterit.

11. O dilectrix dilectoris,
O genitrix genitoris,
Da nobis pura labia,
Cor mundum, recta studia,
Ut tuam tuo munere
Laudem possimus canere.

12. Gaude, mater cuius vita
Liber vitae, lex ignita,
In qua nihil superfluum,
Nihil amore vacuum,
In corde nostro domina,
Legem amoris ordina.

13. O speculum munditiae,
Mundis infulgens cordibus,
Vas summae excellentiae,
Gemmis ornatum omnibus.
Vivo imbre vivae nivis
Serena nobis oculum,
Ut mundati aquis vivis
Sponsi sumamus poculum.

14. Deo soli iustitiae
Sit iucunda laudatio,
Sit canticum laetitiae,
Sit gratiarum actio.

Ad Vesperas.

1. Gaude, matrona caelica,
Exsultando magnifica
Deum tuum salutarem,
Qui te fecit singularem.
Tu ancillam Iesu Christi
Te vocare voluisti,
Sed, ut docet lex divina,
Ipsius tu es domina,
Nam ius habet et ratio,
Matrem praeesse filio.
Ergo ora suppliciter
Et praecipe sublimiter,
Ut nos in mundi vespera
Ducat ad regna supera.

2. Gaude, quae Dei filium
Tuum per carnem proprium
Ventris portasti thalamo,
Lactis potasti balsamo.

3. Gaude, quae verum amicum,
Fontem amoris unicum,
Frequentasti amplexibus
Amorem redolentibus.

4. Gaude, quae pio filio
In virginali gremio
Dulcem infigens oculum
Suave dedisti osculum.

5. Gaude, quae mundis manibus,
Plenis rosarum floribus,
Sceptro et pomo aureo
Parvo lusisti filio.

6. Gaude, quae voce praeclara
Tamquam caelesti cithara
Novo epithalamio
Praecinuisti filio.

7. Gaude, quae sponsa concinis
Cantum, cuius non est finis,
Tuum epithalamium
Tibi soli sit proprium.

8. Sacram vocem tuae laudis
Sola promis, sola audis,
Et dilectus tuus tecum,
Qui te gaudet esse secum
Amoris privilegio
Sicut matrem cum filio.

9. Bona mater, bone fili,
Vestrae laudi amabili
Totus mundus oboediat
Et cum amore serviat.

10. Gaude, quae sola libere
Debes et potes dicere:
Ego, ego sum regina,
Praeter me non est domina.
Ego dilecto proprio,
Cuius ad me conversio;
Ego illi, mihi ille,
Unus uni inter mille,
Beatis sum beatior,
Nobilibus nobilior.
Tuae beatitudinis,
Mater Dei et hominis,
Tuo nobis auxilio
Vel parva detur portio.

11. Gaude, quae in hymno tuo
Plus quam satis mellifluo
Laudans in te mente pia
Magna Dei magnalia
In Domino te laudasti,
Te laudandam prophetasti,
Dum beatam ab omnibus
Te dicendam fidelibus
Veraciter praevidisti,
Humiliter praedixisti.

12. Ergo iuxta verbum tuum
Beatam in perpetuum
Te omnis generatio
Dicat cum desiderio:

Ad Magnificat.

1. Gaude, precor, gaude, quia non est par tibi laude
Solaque post Christum miseris semper misereris.

2. Gaude, dilecta, [Deum] quae dilectum genuisti,
Caelitus adflata caeleste melos cecinisti.

3. Laus tua Magnificat humili praecellit amore,
Nullus eam dicat, qui non sit purus in ore.

4. Laus decantanda mentis iubilante medulla,
Semper laudanda, cui laus non sufficit ulla.

5. Lingua novi cordis, nullius conscia sordis,
Debet eam canere, pro voto semper habere.

6. Qui cor habet sursum nec quavis parte deorsum,
Scit decantare, quia scit speculando vacare.

7. Huic soli posse datur hanc laudem modulari,
Cui datur et nosse, quam dulce sit speculari.

8. Qui te diligere, tibi vult ex corde placere,
Magnificat memoret, amet, admiretur, honoret.

9. O virgo celebris, mater clarissima Christi,
Quae mundi tenebris lucem de luce dedisti,

10. Vive, decorare, flore, fulge, vale, cane, plaude,
Vince, coronare, regna, rege, praecipe, gaude.

11. Ride, laetare, praecelle, vale, dominare,
Sit tibi reginae caeli sedes sine fine.

12. Lux maiestatis, totius honor bonitatis,
Summae potestatis, flos summae nobilitatis,

13. Nunc mihi forma tui splendorque tuae speciei
Sit prius esuries, postea sit saties.

14. Speque supernorum homo sim desideriorum,
Ut, quod amo, videam, perpetuo teneam.

Ad Completorium.

1. Gaude, virgo perpetua,
Nostrae quietis ianua,
Te angeli glorificent
Et omnes sancti praedicent.

2. Te humiles, te virgines,
Te laudent omnes homines,
Te benedicant aethera,
Te sol, luna et sidera.

3. Te aer, tellus, maria,
Fontes, nix, ros et pluvia,
Te pisces, aves, pecora,
Te dies, aetas, tempora,
Te herbae, rosae, lilia,
Te omnis flos et germina.

4. Gaude, sponsa, quae floribus
Digne fulciris omnibus,
Per quam florent omnia,
Quae innixa sponso Deo
Cantas: amore langueo;
Una super milia,
Fulci cor nostrum floribus
Suavitatem spirantibus,
Ut dilecto redolant
Et ad quietem placeant.

5. O Salomonis ferculum,
Amor, amplexus, osculum,
Lectus vallatus liliis
Lampadibusque aureis,

Da nobis lectum nobilem,
Id est amorem humilem,
In quo dilecti suavibus
Astringamur amplexibus.

6. Pax nostra indeficiens
Et custos nunquam dormiens,
Quae habes septem oculos,
Quibus custodis parvulos,
Nos in virtute modica
Custodi et pacifica,
Quae nos Deo humiliet,
Humiliando societ.

7. Gaude, virtutum omnium
Suave reclinatorium,
Gaude, quae dulci sopore
Requiescis in amore.

8. Gaude quae, supercilia
Habes semper stillantia,
Cuius resplendent palpebrae,
Quas nullae claudunt tenebrae;
Fac nos in hoc exsilio
In castitatis gremio
Humiliter quiescere,
Somnum amoris capere.

9. Gaude, puella regia,
Pudoris primiceria,
Tu in die vigilasti,
Quia noctem ignorasti.

10. Tu in prima vigilia,
Id est tua infantia,
Vigilare didicisti,
Ut discamus vigilare,
Christum et te exspectare,
Vigilando docuisti.

11. O beata virgo, veni,
Vigilantes nos inveni,
Vel secunda vel tertia
Saltem noctis vigilia.

12. Gaude, quae nocti hominum
Lumen dedisti luminum,
Fac nos novo sidere
In hac nocte diescere;
Sit thorus noster castitas,
Sit requies humilitas,
Ut tua sub custodia
Dormiamus in gratia.

13. Mentem da paci habilem,
Da somnum Deo vigilem,
Sit nobis dulce somnium
Memoria caelestium,
Ut sponsum puro oculo
Videamus in speculo.

Conclusio.

1. O caeli viola, solio dignissima sola,
Te decet imperium, sola, tenere solum.

2. O laus iustorum, maiestas summa polorum,
Sit tibi laus soli, palma, corona poli.

3. O pater, o Domine, sine principio, sine fine,
Tu es rex regum, qui das moderamina legum
Iure tuae legis cuncta creata regis.

4. Sola tui socia sit honoris virgo Maria,
Et tecum sedeat, iudicet et iubeat.

5. Si non formavit, tamen omne, quod est, reparavit,
Et sic cuncta suo subdidit imperio.

6. Ergo, sancte pater, sit semper regia mater
Tecum regina, cum Domino domina.

Cod. Pragen. VI G 16 c. saec. 14. A. — Cod. Raigraden. $^{D}/_{K}$ I N 3. saec. 15. B. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. C. — Orat. ms. Carthus. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz.) D.

Ad Mat. 1, 1 Salve C. — 1, 5 Dei in mundo A. — 1, 6 Ut inter D. — 2, 1 Salve C. — 2, 3 sqq. in C:

Flos amoris, flos honoris,
Flos superni gaudii,
Flos aeterni palatii.

3, 3 O aurora nos irrora B. — 3, 5 Ut mens nostra AB. — 4, 1 Gaude virgo decus D. — 4, 5 et amore B. — 4, 6 et honore B. — 4, 7 Omni digna B. — 4, 8 Et omni AB. — Str. 4 fehlt C. — 5, 1—4 fehlen C. — 5, 2 Laudesque tuas promere D. — 5, 4 potest B. — 5, 8 Sit nobis semper A. — Str. 6 fehlt C. — 6, 6 te signat B. — 6, 7 Terna te D, Tertia te B. — 6, 9 Agnam te quinta B. — 8, 1 Vale C. — 8, 4 Novitatumque C. — 8, 5 mens desiderium est desideriorum D. — 8, 6 Est C. — 9, 1 Vale C. — 9, 3 Est singulare A. — 9, 4 Miraculorumque A; Signaculorum speculum B. — 10, 1 Vale C. — 10, 2 mala punica D; In aure resonantia B. — 10, 3 Et fehlt A. — 11, 1 Vale C. — 11, 3 chorus ecclesiae B. — 12, 1 Vale C. — 12, 8 Accedat nostra A; Vestra accendatur D. — 13, 5 O pia B. — 13, 7 Nos fehlt D. — 14, 1 O filii filia A, tui filia C, O filii tui nata D. — 14, 2 Tu fehlt B, Amore tui semper C. — 14, 3 sq. umgestellt C. — 14, 3 Tu dilectum C, Dilectum tu B. — 14, 4 Cum orandi B. — 15, 5 insistendum D. — 15, 6 Tuis benignis D. — 16, 1 amor nos reficiat C. — 16, 7 Et nostra D. — 16, 9 cum tripudio B. — 16, 12 Sit suprema B. — 17, 2 nostra iucunditas A. — 17, 3 Gaude, ros gratiae A: Gaude, rosa gratiae B. Nach dieser Zeile schaltet A ein:

Gaude, mater misericordiae,
Gaude, solamen nostrae miseriae.

17, 4 Gaude, flos gloriae A; Gaude, flos laetitiae B. — 17, 6 Omni formi praefulgida D. — 17, 7 Ut sol fulgens A; fulges B; sedes in solio C. — 17, 8 Sedens AD; Fulges C: Gaudens in tuo filio B: — 18, 2 Praecinxit zona C. — 18, 3 Nequaquam ab D. — 18, 7 dextrocelio C; Dextrochirio aureo D. — 19, 3 Dextra Dei potentiae B. — 19, 6 laetitiae C. — 20, 4 Tibi vera sit C. — 20, 4 sqq. lauten in B:

Tibi soli sit sanctitas,
Primatus caeli curiae,
Tibi soli sit dignitas,
Laus honorificentiae.

21, 2 Et da AC, Da nostroque B; nach dieser Zeile schiebt D ein: O regina gloriae. — 21, 4 Da ex B; ex fehlt C. — 21, 5 Tibi, nobis et proximo B. — 21, 6 Tota mente succumbere B. — 22, 3 In caritate B. — 23, 1 quae fehlt BD. — 23, 1 Vale C. — 23, 2 sq. umgestellt D. — 23, 2 es fehlt B, Gaude columba columbarum D. — 23, 4 Cuius volatus caritas D. — 24, 4 fehlt D. — 26, 2 pupillorum B. — 26, 1 Salve C. — 27, 1 Salve C. — 27, 2 Dulcis spes et B; vita victoria A. — 27, 5 Da nobis in terra B. — 28, 1 Gaude sublimis D. — 28, 5 nostrum ad D; ad nostri A. — 28, 6 tui uteri filium A. — 29, 1 balsamus es D; balsamus nardiosa B. — 29, 2 Dans spiramen D; salutis B. — 29, 3 es fehlt B. — 29, 4 Vinum ferens virtutis B. — 29, 5 nectare B. — 29, 8 Unguentoque B. —

Ad Laudes. 1, 1 Vale C; regia B. — 1, 2 prolis B. — 1, 3 quem D. — 1, 4 cum sol de sole B: Et sol de stella splendnit C. — 2, 1 Vale C. — 2, 2 congaudens D. — 3, 6 confirmatio B. — 4, 1 Vale C; lux nostrae BD. — 4, 2 Perduc stellam C; Et stella sanctae spei B. — 4, 3 Duc ad BC. — 4, 5 Duc BC, in speciem C. — 5, 2 nach dieser Zeile schiebt B ein:

Quae luces super omnia
Ut stella matutina.

5, 8 splendeat B; Splendescat tuo C. — 6, 1 O virtutum B. — 6, 3 melus D. — 6, 5 nos melos D. — 6, 6 nos lumen D. — 6, 7 tua dulcis D. — 7, 1 sqq. lauten in D:

Gaude, sponsa, quae amoris
Nexu tui conditoris
Diligeris prae omnibus.

7, 4 amoris D. — 7, 5 Rependis, te amantem amas unice A; Amantem amas versa vice B; Adamantem nos unice C. — 8, 1 Gaude sponsa, quae amasti D. — 8, 4 Te plus iustum D. — 8, 5 Et dignum te plus B; Te dignum semper D. — 9, 1 Virgo gaude C; Gaude laeta plus D. — 9, 2 Et dilecti tui A, Dilecti tui D. — 9, 3 gloria D. — 9, 5 fehlt C. — 10, 4 Offeramus B; in C folgt hier noch:

Laetifica nos, gaudii
Mater, in gaudio
Et fac filios gaudii
In tuo filio.

Ad Primam. 1, 4 refloruit B. — 3, 2 utero B; Decus sacrati uteri C. — 4, 2 Gaude fehlt D. — 5, 1 mater ecclesiae C. — 5, 4 mane laetum D. — 5, 8 Fruamur et laetitiae B. — 7, 1 Vale C; Gaude forma sacri Dei B. — 7, 3 Vale C; Per quam mundus totus B; Per quam mundus gaudens D. — 7, 4 veram pacem A. — 8, 1 Hier schiebt B ein: Lucens sine fallacia. — 8, 4 Lucens nobis per saecula B. — 9, 3 A mane sine B. — 10, 2 Hier schiebt D ein: Da rectam prudentiam. — 10, 5 Da spem et modestiam B; munditiam C. — 10, 6 hier fügt D an: Da nati tui gratiam. — 11, 3 septuplum C. — 11, 4—8 fehlen C. — 11, 5 Iube ut nos virtus virtutum A; Iube nos humilitatis B. — 11, 6 Humilitas impleat A; Vis virtutum B. — 11, 7 Per quam sanctae caritatis B. — 11, 8 Ardens lux refulgeat B. — 12, 1—4 fehlen C. — 12, 5 Da suavis aure sibilo C. — 12, 6 Perflari mentis C. — 12, 7 quam D. — 13, 1 O fehlt B. — 13, 2 reviviscant D. — 13, 3 Est ac aestatis B. — 13, 4 renovantur B. — 13, 5 nos semper renovari C. — 14, 2 trinaque B.

Ad Tertiam. 1, 1 Salve C. — 1, 3 videbimus C. — 1, 4 Christum et te AD. — 1, 5 Quam A. — 1, 6 Quam A. — 2, 1 Vale C. — 2, 4 et gratia AB. — 3, 1 Vale C; Gaude virgo, quae B. — 3, 3 Es iuncta B. — 3, 4 Gaude C. — 4, 1 Salve C; fructifera C. — 5, 1 Gaude virgo gloriosa in D. — 5, 2 sq. umgestellt C. — 5, 2 In qua vere nihil caret A, vere nullus caret C; Quae delictum Adae caret B. — 5, 3 sq. fehlen B. — 5, 11 Da ut amore B. — 5, 12 Pacti (l: peccati) simus alieni B. — 5, 13 Perfruamur A, Ut proferamus B. — 5, 14 Magna B. — 6, 2 Deo dignus B. — 6, 5 Gaude beata viscera C. — 5, 8 fehlt B. — 5, 9 et fehlt A. — 5, 10 Genae, dentes, lingua C. — 5, 14 et color A. — 5, 15 atque verba B. — 5, 16 Et verba tua C; Et omnia tua opera B. — 7, 1 virgo mater D. — 7, 2 Quam B. — 7, 3 de te nasci D. — 7, 4 Dominum, quem Deus de se A; Deum verum, quem de se D. — 7, 7 simus per te C. — 7, 8 fehlt D. — 8, 1 Gaude, virgo AD; Gaude nos nunc flos C. — 8, 2 Gaude pulchritudo AD. — 8, 3 sq. fehlen C. — 8, 5 Et singularis gaudii C. — 8, 6 aeterni filii A. — 8, 7 Christus, mons montium BC. — 9, 2 fehlt D. — 9, 3 nach dieser Zeile schiebt B ein: O mater cum filio. — 9, 4 cum decore B. — 9, 5 sq. umgestellt A. — 9, 5 Tibi decor cum rubore B; cum honore C. — 9, 6 cum gloria et gaudio D; B fügt noch bei: Et honor cum tripudio. — 10, 2 Amor in te B; instituit C. — 11, 1 Da, quod B; amor Dei A. — 11, 2 Et fehlt A; sanet B. — 11, 3 sq. fehlen C. — 11, 5 Superat, suffert, sustinet A; Suffert, sperat et B. — 11, 6 et fehlt C. — 12, 1 Dulcem vocem A, Dulcis vox B, Dulci vocem CD, symhoniae AB. — 12, 3 Det hymnus et gloria A; Hymnoque detur hodie B; Sit hymnus, laus et gloria C. —

Ad Sextam. 1, 1 Vale C. — 2, 1 Vale C. — 2, 1 sq. fehlen ABC; 2, 3 sqq. stehen nach Str. 3. B. — 2, 3 Gaude, quam glorificat B. — 2, 4 Spiritus balsamitat B. — 2, 5 Carnem suam cum B. — 3, 1 Vale C; cor fehlt C; cor cuius B. — 3, 4 caelitus C. — 3, 5 hier schiebt D ein: Gaude, benignissima. — 3, 5 sqq. fehlen C. — 4, 1 Vale C, mater quae balsamum B. — 4, 3 perflante B. — 4, 5 O rige cor D. — 4, 6 partum A, virgineo B. — 4, 7 nobis fehlt D. — 4, 8 Effudit plena B. — 5, 5 et pio A; pios C; dulci melle B. — 5, 6 Nostris infunde vasculis B. — 5, 7 nos fehlt D; sine felle pios A. — 5, 7 sq. fehlen B. — 5, 8 Fac castos sine C. — 6, 1 Vale C. — 7, 1 Vale C. — 7, 2 cum fehlt A. — 7, 5 sq. specie dilectum pascis A — 7, 8 Invitatur ecclesia D. — 8, 1 Vale C. — 8, 2 Vero datur CD. — 8, 4 scit Deum diligere A; Nisi dum scit B. — 8, 5 sqq. lauten in B:

Tu robur firmamenti,
Tu vallis es frumenti,
In qua crevit nobis granum.

8, 8 fit cor D. — 8, 9 fit fortior fehlt D. — 9, 1 Frumenti talis B. — 9, 5 Da virtutis A. — 9, 7 cum fehlt C. — 10, 1—4 fehlen C. — 10, 4 Tu fer nos praecipuum P — 10, 5 sobrias fehlt D. — 10, 6 Sponsae et sponsi D. — 10, 7 dilecti patria D. — 11, 2 Nucem vivam B. — 11, 4 Manna verum B. — 11, 6 reple B. — 11, 8 Delectemur BD, pinguedine B. — 13, 1 filius B.

Ad Nonam. 1, 1 Salve C. — 2, 1 Salve C. — 2, 2 Virgo tota B. — 3, 1 Salve C. — Str. 3 steht hinter Str. 5 B. — 3, 4 sq. fehlen C. — 3, 5 Quando Christum etc. AD. — 5, 6 hier fügt D noch bei:

Quem amare est pietas,
Quem videre satietas.

4, 1 Salve C. — 4, 5 sqq. stehen vor Str. 6. B. — 5, 1 Salve C. — 5, 2 Habes in tua B; In tua tenes C. — 5, 3 Maria quoque nomine B. — 5, 4 luces omni B. — 6, 3 Affectuque C. — 7, 1 Salve C. — 7, 3 Per hanc C; transiit D. — 7, 7 forma deifica C. — 7, 8 Virtus quoque mirifica C; hierauf schiebt C ein: O virgo, mater gratiae. — 8, 4 occasum BC. — 9, 1 mundi fehlt C. — 9, 2 fehlt D. — 9, 3 Quo sine A; fecit Dominus D. — 9, 4 Hoc tecum fecit Deus B. — 9, 6 Ut voceris quodam iure C. — 9, 7 Nominaris A; Finis omnis creaturae C. — 9, 11 Et ope tui favore A. — 10, 1 fehlt C. — 10, 2 Exstat laus B. — 10, 3 Vox et C. — 10, 5 aure leni A, aure lene D, aure lenis C. — 11, 1 dilectorum C. — 11, 2 genitorum C. — 12, 1 Vale C. — 12, 6 Hier fügt B bei:

Quae meis in pectoribus
Sit omnibus temporibus.

13, 2 fulgens in B. — 13, 4 Hier fügt B hinzu:

Opus magnae clementiae,
Adesto nobis comminus.

13, 5 Imbre vivo B; imbre fecundata vive nimis A; albae nivis B. — 13, 6 Serena cordis oculum B. — 13, 7 aquis mundati B. — 14, 2 Sit iucundatio A; Iucunda sit B. —

Ad Vesperas. 1, 1 Vale C. — 1, 5 ancilla A; in ancilla B. — 1, 6 vocari C. — 1, 7 decet C. — 1, 11 ora fehlt C. — 1, 14 Ad regna ducat A; Ad vitae ducat prospera B. — 2, 1 Vale C. — 3, 1 Vale C. — 3, 2 Fortem mortis unicum B. — 4, 1 Vale C; quae Dei B. — 4, 3 Dulce dedisti poculum B. — 4, 4 Et caritatis B. — 5, 1 Vale C; mundis quae A. — 5, 4 adlusisti AC. — Nach dieser Strophe schaltet B ein:

Gaude, quae cum sponso vivis,
Uti sola Phoenix avis,
Sponso carmen concinis
Novum, cuius non est finis.

6, 1 Vale C; diese Str. steht in B hinter Str. 9. — 6, 3 In novo B. — 6, 4 Tuo praecinuisti A. — 7, 3 sq. lauten in B:

Pulchrum epithalamium,
Tibi soli proprium.

8, 2 pronis et exaudis B; hierauf schiebt B noch ein:

Voces invocantium,
Te digne laudantium.

9, 2 Laudi vestrae C. — 10, 1 Salve C. — 10, 2 Potes et debes C. — 10, 5 Ego dilecto propero B; Ego cum dilecto filio A. — 10, 8 intus B. — 10, 12 Naturae et Dei hominis B; Dei mater et C. — 10, 14 Detur beata portio B. — 11, 2 Dulci et mellifluo A; Multum quam mellifluo B; Vere plus quam C. — 11, 3 pia mente A. — 11, 10 Et humiliter D. — 12, 1 Virgo iuxta C. — 12, 4 Hier schiebt D noch ein: Quae iustis gloriam Reisque donas veniam; dann folgt in D das Magnificat.

Ad Magnificat. 1, 1 sq. fehlen AB. — 2, 1 Deum fehlt ABD. — 3, 1 honore BC. — 4, 1 mente D. — 4, 2 cum laus A, cuius laus D. — 5, 1 Ergo novi D. — 5, 2 Detur eam D; in voce semper B. — 6, 1 Qui habet cor A. — 6, 2 qui scit D. — 7, 1 Huic nosse datur hanc laudem sic modulari B. — 7, 2 Cui dulce datur hic solum haec speculari B; quam dulce sit haec speculari A. — 8, 1 vult tibi A. — 8, 2 Magnificet A; amet, memoretur, miretur B. — 10, 2 coronare, rege, duce, praecipe D. — 11, 2 reginae sedes regni sine A. — 12, 2 Summae bonitatis, flos intimae B. — 13, 1 forma tua A. — 14, 1 supernorum ut sim vir desideriorum A. — 14, 2 Et quod A; amor cupiat perpetuo D. Die letzten zwei Zeilen lauten in B:

Virgo, flos florum, duc nos ad regna polorum,
Ut, quam diligimus, te perpetuo videamus.

Ad Complet. 1, 3 glorificant C. — 1, 4 praedicant C. — 3, 1 et maria C. — 3, 6 flos et omnia AD. — 4, 3 fehlt D; nach 4, 3 schiebt B noch ein: In terra arentia. — 4, 4 enixa D; Tu innixa C. — 5, 4 Et lampadibus C; variis B. — 5, 4—8 fehlen B. — 6, 5 Nos virtute deifica B, magnifica C. — 6, 6 sq. lauten in C:

Ut ducas nos ad patriam
Per humilitatis viam.

7, 1 Vale C. — 7, 3 sq. stehen hinter 8, 4 ABC. — 8, 2 semper splendidia D. — 9, 3 In die tu B. — 10, 4 sq. fehlen D. — 11, 3 In secunda vel tertia C. — 11, 4 Saltem quarta vigilia B. — Nach Str. 11 schiebt D ein:

Exaudi nos, piarum piisima,
Spes peccatorum, virgo Maria.

12, 1 nocte B. — 12, 1—13, 3 fehlen C. — 12, 4 In noctibus B. — 12, 5 thronus D. — 13, 1 da paciabilem A; Da menti precem habilem B; Mentem da placabilem D. — 13, 2 nobis vigilem B. —

Conclusio fehlt C. — 5, 1 sq. fehlen B. — Nach 6, 2 fügt D noch bei:

Nosque post (huius) vitae terminum
Ad verum trahat gaudium.

Dieser ganze Cursus steht in sehr abweichender Form nach einer Mainzer Handschrift bei Mone II, 180 ff. Er findet sich auch in der Londoner Handschrift Arundel 374. saec. $^{13}/_{14}$, in einem Orat. ms. S. Wiperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 75, teilweise als hymnus in Nativitae BMV. in Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116.

59. De Omnibus Sanctis.

Ad Matutinum.

1. Sancta Dei genitrix,
flos virginitatis,
Fons misericordiae,
mater pietatis,
Supra sanctos residens
regno claritatis,
Pro nobis cum ceteris
exora beatis.

Ad Primam.

2. Angelorum ordines,
Deum qui laudare
Non cessatis iugiter
atque adorare,
Sanctus, sanctus canere,
nostros gubernare
Actus hic inferius
nolite cessare.

Ad Tertiam.

3. Patriarchae mystico
ritu immolantes,
Vita, corde, cantico
Deum honorantes,
Prophetae prophetico
spiritu affantes,
Apostoli publico
sono praedicantes.

Ad Sextam.

4. Evangelistae Dei
facta cognoscentes,
Verbis evangelicis
eadem scribentes,
Sanctique discipuli
Christum consequentes,
Ab Herode mortui
sancti innocentes.

Ad Nonam.

5. Per palmam martyrii
Deo dedicati,
Martyres egregii,
cruore mundati,
Et confessionibus
Deo coniugati
Confessores, monachi,
eremitae grati.

Ad Vesperas.

6. Sanctissimae virgines
atque coniugatae,
Viduae et martyres
Deo dedicatae,
Omnes sancti sanctaeque,
Pro nobis orate,
Deum vestris precibus
nobisque placate.

Ad Completorium.

7. Ut per vos sit gratia
sua nobis data,
Delcantur vitia,
mundentur peccata,
Vitentur pericula,
omnia sint grata,
Nobis detur gratia
in sede beata.

Conclusio.

8. Has horas sic recolo
cum devotione,
Vobis, sancti sanctaeque,
pia ratione,
Pro me ut assidua
intercessione
Rogetis abs aliqua
intermissione.

Orat. ms. S. Felicis Gerunden. s. n. 14/15. A. — Orat. ms. Capit. Toletani 34—71. saec. 15. B. — Orat. ms. Iuliani Regin saec. 15. Cod. Parisin. 757. C. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Vatican 3768. D. — Orat. ms. saec. 15/16. Cod. Bruxellen. 10389. E. —

1, 2 mater pietatis A. — 1, 4 rivus pietatis A. — 1, 5 Lilium munditiae A. — 1, 6 rosa puritatis A. — 1, 7 Nardus indulgentiae A. — 1, 8 Rubens pietatis A. — 2, 2 Deum collaudare A. — 2, 3 Sive benedicere A. —

2, 5 Spiritus sanctus canere A. — 2, 6 nosque gubernare A. — 2, 7 Voluntate propria A. — 3, 6 spiritu prophetantes B. — 4, 1 Domini C. — 4, 4 ea describentes A. — 4, 6 insequentes A. — 4, 8 sunt et innocentes C. — 5, 1 sq. und 5, 3 sq. umgestellt A. — 5, 2 Deo decorati A. — 5, 5 sq. und 5, 6 sq umgestellt lauten in A:

Pontifices, monachi, eremitae grati,
Confitentes Dominum quique coniugati.

6, 2 Deo coniugatae C. — 6, 4 Deo consecratae A, Domino dedicatae C. — 6, 8 erga nos placate AB. — 7, 1 Ut ipsis gratia A. — 7, 2 nobis sit collata A. — 8, 5 Ut pro me assidua A. — 8, 7 Christum cuncti rogate A. — 8, 8 pro remissione A.

60. De Omnibus Sanctis.

Ad Matutinum.

1. Cives supernae curiae,
Amicti stolis gloriae,
Ab intra pleni lumine,
Ab extra pulchritudine,

2. Quam mentis in excessibus
Fruimini caelestibus,
Tenentes sceptra regia,
Securi nunc de gloria!

3. Certamus hic in pelago
Huius saecli luctifluo,
Ad portum nos reducite
Pacis aeternae patriae.

4. Ut vivi fontis gratiae
Inebriemur flumine
Et laudes permagnificas
Reddamus Deo debitas.

Ad Laudes.

1. O sponsa celeberrima,
Maria divinissima,
Verbigena dignissima
Et virginum tenerrima,

2. Maiestatis sceptrigera,
Caeli et terrae domina,
Te laudet vox prophetica
Et mansio ierarchica.

3. Nunc, o puella florida,
Tua assint praesidia
Et mortis in articulo
Nos recommenda filio,

4. Ut sua nos ex gratia,
Quae est perpessus vulnera,
Coniungat in caelestibus
Regni polorum civibus.

Ad Primam.

1. Beata plebs angelica,
O phalanx liliatica,
Viventis Dei numina
Et gratiosa iumina,

2. Quam mira claritudine
Et statu innocentiae
Praelati estis caeteris
Post virginem in aetheris!

3. En, nos hostili acie
Vallati sumus undique,
Sed vos regales satrapae
Assistite iuvamine.

4. Arcete et disperdite,
Compellite recedere,
Ut mercamur gloriam
Nancisci post victoriam.

Ad Tertiam.

1. O viri apostolici,
Perfecti et catholici,
In fide illustrissimi
Et signis potentissimi,

2. O clari cancellarii
Simulque secretarii,
In regis aula principes
Et saecli iusti iudices.

3. Rogate nobis veniam
Et septiformem gratiam,
Per vias rectas ducite
Ad statum innocentiae.

4. Praesta, beata trinitas,
Essentialis unitas,
Et finem bonum consequi
Et tuis donis perfrui.

Ad Sextam.

1. O martyres sanctissimi,
Virtute invictissimi,
Amore ferventissimi,
Triumpho praeclarissimi.

2. Vos angelis spectabiles,
Toti mundo mirabiles,
Ecclesiae proficui
Per luminare fidei.

3. En, sumus hic expositi
Periclis mille saeculi,
Sed vestrum est impendere
Munimen omni tempore,

4. Ne carnis, mundi, daemonis
Consentiamus vitiis,
Sed in amoris vinculo
Adhaereamus Domino.

Ad Nonam.

1. Regale sacerdotium,
Boni pastores ovium,
O praesules mitissimi
Doctores et egregii,

2. Ac vos sacrati monachi
Et confessores ceteri,
Virtutum exemplaria
Et mundi luminaria,

3. Pulsamus vos gemitibus
Et preces nostras fundimus,
Auferte cuncta schismata
Et haeresum velamina,

4. Ut vinea ecclesiae
Virescat pulchro germine,
Per quod creator omnium
Laudetur in perpetuum.

Ad Vesperas.

1. Omnes prudentes virgines
Atque sollerter vigiles,
O principissae caelicae,
Redimitae mirifice,

2. Gemmae micantes undique,
Coronae regis insitae,
Coruscae pulchritudine,
Praecelsae sanctitudine,

3. O rutilantes rosulae
Et Engadinae vineae,
Per florum vos spiramina
Sanate cordis intima,

4. Ut expiatis vitiis
Insertisque virtutibus
Una vobiscum Dominum
Laudemus in perpetuum.

Ad Completorium.

1. Sol, luna atque sidera,
Mundus, tellus et maria,
Quaeque creata omnia,
Deum laudant per saecula.

2. Qui sanctos de miseria
Transvexit ad aetherea,
Seipsum dans in praemium
Et dulce refrigerium.

3. Per hos sit quies temporum,
Pacis redundet commodum,
Tollantur cuncta noxia,
Succedant vitae gaudia.

4. Deo, qui unus numine,
Et regnat trinus nomine,
Sit summa reverentia,
Laus, honor, excellentia.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123.

61. De sancta Barbara.

Ad Matutinum.

1. Matutino tempore
Barbara beata
In obscuro carcere
Fuit illustrata,
Et cum caeli lumine
Exstat visitata
Et a rege gloriae
Fuit desponsata.

Ad Primam.

2. Hora prima praesidem
Saevus rex adfatur,
Ut ad primum lapidem
Barbara trahatur,
Si verbo et opere
Christus non negatur,
Natam vult occidere
Rex, quod praeparatur.

Ad Tertiam.

3. Virgo ad practorium
Hora tertiarum
Ducta, testimonium
Praeses fert amarum
Contra Iesse lilium,
Sponso caeli carum,
Dicens esse omnium
Hanc dignam poenarum.

Ad Sextam.

4. Hora sexta corpore
Virgo est nudata,
Rubra suo sanguine
Nervis flagellata,
Cilicino tegmine
Dire confricata,
A Christo in carcere
Plagis est sanata.

Ad Nonam.

5. Hora nona latera
Furcis perforantur,
Membra sua tenera
Lampade cremantur,
Os et caput in ea
Male malleantur,
Cum obtusa framea
Mammae amputantur.

Ad Vesperas.

6. Haec flagellis caeditur
Vesperarum hora,
Per plateas trahitur
Nuda, sine mora
Stola Dei tegitur,
Sane fit dulcora,
A patre occiditur
Barbara decora.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
A patre decollata
Filia Dioscori
Fuit tumulata
Et per manus angeli
Deo praesentata,
Anima Dioscori
Igne devorata.

Conclusio.

8. Has horas canonicas,
Barbara regina,
Fero tibi debitas,
Ut a repentina
Plaga me custodias
Atque a rapina
Daemonis me protegas
Et caelum propina.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Darmstadien. 1960. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Darmstadien. 1969. B. — Offic. B. M. V. imp per Dulcibellum 1503. C. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanum imp. Parisiis (Kerver) 1519. D. — Horae divae virginis Mariae sec. verum usum Romanum. imp. Parisiis (Kerver) 1502. E. — 1, 5 Cum caelesti lumine BCDE. — 1, 6 Quae est visitata EBC; Quo est visitata D. — 1, 8 Secum desponsata BCE. — 2, 1 prima facere CE. — 2, 2 Praesidi rex fatur CE. — 2, 5 verbo et verbere CE. — 2, 8 perpetratur CDE. — Die ganze zweite Strophe lautet in A:

Hora prima Barbara Christum attestatur,
Quare a genitore dire contrectatur,
Saevo tradens carceri sibique minatur,
Et tamen a virgine Christus non negatur.

3, 4 Patri fert A. — 3, 5 Dicens Dei filium A. — 3, 6 Sibi fore carum A. — 3, 7 Dignam pater omnium A. — 3, 8 Profert esse poenarum A. — 4, 1 virgo corpore est E. — 4, 3 Rubro DE. — 4, 5 Cilicio BCE. — 5, 2 Ferris A. — 5, 3 sua sanata AB, sua sancta CE. — 5, 5 caput tenera ACE. — 5, 6 Dire A. — 6, 1 flagellis duris BE. — 6, 3 truditur B, ducitur C, caeditur E. — 6, 6 Haec virgo decora A. — 6, 7 Sana fit et corpore A. — 6, 8 Manet clariora A. — 7, 5 Angelorum manibus A. — 7, 7 Dioscori fehlt A. — 7, 8 Per hoc fit damnata A. — 8, 5 sq. fehlen B. — Vgl. Morel Nr. 357.

62. De sancta Barbara.

Ad Matutinum.

1. Veni, creator spiritus,
Barbarae per merita
Mentes nostras divinitus
Illuminando visita.

* * *

2. Sit laus, honor et gloria
Uni trinoque Domino
Pro Barbarae martyrio
Et nunc et sine termino.

Ad Primam.

3. Haec nitet pulchritudine
Ut inter spinas lilium,
Sed magis sanctitudine
Stirpe nata gentilium.

Ad Tertiam.

4. Regna mundi, divitias
Alma principis filia
Calcat spernendo nuptias
Patrisque sculptilia.

Ad Sextam.

5. Iudicatur carcerari
Barbara lasso corpore,
Quam salvator consolari
Venit nocturno tempore.

Ad Nonam.

6. Virgo retorta denuo
Orat pro se colentibus,
Ut gaudio perpetuo
Fruantur cum viventibus.

Ad Vesperas.

7. Martyr alma decollatur
A patre pleno crimine,
Qui totalis devoratur
Emisso caeli fulmine.

Ad Completorium.

8. O Barbara, tua prece
Nobis confer auxilium,
Ne damnemur iugi nece
Post hoc praesens exsilium.

Orat. ms. saec. 15 Cod. 7977. der k. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek in Wien. — Vor jeder Tageszeit wiederholt sich Str. 1, nach jeder Hore Str. 2, woraus hervorgeht, dafs in der Matutin die wesentliche mittlere Strophe fehlt.

63. De sancto Benedicto.

Ad Matutinum.

1. Benedictus opifex
hora matutina
Linquens mundi gaudia
quaesivit divina,
Literarum studiis
fultus ex doctrina,
In corde munitus est
Dei disciplina.

Ad Primam.

2. Hora prima femina,
quae nutrivit natum,
Quoddam capisterium
per hanc laceratum
Adduxit ad puerum
agens lamentatum,
Statim prece parvuli
fuit reformatum.

Ad Tertiam.

3. Hora terna iuvenis
quaesivit desertum,
Tribus annis remanens
locum tenet artum,
Ab aspectu hominum
se servans opertum,
In Dei servitio
fecit se expertum.

Ad Sextam.

4. Hora sexta factus est
pater monachorum,
Instruens et reprobans
regimen ipsorum,
Dant venenum bibere
pro cura laborum,
Sed ipse tam patiens
coetum liquit horum.

Ad Nonam.

5. Hora nona exiens
montes visitavit
Et claustra duodecim
in ipsis fundavit
Et bis sex in quolibet
monachos locavit
Et Deo quam plurimos
servos praeparavit.

Ad Vesperas.

6. Pater fugat daemones
hora vesperarum,
Coepit aquas ducere
de fonte petrarum,
Falcastrum extrahitur
de fundo aquarum,
Totum mundum cernere
splendore stellarum.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
monachos vocavit,
Convocatis omnibus
eis praedicavit,
Finitis sermonibus
pater exspiravit,
Magna luce lampadum
ad caelos migravit.

Conclusio.

8. Salve, sancta trinitas,
mundi medicina,
Maiestate unitas,
in personis trina,
Te rogo suppliciter,
vera lux divina,
Meam mentem dirigat
tua disciplina.

9. Has horas recipias
tamquam salutamen
Huius ob memoriam,
quem tuum iuvamen
Duxit ad caelestia,
cuius supplicamen
Me tuae clementiae
recommendet. Amen.

10. Tu, qui laudes dixeris
has huius amore,
De quo versus facti sunt
in Dei honore,
Propter Christum Dominum
te deprecor ore,
Dicas Ave Maria
pro compositore.

Collect ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 4076. A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4117 anni 1518. B. — 3, 3 immanens B. — 4, 3 improbans B. — 4, 7 Ipse tamen patiens B. — Str. 9 und 10. fehlen A.

64. De sancto Francisco.

Ad Matutinum.

1. O Francisce, contemplator
Iesu Christi, adamator
Crucis multiformiter,
Tu vidisti arma lucis,
Audivisti more ducis
Vocem deiformiter:
Tua erunt et tuorum,
Qui hic gerunt vitiorum
Bella rectiformiter;
Pater, armis his me signa,
Ut signatus mente digna
Vivam caeliformiter.

Ad Primam.

2. O Francisce, crucifixus
Tuo cordi sic infixus
Erat devotissime,
Sic quod mundum non curasti,
Temet ipsum abnegasti
Sequens hunc citissime,
Memor verbi, quod flevisti,
Quod de cruce recepisti
Oransque saepissime;
Pater, fletu mentem riga
Sicque tecum Christo liga,
Sequar hunc verissime.

Ad Tertiam.

3. O Francisce, stans in cruce
Te vocavit sua luce
Dilecti cum oraculo:
Vade, homo, et labora
In hac domo sine mora,
Meo habitaculo,
Ne ex toto destruatur,
En, ruinam hic minatur
Carens sustentaculo;
Pater, praesta hic [fervorem],
Ne privatus per torporem
Dei sim cenaculo.

Ad Sextam.

4. O Francisce, crux de ore
Tuo fulsit cum splendore
Mundo salutifera,
Quae protensa est in latum,
Quae et solvit mundi statum
Noxa a mortifera;
Crux draconem effugabat,
Ut Silvestri reserabat
Voce sub vocifera;
Pater, a me malum pelle,
In me promptum apta velle
Bona ad fructifera.

Ad Nonam.

5. O Francisce, crucis forma
Te signavit mira norma,
Frater ut pacificus
Videt enses per transversum,
Ob quod eius cor est versum,
Factusque deificus
Facta mala mox elidit,
Fronte suo Taü vidit
Totus vir mirificus;
Pater, signa Taü frontem,
Ut ad Iesum, verum, fontem,
Curram sic magnificus.

Ad Vesperas.

6. O Francisce, crucem cerne,
Quae in monte te Alvernae
Signavit stigmatibus,
Christus signa haec concessit,
Seraph quinque sed impressit
Absque sophismatibus,
Manu, pede fers vexillum,
Latus tuum est sigillum
Regis cum ornatibus;
Pater, Seraph in cor meum
Mitte, ut sic amem Deum
Totis cum conatibus.

Ad Completorium.

7. O Francisce, crucem Christi
Moriturus dilexisti
Summa pro victoria,
Palmis tuis cancellatis
Vale dare caritatis
Natis pro memoria
Voluisti, Iacob more
Benedicens manu, ore
Voce sub notoria;
Pater, fove me Minorem,
Ut per cruc[is] hic amorem
Habeam in gloria.

Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Reg 2 A II. — 7, 12 Lies Abeam oder Habitem?

65. De sancto Francisco.

Ad Matutinum.

1. Crucis arma fulgentia
Nocte Franciscus dormiens
Vidit, dicentem audiens:
Haec tua erunt omnia.

2. Sit Christo laus et gloria,
Qui cruce nos insigniens,
Patri sancto obocdiens
Offert nobis caelestia.

Ad Laudes.

3. Crucis ut ad supplicia
Christum Franciscus positum
Vidit et audit monitum:
Haec sequere vestigia.

4. Sit crux nostra devotio,
Sit et nostrum solacium,
Ad quam Francisci studium
Ibat et imitatio.

Ad Primam.

5. Crucis vox hunc adloquitur
Sibi dicens: te praepara,
Vade, Francise, repara
Domum meam, quae labitur.

6. Laus illi, per quem regitur
Sacra domus ecclesiae,
Quae sanctorum prudentiae
Reparanda praecipitur.

Ad Tertiam.

7. Crucis verbum proponitur
Fratribus per Antonium,
Et Franciscus ad ostium
In modum crucis cernitur.

8. Sit laus illi, qui creditur
Hoc fecisse miraculum,
Quo Francisci corpusculum
Diversis locis ponitur.

Ad Sextam.

9. Crucis arbor eximia
Per os Francisci surgere
Apparens facit fugere
Draconem et daemonia.

10. Sit Christo laus et gloria,
Qui nos facit devincere
Daemones et contemnere
Mundum et eius vitia.

Ad Nonam.

11. Crucis magnum mysterium
Super Franciscum claruit,
Dum praecinctus apparuit
Cruce duorum ensium.

12. Sit laus et praeconium,
Qui crucis arma praebuit,
Quibus Franciscum induit
Adversus adversarium.

Ad Vesperas.

13. Crucis apparet hostia
Ensis in crucis manibus
Sex alis tecto variis
Cum vultus elegantia.

14. Qui Francisci cor attrahit,
Augens ei charismata
Suaque donans stigmata
In eius carne protrahit.

Ad Completorium.

15. Crucis signum Tau litera
Fronte Francisci scribitur,
Quae varia distinguitur
Mirandae lucis opera.

16. Quem et nos Christi gratia,
Dei servos in frontibus
Assignet et in sensibus
Pro perenni custodia.

Orat. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Darmstadien. 2772. — 1, 3 Vidi. — 3, 1 ad fehlt. — 3, 3 et fehlt. — 5, 2 tu te praepera. — 7, 2 per fehlt. — 7, 3 hostium. — 8, 1 illi fehlt; creditum. — 9, 2 surgens. — 11, 4 Crucis. — 14, 3 fehlen zwei Silben; donans ergänzt. — Nach Str. 14 folgt noch:

Salubris Christi passio
Nostris mersit [l.: insit] memoriis
Impressaque praecordiis
Dat lacrimis [sic] cum gaudiis.

15, 1 thau fehlt. — Nach 15, 4 folgt noch:

Decem dies de venia
Papa Iohannes tribuit.

16, 4 pro fehlt. — Die ersten Strophen aller Horen sind mit einer Ausnahme dem hymnus „Crucis arma fulgentia“ (More III, 304) entlehnt.

66. De sancta Gertrude.

Ad Matutinum.

1. Gertrudis, virgo nobilis
Regali ex progenie,
In lege a cunabulis
Meditans die ac nocte;
Mater eius amabilis
Eam imbuebat pie,
Documenta ut habilis
Commendabat memoriae.

Ad Primam.

2. Puella pulchra facie
A iuvene adamatur,
A quo magnae divitiae
Et honores praesentantur;
Non celebrantur nuptiae,
Prout imaginabatur,
Sed tamquam immunditiae
A virgine contemnuntur.

Ad Tertiam.

3. Super te ignis descendit
Divinus, quando orabas,
Et amore te accendit,
Quo plus Deum diligebas;
Mater te Domino dedit,
Cui corde serviebas,
Deus in te sic se fudit,
Quod bibliam tu sciebas.

Ad Sextam.

4. Tu exemplar sanctitatis
Fuisti religiosae,
Nam ut ancilla subditis
Serviebas amorose,
Superbis et non prostratis
Se gerentes vitiose
Dabas stimulum salutis,
Ut agerent virtuose.

Ad Nonam.

5. Praelaturae tu cessisti,
Ut soli Deo vacares,
Altum statum reliquisti,
Ut te plus humiliares,
Wolfetrudem praefecisti,
Ut humilem exaltares,
Sic Christo te conformasti,
Unde sanctior appares.

Ad Vesperas.

6. Spiritu tu praescivisti
Finem tuum imminere
Et tunc tegi voluisti
Cilicio et cinere,
Sic astantes docuisti
Recessum ab itinere,
Dum spiritum commendasti
Manu Dei continere.

Ad Completorium.

7. Pro te Deus suscitavit
Homines vita privatos,
A carcere liberavit
Taetro dure captivatos,
Ignem a domo fugavit
Post tuum sanctum obitum,
Puellam illuminavit,
Et sic pro te fecit multum.

Orat ms. Neerlandicum saec. 15. Cod. 7977 der k. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek in Wien. — 1, 6 Tam imbuebat. — 7, 3 Et a carcere.

67. De s. Iohanne Baptista.

Ad Matutinum.

1. Dum medium silentium
Noctis tenerent omnia,
Suum praemisit radium
Verus sol in ecclesia.

2. Hic est sidus praefulgidum,
Lucens nocturno tempore,
Mundumque sanans languidum
Adhuc degens in corpore.

3. Quanti gradus vel ponderis
Baptistae sit auctoritas,
Commendando prae caeteris
Aperit prima veritas.

4. Non est vestitus mollibus
Nec similis arundini,
Sed praecelsis virtutibus
Iure praelatus homini.

5. Praestet pater cum filio
Una cum sancto spiritu,
Ut Iohannis oratio
Nos servet ab interitu.

Ad Laudes.

1. Aurora lucis rutilat
Pulsa noctis caligine,
Dum mens devota iubilat
In praecursoris nomine.

2. Dum rex ille fortissimus
Matris in alvo positus
Iohanni stetit proximus,
Ipsum replet divinitus.

3. Ille, qui clausus iacuit
Interno matris gremio,
Ut mater Christi sonuit,
Exsultavit cum gaudio.

4. Sermone blando virginis
Facto replevit filius
Matrem virtute numinis,
Quae prophetat quantocius.

5. Quaesumus, auctor omnium,
Ut Iohannis suffragio
Concedas vitae praemium
In caelesti collegio.

Ad Primam.

1. Iam lucis orto sidere
Baptistae laudis apices
Possimus digne solvere,
Precemur Deum supplices.

2. Linguam paternam reserat,
Ut nomen eius personet,
Qui prius mutus fuerat,
Ne lucis horror insonet.

3. Hinc pura cordis intima,
Vitae fulget praeclaritas,
Pro salutari victima
Potus cibique parcitas.

4. Laus, honor, virtus, gloria
Trinitati sit unicae,
Quae per eius suffragia
Nos coronet salvifice.

Ad Tertiam.

1. Nunc sancte nobis spiritus,
Unum patri cum filio,
Da, Iohannem medullitus
Pia laudet devotio.

2. Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Concordet vitae sanctitas,
Corporis abscedat rigor,
Flammescat igne caritas.

3. Praesta, beata trinitas,
Una simplex essentia,
Sequi baptistae semitas,
Ut lactemur in patria.

Ad Sextam.

1. Rector potens, verax Deus,
Qui rerum vices imperas,
Praecursorem laudat reus,
Ut per hunc culpas auferas.

2. Exstingue flammas litium,
Praebe quietem temporum,
Veram da pacem cordium,
Confer salutem corporum.

3. Praesta, beata trinitas,
Una simplex essentia,
Sequi baptistae semitas,
Ut laetemur in patria.

Ad Nonam.

1. Rerum, Deus, tenax vigor,
In te manens immobilis,
In nihil in me redigor,
Nisi in te sim stabilis.

2. Largire clarum vespere
Per Iohannis suffragia,
Ut rupto carnis onere
Perennis instet gloria.

3. Praesta, beata trinitas,
Una simplex essentia,
Sequi baptistae semitas,
Ut laetemur in patria.

Ad Vesperas.

1. Vox clara, ecce, intonat
Verum lumen de lumine,
Verbum bonum vox personat
A solis ortus cardine.

2. Mens iam resurgat torpida,
Quae sorde exstat saucia,
Stella monstrante fulgida
Beata nobis gaudia.

3. E sursum agnus mittitur,
Qui spiritu prophetico
Praesignatus ostenditur.
Ex more doctus mystico.

4. Secundo ut cum fulseris
Iudex cunctorum, cognitor,
Praecursorem promiseris,
Audi, benigne conditor.

5. Praesta, pater piissime,
Sequi Iohannis opera,
Ut metamus plenissime
Aeterna Christi munera.

Ad Completorium.

1. Te lucis ante terminum
Precamur mente sedula,
Iesu, corona virginum,
Disrumpe natis vincula.

2. Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Praecursoris memoria
Det nobis sacra dogmata.

3. Praesta, pater, cum filio
Una cum sancto spiritu,
Ut Iohannis oratio
Nos servet ab interitu.

Orat. ms. saec. 15. Neerlandicum. Cod. 7977 der k. k. Familien-Fideicommifs-Bibliothek in Wien. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 10389. B. — Ad Laud. 2, 3 Iohanni quoque proximus A. — 3, 1 latuit A. — 3, 2 Materno A. — 5, 4 In hoc praesenti collegio A. — Ad Tert. 1, 4 Ut pia A. — Ad Vesp. 3, 4 docti B.

68. De s. Iohanne Evangelista.

Ad Matutinum.

1. Inter flores paradisi
Floret candens lilium,
In dulcore Dei visi
Vernans ut convallium.

2. De radice germinatur
Regia pontificum,
Qua felice stirpe datur
Iesus, manna caelicum.

3. Hic est gratus nepos Christi,
Plus dilectus ceteris,
Non gravatus morte tristi
Qui conregnat superis.

4. Ut saphirus beatorum
Inter gemmas emicat,
Fugans virus vitiorum
Cor mundum laetificat.

5. O caelestis flos odoris,
Nitens gemma gloriae,
Intus maestis, laesis foris
Medicina gratiae.

6. Sanctitatis medicamen
Tuis da supplicibus,
Cum beatis consolamen
Praebens in caelestibus.

Ad Laudes.

1. Dum solaris eclipsatur
Vera lux iustitiae,
Stellae maris sociatur
Lucifer munditiae,

2. Quia crucis in duello
Iohannes cum virgine
Miles ducis ut in bello
Stabat et certamine.

3. Inde solis in eclipsi
Lucifer hic saucius
Loco prolis datur ipsi
Maris stellae filius.

4. Sic iocale pretiosum
Fido datur militi,
Virginale generosum
Castrum Dei geniti.

5. Et condigno commendatur
Virgo mater virgini,
Dum in ligno morti datur,
Vitam praebet homini.

6. Ergo tecum matre iuncta
Ora, nepos, filium,
Ut det secum sine cuncta
Vitae nobis praemium.

Ad Primam.

1. Iam placenti cunctae genti
Lucis orto sidere
Pro salutis et virtutis
Deprecemur munere.

2. In hac die, Christe pie,
Nos ad bonum suscita
Virginalis et regalis
Iohannis per merita.

3. Illibatae, tibi gratae
Carnis da munditiam,
Nostri cordis labes sordis
Pellens dona gratiam.

4. Haec dignare nobis dare
Tota simul trinitas,
Tribus bonis in personis
Unaque divinitas.

Ad Tertiam.

1. Nunc infunde te iucunde
Nobis, sancte spiritus,
Et afflictis pro delictis
Clemens sis paraclitus.

2. Intus pure nos adure,
Tu flamma caelestium,
Plenioris ob amoris
Iohannis incendium.

3. Esto ductor et instructor
In hoc mundi devio,
Ut per piam vitae viam
Pergamus cum gaudio.

4. Haec dignare nobis dare,
Tota simul trinitas,
Tribus bonis in personis
Unaque divinitas.

Ad Sextam.

1. Potens rector et protector,
Qui benigne temperas
Vices rerum, solus verum
Sceptrum tenens imperas.

2. Plaga mentis, non tormentis
Martyris discipuli
Prece pura de pressura
Libera nos saeculi.

3. Arma lucis hic caducis
Tuis da supplicibus,
Ut vivamus et reddamus
Mala cum virtutibus.

4. Haec dignare nobis dare,
Tota simul trinitas,
Tribus bonis in personis
Unaque divinitas.

Ad Nonam.

1. Rerum Deus, factor meus,
In te motum nesciens,
Motum tamen et spiramen
Vitae cunctis largiens.

2. Vita functi nec defuncti
Necis cum supplicio,
Cunctis annis nos Iohannis
Salves patricinio.

3. Mortis gravis et ignavis
Morsum pelle criminis,
Post praesentem da manentem
Vitam sine terminis.

4. Haec dignare nobis dare,
Tota simul trinitas,
Tribus bonis in personis
Unaque divinitas.

Ad Vesperas.

1. Ave, maris stellae custos,
Digne summis laudibus,
Qui praeclaris inter iustos
Emicas virtutibus.

2. Summi regis ut amicus
Agnoscis mysteria,
Scriptor legis et pudicus
Virgo florens gratia.

3. In doctrina veritatis
Tu magister sapiens,
Unum trina, trinitatis
Unum neuma sentiens.

4. Nidum ponis in sublimi,
Alte volans aquila,
Dum exponis nati primi
Ortum ante saecula.

5. Visu mundo solis lumen
Recto cernis radio,
Fulgens mundo verbi numen,
Christi cubans gremio.

6. Cuius prece, Deus unus,
Pater, verbum, spiritus,
Victa nece vitae munus
Nobis dona caelitus.

Ad Completorium.

1. Te benignum, laude dignum,
Iesum Christum Dominum
Invocamus et laudamus
Lucis ante terminum.

2. Ultimata cena data
Tuo fulti pectore
Prece dulci tu nos fulci
Noctis omni tempore.

3. Inimicus ut antiquus
Non illudat mentibus,
Carnis more prae sopore
Quietem petentibus.

4. Haec dignare nobis dare,
Tota simul trinitas,
Tribus bonis in personis
Unaque divinitas.

Orat. ms. Neerlandicum saec. 15. Cod. 7977 der k. k. Familien-Fideï-Kommifs-Bibliothek in Wien. — Ad Laud. 6, 3 cuncta von cunctare, wie pausa von pausare. — Ad Vesp. 2, 2 Agnosci.

69. De sancta Katharina.

Ad Matutinum.

1. Virgo sancta Katharina
Iesum Christum desponsavit,
Sed mediante regina,
Quae Deum verum lactavit,
Hora [virgo] matutina
Haec iuvenis inchoavit,
Dum facta tota divina
Creatorem adamavit.

Ad Primam.

2. Ista est, quae Maxentium
Eloquenter exprobravit,
Errores malos gentium
Sagaciter improbravit,
Trinum unum, ens entium,
Luculenter adprobavit,
Sic laqueos venantium
Veraciter superavit.

Ad Tertiam.

3. Martyr sancta denudatur
A gente regis perfida,
Corpus eius laceratur.
Deinde Christo fida
In carcere mancipatur,
Ubi ab ave nitida
Dulcissime visitatur
Nunquam dilectrix fervida.

Ad Sextam.

4. Reginam et Porphyrium
Sua doctrina convertit,
Postea ad martyrium
Quemlibet eorum vertit,
Maxentii imperium
Haec adeo sic evertit,
Quod florentes ut lilium
Dominus eos advertit.

Ad Nonam.

5. Inter rotas haec sistitur
Fultas multis novaculis,
Sed illaesa eripitur
Ex divinis miraculis,
Gens Belial confunditur
E caelo magnis iaculis,
Virgo semper reperitur
Fide constans, immobilis.

Ad Vesperas.

6. Ad mortem tunc condemnata
Pro suis Deum oravit,
Eique sunt cuncta data
A Deo, quae postulavit;
His concessis decollata,
Ex ea lac emanavit,
Et sic martyr Deo grata
Ad gloriam convolavit.

Ad Completorium.

7. Per sanctos angelos Dei
Corpus Katharinae sanctum
In altum montem Sinai
Sollemniter est portatum,
Unguentum sanctum olei
Est ab ipsa emanatum,
Ex quo salus datur ei,
Qui se ad hoc facit aptum.

Psalt. ms. saec. 15. Cod. Bambergen. Ed VII 16. — 2, 5 unum essentium. — 3, 8 Lies: Usque dilectrix? — 4, 6 sic vertit. — 5, 8 et immobilis.

70. De sancta Katharina.

Ad Matutinum.

1. Gaude virgo Katharina,
Quae caelestis es regina
Mundo data caelitus,
Almi manus conditoris
Te formavit vas honoris
Libertate spiritus.

2. Gaude, virgo generosa,
Sapiens et gratiosa,
Costi regis unica,
Radix sancta complantata,
Re et nomine ornata
Velut arbor caelica.

3. Gaude, scholis deputata,
Nimis felix et sensata,
Annis puerilibus
Docta arte liberali,
Redimita et morali
Cunctis prae similibus.

4. Gaude, mitis et formosa,
Thesauris imperiosa,
Tutela pervigili
Servis tuis praefuisti,
Ut lucerna refulsisti
Sexu victo fragili.

5. Gaude, gazas assignatas
Nam pro Christo erogatas
Dedisti pauperibus,
Vitae huius blandimenta
Calcas duciter praeventa
Divinis muneribus.

6. Gaude, virgo, cum sis talis,
Angelis quod es aequalis
Castitatis lilio,
Chorum spernis principalem
Legem servas virginalem
Nubens Dei filio.

7. Gaude, sponsa delicata
Summi regis, decorata
Multis cum virtutibus,
Quibus vernas abundanter,
Multos trahis incessanter
His fecunda fructibus.

8. Eia, virgo laude digna,
Prece pia nos consigna
Rectori credentium,
Ut nos mundet a peccatis,
Donet sortem cum beatis
In terra viventium.

Ad Primam.

1. Gaude, clemens Katharina,
Lege prudens in divina,
Dum audisti sonitum,
Ad templum tunc properasti,
Causam rite sciscitasti
Et erroris exitum.

2. Gaude, maestos aspexisti,
Quibus tunc condoluisti
Mortis metu trepidis,
Miserorum consolatrix,
Hos ut fidei zelatrix
Dictis firmas fervidis.

3. Gaude, linguam consignasti
Signo crucis, quod amasti,
Procedens viriliter,
Regem vanum increpando,
Ritus tales confutando
Restitisti fortiter.

4. Gaude, rerum creatorem
Mundi esse salvatorem
Perorasti clarius,
Deos plures abnegari,
Sectas vanas exsecrari
Firmasti lucidius.

5. Gaude, regi praesentata
Promissa spernis oblata,
Nimis torta asperis,
Aris iussa immolari,
Solem negas venerari
Tanti expers sceleris.

6. Gaude, capta o serena,
Quasi pauper et egena
Servaris iudicio,
Nec ad votum inclinaris
Et a fide non mutaris
Parata supplicio.

7. Gaude, ad te sunt vocati
Magistri ac praesentati
Quinquaginta fortium,
Cum his sola pugnatura
Praemunitis fronte dura
Nullum prodis vitium.

8. Eia, virgo coronata,
Esto nostra advocata,
O candoris lilium,
Ut a culpis praeservemur,
Ne cum malis condemnemur,
Ora Dei filium.

Ad Tertiam.

1. Gaude, pia Katharina,
Consolatio divina
Te refecit dulciter,
Ab angelo visitaris,
Cum splendore circumdaris
Laetabunda iugiter.

2. Gaude, tuum quod certamen
Multis prosit in solamen,
Angelus pronuntiat,
Nec te solam coronandam,
Per te fore reparandam
Turbam, quam associat

3. Gaude, mire confortata,
Dona sperans peroptata
Orasti alacriter,
Sponsum tuum deprecando,
Ut te velit ordinando
Verbis ditare largiter.

4. Gaude, ducta tribunali,
Visu despecta ferali
A multis rhetoribus,
Tantis viris responsura
Stas pro fide conflictura
Terrae cum maioribus.

5. Gaude, primo incepisti
Praedicare nomen Christi
Et crucis mysteria,
Mox ab uno es derisa,
Verba clamat non decisa
Tumens pro victoria.

6. Gaude, verbis disputando,
Signis veris declarando
Divinam essentiam
Probas fore incarnatum
Verbum patris increatum
Amoris per gratiam.

7. Gaude, victrix dans elingues
Falsis argumentis pingues
Cum verborum turbine,
Sensu malo hebetati
Ratione illustrati
Sunt caelesti lumine.

8. Eia, virgo, decus morum,
Sublevamen sis lapsorum,
Christo reconcilia,
In tremenda mortis hora
Nobis assis sine mora
Pia per suffragia.

Ad Sextam.

1. Gaude, dulcis Katharina,
Tua refulsit doctrina
Ut solaris radius,
Ex te prodit sonus talis,
Non dat virtus animalis,
Sed divinus spiritus.

2. Gaude, per te sunt conversi
Oratores tunc perversi
Rerum mutato ordine,
Deum clamant esse verum,
Regem sprevere severum,
Gaudent in certamine.

3. Gaude, dum rex terrae saevit
Contra te et sanctos fremit
Crudeli sententia,
Tu electos confortasti,
In agone roborasti
Sermonis prudentia.

4. Gaude, flammis sunt iniecti,
Dono Dei sunt protecti
Ingenti miraculo,
Vita brevis consummatur,
Vera fides comprobatur
Sollemni spectaculo.

5. Gaude, astris hos invexit,
Cornu tuum qui erexit
Insigni victoria,
Profers fructum pietatis,
Rami tui honestatis
Exsultant in gloria.

6. Gaude, iterum temptata,
Verbis multis es vexata
Studio malitiae,
Post reginam nominandam
Te a cunctis venerandam
Fatur rex iustitiae.

7. Gaude, templi sanctionem,
Tumoris occasionem
Tibi promissam fatue,
Talem spernis tu honorem,
Derides quoque decorem
Erigendae statuae.

8. Eia, virgo, sponsa Christi,
Quem tu vere elegisti
Prae cunctis solaciis,
In amore fac nos stare
Dei caeli, deprecare
Nos frui deliciis.

Ad Nonam.

1. Gaude, mitis Katharina,
Conservata a ruina
Erroris perfidiae,
Nec te vincunt blandimenta,
Nec exterrent vel tormenta,
Dum vis ardet invidiae.

2. Gaude, veste denudata
Mente manes illibata,
Dum stas in doloribus,
Corpus virgis laceratur,
Aurum sic examinatur
Mutatis tortoribus.

3. Gaude, cruorem fudisti,
Memor passionis Christi
Gaudes in verberibus,
Regi saevo insultasti,
Sibi poenas comminasti
Pro suis sceleribus.

4. Gaude, plagis vulnerata,
Iussu regis es artata
Carceris ergastulo,
In tenebrosis locaris,
De supernis illustraris
Lucis aeternae speculo.

5. Gaude, virgo veneranda,
Fame, siti crucianda
Ter quaternis noctibus
Iuxta tyranni edictum,
Cor servasti non devictum
Duris in laboribus.

6. Gaude, assunt consolando
Te in poenis confortando
Angelici spiritus,
Iamque cunctae res terrenae
Fiunt tibi alienae,
Pasceris divinitus.

7. Gaude, lux tibi allata
Fulsit foris revelata
Carceris custodibus,
Rumor volat ad reginam,
Te credit esse divinam
Amoris ardoribus.

8. Eia, virgo pulchra tota,
Cordis nostri cerne vota
Succurrendo miseris,
Memor esto supplicantis,
Rege actus te amantis,
Da partem cum superis.

Ad Vesperas.

1. Gaude, grata Katharina,
Caeli bravio vicina
Agone laudabili,
Visitaris a regina,
Quam salvasti a ruina
Virtute mirabili.

2. Gaude, cernis illustratam
Te esse atque sanatam
Suavi medicamine,
Sic appares decorata,
Gloriose circumdata
Supernorum agmine.

3. Gaude, per te est firmata
Regina, martyrizata
Caelos scandit altius,
Fidem tuam hos instruxit,
Quos ad Christum secum duxit,
Nobilis Porphyrius.

4. Gaude, donis cumulata,
Dulciter es consolata
Regem videns gloriae,
Turba casta visitavit,
Sic te sponsus honoravit
In lacu miseriae.

5. Gaude, aspectu formosa,
Nam persistis animosa
Producta de carcere,
Rex vesanus admiratur,
Sua vis quod infirmatur,
Dum vult te exstinguere.

6. Gaude, malens profiteri,
Quam innoxios puniri,
Per columbam candidam,
Quod te Christus large pavit
Et in plagis recreavit
Sanctitate nitidam.

7. Gaude, morti iudicaris,
Dum ad torquendum tractaris,
Prodeunt consilia,
Indignus Dei amore
Regem succendit furore
Promens horribilia.

8. Gaude, quod nec his terreris,
Dum tormenta intueris,
Confidis in Domino,
Iussa rotis applicari
Inter serras illigari
Dirae mortis termino.

9. Gaude, Christum invocando,
Exaudiri deprecando
Instante periculo,
Non tu petis pro vindicta,
Patienter per edicta
Dum vis mori saeculo.

10. Gaude, virtus quod divina
Magna destruxit ruina
Fabricata vilia,
Te illaesam conservavit,
Qui uno ictu necavit
Sic quattuor milia.

11. Eia, stella vespertina,
Ad adiuvandum festina
Nobis laborantibus,
Consolatrix in pressuris
Instantibus et futuris
Sis ad te clamantibus.

Ad Completorium.

1. Gaude, felix Katharina,
Laude gloriaris trina
In caeli palatio,
Nam stolam iucunditatis
Cum decore claritatis
Mereris supplicio.

2. Gaude, constanter fateris
Christum, quem in corde geris,
Rex furore ebrius
Iubet vitam neci dari
Atque capite truncari
Te damnando acrius.

3. Gaude, vadis glorianter,
Mortem optans affectanter
Increpasti gemitum
Horum, qui tunc condolebant,
Te resipisci suadebant
Ante vitae transitum.

4. Gaude moram postulasti,
In qua sponsum flagitasti
Pro tuis supplicibus,
Opem gravatis petisti,
Servari a nece tristi,
Ditari felicibus.

5. Gaude, electa vocata,
Cuncta vota impetrata
Sono audis caelico,
Benedicta possessura
Regna patris permansura
Invitaris ilico.

6. Gaude, caput protendisti,
Pro amore Iesu Christi
Consummata gladio,
Agonista consecraris,
Sine fine gratularis
Mariae cum filio.

7. Gaude, decus virginale
De te monstrat signum tale
Datum poli numine:
Vulnus recens non cruorem
Effudit, sed contra morem
Lac manat pro sanguine.

8. Gaude, digne tumularis,
Monte Sina deportaris
Angelorum obsequio,
Ubi fluit incessanter
Liquor purus, sic gratanter
Dulci clares officio.

9. Gaude, sancta comprobaris,
Dum devote visitaris
Populi frequentia,
Omnes peruncti liquore
Aegri curantur, vigore
Pelluntur nocentia.

10. Ergo, refulgens agalma,
Martyrii tu cum palma
Serta gestas gloriae,
Inter undas huius maris
Tu nos semper tuearis,
Portum da victoriae.

11. O praedulcis Katharina,
Luce bearis divina
In praesenti saeculo,
Agnosce te diligentes,
Prece tua sint gaudentes
Mortis in articulo.

12. Gratia caelesti plena,
Paradisi ad amoena
Duc nos, o piissima,
Te ex corde salutamus,
Laudes, quas nunc propinamus,
Non spernas, dulcissima.

Orat. ms. S. Katharinae Nurembergen. saec. 15. Cod. Civ. Nurembergen. VII 65. — Ad Mat. 5, 1 gazat. — 4, 4 Deus. — Ad Prim. 5, 3 torta speris. — Ad Tert. 3, 4 solem. — 3, 6 ditari. — Ad Sext. 2, 2 conversi .— 4, 4 consummator. — 5, 1 os. — 6, 6 rex malitiae. — Ad Vesp. 2, 2 et sanatam. — Ad Compl. 2, 1 dum constanter. — 8, 6 Dulcis. — 9, 4 perfuncti. — 10, 2 tu fehlt. — 11, 3 praesentis.

71. De sancta Katharina.

Ad Matutinum.

1. Est orta lux in tenebris
hora matutina,
Quae lucem dedit ceteris,
sancta Katharina,
Costi regis filia,
cultoris idolorum,
Fulgens eloquentia
scientia et morum.

Ad Primam.

2. Hora prima ducta est
ad Dei cultorem,
Per quem illa iuncta est
Dei ob amorem,
Et subarrhans annulo
eam desponsavit
Christus Dei filius,
ipsa quem amavit.

Ad Tertiam.

3. Capta a Maxentio
hora tertiarum,
Carcere inclusa est
a tyranno, poenarum
Diversarum genere
minatus cruciari,
Si suo coniugio
nollet copulari.

Ad Sextam.

4. Hora sexta rhetores,
philosophi prudentes
Per ipsam conversi sunt
Deum confitentes,
In pyram ignis missi sunt
laeti congaudentes,
Vestis nec crinis laeditur,
caelum ascendentes.

Ad Nonam.

5. Hora nona imperatrix
clausam visitabat,
Cum ea Porphyrius
errorem fugabat,
Verbis paenitentiae
Deum adorabat,
Ducentena contio
ipsum comitabat.

Ad Vesperas.

6. Christus, sponsus virginum,
hora vespertina
Et rex regum omnium,
sancta Katharina,
Dulcibus sermonibus
te confortabat,
Ad caelorum gloriam
te ipsam invitabat.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
tyrannum vicisti,
Cum rotis confractis
vitam invenisti,
Lac tuis vulneribus
pro sanguine dedisti,
Diversis miraculis
tu, virgo, splenduisti.

8. Per angelos mirifice
corpus elevatur
Et in monte Sinai
illud tumulatur,
Oleum ex ossibus
virginis emanavit,
Caecos, claudos, morbidos
illudque sanavit.

Conclusio.

9. Has horas canonicas,
sponsa Christi pia,
Tuae laudi refero
cordis symphonia,
Sicut promisit Dominus
Te, virgo, honorantibus
Se velle exaudire,
Sic da post hoc exsilium
Ad tuum nos consortium
Cum gaudio transire.

Orat. ms. Franciscan. saec 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II. — 3, 5 generum. — 4, 5 pruinam ignis. — 5, 2 virginem clausam. — 7, 3 confractibus. — 8, 8 Illosque. — 9, 6 virginem.

72. De sancta Katharina.

Ad Matutinum.

1. Ave, felix Katherina,
Euge, virgo columbina,
Vale, martyr et regina,
Salve, stella matutina.

2. Ave, dulcis et benigna,
Iugi semper laude digna,
Nulli dura vel maligna,
Deo, quaeso, me consigna.

3. Ave, prudens et perita,
Multis bonis insignita,
Per te, precor, sint contrita
Tela daemonis ignita.

4. Ave, pulchra Sion nata,
Agni vellere ornata
Et honore coronata,
Nobis assis exorata.

5. Ave, domina decora,
Assis mihi mortis hora,
Ne me ad exteriora
Daemon trahat, elabora.

Ad Primam.

1. Ave, virgo Katherina,
Ex qua flagrat lux divina,
Prece quaeso te supina,
Mitem mihi te inclina.

2. Ave, pulchrior aurora,
Te laudantem non ignora,
Pro me Christum tu exora,
Ut me regat omni hora.

3. Ave, virgo fide plena,
Sponsa Christi, spes serena,
Frange nunc peccati frena,
Ne me vexet ultrix poena.

4. Ave, virgo verecunda,
Placans Deum mente munda,
Ut me solvat a profunda
Procellosi maris unda.

5. Ave, lumen et lucerna,
Praebens iter ad superna,
Meam vitam sic guberna,
Ne descendam ad inferna.

Ad Tertiam.

1. Ave, clemens Katherina,
Rosa rubens sine spina,
Sis tutamen a ruina
In voragine marina.

2. Ave, virgo sancta Dei,
Miserere, precor, mei,
Ancora sis meae spei
Et solamen cordis mei.

3. Ave, quies cordis maesti,
Salve, virgo, quae caelesti
Christo regi adhaesisti,
Dum terrena contempsisti.

4. Ave, decus firmamenti,
Praebe piam te poscenti
Et medere meae menti
In peccatis dormienti.

5. Ave, fortis agonista,
Tua prece Deo insta,
Ut transacta vita ista
Me non locet in sinistra.

Ad Sextam.

1. Ave, martyr Katherina,
Aegrae mentis medicina,
De peccati me sentina
Et de mortis duc ruina.

2. Ave, nobilis puella,
Pro me Christum interpella,
Contra me seda flagella
Et compesce mortis bella.

3. Ave, virgo pulchra tota,
Expers fraudis, bonis nota,
Sume prece cum devota
Famulantum tibi vota.

4. Ave, regalis filia,
Quae fulges inter lilia,
Nos vitae post exsilia
Ad caeli duc sedilia.

5. Ave, dulcis nostra mater,
Sancta ter felixque quater,
Cuius sponsus Deus pater,
Da, ne hostis vincat ater.

Ad Nonam.

1. Ave, sancta Katherina,
Flos illaesus a pruina,
Ad iuvandum me festina
Nunc a fraude serpentina.

2. Ave, sponsa Sunamitis,
Palmes virens verae vitis,
Per te datur pax contritis,
Suffocetur flamma litis.

3. Ave, decora specie,
Plena misericordiae,
Da mihi, mater gratiae,
Virtutem patientiae.

4. Ave, flos pudicitiae,
Lata domus clementiae,
Pro tua pulchra facie
Fer donum paenitentiae.

5. Ave, decus puellare,
Praesens hoc compesce mare,
Quo me cernis fluctuare,
Fac ad portum remigare.

Ad Vesperas.

1. Ave, constans Katherina,
Me informa disciplina,
Bonitate et doctrina
In hac vita peregrina.

2. Ave, Christi vas electum,
Ebur candens bene sectum,
Iter me informa rectum,
Ut incedam per directum.

3. Ave, quae es sublevatrix
Et lapsorum sustentatrix,
Egenorum consolatrix,
Pia semper miseratrix.

4. Ave, salus adflictorum,
Medicamen contritorum,
Mei memor et meorum
Sis vivorum amicorum.

5. Ave, firma spes lapsorum,
Solve nexus dilectorum
Et largire tu bonorum
Nobis copiam cunctorum.

Ad Completorium.

1. Ave, pia Katherina,
Mala pellens vespertina
Me conserva, ne rapina
Fiam hostis repentina.

2. Ave, propago nobilis,
Martyr insuperabilis,
Fac, hostis ut terribilis
Adversum me sit labilis.

3. Ave, virgo famae bonae,
Ab antiquo me praedone
Et a luctus regione
Salva mortis in agone.

4. Ave, speculum virtutum,
In procinctu constitutum
Me indemnem fac et tutum,
Hostem reprime versutum.

5. Ave, Costi stirps herilis,
Precor, licet laus exilis,
Quam nunc offert mens servilis,
Tibi non exsistat vilis.

6. Ave, dulce consolamen,
Posce natum, patrem, flamen,
Ut futurum post examen
Nos cum iustis locet. Amen.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. anni 1475. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. saec. 15. C. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. D. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. E. — Ad Matut. 1, 2 Euge mater A. — 1, 3 Vale mater A; Euge martyr BC. — 2, 3 Mira quam decorant signa C. — 2, 4 Nulli dura vel maligna C. — 3, 3 sit A. — 3, 4 Tela amoris A. — 4, 3 Summo regi desponsata D. — 4, 4 Mihi assis D. — Am Schlufs jeder Hore: Ave, dulce tu solamen etc. — Ad Prim. 1, 3 Quaeso prece D; Cum prece C. — 2, 2 Me laudantem B. — 2, 3 Deum pro me nunc C. — 2, 4 Ne me relinquat ulla hora C. — 3, 3 Frange peccatorum D. — 4, 2 Placens Deo C. — Ad Tert. 1, 3 Tu sis tutrix D. — 2, 1 martyr sancta CD. — 3, 3 Nupsisti regi nam terrestri C. — 3, 4 terrenum D; Eius nutum nec explesti C. — 5, 2 Deo prece tua BC. — 5, 4 Collocet in parte dextra D. — Ad Sext 1, 2 Euge, mentis A. — 2, 2 Regem caeli interpella CD. — 2, 3 Dira sedet ut C; Sua contra me flagella D. — 2, 4 Et compesca C; Compescendo seda D. — 3, 2 omnis mali nota C; vitiorum nota D. — 3, 3 mente cum D. — 3, 4 Famulantis D. — Str. 5 fehlt A. — Ad Non. 1, 4 Fraude laesum CD. — 3, 1 decora splendide D. — 3, 2 totius gratiae CD. — 3, 3 mater veniae C; Da robur patientiae D. — 3, 4 Donumque paenitentiae D. — Str. 4 fehlt D. — 4, 2 Beata domus A. — 4, 3 Melliflua tu C. — 5, 3 vides D. — Ad Vesp. 2, 1 Dei vas CD. — 2, 2 Ebur signans A. — 2, 3 Iter meum serva D. — Str. 3 lautet in

C: Ave, tu, quae es bonorum
Sublevatrix et lapsorum,
Memor sis benefactorum
Iam meorum defunctorum,

D: Ave, quies tu fessorum,
Sublevatrix et lapsorum,
Tu meorum amicorum
Miserere defunctorum.

4, 2 Et consolatio C; Et solamen oppressorum D. — 4, 3 Solve nexus delictorum D. — 5, 1 firmus pes C. — 5, 4 Affluentiam C. — Ad Compl. 1, 2 pelle D. — 1, 3 ruina C. — 2, 2 Mater A. — 2, 3 ut hostis C. — 2, 4 sit debilis BC. — Nach Str. 3 hat nur A noch die folgende:

Ave, quae es miserorum
Miseratrix mortuorum,
Miserere tu meorum
Animarum defunctorum.

3, 4 reprimens D. — 4, 2 Tibi, precor, laus D. — 4, 4 non videatur A, ducatur D. — 6, 1 Ave dulce tu solamen BC.

73. De sancta Katharina.

Ad Matutinum.

1. Kastitatis lilium,
Alma Katharina,
Illustrata nimium
Hora matutina,
Convertit Prophyrium
Hostem cum regina,
Ducens ad martyrium
Mundi de sentina.

Ad Primam.

2. Ad certamen ducitur
Virgo praeparata
Hora prima Domino,
multum confortata,
Quae traxit philosophos
magnifice dotata
Ad lumen veridicum
et regna beata.

Ad Tertiam.

3. Templo adest tertia
hora incensorum,
Caesarem aggreditur
hostis idolorum,
Per metrum et logicam
et visum astrorum
Ducit ad notitiam
regis angelorum.

Ad Sextam.

4. Exarsit ira Caesaris
fremens in pupillam,
Hora sexta praecipit
educere pusillam,
Tormentorum genera
parans propter illam,
Angelus quae concite
reduxit in favillam.

Ad Nonam.

5. Remittitur in carcerem
saeve flagellata
Hora nona a Caesare
victuque privata,
Sed divino munere
ab angelo cibata,
Sacro tandem numini
recens est oblata.

Ad Vesperam.

6. Iubar splendidissimum,
virgo Katharina,
Suum secuta Dominum
hora vespertina
In signum veridicum,
quod tota sit divina,
Effudit lac purissimum
pro sanguine regina.

Ad Completorium.

7. Nempe completorii
hora tumulatur,
In sublime Sinai
ab angelis portatur,
Vivo fonte olei
corpus decoratur,
Sic sanantur languidi,
morbus effugatur.

Conclusio.

8. Adiuvatrix omnium,
virgo Katharina,
Quae rogasti Dominum
nece iam vicina
Pro tuis fidelibus
. . . . . .
. . . . . .
hisque propina.

Orat. ms. Augiense saec. 14/15. Cod. Carolsruhan. Augien. 36. A. — Collect. ms. S. Udalrici et Afrae anni 1481. Clm. Monacen. 4423. B. — Collect. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 4076. C. — Orat ms. Gallicum saec. 15. Cod. Mus. Ferdinandei Oenipontani s. n. D. — Orat. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14940. E. — Orat. ms. Sangallense 520 anni 1436. F. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4117. saec. 15. G. — Orat. ms. Neerlandicum saec. 15. Cod. 7977. der k. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek Wien. H.

1, 2 virgo Katharina H. — 1, 6 Ducem cum H. — 1, 7 Invocens ad martyrium A. — 2, 3 Hora prima a Domino H; ab angelo BCG. — 2, 5 Qui exarsit philosophos D. — 2, 6 Mirifice A. — 2, 8 regina beata D. — 3, 1 Tempho A. — 3, 3 egreditur D. — 3, 4 cultorem idolorum F. — 3, 6 ad viam astrorum G. — 3, 7 Duxit A. — 4, 2 ac fremens CG; in puellam H, in ancillam BC. — 4, 3 sexta eam iubet B; cum iubet CG. — 4, 4 adducere D, educare A. — 4, 7 quae subito H, haec subito BDG. — 4, 8 reddit in G. — 5, 1 Demittitur E, ad carcerem H, in carcere G. — 5, 3 nona caesa Caesare AH. — 5, 4 Victu virgo privata CBG; victualis pravata D; victualibus privata EH. — 5, 5 divino lumine G. — 5, 7 Facto tandem G. — 5, 8 recens quae oblata A. — 7, 1 Virgo completorii BCG, gegen das Akrostich. — 7, 3 sublimis D; et in montem Sinai H. — 7, 5 Vivo liquore olei G; Rivo fluentis olei H. — 7, 6 decoratur D. — 7, 7 Hic valuerunt A; Sic sanantur languidi E; Et sic ferventis languidi H. — Str. 8 fehlt in allen Hss. aufser B, ist aber, wie das Akrostichon ausweist, notwendig. — Bemerkungen: Pro qualibet horarum illarum annus indulgentiae a papa Urbano quinto. G. — Incipiunt septem horae diurnae passionis beatae Katharinae virginis et martyris, factae et dictatae per sanctissimum nostrum dominum Urbanum, divina providentia papa[m] quintum piae memoriae, qui confirmavit sequentes horas literis suis apostolicis. Et concessit omnibus et singulis has horas devote dicentibus pro qualibet harum horarum annum unum indulgentiarum. C.

74. Officium seraphicae s. Magdalenae.

Ad Matutinum.

1. Magdalena vigilat
spernitque dormire,
Nam unguenta praeparat
ad sepulcrum ire
Volens et diluculo
Dominum lenire,
Quod fuit indicium
caritatis mirae.

2. Flens aiebat: doleo
intrinsecus dire,
Nam tumbam non valeo
sola aperire,
Sed nunc volo Dominum
pie exorare,
Ut aliquis fortiter
velit me iuvare.

Ad Primam.

3. Hora prima properat
sepulcrum videre,
Ecce, ibi aderat,
quae coepit pavere,
Angelusque prohibet,
ne plus velit flere,
Dominumque perhibet
surrexisse vere.

4. Maria in tumulo
Iesum non videbat,
Linteum in sepulcro
seorsum cernebat,
Quae protinus patulo
sensum advertebat,
Quod in illo hortulo
Iesus nusquam erat.

Ad Tertiam.

5. Ad sepulcrum veniens
Magdalena flebat,
Undique prospiciens
Iesum requirebat,
Ecce, Christus veniens
hortum excolebat,
Ac si prorsus nesciens,
quid plorans petebat.

6. Hinc tulerunt Dominum,
inquit, Iesum meum,
Dic tu, quaeso, domine,
an tulisti eum?
Hanc proprio nomine
Iesus appellavit,
Quae mox respondens „Rabbi“
humi se prostravit.

Ad Sextam.

7. Pharisaeus gestiens
prandium paravit.
Cum quo sic reficiens
Iesum honoravit,
Quod Maria sentiens
domum subintravit,
Post tergum deiciens
Christi se prostravit.

8. Pedes lavans lacrimis
capillis purgavit
Unguentisque condiens
affectum monstravit,
Simon hanc despiciens
multum condemnavit,
Quod Christus intellegens
eam commendavit.

Ad Nonam.

9. Maria dum conspicit
morti proximare
Fratrem suum, statuit
statim nuntiare,
Nuntio sic praecipit:
Tu quem amas care,
Mori, dicens, incipit,
quod velis mandare.

10. Christus ait: Lazarus
non est morti datus,
Per hunc Dei filius
erit exaltatus,
Mariam cum populo
videns Iesus flere
Lazarum de tumulo
suscitavit vere.

Ad Vesperas.

11. Bethaniam Dominus
sero subintravit,
Cui Martha protinus
cenam praeparavit,
Maria tunc pisticum
supra Iesum fudit
Unguentum, quod mysticum
scriptura concludit.

12. Quam Iudas considerans
murmurans accusat,
Sed Christus non tolerans
pie hanc excusat;
O Maria, quae ter iam
sic es excusata,
Sis pro nobis tu pia
semper advocata.

Ad Completorium.

13. Septies adveniunt
cives supernorum
In die, qui rapiunt
Mariam ad chorum,
Cum qua ibi concinunt
carmina sanctorum,
Postea reficiunt
dapibus iustorum.

14. Maximino Dominus
cuncta haec monstravit,
Qui sacerdos protinus
Dominum laudavit,
Quem Maria intuens
peccata narravit,
Viaticum glutiens
spiritum efflavit.

Conclusio.

15. Has horas canonicas
cum devotione,
Magdalena, offero
et intentione
Salvari peroptans
tua oratione,
Quae tuis devotis es
in protectione.

Orat. ms. Capit. Toletani 34—73. saec. $^{15}/_{16}$. — 1, 4 sq. volens ire. — 2, 1 ait. — 2, 5 Sed nec volo Deum. — 2, 7 sq. Ut aliquis mihi velit fortiter. — 12, 7 tu fehlt.

75. De s. Maria Magdalena.

Ad Matutinum.

1. Mare magnum tu fuisti,
Peccatorum grandis spina,
Multis Deum offendisti
Hora quidem matutina,
Quibus eras nimis digna
Aeternis suppliciis
Et privari gaudiis,
Nisi esset medicina.

Ad Primam.

2. Ad te ergo rediisti
Conturbata acriter,
Hora prima ingemuisti
Ut columba fortiter,
Proponens finaliter
A deliciis abstinere,
De commissis paenitere,
Hinc vivendo aliter.

Ad Tertiam.

3. Gratia Christi illustravit
Te invisibiliter,
Hora tertia confortavit
Praestans spem feliciter,
Veniens celeriter
Apud fontem pietatis
Tuis veniam de peccatis
Postulasti humiliter.

Ad Sextam.

4. Domini pedes lavasti
Multis guttis lacrimarum
Hora sexta et purgasti
Capillis illecebrarum
Recordans deliciarum,
Oscula eis impressisti,
Caput eius perungisti
Effusione lacrimarum.

Ad Nonam.

5. Amor Christi te dilexit,
Hora nona respondendo
Septem daemones eiecit
De te ipsos puniendo,
Christi corpus perstringendo
Peccatorum remissionem,
Gratiae infusionem
Invenisti diligendo.

Ad Vesperas.

6. Laete Christus te dilexit,
Multis signis demonstravit,
Martham tuam sanam fecit,
Tuis precibus curavit,
Lazarum resuscitavit
Tibi iam compatiendo,
Primo apparens resurgendo
Apostolam consecravit.

Ad Completorium.

7. Elevata iuxta altare
Christum flendo respexisti,
Completorii hora care
Spiritum Deo reddidisti,
Tunc fragrantiam reliquisti
Septem dies, ut refertur,
Sic ut quisque miraretur,
Aromata excessisti.

Conclusio.

8. Assis mihi, Magdalena,
Istas horas decantando,
Indulgentiam ut benigna
De commissis impetrando,
Me hic servans a ruina
Ab insidiis liberando
Sis in obitu festina
Me in gloriam collocando.

Orat. ms. Toletanum saec. 14. Cod. Univ. Matriten 49 (92—2). — 2, 8 Hic unius aliter. — 7, 1 iusta. — Zwischen Str. 7 und 8 ist eine mit N beginnende Strophe ausgefallen.

76. De sancto Mauritio.

Ad Matutinum.

1. Patris sapientia,
Iesus lex divina
Te, Mauriti, miserat
hora matutina
Partes ad occiduas,
fieret ruina
De diis, quorum noscitur
turbis officina.

Ad Primam.

2. Hora prima militum
regulas docebas,
Deum verum colere
cunctos admonebas,
Statutis stipendiis
contentus manebas
Et gravare neminem
unquam tu volebas.

Ad Tertiam.

3. Ter, o dux, ab impiis
nosceris pulsatus,
Ut diis sacra redderes,
sed tu sic firmatus
In fide catholica
steteras armatus
Contra tela Satanae
per omne tuum latus.

Ad Sextam.

4. Sacra trina fuerant
militum sanctorum
Agmina, qui steterant
probitate morum,
Et ex eis neminem
reperimus, quorum
Fides titubaverat
metu tormentorum.

Ad Nonam.

5. Hora nona venerat
cum sol ad occidentem,
Petit turma caelica
firmam tenens mentem,
Percussorem sustinet
gladium ferentem,
Caelos quaerit cernere
Iesumque gaudentem.

Ad Vesperas.

6. Spoliata vespere
dividunt lactantes
Et onusti redeunt
invicem clamantes,
Sed tu, dux egregie,
socios amantes
Habuisti, iuva nos
ad te suspirantes.

Ad Completorium.

7. Hora completorii
quies solet dari,
Tunc cum sanctis omnibus
tibi iucundari
Christus dedit iugiter,
nec labefactari
Potest tua gloria
nunc nec minorari.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90.

77. De s. Perchtoldo Garstensi.

Ad Matutinum.

1. O Perchtolde, pater care,
Fac ad portum remigare,
Hora noctis intempesta
Qui te quaerunt mente maesta.

Ad Primam.

2. Alme pater, hora prima
Aurem nobis huc inclina,
Ut te promptum in orando
Sentiamus te laudando.

Ad Tertiam.

3. Te rogantes tertiarum
Hora, dolor animarum
Hinc recedat et expurget,
Quos nunc mortis metus urget.

Ad Sextam.

4. Qui te laudant hora sexta,
Plena bonis fiant exta
Horum simul et in mundo
Vivant pie corde mundo.

Ad Nonam.

5. O Perchtolde, hora nona
Nobis confer vitae dona,
Ut in hora nostrae mortis
Sociemur caeli portis.

Ad Vesperas.

6. Vespertina qui te colunt
Hora, pater, prout volunt,
Illis assis, si in bonis
Eis optent opem donis.

Ad Completorium.

7. Pater, hora iam completa
Veni nobis mente laeta,
Ut peccatis absoluti
Tecum simus semper tuti.

Conclusio.

8. Salutantes te his horis,
Pater, intus atque foris
Tuum semper adiuvamen
Sentiant laetantes. Amen.

Cod. Mellicen. 617. saec. 15.

78. De sancto Quirino.

Ad Matutinum.

1. O praeclare pater care,
Fac ad portum remigare
Hos, qui noctis tempestate
Ad te clamant egestate.

Ad Primam.

2. O Quirine, hora prima
Aurem nobis hic inclina,
Ut te promptum in orando
Sentiamus te laudando.

Ad Tertiam.

3. Te rogantes tertiarum
Hora, dolor animarum
Hinc recedat et expurget,
Quos nunc mortis metus urget.

Ad Sextam.

4. Veni, pater, hora sexta
Plena bonis fiant exta
Horum simul et in mundo
Vivant pie corde mundo.

Ad Nonam.

5. Nos educ e malis nona,
Confer nobis vitae dona,
Ut in hora nostrae mortis
Sociemur caeli portis.

Ad Vesperas.

6. Vespertina qui te colunt
Hora, pater, prout volunt,
Illis assis, si in bonis
Eis optent opem donis.

Ad Completorium.

7. Pater, hora iam completa
Veni nobis mente laeta,
Ut peccatis absoluti
Tecum simus semper tuti.

Conclusio.

8. Salutantes te his horis,
Pater, intus atque foris
Tutum tuum adiuvamen
Sentiant laetantes. Amen.

Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11908. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B. — „Ad sanctum Quirinum, regem et martyrem, huius monasterii inhabitatorem in Tegernsee.“ B.

79. Officium Defunctorum.

Ad Matutinum.

1. Deitatis paternitas
Et eius filiatio,
Spiritus sancti caritas
Et Iesu Christi passio
Trinitatisque pietas
Sit defunctis remissio
Peccatorum, ut claritas
Detur eis cum gaudio.

Ad Laudes.

2. Te laudamus divisorem
Tenebrarum et luminum,
Caeli, terrae creatorem,
Angelorum et hominum,
Iuvenum, senum factorem,
Corruptarum et virginum,
Omnis mundique rectorem
Spiritus laudet Dominum.

Ad Primam.

3. Veni, creator spiritus,
Mentes tuorum visita,
Per quem mundus est conditus
Et omnia sunt condita,
Qui a nullo es conditus
Dimitte cunctis debita,
Ita quod nullus perditus
Sit propter sua merita.

Ad Tertiam.

4. Deus, a quo sunt omnia
Bona, dona victoriam
Contra omnia vitia
Vivis, defunctis veniam,
Ut post haec transitoria
Veniamus ad gloriam,
Defuncti quoque gaudia
Possideant per gratiam.

Ad Sextam.

5. Ostende nobis faciem
Tuam, praemium sanctorum,
Cum venerimus ad diem
Irae et iudiciorum,
Iustitiae saevitiem
Mitiga, dans peccatorum
Veniam atque requiem
In saecula saeculorum.

Ad Nonam.

6. Virgo carens criminibus,
Te precor, ut auxilio
Totisque tuis precibus
Sis coram tuo filio
Pro fidelibus omnibus
Sic, quod tua petitio
Cum sanctorum agminibus
Locet eos cum gaudio.

Ad Vesperas.

7. Vos deprecor suppliciter
Intuitu pietatis
Omnes sanctosque pariter
Sanctas, ut intercedatis
Pro cunctis reis taliter,
Quod in fine cum beatis
Collocentur benigniter
Ante thronum trinitatis.

Ad Completorium.

8. In manus tuas, Domine,
Commendo spiritum meum,
Ut sicut dubio sine
Hominem te credo Deum,
Qui pretioso sanguine
Redemisti mundum reum,
Sic hominem de crimine
Salva, qui creasti eum.

Conclusio.

9. Has horas tibi metricas
Cum pia devotione
Tibi dico canonicas
Et cum pia ratione,
Ut animas catholicas
Tua miseratione
Efficias glorificas
Tua sancta visione.

Orat. ms. Virdunense saec. 15. Cod. Suessionen. 99. A. — Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (607). B. — Orat. ms. Iuliani Regin saec. 15. Cod. Parisin. 757. C. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. D. — Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Brugen. 321. E. — 1, 1 Deitas paternitas A; In divinis paternitas E. — 1, 3 O pater sancte caritas A. — 1, 5 puritas D. — 1, 6 Sit omnium remissio D. — 1, 8 Detis eis B; Nobis detur cum D. — Str. 2 fehlt ABD. — Str. 3 und 4 umgestellt D. — 3, 1 Veni sancte spriritus D. — 3, 5 est A. — 3, 7 Quatenus nullus D. — 3, 8 pro sua merita B, per sua D. — 4, 2 Dona nobis victoriam D. — 4, 4 Atque largire veniam D. — 4, 5 Et post A. — 4, 7 quique B; Quam non meremur propria D. — 4, 8 Sed hoc per tuam gratiam D. — 5, 2 Protectionum tuarum D. — 5, 3 venimus D, veneris A. — 5, 4 Tuorum iudiciorum D. — 5, 5 Iustitiae sententiam D; se intime B. — 5, 6 dans fehlt A. — 5, 8 saecula polorum D; in saecula da saeculorum A. — Str. 6 und 7 fehlen D. — 6, 2 Deprecor ut B. — 6, 3 suis A. — 6, 5 Pro cunctis fidelibus B. — 7, 1 Nos deprecor B. — 7, 3 sanctos et A. — 7, 4 ut fehlt A. — 7, 6 Et in fine B. — 8, 3 sine crimine BD. — 8, 4 Sic hominem de crimine D; dann folgt in D folgender Schlufs:

Salva eum, qui fecisti eum,
Caritatis munimine
Iugiter guberna eum.
Uni trinoque principi
Laus, virtus et gloria,
Qui clemens alta recipi
Iubeat nos in patria.

9, 1 Has horas canonicas A. — 9, 3 Christe tibi recolo quas A. — 9, 4 recipias ratione A.

80. Officium Defunctorum.

Ad Matutinum.

1. Iesu, rex regum, omnium
Praevidisti criminum,
Ne sis memor peccaminum
Defunctorum fidelium.

2. Hostis disrumpe vincula,
Captivas educ animas,
Quas redemisti, recrea
In paradisi patria.

3. Sume nostra precamina,
Ima regis et supera,
Continens simul omnia
Per saeculorum saecula.

Ad Laudes.

1. Pro defunctorum requie,
Purgatorum baptismate,
Oramus inocciduam
Dei misericordiam.

2. Hos Deus pater protegat,
Ac filius suscipiat,
Et spiritus paraclitus
Emundet a criminibus.

3. Ut soluti mortalibus
Humanae carnis nexibus
In angelorum patria
Requiescant per saecula.

Ad Tertiam.

1. Devotis te concentibus,
Rex Christe regum, petimus,
Ut audias precamina,
Quae damus, et suspiria.

2. Pro cunctis nunc fidelibus
In fide morientibus
Preces et vota fundimus,
Miserere propitius.

3. Educ eos de tenebris
In paradisum luminis,
Ut in perenni gloria
Tibi vivant per saecula.

Ad Sextam.

1. Iesu, piorum caritas
Et angelorum claritas,
Lux et vita viventium
Salus in te credentium.

2. Tibi commendo animas
Fidelium defunctorum,
In tuo sancto nomine
Migrantium de corpore.

3. Quos fides sancta iunxerat,
Hos patria suscipiat,
Ut in luce tua sancta
Tibi vivant per saecula.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19356. — Ad Mat. 1, 2 fehlt eine Silbe, ist auch sonst verdorben. — Ad Tert. 1, 1 consentibus. — Ad Sext. 2, 1 sq. Tibi commendamus animam famuli tui et animas omnium fidelium defunctorum. — Zur Prim fehlt ein Hymnus, der zur Non ist prosaisch; zur Vesper wiederholt sich jener der Laudes, der zur Complet ist wieder prosaisch.

81. Officium Defunctorum.

Ad Matutinum.

1. Deus aeternae gloriae,
Pater misericordiae,
Sanctorum desiderium
Et animarum refrigerium,

2. Ecce, fideles animae
Ad te proclamant anxie
In earum miseriis,
Gratiae tuae memineris.

3. Non ut iudex aequissimus
Poenis damnes ultricibus,
Sed ignosce reatibus
Et parce cruciatibus.

4. Iesu benignissime,
Redemptor clementissime,
Defunctis fidelibus
Sis mitis et propitius,

5. Quo tibi, regi gloriae,
Cum triumpho victoriae
In voce laudes consona
Iucunda dent praeconia.

Ad Laudes.

1. Splendor paternae gloriae,
In regnum tuum suscipe,
Quas pretioso sanguine
Dignatus es redimere.

2. Et per tuam clementiam
Da eis indulgentiam,
Ultrices poenas remove
Easque pie refove.

3. Pro illorum requie
Supplicamus, Domine,
Quibus donasti in te credere,
Ut digneris veniam dare.

4. Quae pro earum reatibus
Traditae sunt cruciatibus,
Iube liberari quantocius,
Ut tecum gaudeant plenius.

5. Sit, Christe, rex piissime,
Tibi cum patre gloria
Et spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Ad Primam.

1. Iam lucis atque gratiae
Largitor benignissime,
Qui es sanctorum gloria,
Laus, honor et laetitia,

2. Miserere gemituum
Fidelium spirituum,
Qui circumdantur tenebris,
Angustiantur miseriis.

3. In tuae lucis gratia
Percipiant solacia
Aeternae beatitudinis
Una cum lucis filiis.

4. O benedicta trinitas,
Tua praestet benignitas,
Ut omnes fideles animae
Aeterna fruantur requie.

Ad Tertiam.

1. Nunc veni, sancte spiritus,
Et adesto propitius
Omnibus fidelibus
In poenis exsistentibus.

2. Relaxans eis debita,
Ut non secundum merita
Poenis crucientur
Sed pie liberentur.

3. In tuo dulci nomine,
Precamur, paraclite,
Sit tua visitatio
Animarum salvatio.

Ad Sextam.

1. Rector potens viventium
Salusque morientium,
Defunctis fidelibus
Miserere propitius.

2. Qui tua sunt plasmatio,
Tua sint salvatio.
Pro quibus tuo proprio
Non pepercisti filio.

3. In eis reminiscere
Omnis misericordiae,
Ut tua dulci praesentia
Fruantur in laetitia.

Ad Nonam.

1. Rerum Deus omnium,
Qui es sanctorum gaudium,
Miserere, quaesumus,
Defunctis fidelibus.

2. Latroni per clementiam
Qui donas indulgentiam,
Dignare eis parcere
In tormentorum carcere.

3. Per matris tuae merita
A poenis eas libera,
Ut earum gaudium
Sis per omne saeculum.

Ad Vesperas.

1. Iesu, redemptor saeculi,
Verbum patris altissimi,
Lux lucis invisibilis,
Custos tuorum pervigil.

2. Tu fabricator omnium
Discretor atque temporum,
Fessas labore recipe
Tua pietate animas.

3. Quae reversum ab inferis
Laetis vidisti oculis,
Mater, dilectum filium,
Fac ipsis hunc propitium,

4. Hunc ut placatum cernere
Et ipso possint perfrui
In requie perpetua
Et sempiterna gloria.

5. Praestet illis hanc gratiam
Idem tuus filius,
Qui regnat in perpetuum
Cum patre et sancto spiritu.

Ad Completorium.

1. Christe, per tua vincula,
Crucem, mortem et vulnera
Succurre tuis famulis
Opem ferendo miseris.

2. Et hoc precamur supplices,
Ut eas ab hoste liberes,
Ne valeat torquere
Tuo redemptas sanguine.

3. Misericordissime Domine,
Ne patiaris eas perire,
Sed magis tuae creaturae
Succurre clementissime.

4. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Ut animis fidelium
Sis semper omne gaudium.

Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4428. saec. 15. A. — Orat. ms. Nicolai Muffel anni 1462. Cod. Sigmaringen. 23. B. — Cod. S. Floriani XI 122. saec. 16. C. — Cursus hinc inde collecti imp. Augustae 1487. D. — Ad Matut. 1, 4 Animarumque refrigerium D. — 5, 1 Ut tibi D. — Ad Laudes 1, 3 Animas quas pretioso ABCD. — 4, 2 Traditi CD. — 4, 4 Ut eas adurat ignis clementius C. — Ad Tert. 2, 1 Relaxa D. — 2, 4 pie fehlt C. — Ad Sext. 3, 3 tua dulcia D. — 3, 4 Perfruantur D. — Ad Nonam 1, 4 Defunctorum fidelium D. — 3, 3 eorum C. — Ad Vesp. die Hymnen ad Vesp. et Complet. vertauscht D. — 3, 1 Qui D. — 3, 2 Laetis videre oculis D. — 3, 3 Fecisti dilectum filium D. — 3, 4 Fac ipsis hoc D. — 4, 1 et placatum D. — 4, 2 Ut ipso D. — 5, 4 Tecum et spiritu paraclito D. — Ad Complet. 4, 4 Semper sis D.

II.

GLOSSEN-LIEDER.

---

82. Super Veni Creator.

1. Veni, divina caritas,
Veni, perfectum gaudium,
Veni, vera iucunditas,
Veni, solamen cordium,
Veni, perennis claritas,
Verae lucis da radium,
Doce nos vitae semitas,
Pie doctor credentium.

2. Creator mundi, Domine,
Intende precaminibus,
Cor mundum sine crimine
Crea in nobis omnibus,
Innovans in spiramine
Spiritum in visceribus,
Recti cuius regimine
Dirigamur operibus.

3. Spiritus, cuius opere
Virgo concepit filium,
Quem virgo novit parere
Novum mundo dans gaudium,
Tu digneris invisere
Pie corda fidelium,
Ut valeant concipere
Suae salutis gaudium.

4. Mentes velis visitare
Cuncta fugando vitia,
Eis velis inspirare
Casta semper consilia,
Quas digneris impraegnare
Tua divina gratia,
Ut et possint conservare
Iesum intra praecordia.

5. Tuorum sit intentio
Nutrire in visceribus
Iesum, cuius est mansio
Semper in mundis cordibus,
Qui mutuo colloquio
Laetatur cum hominibus,
Corda pascens se proprio
Pastus bonis operibus.

6. Visita esurientes,
Nos cibo vitae refice
In peccatoque languentes
Visita, summe medice,
Et in carcere lugentes
Consolando nos respice,
Utque tibi servientes
Simus, inde nos eice.

7. Imple vasa, quae modica
Totus mundus non satiat,
Corda namque famelica
Gravis cupido cruciat,
Sed si gratia caelica
Ad humanum cor veniat,
Non est in mundi fabrica
Aliquid, quod plus cupiat.

8. Superna abundantia
Cor humanum adimpletur,
Quod de mundi miseria
Vacuum semper videtur,
Ergo tua clementia
Haec ubertas nobis detur,
Ut cor concessa venia
A peccatis vacuetur.

9. Gratia, sancte spiritus,
Nutri nos tuos filios,
Tentationum strepitus
Aufer et hostes impios,
Absterge cordis gemitus,
Amove luctus anxios
Et sacramentis exitus
Nostros confirma dubios.

10. Quae fecisti te credere,
Instrue corda dulciter,
Da in fide proficere,
Erigere spem fortiter,
Fac perfecte diligere,
Quae amanda sunt firmiter,
Hunc trinum ut perficere
Circulum possit iugiter.

11. Tu benignus dispensator,
Dona nobis prudentiam,
Tu iustorum conservator,
Dona nobis iustitiam,
Da, virium roborator,
Fortitudinis gratiam
Tu virtutum modulator,
Da nobis temperantiam.

12. Creasti per prudentiam
Nos ornans re septemplici,
Nam animae substantiam
Decorasti in triplici
Corporisque materiam
Qualitate quadruplici,
Hinc tuam sanctam gratiam
Corde laudamus supplici.

13. Pectora nostra praepara
Ut vasa tuae gratiae,
Sonum ut reddant cithara
Tibi dulcis melodiae,
Corda nostra exhilara
Dono iugis laetitiae
Et angelis nos compara
In sancta caeli requie.

14. Qui in columbae specie
Descendisti in filium,
Tunc vox paternae gloriae
Sonuit testimonium,
Sic dono tuae gratiae
Baptismatis mysterium
Consecratur, ut hodie
Fiat salus credentium.

15. Paraclitus, consolare,
Quos baptismo regeneras,
Quos fecisti transmeare
Rubrum mare, non deseras,
Viam velis demonstrare
Nube et manna conferas,
In deserto si peccare
Contingat, iram tranferas.

16. Diceris et veraciter
Dux et doctor credentium,
Cum aquae Marath graviter
Laedunt ora bibentium,
Doces poni celeriter
Lignum crucis in medium,
Sic tribulati dulciter
Ferunt ictus laedentium.

17. Donum tu es, quo ditantur
Veri Israelitici,
Te ad montem praestolantur
Post esum agni typici,
Lege data gratulantur,
Sed murmurant haeretici
Sacramenta celebrantur,
Quae ministrant levitici.

18. Dei arca te continet
In sacratis visceribus,
Te mittit et te retinet
Infundendo te cordibus,
Qui arcae fide attinet,
Tuis gaudet muneribus,
Hoc donum supereminet
Cunctis mundanis opibus.

19. Altissmi prudentia
Tu es, qui regis populum,
Tuaque providentia
Factum est tabernaculum,
Quia sancta ecclesia,
Divinum habitaculum,
Tua crevit ex gratia
Plebique fit umbraculum.

20. Fons pulcher es et serenus,
De cuius claro fluvio
Fons exsurgit duodenus,
Apostolorum contio,
Fontem facit quisque plenus,
Fit fontis derivatio,
Locus tuus est amoenus
Virenti palmae folio.

21. Vivus viventem rivulum
Te ipsum soles mittere,
De petra Christo poculum
Solet istud procedere,
Contradicentem populum
Sic facit in se credere,
Cum per novum miraculum,
Qui sitit, potest bibere.

22. Ignis es indeficiens
Purgans ignem luxuriae,
Tu es ignis abiciens
Tenebras ignorantiae,
In linguis ignis veniens
Das linguas omnis patriae,
Dilectis tuis largiens
Omnis donum scientiae.

23. Caritas in essentia
Deitatis tu diceris,
Iungis in amicitia
Corda, quibus infunderis,
Roboras patientia
Hos, quibus te coniunxeris,
Bella vincunt hostilia
Virtute tui muneris.

24. Spiritalis es opere,
Qui soles de carnalibus
Spiritales efficere
Ita, quod spretis omnibus
Desertum hoc transcurrere
Sciant, cordis affectibus
Solam valentes quaerere
Terram promissam patribus.

25. Unctio doces omnia,
Tu namque viros simplices
Tanta reples scientia,
Quod reges et pontifices
Facti fantur magnalia,
Plebes regunt multiplices,
Unge nos tua gratia,
Ut regas et sanctifices.

26. Tu, veritatis spiritus,
Quem pater nati nomine
Ad suos misit caelitus
Illustrans novo lumine,
Roborans eos penitus
Virili fortitudine,
Sic solati divinitus
Carent mortis formidine.

27. Septiformis per effectum,
Uniformis essentia,
Timore purgans affectum,
Sicque recedunt vitia,
Clarum donans intellectum,
Decorans sapientia
Hominem ditans dilectum
Pietatate, scientia

28. Munere hoc septemplici
Floruit Iesse virgula,
Cum carnem nati unici
Peperit sine macula,
Super quam nutu simplici
Requiescis per saecula,
Qui te turbae multiplici
Tuaque das munuscula.

29. Dextrae Dei potentia
Tu es virtutem faciens,
Tu artifex, qui omnia
Facis cuncta prospiciens,
Orbem terrarum gratia
Replevisti te largiens,
Vocis clares scientia
Per clarum sonum veniens.

30. Tu digitus es modicus
Surdas aures aperiens,
Ocularis clarificus
Caecos videre faciens,
Tu digitus es medicus
Daemonia eiciens,
Tu es iudex salvificus,
Pollex promissa largiens.

31. Tu spiritus, qui suggeris,
Quaecunque Christus dixerat,
Parabolas tu aperis,
Per quas ipse docuerat,
Ollae farinae mitteris,
In qua prius mors fuerat,
Amari cibus oleris
Per te dulcorem generat.

32. Rite dona praedicari
Tua doces hominibus,
Quorum ritus est piscari
Nunc derelictis retibus,
Gentem quaerunt inhamari
Non hamo, sed sermonibus,
Ut possit incorporari
Iesu Christi visceribus.

33. Promissum es antiquitus
Ioelis testimonio,
Redderis, sancte spiritus,
Apostolorum medio,
Cum repente fit sonitus,
Fit grandis admiratio,
Filiis datur caelitus
Prophetica locutio.

34. Patris spiritus loqueris
In filiis credentibus,
Filium Dei asseris
Regnare in caelestibus,
Cuius spiritus diceris
Datus sanctis hominibus,
Ut de fide, quam suggeris,
Sint testes coram regibus.

35. Sermone tuo inclito
Claret donum scientiae,
Tuis infuso subito
Munere tuae gratiae,
More fantur insolito,
Linguae nascuntur variae,
Verbo fidei credito
Conversis dantur veniae.

36. Ditans es veris opibus
Eos, qui cuncta liquerant,
Sic ditati virtutibus
Filios Deo generant,
Ut thesauros hominibus
Tuos caelestes conferant,
In cunctis mundi partibus
Praedicare accelerant.

37. Guttura nostra caelico
Vino refice dulciter,
Ore namque famelico
Exspectamus te pariter,
Vero pane angelico
Pasce corda feliciter,
In coetu apostolico
Coniunge nos finaliter.

38. Accende ignem calidum,
Calefac corda frigida,
Humorem sicca fluidum,
Roreque fluat arida,
Ut statum carnis floridum
Terat mens nostra provida,
Sanet, quidquid est languidum,
Ex aqua fletus limpida.

39. Lumen solis in domibus
Nostris velis immittere,
Veram fidem in cordibus
Tu digneris infundere,
Ut fenestris patentibus
Clarae domus lucescere
Possint proximis omnibus
Et exemplo proficere.

40. Sensibus da corporeis,
Ut nil praeter te sentiant,
Te in locis sidereis
Visus semper aspiciant,
In scriptis nostris aureis
Aures nostrae te audiant,
Factus, gustus ex carneis
Olfactis non inficiant.

41. Infunde nobis oleum,
Ne vendamur pro debitis,
Magnum confer vas aureum
Vacuatis illicitis,
Ut cor nostrum sit carneum
Refulgens bonis meritis,
Quod ditet donum melleum
Ex virtutibus inclitis.

42. Amorem tuum crescere
Facias in nos iugiter
Et proximos adiungere
In amore fac pariter,
Hoc oleum deficere
Non possit, sed humiliter
Facias vasa tendere,
Ut plena sint feliciter.

43. Cordibus dona gratiam,
Ut appetant humilia,
Omnem dele nequitiam,
Nec amando superbia
Odium et invidiam
Generet castrimargia,
Non nutriant luxuriam
Neque torpens acedia.

44. Infirma sana, medice,
Et medere languoribus,
Famem sitimque refice,
Umbra sis in caloribus,
Cor tepidum non proice,
Sed igni tuis ignibus,
Ad hoc venisti publice,
Ut sis sanitas omnibus.

45. Nostri corporis pondera
Alleva et molestiam,
Cuncta dimitte scelera,
Ne ad primam materiam
Revertens caro misera
Animae poenam nimiam
Donet, sed die supera
Ambo surgant ad gloriam.

46. Virtute continentiae
Robur immitte renibus,
Virtute abstinentiae
Sanitatem da cordibus,
Da medelam laetitiae
Siccatis nostris ossibus,
Et mundanae divitiae
Non obsint cordis visibus.

47. Firmans, quod est instabile,
Cadenti fer auxilium,
Sustenta, quod est debile,
Estoque robur virium,
Da cor forte et nobile
Ad devincendum proelium,
Quod movet detestabile
Contra tuos daemonium.

48. Perpeti dono gratiae
In praesenti nos satia,
Civibus tuae patriae
Post mortem nos associa,
Ubi verae divitiae
Vera cordi dant gaudia,
Et revelata facie
Te cernamus in patria.

49. Hostem refrena proximum,
Ne veneno inficiat,
Caro bellum nequissimum
Movens spiritum cruciat,
Periculum hinc maximum,
Cum caro plus hunc satiat,
Ne potum mortis pessimum
Ille per illam capiat.

50. Repellas mundum eminus,
Qui nos cupit decipere,
Dicit, non esse facinus
Res caducas diligere,
Quod, qui facit, multominus
Constat in te proficere,
Qui vere dulcis Dominus
Nescis tuis deficere.

51. Longius fac daemonia,
Quae per tela nequitiae
Diversa movent proelia,
Flant ventum cenodoxiae,
Inflammant in nos odia,
Iactant semen discordiae,
Quod vincunt amicitia
Et virtus patientiae.

52. Pacem, qua nihil melius,
Velis nobis tribuere,
Quam dixit Dei filius
Per te nobis transmittere,
Nec hostis hamo amplius
Possit in nos insurgere,
Sed in te cor humilius
Omnes possit diligere.

53. Dones te nobis, petimus,
Et vere nobis sufficit,
Non sicut mundus pessimus,
Qui se donando deficit,
Tu spiritus dulcissimus,
Cuius sic dulcor allicit,
Quod pro te bonus animus
Cuncta mundana despicit.

54. Protinus nos pacificet
Tuae pacis dilectio,
In vita nos iustificet
Peccatorum remissio,
Veram fidem vivificet
Fidelis operatio,
Nos post mortem glorificet
Tua perennis visio.

55. Ductore tuto gaudeat
Cor nostrum in itinere,
Oculos ad te habeat
Nolens retro respicere,
Ad relicta non redeat,
Sed intendat proficere,
Diem labore compleat,
Us quiescat in vespere.

56. Sic dietam adimplere
Fac fideles fideliter,
Aratrum manu tenere
Operando viriliter,
Tibi semper adhaerere,
Diligendo te firmiter,
Ut praemium te habere
Valeamus feliciter.

57. Te praevio, te comite
Te sequentes dirigimur,
Si cessemus a limite
Tuo, ad ima trahimur,
Pulchrae tuae sunt semitae,
Per quas ad alta gradimur,
Cum Christo, nostro capite,
Corporis membra iungimur.

58. Vitemus offendicula,
Ne faciant nos cadere
Et hostium tendicula,
Qui cupiunt nos capere,
Fugiamus umbracula,
Ubi latitant viperae
Et venenata pocula
Non appetamus bibere.

59. Omne, quod est contrarium,
Averte, sancte spiritus,
Intra cordis hospitium
Et illustra divinitus,
Sensuum claude ostium,
Ne vitiis sit aditus,
Sis animae refugium
In die sui exitus.

60. Noxium ab itinere
Tolle, ne nos impediat,
Scandalum doce fugere,
Ne peccare nos faciat,
Fac secure incedere,
Ut anima perveniat
Ad te et post de pulvere
Corpus laeta recipiat.

61. Per te, doctor veritatis,
Noscatur cordis oculo
Clarum lumen trinitatis
Unitatis in vinculo,
Quod nos solvat a peccatis,
Ut in futuro saeculo
Naturam divinitatis
Cernamus sine speculo.

62. Sciamus ad imaginem
Dei Deum cognoscere,
Nam ad similitudinem
Suam voluit facere
Primum et omnem hominem
Dans animam, discernere
Ut divinam dulcedinem
Sciat, velit appetere.

63. Da nobis vere credere,
Confiteri humiliter,
Mel inventum comedere,
Quod sufficit non aliter,
Ne mens velit plus sapere,
Quam oportet, sed taliter
Sobrie intellegere,
Ut salva sit perenniter.

64. Patrem revelet filius,
Quem dignatus est mittere,
Parvulis hic inferius
Se volens notum facere,
Et te fecit posterius
De supernis descendere,
Ut reveles apertius,
Quod verum coepit dicere.

65. Noscamus Dei filium
Conceptum de te spiritu
Intra virginis gremium
Sine virili coitu,
Qui clausum ventris ostium
Suo servans in exitu
Natus est salus omnium
Indutus carnis habitu.

66. Atque infirma hominum
In carne passus tenera,
Nunquam tamen peccaminum
Mala passus est viscera,
Sed elegisse Dominum
Mundi credamus aspera,
Ut ipse expers criminum
Cuncta deleret scelera.

67. Filium unigenitum,
Natum de sancta virgine,
Falsis Iudaeis traditum,
Crucifixum pro homine,
Qui post corporis obitum
Resurrexit in lumine,
Per cultum ei debitum
Adoremus in numine.

68. Te cum patre et filio
Unum Deum simpliciter
Dicit nostra confessio,
Corde tenens hoc firmiter,
Sed inter tres distinctio
Est tantum personaliter,
Unus differt ab alio,
Unum substantialiter.

69. Utriusque tu caritas
Utrumque soles iungere,
Utriusque parilitas
Gradus novit excludere,
Sola Christi humanitas
Minorem se vult reddere,
Cuius aequa divinitas
Aequalem cogit credere.

70. Spiritum pari latria
Patris natique dicimus,
Te Deum, cuius gratia
Renati fide vivimus,
Saluti necessaria
Te donante percipimus,
Cum te nos in ecclesia
Adorantes requirimus.

71. Credamus Deum omnium,
Genitorem in genito,
Esse in patre filium
Tecum sancto paraclito,
Istud summum principium
Cultu laudemus debito,
Rogantes, ut sit praemium
Datum fidei merito.

72. Omni die, omne hora
Auge fidem in cordibus,
Fides nostra sine mora
Vigeat bonis actibus,
Et te in voce canora
Resonent ora laudibus,
Confessio sit decora
Tuis placens aspectibus.

73. Tempore isto frigido
Fides gelu non sentiat,
Quam semper actu valido
Caritas calefaciat,
Sub sole tuo calido
Fidem semper sic nutriat,
Ut in tempore placido
In centuplum recipiat.

74. Sit divina essentia
Benedicta in saeculis,
Quae nutu creans omnia
Declaravit miraculis,
Sua mira magnalia,
Quae nunc videmus oculis,
Ut eiusdem potentia
Praedicetur in populis.

75. Laus, honor, benedictio
Sit trinitati unicae,
Quae miro artificio
Formavit nos vivifice,
Ipsam nostra devotio
Laudat palam et publice,
Ut nos suo palatio
Recipiat glorifice.

76. Patri, qui verbum genuit,
Exhibeatur latria,
Christo, qui nasci voluit,
Cum hoc detur et dulia,
Studio, quo nos docuit,
Sint latriae praeconia,
Deo, qui cuncta tribuit,
Uni sit uni gloria.

77. Cum filio sit genitor
Laudandus atque spiritus,
Qui mundi huius conditor
Non debet dici conditus,
Sed quia vitae perditor
Morti dederat aditus,
Missus est vitae redditor
A patre semper genitus.

78. Sancto detur spiritui
Laus devota cum carmine,
Qui nostro semper coetui
Assistat cum spiramine,
Docens vacare fletui,
Ut sic abiecto crimine,
Nostro det intellectui
Gaudium cum solamine.

79. Simul laudanda trinitas
Sit ex ore credentium,
Et quia trium unitas,
Sit una vox laudantium,
Simul nostra communitas
Continuet praeconium,
Ut angelorum dignitas
Nostrum fiat consortium.

80. Paraclito solacium
Danti reddamus gratias,
Qui per doctrinae radium
Illustravit ecclesias,
Per veniae remedium
Mundavit conscientias,
Per fidei consortium
Plebes nutrivit maximas.

81. Nobisque sic laudantibus
Sit lux divinae gratiae,
Dat pater se petentibus
De pane eucharistiae,
Christus redemptis omnibus
Sit via suae patriae
Nobisque se sequentibus
Det bona suae gloriae.

82. Mittat veniens pariter
Spiritum nec nos deserat,
Sed sit nobiscum iugiter,
Sicut dudum promiserat,
Ut socius veraciter
Malum a nobis transferat
Et in fine feliciter
Nos caelo secum deferat.

83. Filius, qui ecclesiam
Suo redemit sanguine,
Nostri carnis substantiam
Vexit in caeli culmine,
Ut regni sui gloriam
Praepararet pro homine,
Spiritus sancti gratiam
Mittat in patris nomine.

84. Charisma gratis tribuat
Pretium non habentibus,
Veras opes non renuat
Dare veris pauperibus,
Gaudium lucis influat
In tenebris lugentibus,
Nos confitentes abluat
A peccatorum sordibus.

85. Sancti flatus divinitus
Insufflet inspiratio,
Ut in Deo sit penitus
Devota cogitatio,
Si in terris humanitus
Sit carnis habitatio,
Nostri tamen sit spiritus
In caelis commoratio.

86. Spiritus sancti gratia
Nos replens suo munere
Carnem atque daemonia
Fortiter donet vincere
Et de mundi miseria
Triumphando recedere,
Ut in caelesti gloria
Semper possimus vivere.

87. Amen dicas, exercitus
Sanctorum, voce publica,
Fiat scribat ingenitus
Pater ex manu deica,
Hoc donet unigenitus
Voluntate mirifica,
Concedat sanctus spiritus
Dans nobis regna caelica.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1444 saec. 15. A. — Orat ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. 4° 29. B. — 2, 5 in fehlt B. — 4, 2 fugans A. — 5, 7 Corde B. — 7, 8 cupiat A. — 10, 7 Hoc trinium (l: trivium?) A. — 19, 3 que fehlt B. — 20, 1 es pulcher B. — 22, 5 igneis B. — 23, 1 in scientia B. — 25, 1 docens B. — 25, 3 replens B. — 26, 1 caritatis B. — 30, 6 eticiens B. — 32, 1 Rite novo A. — 32, 2 Tuo A. — 33, 3 sanctus B. — 34, 1 spiritum B. — 38, 1 lumen fervidum B. — 38, 4 Rosaque fluat A; Rigans ad florem arida B. — 41, 2 veredamur B. — 43, 8 Neque corporis B. — 48, 6 corda B. — 52, 8 posset B. — 64, 1 revolet B. — 64, 3 Parvulus B. — 64, 7 revoles B. — 79, 3 trina B. — 79, 6 Concinat B. — 79, 8 sit B. — 87, 5 donat B. — A hat die Bemerkung: Scriptum in Claravalle anno 1464 die 26. mensis Februarii.

83. Super Veni Creator.

1. Veni creator spiritus,
   Et in me robur insere,
   Robur, quo possim penitus
   Mala, quae gessi, lucre
   Et amodo sic vivere
   Ne sim peccato perditus,
   Peccavi quasi licitus
   Et diu vixi temere,
   Me servum tuum visere,
   Veni, creator spiritus.

2. Qui paraclitus diceris,
   Qui pietate solita
   Confers salutem miseris
   Et iustis reddis merita
   Fac de me sibi placita,
   Pereo, ni subveneris,
   Me perdit luxus Veneris
   Et cogit ad illicita,
   Me protege, me visita,
   Qui paraclitus diceris.

3. Tu septiformis munere,
   Dextrae Dei tu digitus,
   Tu, qui nunquam deserere
   Servos tuos es solitus,
   Intende mihi prospere,
   Noli me derelinquere,
   Sed refove me caelitus,
   Dextrae Dei tu digitus,
   Tu septiformis munere.

4. Accende lumen sensibus
   Meis miccricorditer,
   A peccatorum sordibus
   Immundum munda taliter,
   Ut anima perrenniter
   Servetur a nocentibus,
   A malis imminentibus,
   A morte specialiter,
   Sic, ut vivam feliciter,
   Accende lumen sensibus.

5. Hostem repellas longius,
   Propagatorem sceleris,
   Hostem, qui piis impius
   Torquebit, quem tu deseris,
   Hostem humani generis,
   Quem stravit Dei filius,
   Hostem, qui semper noxius,
   Hostem, qui plus prae ceteris
   Solet nocere miseris,
   Hostem repellas longius.

6. Da gaudiorum praemia,
   Merendo mi succurrere,
   Ut post vivam in patria,
   Haec possim comprehendere,
   Da mihi culpas plangere,
   Ut gaudeam in gloria
   Apparens in iustitia
   Fac nostrae matris liberae
   Civem me tuo munere,
   Da gaudiorum praemia.

7. Per te sciam ingenitum
   Patrem cum nato colere,
   Te utriusque spiritum,
   Per te possim diligere,
   Per te possim acquirere
   Caelestis regni aditum,
   Te spiritum paraclitum
   Et natum volo colere,
   Esse simul et vivere,
   Per te sciam ingenitum.

8. Sit laus patri cum filio,
Sit honor sancto flamini,
Trinitatis confessio
Firmam spem firmet homini,
Uni trinoque nomini
Semper sit dominatio,
Salus et benedictio
Perenni datur agmini,
Sit honor sancto flamini
Sit laus patri cum filio.

Clm. Monacen. (ol. Pollingen). 11325 (Deckblatt). saec. 11/12. A. — Orat. ms. Caelestin. saec. 15. Cod. Parisin. 18571. B. — 1, 3 Robur fehlt A. — 1, 6 peccator A. — 2, 3 Salutem confers B. — 2, 7 fehlt B. — 3, 2 Tu dextrae Dei A. — 3, 6 prospere mihi A. — 3, 8 me refove A. — 3, 9 fehlt A. — 4, 3 peccatorum nexibus A. — 4, 9 Et ut vivam B. — 5, 2 sceleris fehlt A. — 5, 3 quem pius impius A. — 5, 4 quem non deseris A, Torquebitur cum miseris B. — 5, 7 fehlt A. — 5, 8 Gaudet nocere ceteris B. — 5, 9 Hostem saevum prae ceteris B. — Str. 6 fehlt B. — 6, 2 Merendo mihi succurrere A. — 7, 4 possim fehlt A. — 7, 10 Per te sciamus da patrem A. — Str. 8 fehlt A. — 8, 10 Sit lux patri. — Str. 1 und 8 dieses Liedes schon Anal. XXI, 56. Aus dem Vorkommen derselben im s. g. Cantionale Peter's von Medici, geht hervor, dafs das Lied eher eine Cantio denn ein Reimgebet war. Weil es aber dort unvollständig, mag es hier unter den Glossenliedern in vollständiger Gestalt eine Stelle finden.

84. Super Ave Maria.

1. Ave, ancilla Domini tu humillima,
Laude felix virgo devotissima.
2. Maria, stella ducens nos ad caelestia,
Ubi sonant angelorum cantica.
3. Gratia, quae per Evam fuit perturbata,
Per te nobis est reconciliata.
4. Plena omnipotentis Dei caritate
Pro immaculata virginitate.
5. Dominus tamquam sponsus de caelo veniens,
Te humilem ancillam respiciens.
6. Tecum verbum caro factum est Christus natus,
Tollens peccata nostra nobis datus.
7. Benedicta tu ab angelo salutata,
In verbo Domini sanctificata.
8. In mulieribus mater glorificata,
Semper manens virgo inviolata.
9. Et benedictus, qui in nomine Domini
Venit, Christus, filius Dei vivi,
10. Fructus de radice Iesse flore virtutis
Et germinans salvatorem salutis,
11. Ventris tui, qui fuit, mansit virginalis,
Locus sanctissimus dominicalis.
12. Trinitati et unitati sit gloria,
De laude pia nunc gaude, Maria.

13. Tu tamen fac nobis in caelis sit solamen,
Tibi congaudentes, dicentes: Amen.

Miss. ms. Hildesheimense saec. 13. Cod. Capit. Treviren. 153. add. saec. 14. mit Melodie (einer für alle Strophen) und der Aufschrift: Hymnus de beata Maria Virgine."

85. Super Ave Maria.

1. Ave, candens absque vae,
Rosa puritatis,
Fons totius veniae,
Ortus pietatis,
Eva mutans in Ave,
Rubus castitatis
Ardens, paris mystice
Florem deitatis.

2. Maria errantium
Ductrix, maris stella,
Portus naufragantium
Mundi in procella,
Virtus aegrotantium,
Natum interpella,
Dira adversantium
Ne nos laedant bella.

3. Gratia tu caelica
Tota irrigaris,
Voce dum angelica
Digne salutaris,
Lex fert evangelica
Te ignaram paris,
Corda ut famelica
Pascas, coronaris.

4. Plena beneficio
Gratiae fulsisti,
Naturae condicio
Negat, concepisti
Omni carens vitio,
Deum genuisti,
Post ut ab initio
Virgo permansisti.

5. Dominus mirifice
Pater operatur,
Virginis deifice
Vellus fecundatur,
Spiritu artifice
Verbum humanatur,
Humana mirifice
Ratio miratur.

6. Tecum patriarchica
Laus et prophetalis,
Fides apostolica
Mors martyrizalis,
Virtus confessorica,
Decus virginalis,
In te lucet caelica
Dignitas totalis.

7. Tecum confidentia
Abrahae probata,
Tecum innocentia
David miserata,
Tecum sapientia
Salomonis grata,
Tecum patientia
Iob est commendata.

8. Benedicta filia
Stirpe regis nata,
Tu levas humilia,
Premis exaltata,
Christo reconcilia
Nos, ut perpetrata
Per tua auxilia
Tergat scelerata.

9. Tu in mulieribus
Hesther figurata,
De cuius muneribus
Gens est liberata
Ac manus operibus
Virtus potentata,
Capitis vulneribus
Holofernis stata.

10. Et benedictus gloriae
Rex, qui cuncta regit,
Ut firmant historiae,
Mundo te elegit,
Digna es memoriae,
Mortem per te fregit
Christus, dux victoriae,
Daemonem subegit.

11. Fructus ex te prodiit
Ut flos ex virgulta,
Terra fructum protulit
Virens sed inculta,
Qui fideles reficit
Spe salutis multa,
A qua errans deficit
Gens Iudaea stulta.

12. Ventris habitaculum
Tui adornatum
Dei fit cenaculum
Mire deauratum,
Primae sic piaculum
Feminae curatum
Et antiqui iaculum
Hostis est signatum.

13. Tui nati gratia
Nobis sit tutamen,
Ne pro contumacia
Premat nos examen,
Sed post vitae spatia
Pater det et flamen
Caeli ad palatia
Nos transire. Amen.

Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II.

86. Super Ave Maria.

1. Ave, Dei genetrix,
gemma pretiosa,
Maria, mater gratiae,
stirpe generosa.

2. Gratia te voluit,
sancta, fecundare,
Plena ut sic valeas
Christum baiulare.

3. Dominus habitaculum,
cum vellet incarnari,
Tecum per archangelum
iussit praeparari.

4. Benedicta viscera
sunt tua, pia virgo,
Tu lac tuis uberibus
praebuisti Christo.

5. In mulieribus
es sola praeelecta
Et sacro spiramine
totaque contecta.

6. Benedictus filius,
quem casta concepisti,
Fructus est dulcissimus,
quem mundo protulisti.

7. Ventris porta clausa est,
numquam fit aperta,
Tui, mater virgo, quae
perseveras certa.

8. Infinita crimina,
quibus te offendi
Et tuum carum filium,
dele ac paenitendi

9. Impetra mihi spatium,
ut iuste vivendo
Aeternam vitam merear
vultum Christi cernendo.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

87. Super Ave Maria.

1. Ave, Dei genetrix,
pia consolatrix,
Desolatum refove,
gemma confortatrix,
Deviatum revia,
stella gubernatrix,
Cor meum lactifica,
gaudii donatrix.

2. Maria, te invoco,
ut me consoleris,
In hoc mundo fluctuo,
pro peccatis pleris,
Nisi mei miseris
cito recorderis,
Ut lucifer corruam
in tenebris feris.

3. Gratia novae legis
per te inchoavit,
Dum virtus altissimi
in te obumbravit,
Ipsa me consoletur,
quae Deum portavit,
Spoliavit inferos
et caelos ditavit.

4. Plena es et redundans
cunctis virtutibus,
Sicut porcus dormio
in meis faecibus,
Excita me, domina,
a somnis talibus,
Ut vacare valeam
in tuis laudibus.

5. Dominus a me fugit
ob mea peccata,
Sed tu ipsum revoca,
mea advocata,
Alleva gravamina
per malos illata,
Et tua intercessio
erit mihi grata.

6. Tecum non habebitur
aliqua quaestio,
Ubi allegabitur
filii passio
Et dirae passionis
matris compassio,
Tunc tempore cessabit
omnis obiectio.

7. Benedicta benedic
mihi peccatori,
Parce, mea domina,
mihi transgressori,
Actus meos dirige
meo creatori,
Ut ad ipsum redeam,
quando vadam mori.

8. Tu in necessariis
esto refugium,
In meis angustiis
firmum praesidium,
In meis tristitiis
merum solacium,
In meis miseriis
verum subsidium.

9. In mea morte meam
animam respice
Et de manu daemonum
potenter eripe,
Et sancto Michaeli
instanter praecipe,
Ut ipsam collocet
cum suo principe.

10. Mulieribus cunctis
atque hominibus,
Tam vivis quam defunctis
meis parentibus
Tribue solacium
de caeli sedibus,
Ut regnare valeant
cum sanctis omnibus.

11. Et cunctis christianis
idem solacium
Praebe, Dei genetrix,
ob Christi praemium,
Omnes te invocamus
in adiutorium,
Ut per te habeamus
aeternum gaudium.

12. Benedictus Dominus
semper timebitur,
Dum tuba resonabit,
mundus tremebitur,
Quid faciam, quando vix
iustus [salvabitur]?
Ex nunc ad te fugio,
ad quam refugitur.

13. Fructus tuus, domina,
fructus est caelicus,
De quo semper fruitur
chorus angelicus,
Ipsum mihi praebeat
supernus medicus,
Ut in fine mihi sit
cibus salvificus.

14. Ventris tui thalamus
est habitaculum,
In quo Dei filius
sumpsit corpusculum,
In quo pax iustitiae
contulit osculum,
Ipsum mihi praebeat,
qui fecit saeculum.

15. Tui nati vulnera
fluxerunt sanguine,
De quo Dei filius
redemit hominem,
Ipse a me auferat
omnem rubiginem,
Ut videre valeam
eius imaginem.

16. Amen cantet dulciter
chorus angelorum,
Cum communi iubilo
omnium sanctorum,
Huic Mariae supplici
et Deo deorum,
Ut in fine nobis dent
gaudia caelorum.

Orat. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 333. — 2, 4 spleris. — 2, 6 scito. — 5, 1 ad me fuit. — 5, 5 Allega. — 14, 6 obsculum. — 16, 7 dant.

88. Super Ave Maria.

1. Ave, desiderii
Flos et fons decoris,
Hortus refrigerii
Suavitas odoris,
Victrix improperii,
Speculum honoris,
Filia imperii
Parens conditoris.

2. Maria ut lilium
Florens inter spinas,
Mentibus humilium
Praebens medicinas,
Confer hic auxilium
Inter tot ruinas,
Placa nobis filium,
Aufer irae minas.

3. Gratia tu caelica
Plene irroraris,
Dum voce angelica
Pie salutaris,
Quem lex evangelica
Praedicat, tu paris
Quae, ut gens famelica
Pascatur, curaris.

4. Plena ab initio
Gratia fuisti,
Carens omni vitio
Iesum concepisti,
Quae sine supplicio
Laeta peperisti,
Cuius beneficio
Virgo permansisti.

5. Dominus, rex gloriae,
Qui creata regit,
Ut narrant historiae,
Matrem te elegit,
Dulcis es memoriae,
Per quam hostes fregit
Iesus, dux victoriae,
Quique mala tegit.

6. Tecum specialiter
Decus angelorum,
Tecum corporaliter
Salus peccatorum,
Tecum aeternaliter
Iesus, dux iustorum,
Tecum est finaliter
Merces saeculorum.

7. Benedicta filia,
David stirpe nata,
Secundum utilia
Moysis mandata
Libans volatilia
Pro eodem grata,
Qui levat humilia
Premens exaltata.

8. Tu in mulieribus
Virgo singularis,
Vinum das pauperibus
Mutans aquas maris,
Opprimi sceleribus
Ne nos patiaris,
Sed bonis operibus
Frui largiaris.

9. Et benedictus igitur
Corpus suum dedit
His, a quis diligitur,
Dum in cena sedit,
Te vidente figitur
Cruci, sic obedit,
Ac prae te erigitur,
Dum ad patrem redit.

10. Fructus indeficiens,
Sanitas languentum,
Est Iesus eiciens
Cordis nocumentum.
Qui cunctis sufficiens
Nescit detrimentum,
Nos per te reficiens
Vitae dans frumentum.

11. Ventris secretarium
Tui, virgo pia,
Dei est sacrarium,
Cuius nos in via
Omne necessarium
Sortimur, Maria,
Per te donum varium
Nobis detur pia.

12. Tui nati gratia
Fundimus precamen,
Ut vivendi spatia
Donans adiuvamen,
Ne pro contumacia
Puniat reamen,
Servos ad palatia
Caeli ducat. Amen.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. A — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. B. — Cod. S. Floriani XI 196. saec. 16. C. — Orat. ms. Caelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. D. — Cod. Beverin. 629. saec. 15. E.

1, 5 Fructus puerperii A. — 2, 3 debilium BCE. — 2, 5 Confer his A. — 3, 2 virgo nuncuparis A; plena BC. — 3, 5 Ut lex BC, Te lex E. — 3, 6 fert ignara maris BC; scit ignaram paris E. — 3, 7 mans famelica E; Regem nobis gloriae BC. — 3, 8 Pascatur, consequaris E; Illibata paris BC. — 4, 3 Carens omni E. — 4, 5 sq. fehlen C. — 4, 5 Hunc sine BC. — 5, 5 O felix memoriae BC; O dulcis memoriae E. — 5, 6 hostem BC. — 5, 7 Christus dux E. — 5, 8 Quia mala E. — 6, 3 aeternaliter BC. — 6, 5 Tecum finaliter BC; est finaliter E. — 6, 6 spes iustorum E. — 6, 7 est aeternaliter E, et perenniter BC. — 6, 8 Merces est sanctorum B, iustorum C; Est merces sanctorum E. — 7, 2 Stirpe David E. — 7, 5 Offers volatilia E. — 7, 6 Pro eo Deo grata A. — 7, 7 elevans BC. — 7, 8 Premit C, Premet B. — 8, 2 Mater E. — 8, 3 da CE. — 8, 6 Haud nos E. — 8, 8 Nos frui deprecaris A; Uti largiaris C. — 9, 1 Et fehlt CE. — 9, 3 Isaac diligitur BC. — 9, 5 cernente A. — 9, 7 per se A, pro te B. — 9, 8 Et ad patrem E. — 10, 2 Suavitas BC. — 10, 3 Iesus ei sitiens A. — 10, 4 Orbis nocumentum E. — 10, 5 sq. und 7, sq. umgestellt BE. — 10, 8 da E. — 10, 5—8 lauten in C:

Est cordis dulcedo Iesus Christus
Et dulcoramentum,
Me per te reficiens
Dat vitae frumentum.

11, 2 mater pia E. — 11, 3 Est Iesu sacrarium BC; Verum fit sacrarium E. — 11, 4 Hospite Messia BC. — 11, 5 Fitque (Fit es E) thesaurarium BCE. — 11, 6 De quo nos in via BCE. — 11, 7 Omne necessarium BCE. — 11, 8 Sortimur, Maria BCE. — 12, 3 Concedendo spatia BC; Des emendae spatia E. — 12, 4 Donas A; Dona C; Fini dans iuvamen E. — 12, 6 examen BCE. — 12, 7 Sed me ad B; Sed nos ad E. — 12, 8 ducas E.

89. Super Ave Maria.

Ave ex patris omnipotentia,
Ave ex filii sapientia,
Ave ex spiritus sancti benignitate dulcissima.
Maria caelum et terram illuminans,
Gratia plena infundens omnes
Et replens te diligentes.
Dominus tecum, Dei patris unicus
Ac tui virginei cordis unigenitus,
Amicus et sponsus dulcissimus.
Benedicta tu in mulieribus,
Quae Evae fugasti maledictionem
Et aeternam impetrasti benedictionem,
Et benedictus fructus
Ventris tui, Iesus Christus,
Omnium creator ac Dominus,
Omnia benedicens et sanctificans,
Omnia vivificans et locupletans.
Fons signatus distillans oleum,
Para nobis cibum aethereum,
Pietatis et rorem melleum
Et emunda cor nostrum felleum.
Benedicta (tu) in mulieribus,
Quae de tuis castis visceribus,
Plena semper donis caelestibus,
Peperisti pacem hominibus.
Tu es civitas superni numinis,
Tuque claritas caelici luminis,
Tu es dignitas nostrae propaginis
Tuque pietas summae dulcedinis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vers 17 ff. scheinen einem anderen Rhythmus entlehnt.

90. Super Ave Maria.

1. Ave fuit prima salus,
Qua vincitur hostis malus,
Remordet culpa noxia
Quia nos. Ave Maria.

2. Maria, dum salutaris,
Ab angelo sic vocaris,
Nomen tuum daemonia
Repellit. Ave Maria.

3. Gratia sancti spiritus
Fecundavit te penitus,
Gratiarum nunc praemia
Da nobis. Ave Maria.

4. Plena tu es virtutibus
Prae cunctis caeli civibus,
Virtutes et auxilia
Praesta nunc. Ave Maria.

5. Dominus ab initio
Destinavit te filio,
Tu es mater et filia
Praefelix. Ave Maria.

6. Tecum laetantur angeli
Et exsultant archangeli,
Caeli caelorum curia,
O dulcis ave Maria.

7. Benedicta semper eris
In terris et in superis,
Tibi nullus in gloria
Compar est. Ave Maria.

8. Tu cum Deo coronaris
Et veniam servis paris,
Fac, nobis detur venia
Precibus. Ave Maria.

9. In gentes movent proelium
Caro, mundus, daemonium,
Sed defende nos, o pia,
O clemens. Ave Maria.

10. Mulieribus omnibus
Repleris summis opibus,
Reple nos tua gratia
Egentes. Ave Maria.

11. Et post partum velut prius
Virgo manens te filius
Descendit velut pluvia
In vellus. Ave Maria.

12. Benedictus sit filius
Adiutor et propitius,
Adiutrix et propitia
Sis nobis. Ave Maria.

13. Fructus tuus tam amavit,
Quod in te nos desponsavit,
Ut parentum opprobria
Deleres. Ave Maria.

14. Ventris claustrum baiulavit
Iesum, qui nos sorde lavit,
Nunc exores voce pia
Pro nobis. Ave Maria.

15. Tui viroris speculum
Clarificat hoc saeculum,
Vitiorum flagitia
Purga nos. Ave Maria.

16. Iesus, salvator, filius,
Perducat nos superius,
Ubi regnas in gloria
Meritis. Ave Maria.

17. Amen est finis salutis
Aperiens vocem mutis,
Aperi nobis, Maria,
Caeli portas ad gaudia.

Cod. Carolsruhan. s. n. anni 1440 [Mone II, 99] A. — Cod. saec. 15. Privatbesitz [Mone l. c.] B. — Str. 1 fehlt B. — 4, 1 Plena tue B. — 6, 1 laetentur A. — 6, 2 Te exsultant A; et exsultent B. — 7, 2 supernis B. — 9, 1 movetur B. — 10, 2 operibus B. — 10, 3 cum tua A. — 10, 4 Et gentes A. — 12, 1 sic B. — 13, 2 disponsavit A, dispensaris B. — 15, 1 Tui auroris A. — 16, 2 Perducas B. — 17, 2 voce B; mentis AB. — 17, 3 Opari B. — 17, 4 portas et gaudia B.

Mone bemerkt nach Ozanam, Italiens Franziskanerdichter (deutsch von Julius) S. 214: „Man hält Giacopone da Todi für den Verfasser dieses Liedes.“ Auch Chevalier's Repertorium nennt Iacopone schlankweg den Verfasser. Ich mufs diese Angaben dahingestellt sein lassen. Soviel aber liegt wohl auf der Hand, dafs der Dichter dieses Liedes und der des *Stabat mater* nicht ein und und dieselbe Person sein konnten. Wer Iacopone dieses zuschreibt, sollte ihm jenes absprechen. Dasselbe gilt von dem Liede *Cur mundus militat*.

91. Super Ave Maria.

1. Ave fuit salus laeta,
Qua fuisti virgo feta
Verbo patris potentia,
Audi nos. Ave Maria.

2. Maria genetrix Dei,
Per quam salvi fiunt rei,
Depelle cuncta vitia,
Munda nos. Ave Maria.

3. Gratia plena fuisti,
Per quam mundo subvenisti
Lapso, Evae miseria
Leva nos. Ave Maria.

4. Plena donis caelestibus,
Divinis charismatibus
Es in caelesti gloria,
Trahe nos. Ave Maria.

5. Dominus ab initio
Te elegit pro filio
Matrem, cuius es filia,
Iuva nos. Ave Maria.

6. Tecum exstitit in corde,
Praeservans ab omni sorde
Spiritus almi gratia,
Salva nos. Ave Maria.

7. Benedicta parens talis,
Quam culpa originalis
Neque concupiscentia
Foedavit. Ave Maria.

8. Tu, o bona mater Christi,
Subvenisti mundo tristi
Nati tui clementia,
Rege nos. Ave Maria.

9. In sidereis sedibus
Dominaris prae omnibus,
Terram regis et maria,
Deduc nos. Ave Maria.

10. Mulieribus omnibus
Atque cunctis hominibus
Per te praestetur venia,
Concede. Ave Maria.

11. Et angeli restaurantur
Per te atque reparantur
Ac tota caeli curia,
Erige. Ave Maria.

12. Benedictus tuus natus,
Nostros qui tulit reatus,
Nos regat pro te in via,
Ductrix sis. Ave Maria.

13. Fructus est delectabilis
Natis Evae amabilis,
Sanans morbos et vitia,
Largire. Ave Maria.

14. Ventris reclusus in domo
Pro nobis factus est homo
Revocans ad caelestia
Perditos. Ave Maria.

15. Tui filii pretio
Redempti a supplicio
Sumus gratis, mater pia,
Protege. Ave Maria.

16. Iesus, saeculi salvator,
Dei, nostrum mediator,
Sua misericordia
Salvet nos. Ave Maria.

17. Gloria tibi, Domine,
Cum nato, sancto flamine
Ac tibi, genetrix pia,
Suscipe. Ave Maria.

Cod. Parisin. 3639. saec. $^{15}/_{16}$. — 3, 2 surrexisti. — Dafs dies Lied Vor- oder Nachbild des vorhergehenden, wahrscheinlich letzteres, braucht kaum bemerkt zu werden.

92. Super Ave Maria.

1. Ave, fulgens maris stella,
Salve, Moysis fiscella,
Ave, virgo regia,
Maria, quae sine viro
Peperisti modo miro
Deum, per quem omnia.

2. Gratia tu singulari
Meruisti fecundari
Paritura puerum,
Plena tu virtutum rore,
Parientis sine more
Non dolebas uterum.

3. Dominus hominem sumens,
Deum verum non consumens
Incarnari voluit
Tecum et per te, natura
Ut mutaret sua iura,
Nasci de te voluit.

4. Benedicta virgo Christi,
Quae serpentis contrivisti
Caput veneniferum,
Tu mutasti nomen Evae
Et vindictam mortis saevae
Per verbum deiferum.

5. In conclavi sumis Ave.
Verbum bonum et suave,
Ave, plenum gratiae,
Mulieribus prae cunctis,
Vivis nempe vel defunctis
Inventrix es gratiae.

6. Et totius bonitatis
Fons es, de quo pietatis
Emanant deliciae,
Benedictus tuus fructus,
Qui delevit taetros luctus
Humanae miseriae.

7. Fructus tuus, o quam dulcis,
Quo nos refoves et fulcis
Contra carnis vitia,
Ventris tui fructum praesta
Iis, qui colunt tua festa
Alacri memoria.

8. Tui sumus, nos emenda,
Emendatos nos commenda
Iesu, tuo filio
Amen, amen ut cantemus,
Tecum simul ut regnemus
In caeli palatio.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$ A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — 2, 4 tu fehlt A. — 3, 1 assumens A.

93. Super Ave Maria.

1. Ave, in salutatione
Angeli feliciter
venerabilis,
Maria, in annuntiatione
Mundo desideranter
exspectabilis.

2. Gratia in spiritus sancti superventione
Deo specialiter
consecrabilis,
Plena in conceptione
Christi incomparabiliter
habitabilis.

3. Dominus in gratiarum actione
Ecclesiae moraliter
imitabilis,
Tecum in filii generatione
Mundo ineffabiliter
honorabilis.

4. Benedicta tu in pannorum involutione
Spiritualibus spiritualiter
agnoscibilis,
In mulieribus in filii lactatione
Carnalibus carnaliter
admirabilis.

5. Et benedictus in gregum locatione,
Omni creaturae humiliter
supplicabilis,
Fructus in filii nominatione
Supercaelestibus inaestimabiliter
comparabilis.

6. Ventris in proximi admonitione
Virgo virtutum
germinabilis,
Tui in assumptione
Super omnes caelos post filium
exaltabilis.

Orat. ms. Domus. Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2, 1 superventu spiritus sancti. — 2, 5 comparabiliter. — 2, 6 inhabitabilis. — 3, 4 generatione filii. — 5, 6 incomparabilis.

94. Super Ave Maria.

1. Ave, Iesse stirps regalis,
Castitatis lilium,
Maria, pontificalis
Trinitatis solium.

2. Gratia te triumphalis
Decet, plena luminum,
Dominus, ens aeternalis,
Tecum fuit hominum.

3. Benedicta tu, natalis
Solvens nexus criminum,
In mulieribus talis
Nulla, virgo virginum.

4. Et benedictus est talis
Fructus, numen numinum,
Ventris ante virginalis
Et post partus terminum.

5. Tui prece specialis
Det vitae remedium
Iesus nobis, flos vernalis,
Et caelorum gaudium.

6. Amen dicat clericalis
Sicque chorus ordinum,
Atque gens universalis
Benedicat Dominum.

Orat. ms. Thosanum saec 15. Cod. Bruxellen. 4948. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. B. — 2, 3 ens fehlt B. — est fehlt AB. — 4, 4 partum A. — 5, 3 flos virginalis A.

95. Super Ave Maria.

1. Ave, Iesse virgula,
Stella radiosa,
Rosa veris primula,
Tota liliosa,
Agno sine macula
Placens speciosa,
Lactis praebens pocula
Cunctis gratiosa.

2. Maria, spes hominis,
Latrix veri floris,
Virtus tibi numinis
Dat fructum dulcoris,
Claustrum tui virginis,
Zeta creatoris,
Viret vi spiraminis
Sine vae doloris.

3. Gratia gratissima
Mater genitoris,
Virgo praedulcissima,
Thalamus pudoris,
Sponsa venustissima,
Templum redemptoris,
Natum, clementissima,
Placa, stella maris.

4. Plena sancti spiritus,
Gabrielis ore
Concepisti caelitus
Absque carnis more,
Virgo velut primitus
Novo gaudens flore,
Pariens divinitus
Illaeso pudore.

5. Dominus rex nomine,
Eia, res miranda,
Homo fit pro homine,
Res summe laudanda,
Incarnatus flamine
Pro plebe salvanda
Nascitur de virgine
Digne veneranda.

6. Tecum tota trinitas
Fecit mansionem
Et perfecta caritas
Pegit unionem,
Claudis, Sion civitas,
Regem Salomonem,
Et tua virginitas
Vicit Pharaonem.

7. Benedicta filia
Regis angelorum,
Fragrans velut lilia,
Manna parvulorum,
Tua per auxilia
Ad regna polorum
Duc nos post exsilia,
Sola spes lapsorum.

8. Tu in mulieribus,
Virgo singularis,
Infinitis laudibus
Felix honoraris,
Tenebris sedentibus
Flagrans lux solaris,
Opem confer civibus,
Parens expers paris.

9. [Et benedictus] filius
Tuus, rex caelorum,
Frater noster socius,
Pater orphanorum,
Sol eclipsis nescius,
Panis angelorum,
Sit nobis propitius,
Salus perditorum.

10. Fructus delectabilis
Est de te productus,
Per quam Evae flebilis
Terminatur luctus,
Fit Deus placabilis,
Est serpens destructus,
Homo miserabilis
Ad vitam reductus.

11. [Ventris tui] cellulam
Rex sanctificavit,
In qua mansiunculam
Sibi adornavit
Non habentem maculam,
In te se locavit
Virginalem arculam
Et mundum salvavit.

12. [Amen] canit superis
Chorus angelorum,
Laus humani generis,
Lima confessorum,
Quae sedes a dexteris
Regis saeculorum,
Miserere miseris
Tu nutrix eorum.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. saec. 14. — 2, 5 tue. — 9, 7 Sit nobilis propitius. — 10, 6 derelictus.

96. Super Ave Maria.

1. Ave, iubar aethereum,
Lux rutilans in tenebris,
Ave, claustrum virgineum,
Honor decet te celebris
Iucundaque laudatio,
Quia fluis vitae flumen
In vitiis enecatis
Atque clarum reddis lumen
Animabus excaecatis,
Sol mundo nitet radio.

2. Maria, hoc nomen tuum
Nomen est admirabile,
Quo daemones posse suum
Sentiunt esse debile
Mortis confractis viribus,
Quia ipso invocato
A fideli fideliter
Cedunt tibi commendato
Daemonia celeriter,
Nocturna lux viantibus.

3. Gratia multa replentur
Recolentes te devote,
Et si malis detinentur,
Tu retrahis hos remote
Tyrannum trudens vinculo;
Quia ergo non repellis
A te quemque viventium,
Serva servum a procellis
Me tradere quaerentium
In mortem a discipulo.

4. Plena misericordia
Et magnis beneficiis,
Per te sumens remedia
Resultat terra gaudiis,
Arbor decora, fulgida;
Quia per te se salvari,
Virgo, mundus videt clare,
Te conatur venerari
Et te viam cogitare,
Mens iam resurgat torpida.

5. Dominus, rerum creator,
Qui formavit nos de limo,
Per te noster fit salvator
Factus homo ventris imo,
Natus ineffabiliter;
Quia culpa originis
Solvi solum sic poterat,
Ideo formam hominis
In te sumens, quam fecerat,
Poenas cucurrit fortiter.

6. Tecum autem humanitus
Inhabitans Deus unus,
Virginale divinitus
Conservavit tibi munus,
Beata mater munere;
Quia per te declaratur
Mirabile mysterium,
Omne genu nunc curvatur
Tibi, mater, ob filium
Iam lucis orto sidere.

7. Benedicta, benedicas
Tibi benedicentibus,
Mentes nostras fac pudicas
Pulsis malis spiritibus,
Absistat et vecordia;
Quia per te fidelibus
Benedixit iam creator,
Ab ipso tuis precibus
Benedictus sim peccator.
Perfusa caeli gratia.

8. Tu es tantae dignitatis,
Quod reperit nullus talem,
Vera mater veritatis,
Deum nobis dans sodalem
Per carnis contubernium;
Quia ergo, virgo pura,
Talis tantaque diceris,
Dei merito factura
Adorat te prae ceteris
Caelestium, terrestrium.

9. In me, mater, cotidie
Operare per gratiam,
Aperi venam veniae
Petenti indulgentiam
Ad laudem tui nominis;
Quia habes potestatem
Et ligandi et solvendi,
Propter tuam pietatem
Me mali plenum horrendi
Absolve nexu criminis.

10. Mulieribus honorem
Confers, gemma mulierum,
Vivendique novum morem
Et gaudium praebes verum,
Quod Eva tristis abstulit;
Quia in carne posita
Praeter carnem tunc vixisti,
Humilitati dedita,
Ex te nata caro Christi
Nos abluendo sustulit.

11. Et ideo in hoc mundo
Laudem cape principalem,
In alto et in profundo
Habens vim imperialem,
Versa vice mortalium;
Quia per omne saeculum
Sic mereris exaltari,
Virgo, tuum me famulum
Te laudare fac conari,
Infirma tu scis virium.

12. Benedictus sit genitus
Ventris tui generosi,
Per quem nobis introitus
Regni patet gloriosi,
Gaudet chorus caelestium;
Quia ipsi diminuti
Ab angelis superbia
Passo nato restituti
Homines sua gratia,
Invicta spes credentium.

13. Fructus vitae multiplicat
Vim virtutis maguae suae
Et animas purificat
Fructu sanctae carnis tuae,
Quae sola virgo parturit;
Quia fructus, quem das mundo,
O Maria, spes supplicum,
Actu viget tam fecundo,
Alas eo famelicum,
Per quem nec ales esurit.

14. Ventris tui sanctissimi
Claustro nullus habitavit,
Nisi verbum altissimi,
Qui virginem te servavit
Hostis a telo perfidi;
Quia ergo cuncta vales
Apud Iesum impetrare,
Fac, Maria, nos mortales
Per gratiam cursitare
Ad cenam agni providi.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Paris in (Arsen.) 419. A. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Meten. 571 B. — 12, 4 Habens viam A. — 13, 9 Hominibus A. — Der fünfte und zehnte Vers jeder Strophe sind Entlehnungen aus bekannten Hymnen.

97. Super Ave Maria.

1. Ave, lucis speculum,
virgo generosa,
Pudoris signaculum,
Stella luminosa,
Quae salvasti populum,
Mater gloriosa,
Pariendo parvulum,
Qui est legis glosa.

2. Maria, fons gratiae,
Decus castitatis,
Fons misericordiae,
Forma sanctitatis,
Radix innocentiae,
Stella puritatis,
Sedes sapientiae,
Templum deitatis.

3. Gratia multiplici
Iure decoraris
Donoque septemplici
Spiritus ornaris,
Credens verbo simplici
Christum, virgo, paris
Et mereris effici
Parens absque paris.

4. Plena medicamine,
Puteus dulcoris,
Nitens pulchritudine,
Vinculum amoris,
Culpae carens germine,
Salus peccatoris,
Absque viri semine
Mater salvatoris.

5. Dominus, rex omnium,
Deus maiestatis,
Mortis exterminium
Fonsque bonitatis,
Dulce refrigerium,
Auctor pietatis,
Te fecit sacrarium
Sanctae trinitatis.

6. Tecum pura virgine
Verbum incarnavit
Se rorante flamine,
Sicque liberavit
Populum a crimine
Teque consecravit
Et in caeli culmine
Summe sublimavit.

7. Benedicta domina,
Lumen angelorum,
Sursum super agmina
Regnans electorum,
Mundi mundans crimina,
Medela languorum,
Serva nos, ne sarcina
Premat peccatorum.

8. Tu in mulieribus
Iure dominaris,
Cum praecellis omnibus,
Virgo singularis,
Nostris fulge sensibus,
Fulgens stella maris,
Et a cunctis hostibus
Semper tuearis.

9. Et quis potest promere
Laudes matris tantae,
Quae Deum concipere
Spiritu conflante
Meruit et parere,
Virgo post et ante?
Deus pie vivere
Det ipsa rogante.

10. Benedictus genitus
Patri coaequalis,
In secreto conditus
Aulae virginalis,
Descendit divinitus
Fieri mortalis,
Cuius nos interitus
Protegat a malis.

11. Fructus hic mirabilis,
Fructus generosus,
Fructus ineffabalis,
Fructus copiosus,
Fructus venerabilis,
Fructus pretiosus,
Fructus est perutilis
Et deliciosus.

12. Ventris habitaculum
Digne commendatur,
In quo pacis osculum
Mundo reformatur,
Qui non novit masculum,
Venter fecundatur,
De quo vitae pabulum
Cunctis propinatur.

13. Tui ergo famuli
Gratia renati
Supplicamus seduli
Sanctae trinitati,
Ut in fine saeculi
Simus Deo grati
Et regnemus singuli
Caelo collocati.

14. Amen, virgo regia,
Nimis insignita
Praecellenti gratia,
Nobis fiat ita,
Ut mundi miseria
Post mortem finita
Perfruamur gloria
In caelesti vita.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. A. — Orat. ms. Windeshemense anni 1508. Cod. 7955. der k. k. Familien-Fidei-Kommifsbibliothek in Wien. B. — 2, 3 Mons misericordiae B. — 2, 6 Cella probitatis B. — 2, 8 Templum puritatis B. — 3, 8 expers paris B. — 5, 7 solarium B. — 6, 3 De rorante B. — Statt Str. 8 hat B folgende drei Strophen eingeschoben, die nicht original sind:

Tu sedes in solio
Digne coronata
Et regnas cum filio
Mater candidata
Ac repleris gaudio
In caelis praelata,
Sed in terra miseris
Ades advocata.

In caelo glorificat
Angelorum decus,
Teque beatificat
Latinus et Graecus,
Namque te clarificat
Omne mundi decus,
Luceat haec claritas
Mihi, qui sum caecus.

Mulieribus piis
Tu es sublevatrix,
Ipsis quoque deviis
Tu es gubernatrix,
Omnibus et miseris
Es auxiliatrix,
Tu, virgo tam nobilis,
Sis mihi consolatrix.

10, 7 nos interius B. — 11, 7 Fructus a periculis B. — 11, 8 Sat deliciosus B. — 12, 4 reseratur B. — 12, 5 Quae non B. — 12, 6 Modo fecundatur B. — 12, 7 In quo vitae poculum B. — Nach Str. 14 schiebt B folgende zwei Str. ein:

Iesus nos eripiat
A coetu malorum,
Iesus nos edoceat
Passus electorum,
Iesus nos custodiat
Fine saeculorum,
Iesus nos promoveat
In regno caelorum.

Christus, qui in utero
Virginis locatur,
Christus, qui ab utero
De hac incarnatur,
Christus, qui pro saeculo
Hic humiliatur,
Det, ut nobis miseris
Vita tribuatur.

98. Super Ave Maria.

1. Ave, lux fidelium,
Rosa speciosa,
Mentis refrigerium,
Gemma pretiosa,
Reis dans remedium,
Vitis fructuosa.

2. Maria mirifica,
Pacis mediatrix,
Mira mundi medica,
Criminum mundatrix,
Spes lapsorum unica,
Pia consolatrix.

3. Gratia tu praedita
Pollens refulsisti,
Genitorem genita
Deum genuisti
Et nobis gratuita
Dona tribuisti.

4. Plena sacro numine
Concepisti pura
Sine viri semine,
Miratur natura,
Mystico spiramine
Christum paritura.

5. Dominus ingenitus
Pater te elegit,
Dominus te genitus
Matrem praeelegit,
Dominus paraclitus
Obumbrans te legit.

6. Tecum tota trinitas
Manet deitatis,
Residet immensitas
Summae bonitatis,
Sumitur humanitas
Verbo veritatis.

7. Benedicta femina,
Regina caelorum,
Angelorum domina,
Salus miserorum,
Quae transcendis agmina
Cuncta beatorum.

8. Tu in mulieribus
Sola virgo parens,
Eminens virtutibus,
Omni labe carens,
Signis mirabilibus
Toti mundo parens.

9. Et nunc iam feliciter
Prae cunctis beata,
Amore perenniter
Vere suscitata,
Mente, carne pariter
Es glorificata.

10. Benedictus filius,
Qui ex te est natus,
Clemens et propitius
Cunctis demonstratus,
Per quem homo devius
Fuit restauratus.

11. Fructus vitae nobilis,
fructus ventris tui,
Quo viator fragilis,
Si vult, potest frui
Et in te fit stabilis
Atque compos sui.

12. Ventris tui thalamum
Rex regum ornavit,
Velut scribae calamum
Sibi praeparavit,
Qui ut fragrans balsamum
Aromatizavit.

13. Iesus, salus hominis,
Tua sancta prece
Mundat labe criminis
Et ab omni faece,
Quotquot tui nominis
Servi volunt esse.

14. Virgo viri nescia,
Virgo singularis,
Tota plena gratia,
Clara stella maris,
Nostra pelle vitia
Nosque tuearis.

15. Mater regis gloriae,
Flos humilitatis,
Lumen caeli curiae,
Norma sanctitatis,
Post cursum miseriae
Nos iunge beatis.

16. Dei habitaculum,
Exemplar virtutis,
Puritatis vasculum,
Verae fons salutis,
Tu solvisti vinculum
Nostrae servitutis.

17. Ora semper (ad) Dominum,
Advocata nostra,
Piis votis hominum
Piam te demonstra,
Purga sordes criminum
Et peccati monstra.

18. Pro nostris flagitiis,
Virgo, interpella,
Munda nos a vitiis,
Divinorum cella,
Ne mortis suppliciis
Iungat nos procella.

19. Nobis peccatoribus
Gratiam impende,
Pulsis pravis moribus
Virtutem impende,
Cunctis transgressoribus
Matrem te ostende.

20. Amen fac nos prosequi
Tu, quae meruisti
Deo digne obsequi
In hac valle tristi,
Et sic tandem consequi
Regnum Iesu Christi.

Orat. ms. Alphonsi V. Arragoniae regis (1416— 1458). Cod. Londinen. Add. 28, 962.

99. Super Ave Maria.

Ave Maria,
Genitrix pia,
Gratia plena,
Virgo serena,
5. Dominus tecum,
Tu quoque secum,
Benedicta
tu in mulieribus,
Castis pariens
Deum visceribus.
Et benedictus fructus,
10. Ex hortulo productus
Ventris tui, Iesus,
Cui voce, votis omnibus
Tuis dignis precibus
Semper commendari
15. Atque sociari
In caelo sursum
Post vitae cursum
Flagitamus
Et oramus.
20. O Maria, de qua Christus
Dominus tecum miro pacto
Verbo in te carne facto
Ope trini conditoris;
O quam dulcis vis amoris!
25. Benedicta tu
in mulieribus,
Hoc testantur omnes tribus,
Caeli fantur te beatam,
Super omnes exaltatam.
Et benedictus
fructus ventris tui,
30. Quo nos semper dona frui
Propter gustum hic internum
Et post mortem in aeternum.
Sicut lilium inter spinas,
Sic Maria inter filias;
35. Ipsa sole pulchrior,
Stellis caeli clarior,
Cunctis mihi carior,
Haec est optime formosa,
Prae ceteris mire speciosa,
40. Vale, valde decora,
Et pro nobis
semper Christum exora.

Orat. ms. Domus Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Mit Vers 20 scheint ein neues Lied zu beginnen. Dann wäre Ave Maria zu lesen. Zwischen 20 und 21 ist jedenfalls eine Lücke.

100. Super Ave Maria.

1. Ave, Maria nobilis,
Dum verbum verbo concipis,
Iam habes patrem et filium,
Hunc fac nobis propitium.

2. Gratia plena generas,
Quem tu, virgo, conceperas,
Quem lactasti sacro ubere,
Huius nos redde gratiae.

3. Dominus tecum exstitit,
Qui morte vitam contulit,
Quos surgens fecit liberos,
Ad te perduc, ad superos.

4. Benedicta tu in mulieribus,
Cuius dulcis filius
Ascendit super sidera,
Huic nos reconcilia.

5. Et benedictus fructus ventris tui,
Qui suo te conspectui
Dignam fecit sublimiter,
Hunc nobis placa iugiter.

Clm. Monacen. (ol. Alrispacen.) 2873. saec. 15.

101. Super Ave Maria.

1. Ave, Maria,
Provida, pia,
Proxima via;
Semper intercede
Pro me peccatore.

2. Gratia plena,
Lux peramoena,
Sancta philomena;
Semper intercede
Pro me peccatore.

3. Dominus tecum,
Sit quoque mecum,
Sta semper secum;
Semper intercede
Pro me peccatore.

4. Benedicta tu,
Maxima statu
Supplico stratu;
Semper intercede
Pro me peccatore.

5. In mulieribus,
Christi vulneribus
Sic tuis precibus
Semper intercede
Pro me peccatore.

6. Et benedictus,
Qui fuit adflictus
Et tulit ictus;
Pro me peccatore
Semper intercede.

7. Fructus ventris tui,
Per te sumus sui,
Peto Deo frui;
Semper intercede
Pro me peccatore.

8. Iesus Christus. Amen,
Tu funde precamen
Et posce solamen,
Semper intercede
Pro me peccatore.

Orat. ms. Domus Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 5, 3 Ita tuis. — 6, 2 fuit percussus. — 8, 3 Et fehlt.

102. Super Ave Maria.

1. Ave, mater Dei, ave,
Quae per verbum hoc suave
Natos Evae solvis a vae,
Virgo sine macula;
Maria, tu stella maris,
Spes reorum singularis,
Dei natum, virgo, paris
Sine viri copula.

2. Gratia, quam meruisti,
Solvit nos a iugo tristi
Per Deum, quem concepisti,
Qui gubernat singula;
Plena omni puritate,
Nos ab hostis potestate
Reos tua bonitate
Tuere per saecula.

3. Dominus, qui te creavit,
Carnem sumens habitavit
In te, per quam expiavit
Protoplasti scelera;
Tecum Deus, virgo pura,
Creatorem creatura
Paris contra carnis iura,
O virgo puerpera.

4. Benedicta, gratiosa,
Dei mater gloriosa,
Fac, ut nobis sint exosa
Delictorum crimina;
Tu caelorum es regina,
Peccatorum medicina,
Florens rosa sine spina,
Tu es mundi domina.

5. In caelis tu principaris
Et in terris dominaris,
Sic prae cunctis expers paris,
Tibi sunt imperia;
Mulieribus amanda
Es, Maria veneranda,
Quarum sexus est miranda
Salutis materia.

6. Et ruina reparatur
Evae, per te salus datur,
Eva in Ave mutatur
Evae verso nomine;
Benedictus tuus natus,
Pro peccatis morti datus
Et in carne cruciatus
Misero pro homine.

7. Fructus tuus, Deus homo,
Protoplastum lapsum pomo
Relevavit et in domo
Relocavit caelica;
Ventris tui dulcis fructus
Finem fecit nostri luctus,
Et evasit maris fluctus
Plebs Israelitica.

8. Tui servi defendantur
Nec ab hoste conterantur,
Per te, virgo, sed fruantur
Summi regis gloria;
Amen, amen iubilemus,
Et Mariam collaudemus,
Ut cum ipsa conregnemus
In caelesti curia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. B. — 1, 6 virili B. — 2, 3 Per fehlt B. — 4, 1 generosa B. — 5, 1 In caelestis B. — 5, 2 Tu in B. — 5, 7 es B. — 6, 2 Ave per te Deus salus datur B. — 7, 3 Revelavit B. — 8, 1 Tui servi minantur B. — 8, 3 servantur A. — Nach 8, 4 schiebt A ein:

Iesus Christus illud praestet,
Ne post mortem nos molestet
Mors secunda nec infestet
Te protegente, domina.

103. Super Ave Maria.

1. Ave, mater gratiae,
Fons misericordiae,
Vitae medicina,
Summa porta veniae,
Speculum iustitiae,
Caelica regina.

2. Maria tu diceris,
Merito prae ceteris
Debes honorari,
Tolle sordes sceleris,
Da medelam vulneris,
Virgo carens pari.

3. Gratia tu dignior,
Mitis et humilior
Omni creatura,
Stellis, sole pulchrior,
Pudore nobilior,
Virgo semper pura.

4. Plena sancto flamine
Caelestique lumine
Semper circumdata,
Munda nos a crimine
Et in caeli culmine
Duc, virgo beata.

5. Dominus, rex omnium,
Te fecit triclinium
Summae maiestatis,
Non perdens per filium
Nec per puerperium
Florem castitatis.

6. Tecum non abhorruit,
Sed intrare voluit,
Mater ut dicaris,
Gabriel te terruit,
Verbum tibi praebuit,
De quo mirabaris.

7. Benedicta femina,
Virgo, caeli domina,
Mater salvatoris,
Cor meum illumina,
Propter nostra crimina
Roga cunctis horis.

8. Tu sola concipere
Puerumque parere
Christum meruisti,
Hinc pro nostro scelere
Preces velis fundere,
Mater Iesu Christi.

9. In caelesti solio
Nos iunge palatio,
Virgo, beatorum,
Funde preces filio,
Ne nos in exsilio
Simus damnatorum.

10. Mulieribus o pia,
Per te fit miseria
Nostra revocata,
Pelle procul vitia
Audique suspiria,
Mater exaltata.

11. Et da nobis gratiam
Daemonis saevitiam
Semper superare,
Voca nos ad patriam
Et misericordiam
Velis impetrare.

12. Benedictus filius,
Carnem sumens plenius
Ex te, benedicta,
Purget nos interius,
Ut sequamur melius
Salvatoris dicta.

13. Fructus ex te genitus
Fuit sancti spiritus,
Qui te sic amavit,
Verbum misit caelitus,
Incorruptam penitus
Te semper servavit.

14. Ventris claustro prodiens,
Pro nobis suscipiens
Incarnationem,
Et tu, mater, pariens
Semen viri nesciens
Nec corruptionem.

15. Tui nati filia
Genetrix egregia,
Nutrix orphanorum,
Te ducente praevia
Vocer ad caelestia
Regis angelorum.

Cod. S. Floriani XI. 172. saec. 15. — 1, 1 gratiosa. — 6, 3 dicereris. — 7, 5 Et propter. — 8, 5 Hunc. — 12, 2 sumans. — 13, 2 spiritus sanctus. — 15, 5 Vocemur.

104. Super Ave Maria.

1. Ave, mater gratiae,
Thalamus pudoris,
Fons misericordiae,
Salus peccatoris,
Thronus regis gloriae,
Templum redemptoris.

2. Maria, flos virginum,
Virens maris stella,
Mediatrix hominum,
Trinitatis cella,
Tergens sordes criminum,
Frangens hostis bella.

3. Gratiae septemplicis
Donis te vallavit,
Cum summi rex apicis
Caelos inclinavit,
Ut verbis propheticis
Dudum praesignavit.

4. Plena sancti spiritus,
Fusa caeli rore,
Concepisti caelitus
Absque carnis more,
Virgo velut primitus
Novo praestans flore.

5. Dominus, rex omnium,
De sede paterna
Venit in exsilium,
Non linquens superna,
Rex ante principium,
Quem timent Averna.

6. Tecum tota trinitas
Fecit mansionem,
Sed immensa caritas
Pegit unionem,
Claudit Sion civitas
Verum Salomonem.

7. Benedicta viscera,
Quae digna fuere,
Expiantem scelera
Mundi portavere,
Quae virtutum opera
Nobis paruere.

8. Tu in mulieribus
Virgo singularis,
Cumulatis laudibus
Digne veneraris,
Ut in luminaribus
Praeest lux solaris.

9. Benedictus filius
Tuus, rex caelorum,
Sortis nostrae socius,
Panis angelorum,
Sol eclipsis nescius,
Messis beatorum.

10. Fructus delectabilis
Est de te productus,
Per quem Evae flebilis
Terminatur luctus,
Fit Deus placabilis,
Daemon est seductus.

11. Ventris tui thalamus,
Arca testamenti,
Fragrat sicut balsamus
Christo venienti,
Aromatum thalamus
Nostri condimenti.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 3, 5 Proverbis propheticis; lies Prout verbis? — 5, 4 relinquens. — 7, 4 patuere. — 8, 5 Iter luminaribus. — 10, 1 dilectabilis. — Aufschrift: „Ave Maria rimata.“

105. Super Ave Maria.

1. Ave, mater gratiae,
Virgo tu Maria,
Tota pulchra facie,
Mitis atque pia,
Stantibus in acie
Dux sis cum Messia,
Ne daemon fallaciae
Ducat nos de via.

2. Maria, o lilium
Florens inter spinas,
Mentibus debilium
Praebens medicinas,
Conferas auxilium
Inter tot ruinas,
Placa nobis filium,
Aufer eius minas.

3. Gratia tu caelica
Plene irroraris,
Dum voce angelica
Blande salutaris,
Tandem vi deifica
Panem vitae paris,
De quo cum famelica
Plebe satiaris.

4. Plena ab initio
Gratia fuisti,
Carens omni vitio
Iesum concepisti,
Hunc sine supplicio
Laeta peperisti,
Cuius beneficio
Virgo permansisti.

5. Dominus, rex gloriae,
Qui creata regit,
Te, dulcis memoriae,
In arcam elegit,
Qua dispensatorie
Carnis arma tegit,
Quibus vi victoriae
Hostes nostros fregit.

6. Tecum spiritaliter
Deus angelorum,
Tecum corporaliter
Salus peccatorum,
Tecum est finaliter
Iesus, dux iustorum,
Tecum aeternaliter
Est merces sanctorum.

7. Benedicta filia,
David stirpe nata,
Fac nobis utilia
Moysis mandata,
Ut simus altilia
Ad immolandum grata,
Doce nos humilia
Comprimens elata.

8. Tu in mulieribus
Virgo singularis,
Quae castis visceribus
Deum nobis paris,
Purga a sceleribus
Precibus praeclaris
Bonisque operibus
Frui largiaris.

9. Et benedictus igitur,
Qui se cibum dedit,
Quo homo reficitur,
Qui per fidem credit,
Qui a patre mittitur,
A quo non recedit,
Carne per te gignitur
Et ad patrem redit.

10. Fructus indeficiens
Salus est languentum,
Iesus, et reficiens
Cordis munimentum,
Nos per te reficiens
Vitae det fomentum,
Qui cunctis sufficiens
Nescit detrimentum.

11. Ventris secretarium
Regum rex intravit
Et quasi sacrarium
Hoc inhabitavit,
In quo thesaurarium
Se nobis paravit,
Ex quo necessarium
omne propinavit.

12. Tui status gratia
Fundimus precamen,
Des emendae spatia
Praebens adiuvamen,
Ne pro contumacia
Puniat examen,
Sed nos ad palatia
Caeli ducat. Amen.

Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6053. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19363. B. — 10, 7 sq. fehlen A.

106. Super Ave Maria.

1. Ave, mater illibata,
Nostri salvatoris,
Multis privilegiata
Signis et honoris,
In conceptu consecrata
Spiritu amoris,
Prius sancta, quam es nata
De claustro pudoris.

2. Maria, per dignitatem
Tam sublimis puritatis
Meam dele foeditatem,
Quam contraxi de peccatis,
Infundens serenitatem
Pacis et tranquillitatis,
Sic ut veram claritatem
Apprehendam cum beatis.

3. Gratia divinitatis
Pulchra et ornata,
Arca sanctae trinitatis
Es in mundo nata,
Sacramenta pietatis
Per te sunt allata
Ac fomenta pravitatis
Daemonum prostrata.

4. Plena terra, maria
Signis et laetitiis,
Inferus et aethera
Sint de natalitiis
Tuis, virgo regia,
Solve nunc a vitiis
Me et tandem socia
Summis cum deliciis.

5. Dominus te honoravit,
Te verum puerulum,
Cum te mater praesentavit
Portans te in templum,
Te ibidem collocavit
Super gradum infimum,
Mox te mire confortavit
Per ascensum omnium.

6. Tecum coetus virginum
Ibi habitavit,
Regem exercituum
Pariter laudavit,
Sanctum vero angelum
Deus deputavit,
Semper qui ad libitum
Tibi ministravit.

7. Benedicta clamitat
Gabriel, qui mittitur,
Regem quem annuntiat,
Hic a te concipitur,
Inde homo iubilat,
Quia sic eripitur,
Sed tristanter eiulat
Daemon, qui decipitur.

8. Tu sinus paenitentium,
Vitae medicina,
Iubilus laetantium,
Virginum regina,
Tu palma certantium,
Me serva a ruina,
Reductrix errantium,
Nunc gratiam propina.

9. In mulieribus cunctis
Te humiliasti,
In montana nimis
Ire festinasti,
Prompta et servilis
Elisabeth visitasti,
Parentem Iohannis,
Quam pie salutasti.

10. Et benedictus Iesulus
Tunc laetificavit
Vatem, qui in utero
Matris exsultavit
Et eum cum gaudio
Adesse nuntiavit,
Quem postea cum digito
Venisse demonstravit.

11. Fructus tuus legislator
Legibus subicitur,
Captivorum liberator
Hostiis redimitur,
Rerum omnium portator
Brachiis amplectitur
Simeonis, ac salvator
Mundi benedicitur.

12. Ventris tui virginalis
Sacra depuratio
Mentis meae criminalis
Fortis sit purgatio,
Ne me tangat infernalis
Dura cruciatio,
Sed soletur aeternalis
Potius salvatio.

13. Iesus, tuus dulcis natus,
Ad te venit in agone,
Sanctis omnibus vallatus
Sic cum iubilatione
Grandi te ab incolatus
Huius duxit regione,
Omnis gaudet nunc beatus
Tua fruens visione.

14. Christus suae ob amorem
Matris nobis miseris
Sic succurrat, ut squalorem
Hic vitemus criminis,
Ne cum daemone foetorem
Sentiamus carceris,
Sed Mariae per favorem
Sociemur angelis.

Cod S. Petri Salispurgen. a III 10. saec. 15. A. — Orat. ms. ss. Udalrici et Afrae saec. 15. Cod. Augustan. s. n. B. — 1, 4 Signis nec non et horis B. — 1, 7 es fehlt B. — 1, 8 claustra A, claustris B. — 2, 7 ut fehlt A. — 3, 6 sint A. — 4, 3 aetherea A. — 5, 2 Te fehlt B. — 5, 4 Portans ante templum B; lies: portans te ante? — 5, 5 Te ibi collocavit AB. — 6, 4 Pariterque B. — 6, 5 verum A. — 6, 6 Dominus A, deportavit B. — 6, 7 quod ad B. — 7, 7 tristantur A. — 8, 1 Tu si vis B. — 8, 6 und 7 fehlen B. — 9, 5 servulis A. — 9, 8 Quem A. — 10, 3 in fehlt B. — 11, 4 Hostium B. — 11, 7 ac fehlt A. — 11, 8 Ac mundi A. — 12, 5 tanget A. — 12, 7 solvetur A. — 13, 3 omnibus solaciis A. — 13, 4 Sit B. — 13, 6 duxi A. — 14, 1 ob amorem suae AB. — 14, 4 Hic fehlt A. — Aufschrift in A: Septem gaudia festivitatum sanctae Mariae Virginis.

107. Super Ave Maria.

1. Ave, mater pietatis,
Fons totius bonitatis,
Ave, decus honestatis,
Nobile triclinium;
Ave, virgo Deo digna,
Dulcis, mitis et benigna,
Tuo nato nos consigna,
Deitatis scrinium.
Ave, decens legis glosa,
Dulcis angelorum prosa,
Florens paradisi rosa,
Exemplum humilium;
Ave, ligni vitae fructus,
Per quem Adae cessat luctus,
Per te mundus est reductus
Placa tuum filium.

2. Maria, thronus summi regis,
Signatus liber suae legis,
Sinu tuo reum tegis
Et confortas debiles;
Maria, patris massa pura,
Filiique vestitura,
Paranymphi impressura
Labes aufer flebiles.
Maria, umbra trinitatis,
Quies summae deitatis,
Claritas humanitatis,
Relevare labiles;
Maria, sidus firmamenti,
Solamen deficienti,
Da cibum esurienti
Et confirma stabiles.

3. Gratia patris te pavit,
Filius te illustravit,
Spiritus te confirmavit
Nobis pro auxilio,
Gratia tu salutaris,
Gratia tu replearis,
Gratia tu Deum paris,
Tutela humilio.
Gratia tu nuncuparis
Digne clara lux solaris,
Tu es clara stella maris,
Ductrix in exsilio;
Gratia tu relevasti,
Lapsum mundum recreasti,
Reum reconciliasti
Tu cum tuo filio.

4. Plena digna omni laude,
Mater regis summi, gaude,
Sion filia, tu plaude,
Sponsus tuus clamitat;
Plena miseratione,
Nobilis es natione,
Consolatrix ratione
Omni, qui te invocat.
Plena Dei claritate,
Plena Christi caritate,
Plena omni puritate,
Pietas te incitat;
Plena cistis caeli rore,
Hocque Gabrielis ore
Nuntiatur, quod in flore
Aaron denuntiat.

5. Dominus te exaltavit,
Supra astra te levavit,
Angelis te praedotavit
Aeterna in laetitia;
Dominus, qui cuncta regit,
In reginam te elegit,
Tibi cuntaque subegit,
Per te fugat vitia.
Dominus, qui cuncta pavit,
Te in matrem ordinavit
Peccatorum et fugavit
Daemonis saevitia;
Dominus per te transivit,
Limbum fregit, sicut scivit,
. . . . . .
Auferens supplicia.

6. Tecum erat, dum crearet
Caelum, terram, dum formaret
Solem, lunam, dum plasmaret
Protoplasti faciem;
Tecum inundantiam stravit,
Arcam Noë dum dolavit,
Babelitas dum prostravit,
Superborum aciem;

Tecum Abraham oboedivit,
Isaac dum parturivit,
Adfuisti, dum rescivit
Fraudem matris in aciem;
Tecum Iacob speculabat,
Tres et unum adorabat,
Moyses, dum liberabat
Israelis glaciem.

7. Benedicta benedicis,
Nuntio non contradicis,
Lapsum hominis prospicis,
Dulcis Christi damula;
Benedicta sic respondit,
Seque filio despondit
Gabriel, ei spopondit:
Ecce, Dei famula;
Benedicta vocitaris,
Dei filium dum paris,
Ab Herode dum fugaris,
Mitis Dei mammula.
Benedicta, quod produxit
Magos, Bethlehem conduxit,
Quibus gratia illuxit
Novae lucis flammula.

8. Tu cum tuo lacte pasti
Ipsum, semper quem amasti,
Per quod mundum recreasti
Novum ab initio;
Tu sub cruce tormentatum,
Mortuum et flagellatum
Conspicis et cruentatum
Iniquo iudicio;
Tu semper secum fuisti,
Ipsum pati praescivisti,
Simeon, dum obtulisti,
Praedixit praeiudicio.
Tu natum amoenum multum,
Terrae traditum, sepultum,
Perforatum atque cultum
Cernis sine vitio.

9. In sepulcro exsistente
Licet corpore absente,
Tamen anima praesente
Erat tuus filius;
In prima luce, dum surrexit,
Tristem matrem te respexit,
De tristitia erexit
Te consolabilius;
In quadraginta die fertur
Caelum Christus, ut refertur,
Tecum erat, ut repertur,
Deitas habilius,
In fine dum emigrasti,
Toto mundo impetrasti
Gratiam regina Vasthi
Plus favorabilius.

10. Mulieribus dedisti
Honorem, restituisti,
Quem eis parentes tristi
Per fructum perdiderant,
Mulieribus honorem,
Non tamen deteriorem
Habuerunt, quam priorem
Parentes amiserant;
Mulieribus donare
Et viduas consolare
Virginesque confortare
In gratia, ne pereant;
Mulieribus assiste
Propter matrem tuam, Christe,
Nostris aemulis resiste,
Nos ut non decipiant.

11. Et succurre tuae genti
In hac vita nunc degenti,
Contra hostes servienti
Adesto propitius,
Et propter tuam veritatem
Et propter matris sanctitatem
Praesta nobis sanitatem,
Te supplico frequentius;
Et quae angelis praefulget,
Peccatoribus indulget,
Nostris mentibus refulget,
Ut regnemus tutius,
Et in tempore nostrae mortis
Defensatrix esto fortis,
Paradisi iunge portis,
Hortor te attentius.

12. Benedictus consolator
Et salutis nostrae sator,
Cunctarum rerum creator,
Hominis, qui periit;
Benedictus benedictam,
Nimis sub cruce adflictam,
Humano generi astrictam
In salutem edidit;
Benedictus fructus tuus,
Alta cruce qui pependit,
Corpus suum hic impendit
Opus amicitiae.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

13. Fructus dulcis paradisi,
Qui te mandunt, sunt provisi,
Qui te spernunt, sunt decisi
De mensa laetitiae;
Fructus vitae nobis praestet,
Hora mortis ut non restet,
Quod iniquus non infestet
Maior immunditiae,
Fructus ligni vitae ruit,
[Fructus] qui peccata luit,
Fons de paradiso fluit
Omnesque deliciae.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

14. Ventris claustra pertransivit
Regum rex et se vestivit
Homine et amicivit
Sua de clementia;
Ventris tui claustra clausit,
Nobis dulciter adplausit,
Nostra scelera exhausit
Auferens daemonia;
Ventris tui medicina
Nos conservet a ruina
Et propinet nobis vina
Suaque prudentia;
Ventris tui balsamita
Nobis donet in hac vita
Sanitatem, redimita
Dei sapientia.

15. Tui sumus, nos conserva
Et a malis nos praeserva,
Tuo nato nos inserva
In caelesti patria;
Tui sumus, nos tuere,
Tuae visionis verae
lunge in caelesti aere,
Dona nobis atria;
Tui sumus, tu nos munda,
Ne nobis peccati unda
Adversetur, fortis funda
Davidis, in latria.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

16. Iesus Christus, flos de flore,
Qui a Gabrielis ore
Nuntiatur, hic de rore
Caeli nobis tribuat;
Iesus Christus, vitis vera,
Bona fide et severa,
Mente pura et sincera
Nobis se exhibeat;
Iesus Christus, summi patris
Verbum, plenum maiestatis,
Nos conservet a peccatis,
Quas nobis prohibeat;
Iesus Christus legislator,
Nostrae vitae conservator
Veritatisque amator,
Ille nos possideat.

Cod. S. Petri Salisburgen. b I 20. saec. 15. — 2, 6 vestura. — 2, 16 affirma. — 3, 6 Lies replebaris? — 5, 6 In regnum. — 5, 9 paravit. — 5, 12 saevitia scheint der Reim zu schützen. — 6, 10 varivit. — 7, 6 Eque filio. — 9, 7 te erexit. — 10, 3 parens. — 10, 7 Habuerat, quem. — 11, 3 saevienti. — 12, 9 fehlt der Reim. — 12, 10 Qui pependit alta cruce. — 14, 3 Homo et. — 14, 11 propinat. — 16, 9 Iesu Christe. — Am Schlusse folgt noch: Anno Domini M quadringentesimo quadragesimo nono menseque septeno sedulo hoc perâcitur. Dann:

1. In hac laude matris Dei
Precor, miserere mei,
Tu es salus nostrae spei,
Mihi nunc adhaereas.
Nunc adesto consolatrix,
Animae illuminatrix,
Angelorum imperatrix,
Me, rogo, ne pereas.

2. Reum [nam]que me cognosco,
Pietatem tuam posco,
Ut non tradar turpi rosco,
Praesta, quod non perear;
Lumina, ut possim dictare,
Facta mea illucidare
Et prae omnibus te amare,
Dona, quod hoc merear.

3. Cum sum scriba vocatus,
Nec tamen illuminatus,
Meos dilue reatus
Mihique coopera,
Ut sciam probari,
Possim et illuminari
Atque persaepe explicare
Cuncta bona opera.

4. Sic ut possim impetrare
Tuum corpus salutare,
Dum contingit separare
Animam de corpore.
Amen dicat omnis homo,
Ut conservet nos in domo,
Gratiae et omni bono
Repleamur omni tempore.

Es braucht wohl nicht bemerkt zu werden, dafs in diesem Liede noch manches Fehlerhafte, manches Rätselhafte unbehoben, ungelöst bleibt.

108. Super Ave Maria.

1. Ave, mater pietatis,
Puella humilitatis,
Castitatis lilium,
Sanctum parans dignitati
Verbi patris incarnati
Ventris domicilium.

2. Maria, nubes nitoris,
Funde nobis stillas roris
Ac lumen scientiae
Ex triclinio fulgoris,
Ubi latet mel dulcoris
Et thesaurus gratiae.

3. Gratia fis praedotata,
Qua manens virgo sacrata
Es mater puerpera;
Dudum in rubo monstrata,
O tu rosa colorata,
Christo nos confoedera.

4. Plena Dei caritate,
Stella nitens claritate
Christi novi sideris,
Adornata venustate,
Decorata sanctitate
Super omnes crederis.

5. Dominus te fecundavit,
Suam matrem consecravit
Divino charismate,
Virtutibus illustravit,
Super caelos sublimavit
Flante sacro neumate.

6. Tecum, nobilis regina,
Sacra manet medicina
Mira efficacia,
Nos praeservans a ruina
Et confortans ad divina
Dei providentia.

7. Benedicta stella maris,
In decore singularis,
Caritatis vinculum,
Mihi, mater principalis,
Praesta, candor virginalis,
Iustitiae cingulum.

8. Tu speculum sanctitatis,
Signaculum castitatis,
Tus mirae fraglantiae,
Tu oleum lenitatis,
Ferculum divinitatis,
Murra paenitentiae.

9. In intimis nos irrora,
Ardens seu splendens aurora,
Virga florem germinans,
Cum sis nimium decora,
Pro nobis semper exora,
Summi lumen generans.

10. Mulieribus, o stella,
Per te, nobilis puella,
Datur benedictio,
Tu es aromatum cella
Et charismatum fiscella
Dedicata filio.

11. Et benedictus in donis,
Mater nostri Salomonis,
Sit, quae nobis contulit,
Qui iure redemptionis
Per vim suae passionis
Mortem nobis abstulit.

12. Fructus dulcis, fructus gratus,
Nostros purgans cogitatus,
Christus, rex iustitiae,
Qui maligni principatus,
Hostiles fregit conatus
Et sceptrum superbiae.

13. Ventris tui fons redundans
A peccatis mundum mundans
Dilabatur largius,
In gratiis est abundans,
Cum arens cor est fecundans,
Exuberat dulcius.

14. Sancta Maria, precare
Tuum sanctum salutare
Sanctumque paraclitum,
Ut velit nos illustrare
Et post mortem aggregare
Coetibus regnantium.

Cod. Oxonien. Canon. Bibl. 12. (ol. Carthus. Roman.) saec. 13. add. saec. 14/15. — 9, 6 Summe.

109. Super Ave Maria.

1. Ave, mater salvatoris
Et fons misericordiae,
Tu es aula creatoris
Et radix indulgentiae,
Tu flos fragrantis odoris
Et porta patientiae,
Reatus cordis et oris
Nostri dissolvas hodie.

2. Maria, quae puerpera
Meruisti nominari,
Ut beata sunt ubera,
Quibus voluit lactari
Christus, ecce, gens misera
A te petit adiuvari,
Ut ducas hanc ad aethera
Sursum tecum gloriari.

3. Gratia te illustravit
Is, qui Deus est deorum,
Et caelo te collocavit
Cum agmine angelorum,
Super omnes te amavit,
Sancta mater orphanorum,
Te, benedicta, levavit
Super choros angelorum.

4. Plena tu es caritatis,
Virgo, mater Dei pura,
Tu es fons humilitatis
Sancta testante scriptura
Atque flos virginitatis,
Pone nos in tua cura,
Ut det dextra deitatis
Gaudia nobis futura.

5. Dominus, factor omnium,
Te specialiter regit,
Ut lilium convallium
Inter omnes te elegit,
Nam per te primum vitium
Ad nihilum mox redegit
Et consortem caelestium
Excellenter te subegit.

6. Tecum omnis humilitas
Inhabitare voluit,
Et ad hoc tota trinitas
In te manere debuit,
Unde beata deitas
Humanam carnem induit,
Sed propter hoc virginitas
Tua corrupta non fuit.

7. Benedicta tu, domina,
Es atque venerabilis,
Peccatorum es piscina
Et rosa delectabilis,
In mundo non est femina,
Quae sit tibi consimilis,
Duc nos ad caeli culmina,
Deo quae es amabilis.

8. In mulieribus nata
Tu fuisti beatior
Et regina caeli alta
Atque lacte candidior
Et virtutibus ornata
Ceterisque humilior,
Ad exstinguendum peccata,
Virgo, nulla te melior.

9. Et benedictus filius,
Quem portare meruisti,
Nihil eo est dulcius,
Quem tu, virgo, baiulasti,
Nec quid te mirabilius,
Nam semper virgo mansisti,
Per te nobis propitius
Sit puer, quem nutrivisti.

10. Fructus tuus sanctissimus
Bonum reddidit odorem,
Ipse fuit piissimus,
Dum per suam passionem
Omnes redempti fuimus,
Suum monstravit amorem
Nobis, dum hunc invenimus
Ita bonum redemptorem.

11. Ventris tui assumere
Voluit habitaculum
Dominus, qui redimere
Voluit suum populum
Ab infernali carcere,
Et ob hoc crucis poculum
Dignatus est assumere,
Quod est nostrum obstaculum.

12. Tui nati, o Maria,
Virgo praeclara, sanguine
Mundemur ac prece pia
Omni mortali crimine
Et de morte improvisa,
Cum tuo sancto agmine
Nos habeamus gaudia
In sempiterna requie.

Orat. ms. Caelestin. Parisien. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

110. Super Ave Maria.

1. Ave, mater unica
Nostri salvatoris,
Ave, stella mystica,
Lumen viatoris,
Ave, porta caelica,
Salus peccatoris,
Ave, stella pistica
Mellei dulcoris.

2. Maria, te moribus
Virtutes decorant,
Maria, te laudibus
Caelestes honorant,
Maria te precibus
Perfecti dulcorant
Maria, te fletibus
Precantes adorant.

3. Gratia sanctissima
Facit decoratam,
Gratia dignissima
Reddit honoratam,
Gratia mitissima
Praebet dulcoratam,
Gratia piissima
Facit cunctis gratam.

4. Plena tu iuvamine
Prodes fatigatis,
Plena consolamine
Vales desolatis,
Plena pio lumine
Das lumen caecatis,
Plena medicamine
Medere gravatis.

5. Dominus ingenuam
Te praeordinavit,
Dominus prospicuam
Te praedestinavit,
Dominus contiguam
Te sibi locavit,
Dominus in strenuam
Matrem adoptavit.

6. Tecum in praesepio
Est Deus deorum,
Tecum in praeconio
Est vox beatorum,
Tecum in consortio
Chorus angelorum
Tecum et in gremio
Factor saeculorum.

7. Benedicta diceris
Et semper diceris,
Benedicta legeris
Et in aevum eris,
Benedicta ceteris
Iure praeponeris,
Benedicta fueris,
Es et semper eris.

8. Tu in mulieribus
Dignior appares,
Tu in mulieribus
Sola labe cares,
Tu in mulieribus
Sola Deo pares,
Tu in mulieribus
Mundi princeps clares.

9. Et dignum, ut pareres
Deum, Deo digna,
Et mundo succurreres,
Mitis et benigna,
Et sola praetenderes
Inaudita signa
Et illa relinqueres
Nobis fide digna.

10. Benedictus nuntius
Tibi destinatus,
Benedictus potius
Venter impraegnatus,
Benedictus filius
Ex te generatus,
Benedictus saepius
Puer nobis natus.

11. Fructus summi gaudii,
Per quem cor laetatur,
Fructusque consilii,
Quo cor consolatur,
Fructus desiderii,
Quo cor satiatur,
Fructusque solacii,
Quo cor confirmatur.

12. Ventris sancti castitas
Satanam peremit,
Ventris casti sanctitas
Peccata redemit,
Ventris mundum dignitas
A culpis exemit,
Ventris mundi pietas
Evae luctum demit.

13. Tui, virgo, nominis
Mihi des amorem,
Tui mihi luminis
Concedas nitorem
Tuique iuvaminis
Mihi des vigorem,
Tui me fac agminis
Non posteriorem.

14. Amen quisque personet
Mecum corde toto,
Amen item intonet
Clamore devoto,
Amen laete resonet
Torpore remoto,
Amen quater resonet
Ore, voce, voto.

Orat. ms. Capit. Veronen. 750. saec. 14. in. A. — Orat. ms. Sangallense 485. saec. 15. B. — Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1612. saec. 15. C. — 1, 6 Salus fehlt B. — 1, 7 caeli pistica A, cella physica B. — 1, 8 Melle A. — 2, 2 Virtutes fehlt B. — 2, 3 sq. stehen hinter 2, 8 C. — 2, 4 decorant AB. — 2, 5 te homines B. — 2, 6 Persancti B. — 2, 8 Peccatores B; ignorant A. — 3, 1 sanctissimam A; Gratia plena B. — 3, 3 dignissimam A. — 3, 5 mitissimam A. — 3, 7 piissimam A. — 3, 8 Reddit cunctis B; Dat te cunctis C. — 4, 1 Tu fehlt B. — 4, 5 Plena plumine B. — 4, 8 In ordine gravatis B. — 5, 3 sq. stehen hinter 5, 6 B. — 5, 3 conspicuam C. — 5, 5 continuam B. — 5, 7 in feminam B; te strenuam C. — 5, 8 adaptavit C. — 6, 2 Est Deus B. — 6, 6 Decus angelorum C. — 7, 7 sq. Benedicta miseris Consolamen geris AB. — 8, 4 Sola Deo pares C. — 8, 6 Sola Deum pares B; Princeps mundi clares C. — 8, 8 Princeps mundi A; Sola labe cares C. — 9, 5 profunderes C. — 10, 5 filius fehlt B. — 10, 7 Benedictus sempiternus B. — 10, 8 datus C. — 11, 4 Quo mens consolatur C; Quo cor confirmatur A; Contritum cor confirmatur B. — 11, 5 Fructus et praesidii AB. — 11, 6 Per quem iuvatur B; cor amatur A. — 11, 7 Fructus desiderii AB. — 11, 8 Quo cor satiatur A; Contrito cor satiatur B. — 12, 1 Ventris tui sanctitas C. — 12, 3 Ventris sancti castitatis B; Ventris tui puritas C. — 12, 4 Evae nuptum demit C. — 12, 5 sq. und 7 sq. umgestellt B. — 12, 5 Ventris mundi B; Ventris tui castitas C. — 12, 6 A fehlt B; Homines redemit C. — 12, 7 Ventris tui claritas C. — 12, 8 luctus B; Eclipsim supplevit C. — 13, 3 Tui veri AB. — 13, 4 Concede AB. — 14, 3 ita intonet B; quoque intonet C. — 14, 4 Vitio remoto C. — 14, 5 Amen omnes resonent C. — 14, 6 Corpore remoto B; Corpore devoto C. —

III. Super Ave Maria.

1. Ave, mira domina,
   De humilitate,
   Ave, felix femina,
   Nitens puritate,
   Ave, scandens culmina
   Gloriae beatae.

2. Maria, culpabili
   Carens corruptela,
   Maria, laudabili
   Affluis medela,
   Maria mirabili
   Nos servas tutela.

3. Gratia praeveniens
   Te sanctificavit,
   Gratia proficiens
   Te magnificavit,
   Gratia perficiens
   Te glorificavit.

4. Plena verbi numine
   Summa creatura,
   Plena sacro flamine
   Paris, virgo pura,
   Plena Dei lumine
   Illustras obscura.

5. Dominus ingenitus
   Pater te elegit,
   Dominus te genitus
   Matrem praeelegit,
   Dominus te spiritus
   Fecundat et regit.

6. Tecum tota trinitas
   Manet deitatis,
   Tecum est humilitas
   Verbi veritatis,
   Tecum est fecunditas
   Et flos puritatis.

7. Benedicta viscera,
   Quae Deo parasti,
   Benedicta ubera,
   Quibus hunc lactasti,
   Benedicta opera,
   Quibus coruscasti.

8. Tu in mulieribus
   Summe sublimaris,
   Tu in mulieribus
   Sola virgo paris,
   Tu in mulieribus
   Es ut stella maris.

9. Et regnas sublimior
In throno caelorum
Et es gloriosior
Choris angelorum
Et post Christum sanctior
Coetu beatorum.

10. Benedictus praeditus
Pater te creavit,
Benedictus genitus,
Qui de te manavit,
Benedictus spiritus,
Qui te consecravit.

11. Fructus vitae caelicus
Cibus sacramenti,
Fructus est salvificus,
Praebens robur menti,
Fructus est angelicus,
Splendor firmamenti.

12. Ventris in hospitio
Claudis infinitum,
Ventris in sacrario
Fructum fers mellitum,
Ventris almo gremio
Deo paras situm.

13. Tui vultus claritas
Mirum dat splendorem,
Tui partus novitas
Conservat pudorem,
Tui fructus bonitas
Omnem fert dulcorem.

14. Iesus, sol iustitiae,
Salus viatorum,
Iesus fons laetitiae,
Dator praemiorum,
Iesus splendor gloriae
Omnium sanctorum.

15. Virgo, flos munditiae,
Stellis coronaris,
Virgo, mater gratiae,
Sole perlustraris,
Virgo, datrix veniae,
Lunae principaris.

16. Mater Dei hominis,
Capax trinitatis.
Mater expers criminis,
Norma sanctitatis,
Mater veri luminis,
Fons es pietatis.

17. Dei sponsa fulgida,
Candor lucis verae,
Dei cella nitida,
Nostri miserere,
Dei mater splendida,
Semper nos tuere.

18. Ora Christum filium,
Ut vivamus tute,
Ora regem omnium
Pro mentis virtute,
Ora natum proprium
Pro nostra salute.

19. Pro nobis peccantibus
Es sic sublimata,
Pro nobis errantibus
Assis advocata,
Pro nobis precantibus
Posce cuncta grata.

20. Amen, trino numini
Gloriam canamus,
Amen, Deo homini
Gratias agamus,
Amen, matri virgini
Laudes referamus.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824 saec. 15. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$ zweimal: fol. 35 a. B; fol. 96 a. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. D. — Orat. ms. Italicum saec. 15 ex. (Privatbesitz) E. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. F.

1, 1 nostra domina CF; Maria domina E; Ave, virgo virginum B. — 1, 2 Ex humilitate F; Plena humilitate BE. — 2, 6 Nos salvas C; die ganze Str. in E:

Maria, tu humilis semper exstitisti,
Maria, sic humilis Iesum concepisti,
Maria, es humilis digna mater Christi.

3, 1 perveniens B. — 3, 3 praeveniens B, sufficiens E. — 3, 4 glorificavit E. — 3, 5 sq. fehlen E. — 4, 1 nomine C, vero lumine E. — 4, 4 Patris E. — 4, 6 Illustrans C, illustrasti E. — 5, 6 Fecundando regit C. — 6, 3 Tecum est humanitas C. — 6, 6 Omnis bonitatis C. — 7, 2 Quae tibi (lies sibi) parasti B. — 7, 4 Quibus Deum B. — 7, 5 Benedicta brachia E. — 7, 6 Quibus Deum portasti E. — 9, 2 sanctorum E. — 9, 4 Coronis E. — 9, 5 post natum C. — 9, 6 Sorte B; Plebis perfectorum E. — 10, 1 praedictus C; genitor E. — 11, 2 Cibi B; Vitae sacramenti A. — 12, 2 Claudens E. — 13, 4 Novum praebens morem C; die ganze Str. lautet in E:

Tui benedictio maestis est iuvamen,
Tui intercessio praestat medicamen,
Tui miseratio cunctis est solamen.

14, 6 Lux est beatorum E. — Str. 14 fehlt AB; nach Str. 14 schiebt C noch ein:

Christus sit peccantibus dulcis atque gratus,
Christus sit precantibus mitis et placatus,
Christus sit errantibus pius advocatus.

Str. 15—18 incl. fehlen C. — 15, 4 praelustraris B, circumdaris E. — 16, 1 Ora clemens filium E. — 17, 3 Ora regem Christum E. — 17, 4 Pro meritis E. — 19, 5 matri Domini C. — Vgl. Milchsack p. 88 sqq. — Str. 15—19 stehen als eigenes Lied mit dem Anfange Salve flos munditiae in Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

112. Super Ave Maria.

1. Ave, mitis imperatrix,
Ave, vitae restauratrix,
Ave, gentis advocatrix,
Ave, legis novae latrix.

2. Maria, fons pietatis,
Maria, lux claritatis,
Maria, pons naufragatis,
Maria, dux deviatis.

3. Gratia tu es referta,
Gratia in te est certa,
Gratia in te reperta,
Gratia nobis miserta.

4. Plena per influentiam,
Plena per abundantiam,
Plena renovans veniam,
Plena revocans gratiam.

5. Dominus, qui cuncta regit,
Dominus, qui mortem fregit,
Dominus, qui caelos tegit,
Dominus hic te elegit.

6. Tecum est pater caelitus,
Tecum est unigenitus,
Tecum est sanctus spiritus,
Tecum Christus humanitus.

7. Benedicta credidisti,
Benedicta concepisti,
Benedicta peperisti,
Benedicta enutristi.

8. Tu angelorum regina,
Tu mortis es medicina,
Tu es rosa sine spina,
Tu nos voca de sentina.

9. In patre tu es filia,
In filio mater pia,
In spiritu es gratia,
In trinitate media.

10. Mulieribus praelata,
Mulieribus lux data,
Mulieribus spes grata,
Mulieribus pax rata.

11. Et quia tu es perfecta
Et Christi virgo electa,
Et es nobis via recta,
Et per te labes abiecta.

12. Benedictus incarnatus,
Benedictus ex te natus,
Benedictus cruci datus,
Benedictus elevatus.

13. Fructus est aeternae vitae,
Fructus ut botrus in vite,
Fructus pro te Sunamite,
Fructus, quo pax est in lite.

14. Ventris, quo pavent Iudaei,
Ventris, quo et Pharisaei,
Ventris sacri, virginei,
Ventris, qui est templum Dei.

15. Tui est beatus fructus,
Tui fructus flos eductus,
Tui fructus perdit luctus,
Tui fructus sedat fluctus.

16. Iesus fructus vitae dictus,
Iesus passus et adflictus,
Iesus morti est addictus,
Iesus vivit benedictus.

17. Christus noster est creator,
Christus noster reparator,
Christus noster est salvator,
Christus est remunerator.

18. Amen, ne velis obesse,
Amen, sed velis prodesse,
Amen, et nobis adesse,
Amen, pia virga Iesse.

Orat. ms. Montis S. Georgii (apud Goslariam) saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 1514 (Helm. 1391) A. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Paulanus Sanbl. memb. 45. B. — Orat. ms. Augiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Carolsruhan. Aug. 36. C. — Cod. Lichtenthalen. anni 1400 [Mone II, 96] D. — 1, 3 Ave genitoris advocatrix A; Ave potens advocatrix BC. — 2, 3 u. 4 umgestellt BC. — 2, 4 dux divinitatis ACD. — 3, 3 in te est reperta A; ex te reperta C. — 3, 4 fehlt A; nobis nunc C; nobis in te est; inserta B. — 4, 1 fehlt A. — 4, 3 revocans C. — 4, 4 advocans D. — 5, 2 und 3 umgestellt D. — 5, 3 regit D. — 5, 4 Dominus qui te A. — 6, 1 caelicus D. — 6, 3 est fehlt D; spiritus sanctus A. — 6, 4 Tecum est Christus humanatus A; Tecum est homo natus C; Tecum Christus homo natus B. — 7, 4 enutrivisti D. — 8, 2 es fehlt B. — 8, 3 es fehlt ABCD. — 8, 4 Tu voca me de A; de ruina B. — 9, 1 tu fehlt AC. — 9, 3 In spiritu sancto gratia ABC. — 9, 4 medicina G. — 10, 2 u. 3 umgestellt B. — 5, 3 spes rata D. — 5, 4 fehlt A; pax grata D. — 11, 1 ipsa D; praefecta A. — 11, 2 Et verbo Christi B. — 11, 4 labis B. — 12, 2 u. 3 umgestellt D. — 12, 3 Benedictus Deus datus B. — 13, 1 est fehlt C; es D; vitae aeternae A. — 13, 2 Fructus ut potens in lite B; Fructus nostrae vite A. — 13, 3 per te AB. — 13, 4 qui est sine lite B; Fructus qui profert ite AD. — 14, 1 quod pavent C. — 14, 2 quod et C; quo corripiuntur Pharisaei A. — 14, 4 qui fit D; quo fit A. — 15, 1 Tui benedictus fructus B; benedictus est fructus A. — 15, 2 sq. fehlen A. — 15, 2 Tui hostis est subductus D. — 15, 4 cedit fluctus D; cedit luctus A; cedat luctus BC. — Str. 16 und 17 fehlen ACD. — 18, 1 nec velis BCD; abesse ABC. — 18, 2 Amen velis et B. — 18, 3 Amen et velis adesse C; Amen et matrem adesse B. — 18, 4 virgo AC; Amen et cum virga B.

113. Super Ave Maria.

1. Ave, mundi imperatrix
Atque caelorum regina,
Peccatorum mediatrix
Et culparum medicina.

2. Maria, o virgo parens,
Electa prae ceteris,
Mater Dei labe carens
Miserere nunc miseris.

3. Gratia tu paracliti
Fuisti fecundata,
Dum Gabrielis incliti
Suscepisti affata.

4. Plena Deo, stella maris
Rutilans virtutibus,
Flore stante fructum paris
Ceteris imparibus.

5. Dominus te sublimavit
Super omnes in aethera,
In gloria coronavit
Secum super sidera.

6. Tecum Christum venerantes
Corde, voce laetitiae
Pertrahas nos iubilantes
Cum sonitu melodiae.

7. Benedicta virginitas
Integra, carens macula,
In qua regnat humilitas
Vernans ut rosa primula.

8. Tu es regina virginum,
Mater alma redemptoris,
Transcendens culmen ordinum,
Quid ultra dicam dulcoris?

9. In mulieribus pia,
Genetrix ineffabilis,
Cum honore in gloria
Datur incomparabilis.

10. Et benedictus uterus
Dia repletus gratia,
Quem elegit Deus verus
Pro nostrae salutis via.

11. Fructus, ex te qui processit
Tamquam sponsus de thalamo,
Vitam pacem mundo gessit
Redimens ab hostis hamo.

12. Ventris tui pretiosi
Psallentes nunc praeconia
Regno nati gloriosi
Fac frui cum laetitia.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

114. Super Ave Maria.

1. Ave, nostrae spes salutis
Et humanae servitutis
Renovans opprobrium,
Maria, spe destitutis
Vitae munus et virtutis
Confer beneficium.

2. Gratia tu singularis,
Stella maris, lux solaris,
Dei paris filium,
Plena fluis, immo pluis,
Unde tuis pie luis
Peccati contagium.

3. Dominus, qui cuncta regit,
Trinitatis te elegit
Aulam et triclinium,
Tecum manens hostes fregit
Infernales et subegit
Per carnis commercium.

4. Benedicta, quae praecellis
In matronis et puellis
Tenens privilegium,
Tu fons roris, stilla mellis,
Tota dulcis, nullum fellis
Habens seminarium.

5. In te nihil indecori,
Gloriantur in te chori
Supernorum civium,
Mulieribus honori
Tuus fructus et amori
Nationi gentium.

6. Et quis tuae puritatis
Prosequatur digne satis,
O virgo, praeconium?
Benedictus, qui te gratis
Nobis dedit, ut peccatis
Adferres remedium.

7. Fructus pulcher ex colore,
Fructus dulcis ex sapore
Refectivus cordium,
Ventris tui natus flore,
Sed complutus caeli rore
Contra fructum noxium.

Orat. ms. Carthusiae Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. eccl. 375. — 5, 1 dedecori.

115. Super Ave Maria.

1. Ave, patris camera,
Filii conclave,
Ave, pians scelera,
Melli fluens fave,
Ave, purgans opera,
Quae gessimus prave,
Ave, precor, celera,
Quod te laudemus suave.

2. Maria dulcedinis
Nomine vocaris,
Maria prae ceteris
Cunctis honoraris,
Maria prae dominis
Superdominaris,
Margarita nominis
Verbo ne ve daris.

3. Gratia praegratior
Et praegratiosa,
Gratia praesanctior
Et praeclariosa,
Gratia praedignior,
Gratiarum rosa,
Gratia sublimior
Et plus amorosa.

4. Plena pulchritudine,
Plena caritate,
Plena sancto flamine,
Plena deitate
Plenaque dulcedine,
Plena pietate,
Plena rectitudine,
Plena veritate.

5. Dominus in gremio
Tuo dormitavit,
Dominus auxilio
Suo te ditavit,
Dominus in proprio
Suo te donavit,
Dominus in solio
Suo te locavit.

6. Tecum Dei filius,
Verus flos odoris,
Tecum est interius,
Tecum totus foris,
Tecum fuit socius
In mundo languoris,
Tecum nunc superius
In regno decoris.

7. Benedicta viscera,
Quae tu genuisti,
Benedicta tenera
Membra, quae nutristi,
Benedicta ubera,
Quae tu lactavisti,
Benedicta opera,
Quibus hoc meruisti.

8. Tu es hortus gloriae,
Verus flos odoris,
Tu virgultum gratiae,
Sceptrum redemptoris,
Tu fructus concordiae,
Tu es pax amoris,
Tu es spes laetitiae,
Mater genitoris.

9. In omnibus omnia
Tu es universis,
In fletu solacia
Dans peccatis tersis,
In omni miseria
Subvenis dispersis,
In defectu copia,
Idem universis.

10. Mulieribus omnibus
Tu es praeclarata,
Mulieribus praemium
Tu sola praerogata,
Mulieribus praecontinens
Quia praesentata,
Mulieribus omnibus
Cuncta es lucrata.

11. Et mater et filia
Unicae personae
Et virgo nil conscia
De corruptione
Et sponsa, sed nescia
Viri laesione,
Et virtutum omnium
Illustratione.

12. Benedictus filius
Talis creaturae,
Benedictus nuntius
Talis geniturae,
Benedictus socius
Ioseph talis curae,
Benedictus obvius
Talis offerturae.

13. Fructus tuus, domina,
Cibus angelorum,
Fructus lavans crimina,
Fructus creditorum,
Fructus dans vermicula,
Fructus est iustorum,
Fructus dans libamina,
Fructus delictorum.

14. Ventris tam mirabilis
Et tam pretiosi,
Ventris tam laudabilis
Et tam fructuosi
Ventrisque tam fertilis
Et tam generosi,
Ventris tam amabilis
Et tam honorosi.

15. Tui, mater, filii,
Tui peccatores,
Tui mercenarii,
Tui servitores,
Tui via devii,
Tui erratores,
Tui sunt auxilii
Desideratores.

16. Virgo, mater omnium,
Maestos consolare
Et pro nobis filium
Tuum deprecare,
Ut non per iudicium
Velit nos damnare,
Sed aeternum gaudium
Nobis erogare.

Orat. ms. ss. Udalrici et Afrae anni 1469. Clm. Monacen. 3702. — 2, 3 Mariae prae ferens. — 2, 7 sq. scheinen verdorben. — 6, 4 totum. — 7, 2 Quae genuisti. — 8, 7 es fehlt — 10, 3 Lies praemio? — 10, 4 Te sonum. — 10, 6 Quam praesadata. — 10, 8 Cunctis. — 11, 8 Perfecte illustratione. — 13, 7 dans ergänzt. — 15, 4 et tui. — 16, 7 aeterni.

116. Super Ave Maria.

1. Ave, per quam filius
summae maiestatis
Sacco se circumdedit
nostrae paupertatis,
Pacem dans hominibus
bonae voluntatis,
Audi preces exsulum,
mater pietatis.

2. Maria, tu domina
sive stella maris
Syra vel hebraica
lingua nominaris,
Et hoc non immerito,
quia Deum paris
Et mundum illuminans
ipsi dominaris.

3. Gratia, qua ceteros
omnes superasti,
Delevit chirographum
Adae protoplasti,
Tu regis amplexibus
frueris pro Vasthi,
Fac nobis placabilem
ipsum, quem lactasti.

4. Plena cunctis opibus
et virtutum rosis,
Vas ornatum undique
gemmis pretiosis,
Orantes te petimus
manibus complosis,
Ut frui nos facias
locis amoenosis.

5. Dominus non quilibet,
sed rex angelorum
In tuis visceribus
fecit sibi thorum,
Tu decus et species
et exemplar morum,
Bonorum participes
fac nos aeternorum.

6. Tecum Dei filius
foedus innovavit,
Quod antiquis patribus
totiens iuravit,
Ipse te per spiritum
sanctum impraegnavit,
Ut dicatur, quod ex te
Dominus regnavit.

7. Benedicta series
Davidicae prolis,
Per quam ad nos prodiit
iubar veri solis,
Tu amicta variis
gratiarum stolis,
Da, ne nos decipiat
Satan suis dolis.

8. In cunctis hominibus
vel in creatura
Non habes consimilem
nec es habitura,
Virgo, cui data est
miserorum cura,
Ne sis tuis famulis
aspera vel dura.

9. Mulieribus inest
quoddam naturale,
Quod in partu rumpitur,
alvi penetrale,
Sed tu post vel antea
nihil passa tale,
Pudoris signaculum
habes aeternale.

10. Et quidem quis valeat
te digne laudare,
Per quam Deus voluit
mundum visitare?
Tu es super sidera
maius luminare,
Per quod transit naufragus
procellosum mare.

11. Benedictus thalamus
uteri materni,
Quo quievit filius
regis sempiterni,
Fac tuos a reprobis
in fine secerni,
Ne sint partes vulpium
aut cibus inferni.

12. Fructus tui palmitis
viti comparatur,
Cuius haustu dulciter
cor inebriatur,
Totum leve reputans,
quidquid patiatur,
Nam in Iesu nomine
totum levigatur.

13. Ventris haec integritas
nunquam est audita,
Quod in partu castitas
non est impedita,
Nullus hoc exprimere
potest in hac vita,
Totum tamen verum est
et factum est ita.

14. Tui ergo filii
redempti cruore
Perungi nos petimus
gratiae liquore,
Quo credentes in Iesum
gratiae amore
Coronemur gloria
simul et honore.

15. Amen dicant singuli,
quibus sacrum flamen
Per Mariae meritum
tribuat iuvamen,
Auferat a cordibus
criminum gravamen
Cum patre et filio
regnans semper. Amen.

Orat. ms. Domus Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. eccl. 375. — Vor der letzten Strophe ist die vorletzte des Liedes *Ave, mater Dei, ave* eingeschoben. — 4, 2 virtutum moribus. — 8, 2 creaturis. — 9, 5 ante. — 11, 3 In quo convenit. — 12, 2 vite. — 13, 5 Nullus homo exprimere.

117. Super Ave Maria.

1. Ave, plena gratia,
beata Maria,
Ave, Dei genetrix,
ave, virgo pia,
De te sine semine
processit sophia.

2. Dominarum domina,
rogo te, sis mecum,
Sanctarum sanctissima,
Dominus est tecum,
Et me miserum famulum
fac adesse tecum.

3. Tu in mulieribus
a dextris Dei sita,
Et per te aperta est,
porta caeli, vita,
Et per te remissa sunt
omnia delicta.

4. Atque benedictus est
fructus ventris tui,
Assit tibi laus, honor,
virtus et gloria
Per infinita saecula
saeculorum. Amen.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. — Nach 1, 4 noch: Ave, rosa paradisi, lilia. — 1, 6 processit fehlt. — Vgl. die folgende Nummer.

118. Super Ave Maria.

1. Ave, plena gratia
beata Maria,
Ave, Dei genetrix,
ave, virgo pia,
Ave, rosa, lilium,
paradisi via,
De te sine semine
processit sophia.

2. Dominantis domina,
Dominus est tecum,
Piarum piissima,
et tu manes secum,
Sanctarum sanctissima,
rogo te, sis mecum,
Me miserum famulum
fac adesse tecum.

3. Tu in mulieribus
vere benedicta,
Nam per te sunt remissa
omnia delicta,
Vera via Domini
erat derelicta,
Sed per te directa est,
porta caeli, vita.

4. Atque benedictus est
fructus ventris tui,
Laus, honor et gloria
semper assunt cui,
Qui salvavit saeculum
passione sui,
Me salvari facias,
qui peccando rui.

5. Ista salutatio
tibi est portata
Gabriele angelo
et annuntiata,
Voluntate Domini
sic es salutata,
Sis mea custodia,
virgo coronata.

6. Tu es virgo virginum,
virgo salutaris,
Domina tu gentium
atque stella maris,
Omnibus virginibus
sola dominaris,
Tu salus fidelium,
virgo singularis.

7. O felix puerpera,
caelorum regina,
O virgo pulcherrima,
stella matutina,
Pauperum refugium,
spes et medicina,
Tu flos florum omnium,
rosa sine spina.

8. Sedes super Cherubim,
virgo gloriosa,
Iuxta tuum filium,
pulchra velut rosa,
Redolens aromata,
nardus pretiosa,
Plus quam solis radiis
fulges speciosa.

9. O mea spes unica,
clara lux diei,
Per quam mundus salvus est,
et salvantur rei,
Succurre velociter,
miserere mei,
Me salvari facias
in conspectu Dei.

10. Adiuva celeriter,
mater pietatis,
Quae portasti filium
summae bonitatis,
Munda me a sordibus
culpis et peccatibus,
Omnibus a vitiis
atque sceleratis.

11. Sum peccatis omnibus
miser involutus,
Intus et exterius
fortiter indutus,
Velut porcus undique
foret revolutus,
Pessimis operibus
undique pollutus.

12. Innumerabilia
mea sunt peccata,
Turpida et foetida
sicut menstruata,
Ergo tibi supplico,
felix advocata,
Ut mihi sint omnia
per te relaxata.

13. Ab omni me scelere
semper tu defende,
Ne me possit laedere,
super me extende
Pietatis dexteram
mihique protende,
Ut ad tuam gloriam
ducas me colende.

14. O virgo pulcherrima,
me tibi commendo,
Patri atque filio
gratias agendo
Sanctoque spiritui
culpas confitendo,
De peccatis omnibus
veniam petendo.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — 3, 3 Nam ergänzt. — 3, 7 Sed ergänzt. — 13, 5 Dexteram pietatis.

119. Super Ave Maria.

1. Ave, praeclarissima
Mater salvatoris,
Maria dulcissima
Cura peccatoris.

2. Gratia per omnia
Maxime divina
Plena es, o domina,
Nobis hanc propina.

3. Dominus monarchiae
Spiritus virtute
Tecum, quem ora pie
Nostra pro salute.

4. Benedicta, caelitus
Manus quam creavit,
Tu, prout angelicus
Testis declaravit.

5. In termino, quo noto
Inter, super eas,
Mulieribus toto
Sexu fari queas.

6. Et in hoc adiungitur
Sanctum consecrato,
Benedictus fungitur
Ille se beato.

7. Fructus quam sit utilis,
Veritas testatur,
Ventris almae virginis,
Ubi sustentatur.

8. Tui matris, Domine,
Cui simus grati,
Amen patris nomine,
Spiritus et nati.

Cod. Carolsruhan. s. n. anni 1438, bei Mone II, 83. — 4, 2 Manu quae. — 8, 4 Spiritusque.

120. Super Ave Maria.

1. Ave, pudoris lilium,
Candor virginitatis,
Ave, salus humilium,
Lux lucens claritatis,
Ave, tibi vox filium
Univit deitatis,
Ave, et auxilium
Fers lapsis in peccatis.

2. Maria, tu es medium
Nostrae redemptionis,
Maria, per te taedium
Datur peccandi bonis,
Maria, tu remedium
Es damnationis,
Maria nos ad praedium
Duc veri Salomonis.

3. Gratia profundius
Te, virgo, pertransivit,
Gratia abundius
Te totam amicivit,
Gratia iucundius
Te consentire scivit,
Gratia fecundius
Tibi Deum univit.

4. Plena Dei divitiis
Es rivus gaudiorum,
Plena sacris deliciis,
Nam binus fons hortorum,
Plenaque pudicitiis
In claritate morum,
Plena lux amicitiis,
Nos duc ad caeli chorum.

5 Dominus condoluit,
Plasma suum damnari,
Dominusque sed noluit
Plus ira dominari,
Dominus sed voluit
In te humanari,
Dominus recoluit
Sic hominem beari.

6. Tecum manendo Dominus
Semper delectabatur,
Tecum delectando minus
A te separabatur,
Tecum est vere comminus,
Qui ex te incarnatur,
Tecum nihilominus
Corregnans gloriatur.

7. Benedicta prae ceteris
Te virginem commendo,
Benedicta es veteris
Legis vera docendo,
Benedicta lux aetheris
Et sidus relucendo,
Benedicta, dum peteris,
Ades exaudiendo.

8. Tu in mulieribus
Es virgo singularis,
Tu in mulieribus
Innupta fecundaris,
Tu in mulieribus
Sola virgo praegnaris,
Tu in mulieribus
Virgo Deum paris.

9. Et benedictus caruit
Ovicula centena,
Et benedictus paruit
Ex te nascens, serena,
Et benedictus aruit
In cruce mortis poena,
Et benedictus claruit
Hanc ducens ad amoena.

10. Fructus prodit laudabilis
Ex te venusto flore,
Fructus quidem mirabilis
Absque naturae more,
Fructus hic delectabilis,
Mellifluus dulcore,
Fructus inaestimabilis,
Omni plenus sapore.

11. Ventris claustra subtilia
Replentur deitate,
Ventris cum cubilia
Tument intemeratae,
Ventris hic tumor, filia,
Fit sine gravitate,
Ventrisque domicilia
Manent virginitate.

12. Tui sinus sacrarium
Sacratum est per flamen,
Tui cordis aerarium
Petenti dat solamen,
Tui nos hic per varium
Defendimur levamen,
Tui nati denarium
Diurnum confer. Amen.

Scala caeli saec. 14. ex Cod. Pragen. XIII E 3.

121. Super Ave Maria.

1. Ave, puella regia,
Virgo immaculata,
Virtutum insignia
Te reddunt Deo grata,
Per te nunc Evae taedia
Sint nobis oblata,
Tu Eva transversata
Mutans luctum in gaudium,
Ex hoc Ave vocata.

2. Maria, dux errantium,
Maria, stella maris,
Maria, caeli lilium,
Maria, lux solaris,
Maria, mundi gaudium
Et mater salutaris,
Audi, pro quo rogaris,
Praebe nobis solacium
In pressuris amaris.

3. Gratia tua mittitur
Tibi, inviolata,
Gratia tibi iungitur,
Antequam esses nata.
Gratiae fons dirigitur
Ad te, virgo sacrata,
A quo es fecundata,
Ex te gratia oritur
Gratis omnibus data.

4. Plena divinis laudibus,
Laetare, virgo pura,
Ditata donis omnibus
Prae omni creatura,
In terris nec caelestibus
Non est Dei factura
Nec post te est futura
Sic ornata virtutibus,
Sic pulchra in figura.

5. Dominus caeli solium
Nobis, virgo, paravit,
Supra suum imperium
Te matrem exaltavit,
Te gratiarum omnium
Datricem ordinavit,
Da, quod ipse mandavit,
Ora pro nobis filium,
Ne perdat, quos creavit.

6. Tecum in caeli gloria,
Tecum est Dei bonitas,
Tecum patris potentia
Tecum et tota trinitas,
Tecum persona media,
Quam induit humanitas
Et attraxit humilitas,
Tecum in caeli curia
Assit nobis societas.

7. Benedicta in milibus
Tu, virgo, comprobaris,
Hinc a Christi fidelibus
Mater Dei vocaris
Et in choris caelestibus
Prae cunctis exaltaris,
Ab omnibus laudaris,
Iunge nos tuis precibus
Gloriae, qua ditaris.

8. Tu sponsa sacri flaminis,
Tu virginum regina,
Tu rosa pulchritudinis,
Tu mundi medicina,
O virgo, salus hominis,
Serva nos a ruina,
A morte repentina,
In nostrae vitae terminis
Nos iuvare festina.

9. In te sponsus est virginum,
In te laus beatorum,
In te mundator criminum,
In te salus iustorum,
In te creator omnium,
Plasmator angelorum,
Fons omnium bonorum,
In te sit nostrum gaudium
In choris supernorum.

10. Mulieribus gaudium
Per virginem donatur,
Laus, honor, decus, praemium
Per hanc eis praestatur,
Mulierum opprobrium
In honorem mutatur,
Quia recte probatur,
Quod per mulieris filium
Omnis homo salvatur.

11. Mulier, salus hominis,
Angelorum regina,
Haec est lavatrix criminis,
Peccati medicina,
Haec arca sacri flaminis,
Haec est vitae doctrina
Servans verba divina,
Haec est totius numinis
Camera crystallina

12. Mulier omnem hominem
excellit sanctitate
Angelorumque ordinem
Transcendit puritate
Daemonumque voraginem
Restringit potestate,
Dei auctoritate
Salvat Adae propaginem
A mortis vastitate.

13. Mulier auro purior
Maria comprobatur,
Ista sole lucidior
A nobis praedicatur,
Cunctis sanctis excelsior
Vere praeconizatur,
Ergo hic concludatur,
Quod muliere melior
Nulla factura datur.

14. Et benedictus rex omnium
Nunc a suis facturis,
Qui per te dat solacium
Omnibus creaturis,
Per te praestat suffragium
Et liberat a curis
Et a malis venturis,
Per te donet remedium
Hic in mortis pressuris.

15. Fructus in te colligitur
Ex virgineo flore,
Ex te, virgo, producitur
Fructus fragrans odore,
Quisquis hoc fructu vescitur,
Vivit fructus sapore
Et cum mentis dulcore
Ad regnum caeli mittitur,
Ut pleno gustet ore.

16. Ventris fructum esurio
Nec possum satiari,
Hunc fructum semper sitio
Et peto mihi dari
Hic in mortis passagio,
Ne possim contristari,
Sed in fructu laetari
Et fructus tandem gaudio
A poena liberari.

17. Tui sim, virgo regia,
Me tibi dedicavi,
Spernens mundana gaudia
Hunc ordinem intravi,
Filii tui praemia
Diu desideravi,
Da, quod semper optavi,
Et in mortis angustia
Me iuva, ut rogavi.

18. Iesus, sanctorum gloria,
Virgo, ad nos attendat,
Per te det caeli gaudia
Seque nobis ostendat,
Dictanti haec dictamina
Dona caeli impendat,
Pro munere rependat,
In hora mortis anxia
Nos a metu defendat.

19. Sancta in mulieribus
Tu, mater pietatis,
Pura, plena virtutibus,
Camera trinitatis,
Praelata caeli civibus
Et omnibus beatis,
Virgo, fons bonitatis,
Iunge nos tuis precibus
Luci aeternitatis.

20. Maria, mater gratiae,
Te semper invocamus,
In hac valle miseriae
Ad te semper clamamus,
O regina clementiae,
Audi voces, quas damus,
Concede, quod rogamus,
Redde nos luci gloriae,
Ut tecum gaudeamus.

21. Mater Dei gratissima,
Mater caelestis roris,
Iesu mater carissima,
Mater nostri amoris,
Mater Iesu sanctissima,
Praesta dona honoris
In supernorum choris
Et in morte durissima
Pelle damna terroris.

22. Ora pro peccatoribus,
Peccati medicina,
A malis salva omnibus
Et a mortis ruina,
Iuva nos tuis precibus,
Nam per nos es regina,
Ergo aurem inclina
Sanctisque caeli civibus
Nos iungere festina.

23. Nobis praedicatoribus
Per te gratia detur,
Qua in mentis aspectibus
Verbum recte formetur,
Et tandem in sermonibus
Nomen Christi laudetur
Saneque praedicetur,
Et a Christi fidelibus
Postea operetur.

24. Virgo, caelesti gloria
Christus sic te dotavit,
Sic et replevit gratia,
Monilibus ornavit,
Quod sanctorum donaria
Nunc in te congregavit,
Divisa copulavit,
Unita tua praemia
Distinctis adaequavit.

25. Iesum pro nobis miseris,
Mater Dei, exora,
Cum nos a morte tuleris,
Vitam nobis implora,
Auctorem huius operis
Virtutibus decora,
In diversis honora,
Cum sibi bona dederis,
Suscipe mortis hora.

Cod. Taurinen. K V 31. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. B. — 1, 6 Sunt B. — 1, 8 Mutas B. — 2, 8 te nobis AB; nobis nunc et A; solacium fehlt A. — 3, 2 mater inviolata B. — 3, 4 omnes nata B. — 4, 3 bonis B. — 4, 7 est fehlt AB. — 5, 2 aperuit B. — 6, 3 Secum B. — 6, 5 Tecum et B. — 7, 1 in mulieribus A. — 7, 3 Hic B. — 9, 8 angelorum A. — 10, 7 Quare recte B. — 11, 4 Ponci medicina A, Mundi medicina B. — 13, 3 fulgidior B. — 14, 4 Suis creat creaturis B. — 14, 6 Et liberet a nocivis AB. — 15, 8 caeli fehlt AB. — 17, 5 Tui et filii tui praesentia AB. — 18, 4 Seque et te AB. — 19, 5 caeli virtutibus AB. — 21, 8 in fehlt A. — 23, 3 Quam A. — 23, 5 tandem fehlt A. — 24, 3 Sic replevit gratia et AB. — 25, 3 tolleris AB. — Nach 17, 4 und 23, 1 gehört der unbekannte Verfasser dem Dominikanerorden an.

122. Super Ave Maria.

1. Ave, quae per angelum
ave suscepisti,
Cuius verbis credula
statim concepisti
Redemptorem omnium,
nec sic amisisti
Virginales flosculos,
quibus micuisti.

2. Iure tibi convenit
hoc nomen Maria,
Quod interpretatum est
stella maris pia,
Esto navigantibus
taetrum mare via,
Quod cum pertransierint,
fruantur Messia.

3. Summa fulges gratia,
tota gratiosa,
Paradisi viola,
caeli vernans rosa,
Vernans supra sidera,
gemma pretiosa,
Quae nos premunt, remove,
quaeque vitiosa.

4. Plena sancto pneumate,
cuius celsis donis
Celsior effecta es
Cherubim et Thronis,
Rogamus, dulcissima,
mentibus te pronis,
Nos purgatos vitiis
colloces cum bonis.

5. Dominus, qui condidit
caelum, terram, mare,
Cuius nutrix fueras,
se vult inclinare
Tuis sanctis precibus
et, quod petis, dare,
Domina, pro servulis
igitur precare.

6. Tecum sine termino
tuus est amator,
Tuus natus genitor
tuus et plasmator,
Tua prece nostri sit
criminis purgator,
Quem venturum concinit
quondam legislator.

7. Benedicta virgula,
quae produxit florem,
Quem fructus subsequitur,
qui nescit marcorem,
Per hunc purga, domina,
sordium foetorem,
Qui inexstinguibilem
minatur ardorem.

8. Tu, quae magis coruscas
quam fulgor solaris,
Quae in summis, mediis,
imis dominaris,
Salva nos a fluctibus
huius mundi maris
Et duc ad palatium,
ubi gloriaris.

9. In te ancoravimus
fluctibus gravati
Procellarum aerium
crebro nostrae rati
Ruinam minantibus,
non sumus quassati,
Qui redempti sanguine
sumus tui nati.

10. Tu in mulieribus
obtines primatum,
Quae secundum veterem
pariunt reatum,
Cuius rei nescia
peperisti natum,
Qui nostrum celeriter
melioret statum.

11. Et ut haec maturius
per te consequamur,
Repelle, quod impedit,
ne exaudiamur,
Ut solutis nexibus,
quibus implicamur,
Ad perenne gaudium
te duce ducamur.

12. Benedictus parvulus,
quem mammae paverunt,
Quae caelestis gratiae
rore stillaverunt
Huic enim serviunt,
favent et faverunt
Omnia, quaecunque sunt,
fuerant et erunt.

13. Fructus quondam vetitus
vita nos privavit,
Quam fructus virgineus
nobis restauravit,
Et qui caelos condidit,
angelos creavit,
Thalamum virgineum
humilis intravit.

14. Ventris sacrae virginis
clausa sunt secreta,
Caelestis consilii
gestantes decreta,
Et in suo gremio
clausum tenet laeta,
Caeli, terrae, marium
quae non claudit meta.

15. Tui demum servuli,
virgo, te laudamus
Atque tuum filium
supplices rogamus,
Ut in huius stadio
vitae sic curramus,
Ut post cursum bravium
regni capiamus.

16. Amen dicant singuli
fide concurrentes,
Passuum non motibus
et bene credentes,
Et sic cursum finiant
non deficientes,
Ut cum Christo maneant
iugiter gaudentes.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15. — 6, 7 consivit. — 10, 3 Quo. — 16, 2 fice.

123. Super Ave Maria.

1. Ave, regina beata,
Quae es virgo consecrata,
Dei mater ordinata
Ante mundi principium.

2. Maria, caeli ducissa
Virginum et principissa,
Martyrum corona ipsa
Et sanctis peculium.

3. Gratia es praedotata,
Super omnes exaltata,
Ab angelis honorata
In supernali curia.

4. Plena salutis amore,
Honestate et candore,
Claritate cum splendore
Es, felix sponsa regia.

5. Dominus te procreavit
Et ornatam coronavit,
Coronatam ordinavit
Suo dilecto filio.

6. Tecum qui inhabitavit,
Requievit et cubavit,
Carnem sumptam immolavit
Crucifixus pro populo.

7. Benedicta porta caeli
Facta es omni fideli
Gratiosa dicens: veni,
Intra regnum cum gaudio.

8. Tu regina, imperatrix,
Dei, nostrum mediatrix
Ac maestorum consolatrix
Electa ab exordio.

9. In mulieribus lux es,
Virginibus semper ades,
Continentibus tu praees
Reginali imperio.

10. Et benedictus hic coetus,
Qui te adorat, sit laetus,
Qui te orat, est adeptus
Sedem in summo thalamo.

11. Fructus tuus est amoenus,
Redolens, dulcis et plenus,
In dulcore est supremus
Praegustato edulio.

12. Ventris tui illustravit
Ortus mundum, consecravit,
Peccatores liberavit
Sparso cruore roseo.

13. Iesus a patre genitus
Ex te natus humanitus,
Operatus est spiritus
Sanctus in hoc commercio.

14. Sancta, pia, iusta, bona,
Tu sola digna corona,
Quae das nobis multa bona
Omni cessante merito.

15. Maria, tu meruisti
Pura mater esse Christi,
Sola virgo peperisti
Foeno strato pro lectulo.

16. Ora pro nobis nunc Deum
Et rogare velis eum,
Quod dignetur istum reum
Recipere in gremio.

Collect. ms. Italicum anni 1476. Cod. Mediolanen. AD IX 43. — 2, 4 Et sanctis speculium, Dittographie; Mone korrigiert Et sanctis speculum, wodurch eine Silbe verloren geht. — 8, 2 Dei et nostrum. — 10, 2 sit lectus. — 10, 3 Qui te ornat. — Mone II, 90 u. f.

124. Super Ave Maria.

1. Ave, regina caelorum,
Pia virgo tenella,
Maria, candens flos florum,
Christique clausa cella.

2. Gratia, quae peccatorum
Dira abstulit bella,
Plena odore unguentorum,
Stirpis David puella.

3. Dominus, rex angelorum,
Te gignit, lucens stella,
Tecum manens, ut nostrorum
Tolleret saeva tela.

4. Benedicta mater morum,
Nostrae mortis medela,
Tu signatus fons hortorum,
In aure dulcimela.

5. In [te lucet] lux cunctorum,
Quo promo de te mella,
Mulieribus tu chorum
Regis [virgo bella].

6. Et vincula delictorum
Frangis nobis rebella,
[Benedictus] . . . . . .
. . . . . potatus fella.

7. Fructus dulcis, quo iustorum
Clare sonat cimella,
Ventris sibi parat thorum,
Nec in te coruptela,

Tui zelo fabri horum
Languescat animella.

Cod. Oxonien. Canonic. Lat. 112. saec. 14. mit Mel. — 1, 4 Christique ergänzt. — 3, 2 gigni. — 4, 4 dulci mella. — 6, 2 sq. stehen vor 5, 1. — 6, 2 re bella. — Nach 6, 2 folgt:

Mater innocentiae, aula venustatis,
Rosa pudicitiae, cella deitatis,
Vera lux munditiae, manna probitatis,
Porta oboedientiae, arca pietatis,
Datrix indulgentiae, virga puritatis,
Arbor fructus gratiae, nostrae pravitatis,
Virtus tuae clementiae me solvat a peccatis.

Die letzte dieser Zeilen steht indessen erst nach 7, 4, gehört aber, wie der Reim zeigt, hieher. — 7, 3 celo fabris horum.

125. Super Ave Maria.

1. Ave, rosa sine spinis,
Quae ab omnibus ruinis
Pura et liberrima,
Maria, tu stella maris,
Excellenter illustraris,
Summae luci proxima.

2. Gratia superabundans
In nos fluens et redundans
Rivis sis assiduis,
Plena spiritus dulcore,
In nos stilla caeli rore
Ex venis mellifluis.

3. Dominus et auctor rerum
Statuit te specierum
Cellam pigmentariam,
Tecum Deus, vis virtutis,
Versans fecit te salutis
Largam thesaurariam.

4. Benedicta, per quam redit
Vitae salus et accedit
Evae culpis perdita,
Tu, quae sola meruisti
Mater esse Iesu Christi,
Virgo parens inclita.

5. In te fulgor meritorum
Lucet et honestas morum,
Omnis decor gratiae,
Mulieribus ablata
Mors per te sit et collata
Magna spes laetitiae.

6. Et, o lampas salutaris,
Procellosi lumen maris
Felix ac christifera,
Benedictus, qui creavit
Teque mire praeornavit
Intrans tua viscera.

7. Fructus tuus angelorum
Cibus est et beatorum,
Quo fruuntur caelici,
Ventris tui dulci fructu
Gaudent ac felici gustu
Spiritus angelici.

8. Tui fructus in sapore
Nos crescamus in amore
Iesu ferventissime,
Iesus, salus animarum
Suae matri devotarum,
Sanet has largissime.

9. Christus, forma speciosus,
Mortis victor gloriosus,
Ducat nos ad aethera;
Amen dicant hic salvati
Tibi, Iesu qui sunt grati,
Virgo salutifera.

Orat. ms. Carth. Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Script. eccl. 375. — 1, 2 ve ab omnibus ruinis. — 3, 2 in te. — 6, 4 qui te creavit.

126. Super Ave Maria.

1. Ave, rosa sine spinis,
Tu, quam pater in divinis
Maiestate sublimavit
Et ab omni vae purgavit.

2. Maria stella dicta maris,
Tu a nato illustraris
Luce clara deitatis
Qua praefulges cunctis natis.

3. Gratia plena te perfecit,
Spiritus sanctus dum te fecit
Vas divinae bonitatis
Et totius pietatis.

4. Dominus tecum miro pacto
Verbo in te carne facto
Opere trini conditoris;
O quam dulcis vis amoris!

5. Benedicta tu in mulieribus,
Hoc testatur omnis tribus,
Caeli fantur te beatam,
Super omnes exaltatam.

6. Et benedictus fructus ventris tui,
Quo nos semper dona frui,
Nunc per gustum hic internum
Et post mortem in aeternum.

7. Amen, hunc salutis sensum,
Tuae laudis gratum pensum,
Conde tuo sinu, pia,
Clemens, dulcis o Maria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Sciptt. Eccl. 375. A. — Offic. B. M. V. sec. usum Romanae Curiae imp. in Castro Lauro 1503. B. — Hortulus animae imp. Argentinae 1508. C. Orat. ms. saec. 15. Cod. Stuttgart. 1 b 108. D. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV 29. E. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. Aug. 85. F. — 1, 2 Te quam pater C. — 1, 4 servavit C. — 2, 4 datis AC. — 4, 4 dulce vas C. — „Oratio aurea de beata virgine“ C; BD haben folgende Notiz: „Sequens oratio dicitur aurea eo, quod nulla ea dulcior et beatae Mariae virgini acceptior sensu humano dictari potest, si cum devotione dicatur, prout ipsamet, habens eandem salutationem aureis litteris in pectore suo scriptam, cuidam devotae personae legitur revelasse.“ — Vgl. Mone II, 111.

127. Super Ave Maria.

1. Ave, rubus visionis,
Ave, vellus Gedeonis,
Ave, victrix Pharaonis,
Ave, thronus Salomonis.

2. Maria, ver suavitatis,
Maria, vas pietatis,
Maria, flos puritatis,
Maria, fons bonitatis.

3. Gratia te segregavit,
Gratia te praeparavit,
Gratia te decoravit,
Gratia te sublimavit.

4. Plena summis divitiis,
Plena summis deliciis,
Plena divinis gratiis,
Plena divinis gaudiis.

5. Dominus te praeamavit,
Dominus tẽ subarrhavit,
Dominus te desponsavit,
Dominus te coronavit.

6. Tecum fuit vivens,
Tecum fuit sanans,
Tecum fuit, fac sit mecum,
Tecum fuit, nunc es secum.

7. Benedicta lux fidei,
Benedicta tutrix rei,
Benedicta sporta spei,
Benedicta sponsa Dei.

8. Tu daemonum es ruina,
Tu reorum medicina,
Tu unica es divina,
Tu caelestis es regina.

9. In te Deus latitavit,
In te Deus se armavit,
In te carne se velavit,
In te homo mortem stravit.

10. Mulieribus es via,
Mulieribus venia,
Mulieribus gratia,
Mulieribus gloria.

11. Et hinc nobis remedium,
Et hinc cessat exsilium,
Et hinc nobis solacium,
Et hinc beatum gaudium.

12. Benedictus, quem eligis,
Benedictus, quem diligis,
Benedictus, quem dirigis,
Benedictus, quem erigis.

13. Fructus tuus vivificat,
Fructus tuus sanctificat,
Fructus tuus salvificat,
Fructus tuus glorificat.

14. Ventris candet virginitas,
Ventris placet humilitas,
Ventris patet fertilitas,
Ventris regnat fecunditas.

15. Tui amor hostes pungat,
Tui amor nos compungat,
Tui amor nos inungat,
Tui amor nos coniungat.

16. Amen oris proferamus,
Amen cordis adiungamus,
Amen in te concludamus,
Amen, ut te videamus.

Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6053. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. B. — 3, 1 praesegregavit B. — 3, 2 praepraeparavit B. — 3, 3 praedecoravit B. — 3, 4 praesublimavit B. — 7, 2 und 3 umgestellt B.

128. Super Ave Maria.

1. Ave, salus omnium,
Norma sanctitatis,
Ave, caeli gaudium,
Splendor claritatis,
Ave, decus virginum,
Mater deitatis,
Ave, obex criminum,
Claustrum trinitatis.

2. Maria, solacium
Dulce captivorum,
Maria, refugium
Patens peccatorum,
Maria, praesidium
Tutum viatorum,
Maria tripudium
Suave beatorum.

3. Gratia inseruit
Culmen naturale,
Gratia consuluit
Votum virginale
Gratiaque tribuit
Onus filiale,
Gratia exhibuit
Regnum aeternale.

4. Plena ergo floribus
Morum venustate,
Plena es coloribus
Mentis castitate
Plena et liquoribus
Prolis dignitate,
Plena es odoribus
Ac iucunditate.

5. Dominus his omnibus
Te locupletavit,
Dominus in omnibus,
Virgo, adamavit,
Dominus ex omnibus
Sponsam subarrhavit,
Dominus prae omnibus
Matrem exaltavit.

6. Tecum est redemptio,
Spes compeditorum,
Tecum miseratio,
Salus infirmorum,
Tecum iubilatio,
Iubar angelorum,
Tecum delectatio,
Dos universorum.

7. Benedicta angeli
Benedictione,
Benedicta parvuli
Exsultatione,
Benedicta filii
Parturitione,
Benedicta populi
Veneratione.

8. Tu fiscella Mosaica,
Thronus Salomonis,
Tu virga Aaronica,
Vellus Gedeonis,
Tu terra Davidica,
Mandibula Samsonis,
Tu virga prophetica,
Mater Salvatoris.

9. Intra te reponitur
Manna suavitatis,
In te nam concipitur
Flos divinitatis,
In te quoque oritur
Fons satietatis
In teque conficitur
Pastus sanitatis.

10. Mulieribus priscos
Contemptus mutasti,
Mulieribus odos
Novum inchoasti,
Mulieribus chaos
Taetrum obdurasti,
Mulieribus polos
Potens reserasti.

11. Et sic contumelia
Per te terminatur,
Et melos et gratia
Ex te innovatur,
Et limbi miseria
In te obseratur,
Et caelestis patria
Per te reseratur.

12. Benedictus Dominus
Ex te incarnatur,
Benedictus populus,
Qui te veneratur,
Benedictus animus,
Qui te meditatur,
Benedictus oculus,
Qui te conspicatur.

13. Fructus tuus croceus,
Virgo, te colorat,
Fructus tuus melleus,
Mater, de dulcorat,
Fructus tuus lacteus
Omnes nos irrorat,
Fructus hic virgineus
Superos decorat.

14. Ventris te virginitas
Reddit speciosam,
Ventris te fecunditas
Facit fructuosam,
Ventris te capacitas
Facit miraculosam,
Ventris singularitas
Probat gloriosam.

15. Tui ergo populi,
Mater, miserere,
Tui causa filii,
Virgo, nos tuere,
Tui callem meriti
Fac nos obtinere,
Tui finem praemii,
Iesum da videre.

16. Amen patri Domino
Una iubilemus,
Amen nato unico
Laeti concrepemus,
Amen pneumati sacro
Simul resonemus,
Amen choro caelico
Omnes conclamemus.

Clm. Monacen. (ol. Alrispacen.) 2873. saec. 15. — 1, 7 luminum. — 3, 5 que fehlt. — 13, 4 te colorat. — 15, 5 gallem.

129. Super Ave Maria.

1. Ave, sidus clarissimum,
Templum Dei sanctissimum,
Virtutum vas mundissimum,
Maria, Mater Christi,
Ave, virgo pulcherrima,
In gratia uberrima,
Salutem, saluberrima,
Gignebas mundo tristi.
Ave, praecelsa femina,
Quae non per viri semina,
Sed castitate gemina
Mater Dei fuisti.

2. Maria, quando claruit
Tua virtus, tunc aruit
Peccatum et disparuit
Id, quod serpens suggessit;
Maria, Deo placuit,
Quod in te natus iacuit,
Ordo naturae tacuit,
Dum virgo prolem gessit.
Maria tunc felicior
Fuit et complacitior,
Dum se prae cunctis mitior
Matrem Deo concessit.

3. Gratia, non meritum
Tunc sustulit interitum,
Ne peccatum praeteritum
In posteros saeviret;
Gratia emicuit,
Et culpa tunc conticuit,
Cum tua vox explicuit
Verbum, quod oboediret;
Gratia plenarium
Fuisti et sacrarium,
Sanctorum sanctuarium,
Quod caelitus subiret.

4. Plena virtute fueras
Divina, cum praebueras
Consensum, ut debueras,
Ad Ave Gabrielis;
Plena laetaris gratia
Intra caeli palatia,
De quibus et nos satia,
Quae imperas in caelis;
Plena cum sis clementia,
In iudicis praesentia
A praedura sententia
Defendere nos velis.

5. Dominus huic dominae
In trinitatis nomine
Carnem sumens pro homine
Se filium donavit,
Dominus ingreditur
Hanc portam et regreditur,
Virginitas non laeditur,
Sed casta generavit;
Dominus sic diluit,
Quod iam per Evam viluit,
Furor paternus siluit,
Quem haec virgo placavit.

6. Tecum pax, iustitia
Parentum post flagitia
Salutis ad initia
Per osculum venerunt;
Tecum concives caelici
Gaudent, chori angelici,
Caeli panem famelici
Tecum reperierunt;
Tecum est omnis copia,
Nulla prorsus inopia,
Pauperibus dato, pia,
Qui tua dona quaerunt.

7. Benedicta puellula,
Solius Dei cellula
Et radiosa stellula,
Quae portum das salutis;
Benedicta prae ceteris,
Tu legis umbram veteris,
Per veritatem diceris
Deificae virtutis;
Benedicta, qui nascitur
Ex te et per te pascitur,
Hic parcet nec irascitur
A sordibus exutis.

8. Tu in mulieribus
Sola casta visceribus,
Caelo plenis uberibus
Deum lactas et paris;
Tu in mulieribus
Sola caeli sideribus
Et regiis muneribus
In partu veneraris;
Tu in mulieribus
Sola Christi verberibus
Praedurisque vulneribus
In mente cruciaris.

9. Et benedictus Dominus,
Qui licet patri comminus
Hic semper nihilominus
In te matre quievit,
Et benedictus reperit
Modum, quo virgo peperit,
Et castitas non deperit,
Hoc usus non consuevit;
Et benedictus statuit,
Quod salus matri latuit
In te, et ex te patuit,
Qui crimina delevit.

10. Fructus inaestimabilis,
Dulcoris ineffabilis,
Quem virgo venerabilis
Maria generavit;
Fructus superni stipitis,
Quem fide si recipitis,
Credentes non desipitis,
Nos perpetim beavit;
Fructus hic semper reficit,
Reficiens non deficit,
Fastidium non efficit
His, quos se satiavit.

11. Ventris in habitaculo
Pudoris sub signaculo,
Qui nos a mortis iaculo
Exsolveret portasti;
Ventris claustrum distenditur,
Quo Deus comprehenditur,
Evae lapsus rependitur
Adaeque protoplasti;
Ventris in domicilium,
Supremi patris filium
Petentem hoc exsilium
Dignanter hospitasti.

12. Tui partus mysterio
Ex nati desiderio
Praefecta es imperio
Et gaudiis caelorum;
Tui cordis benignitas
Et corporis insignitas
Fecit, ut tibi dignitas
Serviret angelorum,
Tuique nobis filii,
Qui angelus consilii,
Confer donum auxilii
In fine saeculorum.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — Cod. Scotorum Vindobonen. 50 f 27. saec. 15. C. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen IV° 29. D. — 1, 5—8 und 9—12 umgestellt C. — 1, 8 Mundo gignebas CD. — 2, 1—4 und 5—8 umgestellt C. — 3, 2 Tunc fehlt C. — 4, 3 quem debueras B. — 5, 6 Hanc sacratissimam portam C. — 6, 2 Post parentum C. — 7, 6 In legis B. — 8, 10 uberibus B. — 9, 3 Semper hic B. — 9, 4 te beatissima mater C. — 9, 6 virgo fehlt C. — 9, 10 Quod nostra salus B. — 9, 11 et fehlt A. — 9, 12 Ac crimina B. — 10, 3 virgo fehlt C. — 10, 6 Quem digne si B. — 10, 8 beatificavit C. — 10, 12 His quibus se sociarunt B. — 12, 10 Qui est angelorum C.

130. Super Ave Maria.

1. Ave, splendor mentium,
Flos vernans decoris,
Maria, tu remedium
Totius doloris,
Gratia currentium,
Spes, ductrix cursoris,
Plena redolentium
Virtutum, mel oris.

2. Dominus, rex omnium,
Te sanctificavit,
Tecum per auxilium,
Sanctam conservavit,
Benedicta filium
Fers, qui te creavit,
Tu candoris lilium,
Deus te plantavit.

3. In tuum corpusculum
Ipse subintravit,
Mulieribus pium
Natum se monstravit
Et tuum in gremium
Totus se prostravit,
Benedictus hominum
Statum reformavit.

4. Fructus de te prodiens
Pascentem se pavit,
Ventris claustrum muniens
Auster te perflavit,
Tui clam ingrediens
Hortum fecundavit,
Amen, hinc egrediens
Hostem debellavit.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 20015. anni 1500—1508. — 3, 2 Ipse fehlt.

131. Super Ave Maria.

1. Ave, stella matutina,
Virgo semper illibata,
Fons hortorum et piscina,
Aqua vitae irrorata,
Flos producens florum florem,
Cuius succi per dulcorem
Nostra mors est morti strata,
Flexa flexum naufragantum,
Fac, ut vota te laudantum
Sint auribus Dei grata.

2. Maria, praeordinata
Christi cella ab aeterno,
Tibi salus nuntiata
Est de solio superno,
Necnon quibus in scripturis
Praefixa est et figuris
Has completas in te cerno,
Ut pro noxa condemnati,
Per te reconciliati
Liberemur ab inferno.

3. Gratia te praeditavit,
Rerum decus, inaudita,
Quando tibi obumbravit
Virtus, quae est infinita,
Ex te voluitque nasci
Atque tuo lacte pasci
Via, veritas et vita;
Propter eius sacrum ortum
Ad tuum ducatur portum
Omnis credens, quod sit ita.

4. Plena morum venustate,
In ventre sanctificata,
Praeexcellens dignitate,
Per prolem deificata;
O felix puella, plaude,
Maior omni nostra laude,
Cui sunt subpeditata
Clara agmina sanctorum,
Hominum et angelorum
Et cuncta sub his creata.

5. Dominus nam ille magnus,
Per quem mundus est formatus,
In te factus mitis agnus
Et in cruce immolatus,
Postquam vere resurrexit,
Semetipsum sursum vexit
Sublimans et sublimatus,
Te tandem ad se levando
Atque secum collocando
In throno ad dextrum latus.

6. Tecum hinc non sine causa
Esse evangelizatur,
Tu es enim porta clausa,
Rubus, qui non concrematur,
Auri urna, manna plena,
Tu es caeli philomena,
Cuius cantu mulcebatur
Is, qui terram fabricavit,
Quando caelos inclinavit
Et in te incarnabatur.

7. Benedicta, benedicta
Sumens Ave Gabrielis,
Per quam est potestas victa
Inimici tam crudelis
Et antiqui proditoris,
Mendacis accusatoris,
Iam cessantibus quaerelis
Dudum lapsis per peccatum
Firmum foedus innovatum
Cunctis gentibus in caelis.

8. Tu nam foederis es arca
Mystica intentione,
Per quam huius patriarcha
Gaudet de remissione,
Dum Dei omnipotentis,
Pontum terramque regentis,
Clementi provisione
Ipse est exortus de te,
In quo omnes sunt repletae
Gentes benedictione.

9. In conceptu singularis
Partum paris singularem,
In supremis principalis
Nullum, nullam habens parem,
Digna admiratione,
Firma nam assertione,
Si in fide non errarem,
Tanto poetarum more
Te persequerer honore,
Quod te Deum apellarem.

10. Mulieribus beata,
Dignior es universis,
Regi regum consecrata,
Quam baptismate conspersis
Data es auxiliatrix
Sedulaque consolatrix
Mundi huius universis,
Quare gratias implora
Ac pro nobis natum ora,
Ut det veniam conversis.

11. Et errantes ut reducat
Ad se, qui est lumen verum,
Mundo calleque deducat
Populum et omnem clerum
In timore, sanctitate
Ac perfecta caritate,
Donans cunctis cor sincerum
Sitque noster tutor fortis,
Ut in hora nostrae mortis
Nil occurrat nobis ferum.

12. Benedictus benedictae
Matris pater, natae natus,
Per quem culpae maledictae
Evae tersus est reatus,
Recta semita parata,
Error pulsus, nox fugata,
Honor primo restauratus
Hominum, qui fuit reus,
Ex quo fuit homo Deus
In carne manifestatus.

13. Fructus alvi gloriosi,
Per fructum intoxicatum
Arteque hostis dolosi
In mortem praecipitatum,
Reddit vitam moriendo
Et ad ima descendendo
Limbum liquit spoliatum
Confuso tyranno diro,
Scandens, quo est omni viro
Iusto regnum praeparatum.

14. Ventris ergo virginalis
Decus semper collaudetur,
Cui plausus maternalis
Non abesse perhibetur,
Sic ut nec nascente prole
Sicut neque vitrum sole
Casta parens violetur,
Sed ut puram et intactam
Mulierem matrem factam
Omne saeculum miretur.

15. Tui, mater, exstas iuris,
Quam implevit sanctum flamen,
Ut succurras parituris
Et eis praestes iuvamen,
Unde ad te suspiramus
Et gementes exoramus,
Tuum pium per precamen
Ut nos firmet in virtute,
Qui servorum pro salute
Ex te carnem sumpsit. Amen.

Orat. ms. Carth. Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3, 4 inaudita. — 7, 3 quem. — 8, 4 de fehlt. — 10, 4 Quem. — 11, 6 Asperfacta caritate.

132. Super Ave Maria.

1. Ave, terra, quae non sata,
De qua virens herba nata
Per praeceptum Domini,
Maria, tu reparatrix,
Orbis es illuminatrix,
Unde salus homini.

2. Gratia, quam repperisti,
Toti mundo subvenisti,
Gloriosa domina,
Plena benedictionis
Praesides in caeli thronis
Habens mille nomina.

3. Dominus te decoravit
Ac mirifice dotavit,
Sponsus amantissimus,
Tecum filius est patris,
Eligens te vice matris
Princeps potentissimus.

4. Benedicta virga Iesse,
Valens volensque prodesse
Supplicanti populo,
Tu laetitia iustorum,
Deo, regi angelorum,
Lac dedisti parvulo.

5. In te habens nil pollutum
Nobis iter para tutum
Post illud exsilium,
Mulieribus et viris,
Quae donasti modis miris
Deicum consilium.

6. Et tu, caeli margarita,
Peccatorum lux et vita,
Parens sine macula,
Benedictus sit creator
Tuus atque gubernator,
Deus ante saecula.

7. Fructus tuus est sublimis,
Quamvis sumitur ab imis
In salutem saepius,
Ventris pleni novi musti
Nec non rubi incombusti
Memoremur amplius.

8. Tui cordis innocentis,
Filio commorientis
Recordemur dulciter,
Iesus, flosculus suavis,
Amovendo nos a pravis
Recreet feliciter.

9. Christus regnans in supernis
Festis aptet nos aeternis
Cum beatis omnibus;
Amen dicat matri piae,
Sacrae virgini Mariae,
Quivis ex fidelibus.

Orat. ms. Domus. Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. eccl. 375.

133. Super Ave Maria.

1. Ave, thronus Salomonis,
Ave, victrix Pharaonis,
Maria, fons pietatis,
Maria, vas puritatis.

2. Gratia te praeparavit,
Gratia te sublimavit,
Plena summis gaudiis,
Plena divinis gratiis.

3. Dominus te desponsavit,
Dominus te coronavit,
Tecum fuit, es nunc secum,
Tecum fuit, fac, sit mecum.

4. Benedicta mater Dei,
Benedicta tutrix rei,
Tu caelestis es regina,
Tu miseris medicina.

5. In te Deus se armavit,
In te mortem vita stravit,
Mulieribus praelata,
Mulieribus es grata.

6. Et hinc nobis remedium
Et confer vitae spatium,
Benedictus per te mundus,
Benedictus et fecundus.

7. Fructus tuus est amoenus,
Fructus tuus laude plenus,
Ventris gaudet humilitas,
Ventris placet virginitas.

8. Tui sumus, nos defende,
Tui sumus, tuis intende,
Amen, amen, repetamus,
Amen, ut te videamus.

Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917. A. — Cod. S. Floriani XI 122. saec. 16. B. — 1, 3 vas pietatis B. — 1, 4 flos puritatis B. — 3, 3 nunc es B. — 3, 4 ut sit B. — 4, 2 tutrix Dei A. — 4, 4 miserorum B. — 5, 3 placata A. — 6, 2 Et fehlt B. — 7, 4 ventris tui B.

134. Super Ave Maria.

1. Ave trinitatis flos,
Troſt vnd gnade vns aws dir flos,
Dum Gabriel dulci ore
Gotes botſchafft wonet in dem ore.

2. Maria, stella fulgens mane,
Dein grundlos gnade bete ich vnd mane,
Ob amorem laudis merae
Erloſe mich aws iomers mere.

3. Gratia tua nunquam vane
Scheinet aws deynes herczens vane,
Quare peto valde plane,
Hilf mir off dez hemels plane.

4. Plena laude atque rore,
Gevs mir gnade aws deynes herczens rore
In cor meum siccum valde,
Slews mich in deynes mantels valde.

5. Dominus noster atque frater
Der funder wart ny fo frater
Quaerens lumen verae stellae
Her gebit ym des hemeles ftelle.

6. Tecum in aeternum stat
Gat, mwer der himels ftat,
Caelum tibi pro dote dans
Do her mit blute vnd mit vleifche [d]ans.

7. Benedicta mater, in hac valle
Leyte mich vos des tewfels valle,
Desint per te mentis notae,
Und hilf mir aws iommers note.

8. Tu lux fulgens sine labe,
Meyn arme fele trofte vnd labe,
Assis mihi pio more,
Das mich nicht die helle more.

9. In mulieribus venit verbum tale,
Das wart czu vleifche in defem tale,
Cuius vires crucis totae
Loften vns von grimmen tote.

10. Et benedictus non est vile,
Daz dich nu dy gatliche vile
Expolivit te tam munde,
Dez lobe ich dich mit fwachem munde.

11. Et nunc precor valde grate,
Behute mich vor der hellen grate,
Saevum hostem mentis sterne,
Sint du bift der engel fterne.

12. Benedictus ortus purae cerae,
Dem gatlich honik mit mir cere
Atque angelorum veste
Cleid mich in des hemels veste.

13. Fructus hic, qui non cor terret
Vnd die funden vewchte terret,
Mihi detur, desint minae,
Des bete ich, genedege vrawe myne.

14. Ventris alvus sine fine
Yft geschont vnd fo fyne,
Quod Deus solus, nullus alter
Dor ynne waz alz off dem alter.

15. Tui ergo inest pure,
Daz du Iohans, deynen armen pure,
Ex ore divinae cannae
Gnade schenkeft mit deynes herczens canne.

16. Amen dico hora cenae,
Schick, daz meynes herczen czene
Gustent favum vivi mannae,
Vnd gnade werd mir armen manne.

Orat. ms. S. Mariae ad Scotos saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 50 f 29. — 13, 1 terret cor. — 15, 3 tannae. — 15, 4 tanne. — „Hanc orationem sequentem cum salutatione angelica edidit Iohannes de Gelnhusen, Moguntinensis dioecesis, notarius reverendissimi in Christo patris, Domini Pilei, tituli sanctae Braxedis presbyteri cardinalis, archiepiscopi Ravennensis, qui orationem eandem latino et thewtunico finalibus dictionibus mirifice concordantem per plurimos sacrae paginae professores examinari decrevit atque ad hanc auctoritate sua et apostolica nec non aliorum apostolicorum interveniente gratia duos annos et LXXX dies indulgentiarum gratiose concessit, praeter quod adhuc ab aliis mundi praelatis plurimae indulgentiae conquirentur.“

135. Super Ave Maria.

1. Ave, tu es paradisus,
in quo Deus graditur,
Ave, audis os loquentis,
quo Adam corrigitur,
Ave, capis verbum fantis,
quo serpens conteritur,
Ave, verbum habes entis,
quo daemon convincitur,
Ave, ex te fructus vitae,
quo vita perficitur.

2. Maria tu viribus
inclitis ditaris,
Maria tu moribus
Ethicis amaris,
Maria virtutibus
Herois vocaris,
Maria charismatibus
Omnibus bearis.

3. Gratia sublimior
caelis comparata,
Gratia splendidior
sole illustrata,
Gratia capacior
totum comprehensa,
Gratia fecundior
Deum es enixa.

4. Plena temperantia
innata fundaris,
Plena tu prudentia
mox sanctificaris,
Plena intelligentia
Deum contemplaris,
Plena sapientia
ipsum amplexaris.

5. Dominus in pectore
tuo commoratur,
Dominus ex utero
tuo nobis datur,
Dominus ex ubere
tuo tuo satiatur,
Dominus officio
tuo procuratur.

6. Tecum est in gremio,
ubi consolatur,
Tecum est in brachio,
in quo baiulatur,
Tecum in exsilio,
in quo transportatur,
Tecum in imperio,
in quo coronatur.

7. Benedicta divino
munere gloriaris,
Benedicta angeli
famine salutaris,
Benedicta humano
carmine praelaudaris,
Benedicta imagine
rerum praesignaris.

8. Tu es nubes montis legis,
qua maiestas loquitur,
Tu es vellus Gedeonis,
quo Christus induitur,
Tu es spica septiformis,
qua Aegyptus pascitur,
Tu es Cherub, templum Dei,
quo deitas panditur.

9. In rubo virginitas
igne non crematur,
In fornace deitas
igne temperatur,
In virga viriditas
sicca fecundatur,
In prole integritas
sincera sacratur.

10. Mulieribus piis
praees bonitate,
mergens caritate,
Mulieribus praees
iustis probitate,
vincens dignitate,
Mulieribus puris
praees castitate,
nitens claritate,
Mulieribus sacris
praees sanctitate,
sistens deitate.

11. Et ut ligno vermiculus
in te figuratur,
Et in aquae igniculus
nube reservatur,
Et in terra secretius
lapsis impraegnatur,
Et ex Maria parvulus
gigas demonstratur.

12. Benedictus exitus
talis producturae,
Benedictus vasculus
talis recepturae,
Benedictus flosculus
talis florituraе,
Benedictus titulus
talis perfecturae.

13. Fructus enim Mariae
emittit odorem,
Fructus huius abunde
excellit dulcorem,
Fructus cuius valide
abicit languorem,
Fructus tui fervide
Inflammat amorem.

14. Ventris,
quem pater praeordinavit,
ut thalamus fieret,
Ventris,
quem pneuma sanctificavit,
ut virgo conciperet,
Ventris,
quem filius subintravit,
ut sponsus procederet,
Ventris,
quem Phanuel aperuit,
ut nobis affluerent.

15. Tui, crater Salomonis
non indigens poculo,
Tui, calix Pharaonis,
pincernae salvatio,
Tui, vitis sponsionis,
vini nobis potio,
Tui palmes trinitatis
monstratur in filio.

16. Iesus, patris filius,
matrem fecundasti,
Iesus, verbum verius,
nos illuminasti,
Iesus, dux es praevius,
recte gubernasti,
Iesus, Mariae filius,
pie nos salvasti.

17. Sancta quia germine,
sancta es et prole,
Sancta es et corpore,
sancta es et mente,
Sancta es et opere
et intentione,
Sancta vitae ordine
et integritate.

18. Maria, praesagine
re et ratione,
Maria, ex flumine
foedos emundare,
Maria ex lumine
nos illuminare
Maria, progenie
natos adoptare.

19. Ora, ancilla Dominum,
cui placuisti,
Ora, mater, filium,
quem tu genuisti,
Ora, casta, spiritum,
per quem concepisti,
Ora, nupta, sponsum,
quem apprehendisti.

20. Pro tui clementia,
qua sic dilexisti,
Propter nati vulnera,
quibus redemisti,
Propter tui viscera,
quibus doluisti,
Pro nostri miseria,
cui subvenisti,

21. Nobis dones meritum
iustificatorum,
Nobis reddas terminum
glorificatorum,
Nobis reddas praemium
omnium sanctorum,
Nobis praestes bravium
vere coronatorum,
Nobis des imperium
regni aeternorum.

22. Amen, angelicum carmen,
sit nobis in omine
per sacrum spiramen,
Amen, gloriosum lumen,
verum habet numen
nostrum expiamen,
Amen, tuum obumbramen,
da nobis solamen,
quod est sanctum flamen
Amen, sit tuis iuvamen,
Securum tutamen,
tuum deprecamen.

Orat. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 333. A. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. B. — 1, 3 laudis B. — 1, 7 verbum Dei sentis B. — 2, 8 ornaris B. — 3, 4 comparata B. — 5, 5 sq. Dominus exsultet tuo partu saturatur A. — 6, 1 in fehlt B. — 7, 7 sq. rerum imagine A. — 9, 5 Qui virga A. — 9, 6 sic ea A. — 10, 3 ingens B. — 14, 11 Phanuel adprobavit A. — 15, 1 Salomon A. — 15, 7 palmos AB. — 16, 8 Iuste nos B. — 17, 1 Salve, quae germine B. — 17, 2 sis AB; et fehlt A. — 19, 7 fehlt eine Silbe AB. — 21, 3 meritum B. — 22, 2 in oratione B; lies omen? — 22, 5 habet munere A. — 22, 10 Amen, quoniam sis tuis iuvamen A. — 22, 11 tutamen fehlt A. — 22, 12 deputamen B. — Der zweite Teil (Str. 17 ff.) steht in B als selbständiges Lied abgetrennt.

136. Super Ave Maria.

1. Ave, tu per angelum
magnum sumens Ave,
Modo per me miserum
sume parvum Ave,
Ut cum vultu placido
meum sumat Ave,
Tuo dilecto filio
funde tuum Ave.

2. O de Deo genita
genetrix Maria,
O curatrix omnium,
medela Maria,
O decus angelicum
gaudium Maria,
O regina virginum,
domina Maria.

3. Te divina gratia
mire procreavit,
Te virtutum gratia
privilegiavit,
Ventrem tuum gratia
prole fecundavit,
Cuius mira gratia
damnatos salvavit.

4. O plena munditiis,
cella puritatis,
O plena laetitiis,
porta pietatis,
O plena divitiis,
portus voluptatis,
O plena deliciis,
hortus ubertatis.

5. Te solam prae ceteris
Dominus dilexit,
Ultra sumens angelos,
Dominus te vexit,
Te dulcoris oculo
Dominus respexit,
De dulcoris pallio
Dominus contexit.

6. Nam in ventris alveo
requievit tecum,
Iacens in praesaepio
colludebat tecum,
Qui prius in stadio
laborabat tecum,
Nunc sedens in solio
gratulatur tecum.

7. Benedicto nomine
gaudens benedicta,
Nam Maria nomine
tu es benedicta,
Lumen Dei reserat
haec vox benedicta,
Tecum claudis nomine
tuo benedicta.

8. Tu es arca continens
manna beatorum,
Tu es virga dirigens
gressus viatorum,
Tu es urna aurea
claritate morum,
Tu geris in tabulis
verba praeceptorum

9. In te nova gratia
novo modo spirat,
Et in tua gratia
peccator respirat,
In tuis deliciis
devotus suspirat
Et in tuis meritis
ad regnum aspirat.

10. Tu in mulieribus
non habes reatum,
Tu in mulieribus
habes principatum,
Tu in mulieribus
tenes caelibatum,
Tu in mulieribus
paris Dei natum.

11. Tu primam et ultimam,
naturam unisti
Tu Deum et hominem
in ventre tulisti,
Angelos et homines
concordes fecisti,
Gratiam et gloriam
nobis invenisti.

12. Benedictus uterus,
de quo processisti,
Benedictus Dominus,
cui patuisti,
Benedictus filius,
quem tu genuisti,
Benedictus spiritus,
de quo concepisti.

13. Fructus tuus suavior
omni blandimento,
Fructus tuus dulcior
omni nutrimento,
Fructus tuus pulchrior
omni ornamento,
Fructus tuus carior
auro et argento.

14. Ventris tui lectulus
tactum viri nescit,
Ventris tui hortulus
gratia florescit,
Ventris tui flosculus
sopore dulcescit,
Ventris tui thalamus
liliis albescit.

15. Tui fructus gratiam
fac nos impetrare,
Tui fructus gloriam
da desiderare,
Tui fructus gratiam
da nos degustare,
Tui fructus praemia
da participare.

16. Amen dico rogans te
Iesu electricem,
Meam, quaeso, animam
praevaricatricem
Tuis sanctis precatibus
fac hostium victricem,
Et aeternis sedibus
tecum assistricem.

Orat. ms. Monsis s. Georgii saec. 15. Cod. Guelfenbyteran 1514. (Helmst. 1391). — 5, 1 sq. Dominus prae ceteris. —

137. Super Ave Maria.

1. Ave tu, sponsa regalis,
Praeelecta, specialis,
Soli Deo dedicata,
Maria, quae cum angelo
Es a salutari vero
Feliciter salutata.

2. Gratia salvationis
Ac nostrae redemptionis
Per te nobis reformata,
Plena de patris favore,
Dei filii amore,
Sanctissima caritate.

3. Dominus ad te veniens,
Dei verbum te diligens
Pro nostra felicitate,
Benedicta, laudabilis
Et semper venerabilis
De sancta conceptione.

4. Tu innupta virgo mater,
Omnipotens Deus pater
Christi incarnatione,
In mulieribus felix,
Quia Iesu Christi nutrix
In purificatione.

5. Et benedictus, qui venit,
Qui totum mundum redemit
Per amaram passionem,
Fructus, radix aeternalis,
Resurrexit immortalis,
Tendens ad ascensionem,

6. Ventris tui, qui portavit
Regem, qui te coronavit
Ad caelorum regionem;
Iesus Christus, filius tuus
Sit nobis peccatoribus
Omnibus propitius.

Miss. ms. Hildeshemense saec. 13. Cod. Capit Treviren. 153. add. saec. 14. Als „hymnus“ bezeichnet.

138. Super Ave Maria.

Ave tu, virgo Maria,
Tota repleta gratia,
Dei filius est tecum,
Tota virtus eius secum.
Inter omnes benedicta
Virgo mater et inclita,
Fructus tuus benedictus
Nam caelestis exercitus
Hunc, mater, tuum filium
Collaudat in perpetuum.
Ergo, virgo mater Dei,
Miserere, precor, mei,
Ora pro toto populo,
Qui vivit in hoc saeculo.

Orat. ms. Augiense saec. 14/15. Cod. Carolsruhan. Aug. 36.

139. Super Ave Maria.

1. Ave venerabilis
Venustate moris,
Virgo delectabilis
Sine vae doloris.

2. Maria tu proprio
Nomine vocaris,
Sonat vocis ratio,
Quod es stella maris.

3. Gratia te spiritus
Sancti fecundavit
Verbo, quod humanitus
In carnem formavit.

4. Plena Dei filium
Virgo concepisti,
Nec pudoris pallium
Partu dirupisti.

5. Dominus signaculo
Te sponsam signavit,
Quam sponsus in annulo
Suo subarrhavit.

6. Tecum habens filium
Forma deitatis
Contrahis conubium
Summae trinitatis.

7. Benedicta domina,
Regina caelorum,
Tibi laudes agmina
Canunt angelorum.

8. Tu in mulieribus
Semper benedicta,
Gratior es omnibus
Sanctiorque dicta.

9. Et cum desideriis
Optabant prophetae
Te, per quam miseriis
Imponuntur metae.

10. Benedictus omnium
Machinas rex fecit,
Caeli, terrae, marium
Quas tibi subiecit.

11. Fructus tuus creditur
Cibus angelorum,
Pascit nec depascitur
Esu commestorum.

12. Ventris in sacrario
Deum inclusisti,
Quem mannae mysterio
Mundo compluisti.

13. Tui sint in gaudio
Servi tecum, pia,
Quo mater cum filio
Frueris, Maria.

Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacen. 716. A. — Orat. ms. Carth. Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Script. Eccl. 375. B. — Orat. ms. Salisburgense anni 1474. Cod. S. Petri Salisburgen. III 10. C.

2, 4 Quae es A. — 4, 4 Partu perdidisti C. — 5, 3 Quod sponsus B. — 6, 1 habes A. — 7, 3 Ubi laudes A. — 9, 2 Optabant te prophetae B. — 9, 3 Per quam nostris miseriis B. — In B sind noch zwei Strophen über die Worte Iesus Christus angefügt, die aber andern Liedern entlehnt sind. Vgl. Mone II, 97 u. f.

140. Super Ave Maria.

1. Ave, virginum regina,
Rosa florens sine spina,
Ave, clemens et divina,
Peccatorum medicina.

2. Maria, virgo tenella
Diceris inter agnella,
Decus morum, maris stella.
Caelica propinans mella.

3. Gratia tu gratiosa,
Mater Dei generosa,
Digna laude gloriosa,
Veri veris rubens rosa.

4. Plena angelorum laude,
Nos ab hostis salva fraude,
Cum supernis semper plaude,
In Dei visione gaude.

5. Dominus te matrem sibi
Elegit commendans tibi
Egenos, quos vult ascribi
Participes caeli cibi.

6. Tecum manet in aeternum
Iesus, quem nos coaeternum
Famus patri et supernum,
Te regens in sempiternum.

7. Benedicta, quae portasti
Christum Iesum, quem lactasti
Gaudens, quando dilatasti
Corque Deo praeparasti.

8. Tu virtutibus ornata,
Summae Hierusalem nata,
Virgo Deo semper grata,
Prophetarum complens fata.

9. In mulieribus decora,
Semper rubens ut aurora,
Pro nobis Deum exora
In suprema mortis hora.

10. Et benedictus tuus natus,
Qui propter nostros reatus
Clavis duris vulneratus
Est et spinis coronatus.

11. Fructus iste spiritalis,
Generosus et regalis,
Pro nostris oblatus malis
Nunquam est perceptus talis.

12. Ventris sponsus de cubili
Procedens modo subtili
Nos visitat, non hostili,
Amictus vestitu vili.

13. Tui condolentes nati,
Passione liberati,
Ab ipso pie renati
Laudem demus summitati.

Orat. ms. Carth. Erphesfurten. saec. 15. Cod. Rossian. VIII 56. — 2, 1 virgo ergänzt. — 8, 1 Tu in mulieribus. — 13, 4 summi nati.

141. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo domina,
Plena pietate,
Ave, felix femina,
Nitens puritate,
Ave, scandens culmina
Gloriae beatae.

2. Maria culpabili
Carens corruptela,
Maria laudabili
Affluis medela,
Maria mirabili
Nos servas tutela.

3. Gratia praeveniens
Te sanctificavit,
Gratia perveniens
Te magnificavit,
Gratia perficiens
Te glorificavit.

4. Plena verbi numine
Summa creatura,
Plena sacro flamine
Paris, virgo pura,
Plena Dei lumine
Illustras obscura.

5. Dominus ingenitus
Pater te elegit,
Dominus te genitus
Matrem praeelegit,
Dominus te spiritus
Fecundat et regit.

6. Tecum tota trinitas
Manet deitatis,
Tecum est humanitas
Verbi veritatis,
Tecum est fecunditas
Et flos puritatis.

7. Benedicta viscera,
Quae Christo parasti,
Benedicta ubera,
Quibus hunc lactasti,
Benedicta opera,
Quibus coruscasti.

8. Tu in mulieribus
Summe sublimaris,
Tu in mulieribus
Sola virgo paris,
Tu in mulieribus
Es ut stella maris.

9. Et regnas sublimior
In throno caelorum
Et es gloriosior
Choris angelorum
Et post Christum sanctior
Sorte beatorum.

10. Benedictus praeditus
Pater te creavit,
Benedictus genitus,
Qui te de manavit,
Benedictus spiritus,
Qui te consecravit.

11. Fructus vitae caelicus,
Cibus sacramenti,
Fructus est salvificus
Robur praebens menti,
Fructus est angelicus
Splendor firmamenti.

12. Ventris in hospitio
Claudis infinitum,
Ventris in sacrario
Fructum fers mellitum,
Ventris almi gremio
Deo paras situm.

13. Tui vultus claritas
Mirum dat splendorem,
Tui partus novitas
Conservat pudorem,
Tui fructus bonitas
Omnem fert dulcorem;

14. Iesus, sol iustitiae,
Salus viatorum,
Iesus, fons lactitiae,
Dator praemiorum,
Iesus, splendor gloriae
Et lux beatorum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

142. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo dulcissima,
Virgo placens amabilis,
Ave, virgo pulcherrima,
Virgo genere nobilis,
Ave, virgo purissima,
Virgo, tota laudabilis,
Ave, virgo gratissima,
Virgo, mater mirabilis.

2. Maria, praeter opera
Carnis portasti Dominum,
Maria, mortis onera
Destruis, virgo virginum,
Maria, plus quam sidera
Refulges, salus hominum,
Maria, tu puerpera
Culmen transcendis ordinum.

3. Gratia sancti spiritus
Dulcem ornavit loculum,
Gratia Dei caelitus
Replevit habitaculum,
Gratia te divinitus
Transformavit in vasculum,
Gratia cuius ambitus
Attulit pacis osculum.

4. Plena fuisti gratia,
Plena caeli dulcedine,
Plena Deo dans omnia,
Plena divino flamine,
Plena desuper in via,
Plena manens in lumine,
Plena nunc es in patria,
Plena sedens in culmine.

5. Dominus, rex regnantium,
Contraxit amicitiam,
Dominus in sacrarium
Dulcem elegit filiam,
Dominus in hospitium
Tractus propter munditiam,
Dominus domicilium
Intrans et dans custodiam.

6. Tecum fuit infantulus
Inclusus in visceribus,
Tecum hic legis baiulus
Dignis portatus manibus,
Tecum dulcis puerulus
Ablactatus uberibus,
Tecum immensus parvulus,
Totus plenus dulcoribus.

7. Benedicta salubriter
Cunctis fulta virtutibus,
Benedicta totaliter
Carens cunctis criminibus,
Benedicta feliciter
Illustrata fulgoribus,
Benedicta perenniter
Et praefulgens honoribus.

8. Tu dulcis, felix femina,
Caeli digna fastigio,
Tu gloriosa domina,
Regali sedens solio,
Tu pusillorum intima
Dulcoris foves gaudio,
Tu caelestium agmina
Dulci reples solacio.

9. In nullis tanta puritas
Ab initio saeculi,
In nullis tanta dignitas
Signati dulcis hortuli,
In nullis sic fecunditas
Absque tactu signaculi,
In nullis haec nobilitas
Singularis vehiculi

10. Mulieribus haec pia
Praefertur singulariter,
Mulieribus socia
Se dat sororem dulciter,
Mulieribus gloria
Mater Dei veraciter,
Mulieribus curia
Caeli defert humiliter.

11. Et qui fructus puerperae
Mea dicet fragilitas,
Et quid possum describere,
Ubi fontalis bonitas,
Et quid possum hic quaerere,
Ubi tanta profunditas,
Et quid possum plus dicere?
Doceas, felix trinitatis.

12. Benedictus superius
Est in caeli palatio,
Benedictus inferius
In mirando commercio,
Benedictus interius
In puellae triclinio,
Benedictus exterius
Omni dignus praeconio.

13. Fructus hic speciosior
Cunctis aliis fructibus,
Fructus iste suavior
Miris fragrans odoribus,
Fructus hic amabilior
Pius devotis mentibus,
Fructus hic efficacior
Dulcis marcens virtutibus.

14. Ventris matris praeclaritas
Relucet in ecclesia,
Ventris mira suavitas
Et odoris fragrantia,
Ventris dulcis felicitas,
Ubi Iesu praesentia,
Ventris felix haec novitas
Iunxit imis caelestia.

15. Tui corporis propria
Deo grata possessio,
Tui, virgo, sacrarii
Suavis contemplatio,
Tui templi eximii
Paradisus emissio,
Tui dulcis hospitii
Fructum miratur ratio.

16. Amen, Iesus dulcissimus,
Bonus essentialiter,
Amen, excelsus infimus,
Propinquus personaliter,
Amen, hic frater minimus,
Rubricatus poenaliter,
Amen, ergo dignissimus,
Benedictus perenniter.

Orat. ms. Domus Novae Lucis saec. 15. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. A. — Orat. ms. Caelestin. saec. 15. Cod. Parisin. 18571. B. — Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Vatican. 3767. C. — 1, 7 gloriosissima C. — 2, 1 Maria mater opera C. — 3, 2 Ornavit dulcem B. — 4, 3 Deo fehlt A. — 4, 5 insuper B. — 4, 7 et in C. — 5, 2 coniunxit A. — 6, 4 tractatus B. — 6, 6 Et lactatus B. — 6, 7 puerulus C. — 8, 1 Tu dulcissima femina BC. — 8, 8 Magno reples B; dulci C. — 9, 1 tanta dignitas C. — 9, 5 haec fecunditas BC. — 9, 8 ferculi C. — 11, 1 quid B. — 11, 3 possim C. — 11, 5 possim C. — 11, 7 possim C. — 11, 8 Doceat C. — 13, 2 fontibus C. — 13, 6 Piis C. — 13, 8 marces C. — 14, 8 Imis imxit C. — 15, 6 Paradisi B. — 15, 8 Factum B, Fatim C. — 16, 8 Qui est Christus A. — C fügt noch weitere drei Strophen bei:

17. Maria, te suppliciter
Mea salutat parvitas,
Mater misericorditer
Reddas coronas perditas,
Ut laetemur feliciter,
Ubi dulcis iucunditas,
Regnemus aeternaliter,
Ubi iugis sollemnitas.

18. Per te donetur venia,
Sis expiatrix scelerum,
Sopiatur discordia
Sis reformatrix foederum,
Ad te clamat inopia,
Sis pia datrix munerum,
Nos coartat miseria,
Sis consolatrix pauperum.

19. Cupio, mater, cernere
Tui splendoris speciem,
Feliciter quiescere
Post timendum mortis diem,
Fac nos sursum ascendere
Ad illam dulcem requiem,
Dulcem Iesum respicere
Et eius gratam faciem.

143. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo gloriosa,
Peccatorum consolatrix,
Ave, dulcis speciosa,
Ave, nova reparatrix,
Ave, scandens velut rosa,
Castitatis conservatrix,
Ave, mater fructuosa,
Miserorum miseratrix.

2. Maria, plena gratiae,
Ab angelo salutata,
Maria, pulchra facie,
Super caelos exaltata,
Maria, regis gloriae
Mater et virgo beata,
Maria, precor hodie,
Dilue mea peccata.

3. Gratia Deus replevit
Te per hoc verbum suave,
Gratia totam complevit,
Cum Gabriel dixit Ave,
Gratia in te quievit,
Qui nos liberavit a vae,
Gratia tua delevit
Parentum reatum grave.

4. Plena virtutum Maria,
Virgo Deum concepisti,
Plena oboedientia
Cum ancillam te dixisti,
Plena caelesti gratia,
Virgo Deum peperisti,
Plena misericordia,
Summo Deo placuisti.

5. Dominus praevidit sibi
In te suum sacrarium,
Dominus elegit ibi
Suum reclinatorium,
Dominus hic, non alibi,
Fecit suum palatium,
Dominus donavit tibi
Unicum suum filium.

6. Tecum Deus, virgo pura,
Fecit suum obumbramen,
Tecum sua genitura
Venit per angeli flamen,
Tecum divina natura
Habet suum respiramen,
Tecum omnis creatura
Postulat suum iuvamen.

7. Benedicta virginitas
Viget in te in aeternum,
Benedicta sit castitas,
Quae dedit Deum aeternum,
Benedictaque unitas,
Quae fecit tempus modernum
Benedicta nos trinitas
Conservet in sempiternum.

8. Tu es stella matutina,
Quae illuminas patriam,
Tu sola stella marina,
Quae nos reducis ad viam,
Tu sola vera regina,
Quae quaeris sapientiam,
Tu dulcissima domina,
Quae portas auri copiam.

9. In te, virgo, sunt sperantes
Adflicti et peccatores,
In te fugiunt clamantes
In hoc mundo viatores,
In te exsultant cantantes
Omnes viri bellatores,
In te, mater, deviantes
Recipiunt bonos mores.

10. Mulieribus pulchrior,
Virginum serenissima,
Mulieribus sanctior,
Sanctarum beatissima,
Mulieribus altior,
Cunctarum nobilissima,
Mulieribus dulcior,
Omnium suavissima.

11. Et dignior omni laude,
Ab omnibus veneranda,
Et permanens sine fraude
Super omnes praeamanda,
Et tu, mater virgo, gaude,
Quia tu es adoranda,
Et in throno sedens plaude,
Quia semper es laudanda.

12. Benedictus sit creator,
Qui te Mariam elegit,
Benedictus sit bellator,
Qui in cruce pugnam egit,
Benedictus sit salvator,
Qui inferni claustra fregit,
Benedictus gubernator,
Qui caelum et terram regit.

13. Fructus Mariae virginis
Ecclesiam restauravit,
Fructus superni numinis
Synagogam excaecavit,
Fructus aeterni luminis
Nos caecos illuminavit,
Fructusque sui sanguinis
In se credentes salvavit.

14. Ventris partus mirabilis
Fide et flore floruit,
Ventris porta tam nobilis,
Nunquam homo te polluit,
Ventris fructus spectabilis
Nos sacram fidem docuit,
Ventris cibus amabilis
In Bethlehem emicuit.

15. Tui filii sanguine,
Maria, sumus lavati,
Tui nati certamine
Sunt daemones spoliati,
Tui fructus iuvamine
Sunt captivi liberati,
Tui partus in nomine
Sunt omnes iusti salvati.

16. Amen debemus dicere
In fine huius operis,
Amen, fac nos recurrere
Ad partem tui foederis,
Amen, fac nos te edere,
Qui panis vitae crederis,
Amen, fac nos quiescere
Tecum cum sanctis ceteris.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Capit. Toletan. 34–28. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — 1, 1 generosa B. — 1, 4 nostra B. — 1, 7 gloriosa B. — 1, 8 Omnium sanctorum amatrix A. — 2, 6 sacrata B. — 2, 8 nostra B. — 3, 1 replevit Deus A. — 4, 2 Verbo Deum B. — 4, 7 oboedientia A. — 6, 2 umbramen B. — 6, 4 angelum A; Per angeli venit B. — 6, 6 Sunm habet B. — 6, 8 Spectat suum A. — 7, 2 Quae viget A; In te viget in B. — 7, 4 Quae concepit Deum trinum A. — 7, 6 Quae dirigat tempus A — 7, 7 nos fehlt A. — 7, 8 Quae conservet nos in A. — 8, 2 illuminat. B. — 8, 4 reducit B. — 8, 5 caeli regina B. — 8, 6 Regens nostram pro sapiam B. — 8, 7 Tu sola mundi B. — 9, 6 Omnes veri creatores A. — 9, 7 matrem B. — 10, 2 clarissima A. — 10, 6 Cunctarumque altissima A. — 10, 8 es dulcissima A. — 11, 3 permanes A. — 11, 7 sedes B. — 12, 2 te virginem B. — 12, 3 pugnator B. — 12, 4 bella egit B. — 12, 8 et fehlt B. — 13, 3 superne nominis B. — 13, 4 renovavit B. — 13, 5 aeterne B. — 13, 7 Fructus veri sui B. — 13, 8 salutavit A. — 14, 6 Novam legem nos B. — 15, 2 Sumus, Maria B. — 15, 4 Diaboli sunt B. — 15, 8 Omnes chori sunt B. — 16, 3 nos recitare B. — 16, 4 patrem B.

144. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo nobilis,
caelica regina,
Praeter Deum quoslibet
gloria divina
Superas, mirabili
formula concepta,
Sola Dei genetrix
digna es reperta,
Abs viro spiramine
sancto gravidata,
Sedes hinc seraphicis
superexaltata,
Absque vae parturiens
verum Dei natum,
Supra choros agminum
locum nacta gratum,
His potenter imperas,
paritant mandatis,
Laudes canunt iugiter
tuae dignitatis,
Prona es cuipiam
supplici precanti,
Quavis in angustia
tete postulanti.

2. Maria dulcissima,
virginum corona,
O si tua perfruar
facie decora,
Cura quaevis grandior
penitus cessaret,
Mens refecta dulcius
laeta iubilaret;
Vocibus precantium
aures praebe pia,
Tui propter nominis
laudes, o Maria,
Quaeque nostra tristia
mitiga benigne,
Ut in hoc exsilio
sufferamus digne
Et post carnis transitum
deviis vitatis
Perfruamur gaudiis
aevae claritatis.

3. Gratiam non denegas
mera bonitate,
Quam deposcunt miseri
in necessitate,
Et si grandis fuerit
moles egenorum,
Prorsus eam reprimis,
mater orphanorum,
Tuo in servimine,
praesta, sic vivamus,
Iuge ut supplicium
laeti evadamus,
Erue a doloribus,
spes desolatorum,
Gaudia des cordibus
maestis adflictorum.

4. Plena et plenissima
omni pietate,
Serva nos gratissima
tua suavitate,
Mentes, da, irradiet
gratiae splendore
Pneuma divum, saciet
fecundando rore,
Teque tuum filium
semper ut laudemus,
Quaeque transitoria
vana refutemus.

5. Dominus prae ceteris
te elegit matrem,
Castis e visceribus
tuis ut nasceretur,
Conferens solacium
maestis et egenis,
Quos redemit sanguine
inferi a poenis,
Ictus diros tolerans,
vulnera cruenta,
Famam, sitim, alapas,
varia tormenta;
Cruciatus auferas
mentis sine mora,
Spiritus suscipias
nostras mentis hora.

6. Tecum almi gratia
spiritus quiescit,
Sacro tuo scrinio,
maculam quod nescit;
Natum unigenitum
roges, o Maria,
Pium ut auxilium
nobis sit in via,
Hoc cum ab exsilio
simus transituri,
Redeamus patriam
laetique securi.

7. Benedicta domina,
virginum corona,
Quovis a facinore
praeservata bona,
Gabrielem nuntium
pater supernorum
Misit, absque macula
quavis peccatorum
Verum suum filium
e te nasciturum
Nuntiantem caelitus,
mundum redempturum,
Est ob hoc integritas
tuae castitatis
Laesa sic nullatenus
dono deitatis.

8. Tu, quae caeli porta es
iugiter serrata,
Verbo sola territa
eras, salutata
Angeli oraculo
concinentis Ave;
Incontacta concipis,
gignis onus suave,
Iesum, abs peccamine
Qui te conservavit,
Virtus nam altissimi
tibi obumbravit;
Quavis in angustia
nos placare, pia,
Virginum castissima,
mater Dei dia.

9. Inque mulieribus
tamquam sol candescis,
Ullam in te maculam
prorsus, pia, nescis,
Omnes mulierculas
sola tu praeclara
Excellis nec est mundior
virgine te cara
Unquam a femineo
sexu procreata;
Igitur te poscimus,
mater Dei grata,
Tuam ut ob regiam
dones dignitatem
Aeva nobis gaudia
ac felicitatem.

10. Benedictus prodiit
aula paternali,
Procreatus tempore
aula virginali

Genetricis optimae,
virginis Mariae,
Nomen cuius personant
Christiani mire
Collaudando suavius
fantes: o Maria,
Dona nobis gaudia
caeli hierarchia.

11. Fructus, qui virgineo
utero profluxit,
Agnus Dei innocens
crimina destruxit,
Iesus Christus agnus est
oves aberrantes
Patri reconcilians,
ipsum invocantes;
Agnus is pulcherrimam
virginem beavit
Et prae cunctis feminis
tete sublimavit;
Confer vitae spatium
culpas conterendi,
Post da frui iugiter
gaudio perenni.

12. Ventris tui puritas
nunquam violata,
Ast virtutum pondere
mire decorata,
Nunc et ante saecula
semper praeelecta,
Dei habitaculum
exstat iam effecta,
Rogo, virgo inclita,
ut in fine vitae
Caro Christi nobilis,
potus sanguis insons,
Quis cibati levius
caelos conscendamus.

13. Tui nos auxilii
gratiam poscentes,
Virgo Dei genetrix,
miseros et flentes
Ultimo in examine
stricto rigoroso
Praesentatos iudici,
o si favoroso,
Iuva, pie promove,
ut ad dextram Christi,
Nati tui unici,
mereamur sisti,
Ubi latro nequior
gratiam adeptus
Conterens peccamina
caelos ad receptus.

14. Amen, ut ad patriam
provehamur veram,
Clare Dei faciem
intuendo meram,
Cuius in intuitu
gaudia sunt vera,
Gressus nostros dirige,
dia caeli hera.

Cod. Berolinen. (ol. S. Petri Erfordien.) IV° 164. saec. 15. — 3, 9 sermine. — 6, 4 scruneo. — 9, 16 ast felicitatem. — 10, 8 Christi boni. — Aufschrift: „Salutatio angelica, quam auream vocant.“

145. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo,
regina gloriae,
Vitae via,
dux sanctimoniae,
Spes salutis,
flos pudicitiae,
Fons dulcoris,
mater munditiae,
Labe carens.

2. Maria, tu
es virgo omnium,
Virgo prudens,
prima prudentium,
Invenisti
salutis gaudium,
Quod amisit
per gulae vitium
Prima parens.

3. Gratia, quam
nulla promeruit,
Tibi datur,
et gratis adfuit
Gratiarum
dator, dum voluit
De te nasci,
hunc, qui te genuit,
Genuisti.

4. Plena fulges
virtutum gratia,
Nam fit in te
carnis substantia
Verbum patris
et sapientia,
Sine patre
dum patrem filia
Peperisti.

5. Dominus te
sacrans in utero
Educavit
amore tenero
Et a gressu
conservans aspero
Pedem tuum
semper in prospero
Dirigebat.

6. Tecum fuit
in hoc itinere
Dux et comes
firmato foedere,
Orto sole
de suo sidere
Ius naturae
partu puerperae
Obstupebat.

7. Benedicta,
quae Dei filium
Concepisti
aure per nuntium,
In conceptu
viri consortium
Non experta
carnis incendium
Nesciebas.

8. Tu es, in qua
miro commercio
Fit et verbi
et carnis unio,
Semper vernans
pudore proprio
Poenam partus
in puerperio
Non habebas.

9. In hoc partu
natura siluit,
Caelum canit,
sidus apparuit,
Magus credit,
pastor obstupuit,
Bos cognovit,
asellus docuit
Adorare.

10. Mulieribus
aufert opprobria
Partus ille
dans mundo gaudia,
Obierunt
mors et miseria
Nato Iesu,
qui venit vitia
Relaxare.

11. Et tu, felix
virgo puerpera,
Gaude, cuius
intacta viscera
Ediderunt,
lactarunt ubera,
Quem non valent
tellus et aethera
Continere.

12. Benedictus
sit Dei filius,
Factus nobis
per te propitius,
Carne frater,
natura socius,
Culpae carnis
expers et nescius
Erat vere.

13. Fructus venit
de te, christifera,
Per quem perit
virus et vipera,
Quae inflixit
peccati vulnera
Et a morte
stirps Adae misera
Liberatur.

14. Ventris tui
fructificatio
Mundi salus
est et redemptio,
Animarum
vera refectio,
Panis vivus,
quo caeli contio
Satiatur.

15. Tui, mater,
honoris dignitas
Laudes nescit
habere tacitas,
Tibi preces
offerre placitas
Opem nobis
det sancta trinitas
Et virtutem.

16. Amen dicant
omnes et singuli,
Ordo, sexus,
senes et parvuli,
Gens Iudaea,
fidelis populi,
Quos perducat
salvator saeculi
Ad salutem.

* * *

17. Fili Dei
nostraeque virginis,
Mediator
Dei et hominis,
Miserorum
tuae propaginis,
Quos redemit
crux tui sanguinis,
Miserere.

18. Iesu pie,
patris potentia,
Piae matris
prece propitia
Solve reos
a faecis scoria
Et solutos
tecum in gloria
Fac gaudere.

19. Alma virgo,
da mihi misero
Te laudanti,
ut cursu propero
Litus tendam,
quo timens propero,
Tutus tamen,
si tuum sensero
Adiuvamen.

20. Teque rogo,
mi dulcis domina,
Ut quicunque
haec laudum fragmina
Tibi psallunt,
eorum nomina
Conscribantur
in vitae pagina;
Fiat, Amen.

Cod. Parisin. 11343 saec. 15.

146. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo virginum,
Ave, mater Dei,
Ave, mater luminum,
Ave, salus rei,
Ave, culmen culminum,
Memor esto mei,
Mihi placa Dominum
Me reformans ei.

2. Maria, clementiae
Vera lux divina,
Imperatrix regiae
Lucis et regina,
De lacu miseriae,
Faecis de ruina
Me duc et ad gratiae
Callem pie mina.

3. Gratia, quae floribus
Fulcit te virtutum,
A peccati sordibus
Reddat me solutum,
Ut cum sanctis omnibus
Iter nactus tutum,
Quo resistam hostibus,
Spei feram scutum.

4. Plena pigmentario
Cella tu liquore,
Portus in naufragio,
Quies in labore,
Medicinam saucio
Mihi tuo more
Confer, tuo filio
Iungar in favore.

5. Dominus, quo conditur
Omnis creatura,
Christus ex te nascitur,
Virgo, mater pura,
Per quem mundo tollitur
Moles mortis dura,
Quae peccato laeditur,
Mentem meam cura.

6. Tecum tota trinitas,
Tecum sanctitudo,
Tecum morum claritas,
Tecum mansuetudo,
Fides, spes et caritas,
Mundi fortitudo,
Absit mihi foeditas,
Assit pulchritudo.

7. Benedicta domina,
Decus mulierum,
Caeli super agmina,
Super culmen rerum,
Promptum ad peccamina,
Ad virtutes serum,
Me tecum illumina
Lumen donans verum.

8. Tu in mulieribus
Summa nominaris,
Immo prae virginibus
Virgo nuncuparis,
Quae pro nobis omnibus
Sola proeliaris,
Me de mundi fluctibus
Tolle, stella maris.

9. Et benedictus dominus,
Qui te benedixit,
Dum Gabriel caelitus
Ave tibi dixit,
Abstersisti gemitus,
Eva quos inflixit,
Iuva, ne sim perditus,
Satan quem afflixit.

10. Fructus tuus, domina,
Sinu de paterno
In hanc vallem saliens
Mundi de superno
Cunctos est reficiens,
Illum saepe cerno,
Virgo, fac ut moriens
Solvar ab inferno.

11. Ventris in sacrarium
Tui rex ingressus,
Fraudes vicit hostium
Caelitus egressus,
Famem, sitim, taedium,
Mortemque perpessus,
Mihi da subsidium,
Meos rege gressus.

12. Tui nati sanguine
Peccator lavetur
A parentum crimine
Lotusque salvetur
Et in caeli culmine
Salvus iucundetur,
Tibi laus cum carmine,
Mihi salus detur.

Cod. Lambacen. CLXXXVI. saec. 14. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 14. B. — 1, 7 Tuum placans dominum A. — 2, 6 faecis et ruina B. — 2, 8 Collem B. — 5, 5 mundi B. — 6, 8 Absit AB. — 7, 1 Benedicta tu A. — 7, 7 secum A. — 8, 1 Tu fehlt A. — 10, 1 Fructus tui veniens A.

147. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo virginum,
digne salutata,
Salutis exordium,
salus exspectata,
Salutantes respice
salvatori grata,
Sana cordis intima
male sauciata.

2. Ave, sidus rutilans
Maria praeclare,
Stella maris, tenebras
potens illustrare,
Tui stillicidio
mellis dulcorare
Veni, quos amaritat
hoc amarum mare.

3. Ave, grata Domino
gratiam merendo,
Erui a vitiis
te rogamus flendo,
Gratiosa nobis sis
gratos faciendo,
Gratiae restitutens
ingratis parcendo.

4. Ave, mundi gloria,
Plena caeli porta,
Tua plenitudine
dirige detorta,
Plenitudo gratiae
cum ex te sit orta,
Ut mors in victoria
plene sit absorpta.

5. Ave, mater Domini,
Domino devota,
Dominorum dominus
per te nostra vota
Dirigat; ne fluctuet
in se mens aegrota,
Timens, quod non praeterit
nec apex nec iota.

6. Ave, tecum Dominus,
trinitas patenter,
Qui cum sanctis omnibus
vivit et decenter,
Tecum tamen voluit
esse differenter,
A quo sic repletus est
animus et venter.

7. Ave, mater Domini,
mater virgo dicta,
Signanter exprimeris
esse benedicta,
Benedici flagitat
a te plebs afflicta,
Circumventa fraudibus,
per suasum victa.

8. Ave, tu puerpera
sed divinae prolis,
Tu nata, tu genetrix,
tu aurora solis,
Nostris aufer mentibus
usum pravae molis,
Non est spes auxilii,
si iuvare nolis.

9. Ave, beatissima,
Deo praeelecta,
Inter Adae filias
maxime dilecta,
Immo super angelos
celsior effecta,
A supernis miseros
clementer aspecta.

10. Ave, motus nesciens
molientes serum,
Mulier, sed transiens
metas mulierum,
Ortum est in tenebris
ex te lumen verum,
Pium redde servulis
iudicem severum.

11. Ave, cuius utero
Deus humanatur,
Homini divinitas
in te copulatur,
Copula nos civibus
caeli, quibus datur,
Quo ruina superum
per te reparatur.

12. Ave, de qua prodiit
bellator invictus,
Qui est super omnia
Deus benedictus,
Pio vultu respice
tironum conflictus,
Hostiles insidias
repellas et ictus.

13. Ave, virgo germinans
pietatis fructus,
Gemebundos terminans
matris Evae luctus,
Involventes miseros
placa maris fluctus,
Homo miser zabulo
ne cadat seductus.

14. Ave, gerens Dominum
ventris in cubili,
Qui caelorum terminos
ambitu subtili
Continet, in stabulo
positus est vili,
Per te nos ab opere
redimat servili.

15. Ave, mater filii,
genitoris tui,
Super nos signatum est
lumen vultus sui,
Fac nos tuis precibus
pace vera frui,
Ut simus perenniter
coheredes tui.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. $^{14}/_{15}$ — 3, 3 Cruci gratuitis. — 4, 4 devorta. — 6, 4 vidit. — 10, 2 mollientis erum. — 10, 5 Situm est. — 12, 8 repelles. — 13, 3 Gemebundus. — 13, 4 matris ei luctus. — 14, 8 reclinat. — 15, 4 lumen fehlt; vultus tui.

148. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo virginum,
Flos et maris stella,
Sordes terge criminum
In vita novella,
Lumen gestans luminum
Puritatis cella,
Semper apud Dominum
Pro nobis interpella.

2. Maria, fons veniae,
Fons mellis et roris,
Fons misericordiae,
Puteus dulcoris,
Porta regis gloriae,
Parens salvatoris,
Grata tuae gratiae
Sit laus mei oris.

3. Gratia multiplici
Prole venustaris,
Quae dono semptemplici,
Spiritus ornaris,
Credens verbo simplici
Virgo, sanctum paris
Et mereris effici
Parens expers maris.

4. Plena medicamine
Sole purpurata,
Refecta libamine,
Nimis delicata,
Omni pulchritudine
Siderum ornata,
Lucis plenitudine
In matrem ditata.

5. Dominus, rex omnium,
Te, vas puritatis,
Sibi fecit solium,
Domum maiestatis,
Spiritus sacrarium,
Templum trinitatis,
Ut purgares lolium
Meae pravitatis.

6. Tecum iuncto numine
Verbum incarnavit
Genitor cum flamine,
Per quod liberavit
Nos ab omni crimine
Teque consecravit,
Quod lucens in virgine
Sol praefiguravit.

7. Benedicta, dirige
Nos ad te clamantes,
Pia mater, corrige
Filios errantes,
Concinentes dilige
Teque collaudantes,
Fluctuantes erige,
Doce ignorantes.

8. Tu in mulieribus
Tenes principatum,
Dignior es omnibus
Pariendo natum,
Celsior sideribus
Teste lingua vatum,
Constipata floribus,
Hortus voluptatum.

9. Et vallata liliis,
Rosis decorata,
Affluens deliciis,
Summo regi grata,
Virtutumque variis
Flosculis ornata,
In polorum gaudiis
Regnas exaltata.

10. Benedictus genitus
Patri coaequalis,
In secreto conditus
Aulae virginalis,
Descendit divinitus
Fieri mortalis,
Cuius nos interitus
Conservet a malis.

11. Fructus venerabilis
Matri gratiosus,
Gustu delectabilis,
Visu speciosus,
Cibus ineffabilis,
Cunctis fructuosus,
Defunctis est utilis,
Vivis pretiosus.

12. Ventris habitaculum
Digne commendatur,
In quo pacis osculum
Nobis propinatur,
Qui non novit masculum,
Alvus fecundatur,
A quo vitae pabulum
Nobis ministratur.

13. Tui ergo parvuli
Flumine renati
Supplicamus seduli
Sanctae trinitati,
Ut in fine saeculi
Simus ei grati
Et regnemus singuli
Secum coronati.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482. B — Praeparationes devotae ad digne celebrandum seu communicandum per Iulium Accoltum primitus collectae. Tegernsee 1577. fol. 58. b ssq. C. — 1, 3 sq. und 1, 5 sq. umgestellt C. — 1, 3 tergens BC. — 1, 5 luminis A; hominum C. — 1, 7 sq. Pro nobis ad Dominum semper interpella C. — 2, 4 Puritas dulcoris B; Pincerna dulcorum C. — 2, 6 salvatorum C. — 2, 8 Mei sit laus B; Mei sis laus C. — 3, 2, Plena venustaris C. — 3, 3 Et dono C. — 3, 4 Pulchre adornaris B. — 3, 6 Virgo sacra paris B; Sacra virgo pacis C. — 3, 8 Parens singularis B. — 4, 1 Pura medicamine C. — 4, 2 Sola praeparata A. — 4, 3 Refecti A; Perfecto B. — 4, 3 Multum delicata B; decorata A. — 4, 7 In polorum culmine BC. — 4, 8 Regnas coronata BC. — 5, 1 rex divinum B. —

5, 5 sq. und 5, 7 sq. umgestellt B. — 5, 5 Nobile triclinium B. — 5, 6 Sanctae trinitatis B. — 5, 8 Nostrae pravitatis C. — 6, 1 Te coniuncto C; Tecum iunctum A; iuncto munere B. — 6, 7 Qui lucens C; in lumine B. — 6, 8 Sol purificavit C. — 7, 3 dirige C. — 7, 4 Populos B; precantes BC. — 7, 5 Continentes BC; dirige B. — 7, 8 Docens C. — 8, 5 sideribus fehlt B. — 8, 7 Circumfulta floribus B. — 8, 8 voluptatis A. — 9, 2 coronata BC. — 9, 4 Regi summo C. — 9, 7 polorum culmine A. — 9, 8 Fulgens C. — 11, 2 Ventris B. — 11, 3 sq. fehlen B. — 11, 7 Defunctus A; et B. — 11, 8 Vivus B. — Str. 11 fehlt C. — 12, 1 Fructus habitaculum C. — 12, 3 vasculum B. — 12, 4 sq. fehlen B. — 12, 5 Venter C. — 12, 7 poculum A. — 12, 8 Cunctis propinatur C. — 13, 1 famuli A. — 13, 2 Funere C. — 13, 3 singuli C.

149. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo virginum,
   mater Iesu Christi,
   Maria, divinitus
   quae sola fuisti
   Gratia prae ceteris
   electa, fuisti
   Plena sancto spiritu,
   quando concepisti.

2. Dominus ex virgine
   tunc sic procreatur,
   Tecum sancta trinitas,
   ut fides testatur,
   Benedicta virgo es,
   quae sic fecundatur,
   Tu, qua nostro generi
   vera salus datur.

3. In virtute concipis,
   in virtute paris,
   Mulieribus, paris
   quando, dominaris,
   Et manens castissima
   expers paris maris,
   Benedictus filius,
   per quem sic ditaris.

4. Fructus quidem dulcis est
   in conceptione
   Ventris, sic nos liberet
   in assumptione
   Tui, sic nos faciat
   in resurrectione,
   Iesus nos emittat in
   contemplatione.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 917. — 1, 5 Gratia pro sequeris. — 2, 2 tu sic creatur. — 2, 5 es fehlt. — 3, 6 maris fehlt. — 4, 7 verdorben. — Nach 4, 8 folgt noch: O dulcis, o pia, o dulcis virgo Maria; dann:

Fluit stilla de mamilla
Gloriosae virginis,
Fundens rorem quae ardorem
Exstinguit libidinis.

150. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo virginum,
   Quae verbo concepisti,
   Ave, lactans filium
   Virgo permansisti,
   Ave, caeli gaudium,
   Nutrix Iesu Christi,
   Salva nunc me miserum
   In hoc mundo tristi.

2. Maria, mater Dei,
   Thalamus amoris,
   Maria, requiei
   Sinus, fons dulcoris,
   Maria, nostrae spei
   Portus, pons terroris
   Memento, quaeso, mei,
   Caeci peccatoris.

3. Gratia plenissima,
Virgo, te refecit,
Gratia gratissima
Matrem te perfecit,
Gratia firmissima
In te non defecit,
Ille me reficiat,
Qui te talem fecit.

4. Plena pudicitiae,
Virgo singularis.
Plena laus ecclesiae,
Parens expers paris,
Plena vena veniae,
Clara stella maris,
Iunge me laetitae,
Quae sic iucundaris.

5. Dominus in utero
Tuo procreatus,
Dominus ab utero
Manans incarnatus,
Dominus pro populo
Sic humiliatus,
Sit mihi miserrimo
Per te dux placatus

6. Tecum manet deitas,
Nam Deus est tecum,
Tecum sancta trinitas
Et tu manens secum,
Tecum summa sanctitas,
Fac salutem mecum,
Errantem per tenebras
Illumina me caecum.

7. Benedicta domina
In concipiendo,
Benedicta femina
In parturiendo,
Benedicta virgula
Virgo permanendo,
Me, te precor, adiuva
Saltem moriendo.

8. Tu sedes in solio,
Virgo, coronata,
Tu gaudes cum filio,
Mater, iucundata
Tu repleris gaudio
Prole sublimata,
Esto tuo famulo,
Mater, advocata.

9. In caelo te glorificat
Angelorum decus,
In terra te invocat
Latinus et Graecus,
In luce te collocat
Iesus ipsum secus,
Lux eadem luceat
Mihi, qui sum caecus.

10. Mulieribus piis
Tu es gubernatrix,
Mulieribus reis
Tu es sublevatrix,
Mulieribus cunctis
Es auxiliatrix,
Tu tanta, tam nobilis,
Sis mihi salvatrix.

11. Et tu, virgo, quanta sis,
Non potest enarrari,
Et quantum vales miseris,
Quis potest meditari?
Et ideo prae ceteris
Volo te precari,
Ne sinas me daemonis
Dolo defraudari.

12. Benedictus Dominus,
Qui tibi oboedivit,
Benedictus filius,
Qui de te exivit,
Benedictus spiritus,
Qui ambos univit,
Ille me reficiat,
Qui te sic munivit.

13. Fructus fervens floruit
De te cum dulcore,
Fructus fulgens exiit
De te cum decore,
Fructus fulgens prodiit
Repletus odore,
Fructus ille liberet
Me semper a languore.

14. Ventris sic integritas
Dat floris odorem,
Ventris ponderositas
Nescivit dolorem,
Ventris puri clausitas
Produxit hunc florem,
Meum tua bonitas
Minuat laborem.

15. Tui sacri nominis
Laus volat ubique,
Tui famam nominis
Dinoscunt plerique,
Tui spes iuvaminis
Nos regat undique,
Ne demum cum impiis
Damnemur inique.

16. Iesus nos eripiat
A coetu damnatorum,
Iesus nos edoceat
Passus electorum,
Iesus nos custodiat
In fine saeculorum,
Iesus nos promoveat
In regno caelorum.

17. Mater Dei et hominis,
Capax trinitatis,
Mater expers criminis,
Norma sanctitatis,
Mater veri luminis,
Fons es puritatis,
Fac me sequi iugiter
Viam veritatis.

18. Dei sponsa fulgida,
Candela lucis verae,
Dei stola nitida,
Nostri miserere,
Dei mater splendida,
Semper nos tuere,
Ut in meo obitu
Possim te videre.

19. Ora clemens filium,
Ut vivamus tute,
Ora regem omnium
Pro mentis virtute,
Ora natum proprium
Pro nostra salute,
Fac me tuum servulum
In tua servitute.

20. Pro nobis peccatoribus
Tu es sublimata,
Pro nobis orantibus
Assis advocata,
Pro nobis paenitentibus
Posce cuncta grata
. . . . . .
. . . . . .

21. Amen dicat clericus
Postulans solamen,
Amen dicat laicus
Cupiens levamen,
Amen dicant omnia,
Quae poscunt iuvamen,
Amen sit per saecula
Saeculorum, amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. III 10. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3 B. — Cod. Carolsruhan. s. n. anni 1440. [bei Mone II 107 ff.] C. — 2, 4 Summi fons AB. — 2, 6 pons timoris AB. — 4, 5 Plena bona veniae AB. — 5, 4 Manens increatus C. — 5, 7 Sit mihi caeco misero C. — 6, 4 manes B. — 6, 5 sanitas B. — 6, 8 tecum B. — 7, 8 Saltim C. — 8, 5 Tu repleta AB. — 9, 6 Iesum Christum secus A; Iesus Christus secus B; Iesus ipsam secum C. — 9, 7 eodem B. — 10, 4 tu auxiliatrix C. — 10, 6 tu es sublevatrix C. — 11, 5 cum ceteris AB. — 12, 2 Qui fehlt AB; Qui tali oboedivit C. — 12, 7 Sit mihi propitius AB. — 12, 8 sic te AB. — 13, 2 Lucis cum decore AB. — 13, 4 dulore AB. — 13, 5 Fructus sanctus prodiit AB. — 13, 7 Ille me fructus liberet C. — 13, 8 Me fehlt C. — 14, 2 Produxit hunc odorem AB. — 14, 3 Ventris clausi puritas AB. — 14, 4 Dat floris odorem AB. — 14, 5 Ventris ponderositas AB. — 14, 6 Nescivit dolorem AB. — 15, 1 sacri corporis AB. — 15, 2 Spes volat C; Laus evolat AB. — 15, 7 Daemonis cum C. — Nach Str. 16 AB:

Christus patris dextera Per te nos emundet,
Christus suam gratiam In nobis fecundet,
Christus sua opera Largius secundet,
Ut per nova sidera Cordis pax abundet.

Str. 17—21 fehlen AB. — Das Gedicht steht auch in Cod. Londinen. Egerton 746. saec. 14.

151. Super Ave Maria.

1. Ave, virgo virginum,
Spes desperatorum,
Rosa, flos et lilium,
Decus angelorum,
Tuum placa filium,
Principem caelorum,
Ut sit memor omnium
Pauperum suorum.

2. Maria, mater gratiae,
Mater filialis,
Verus sol iustitiae
Lucis aeternalis,
Larga vena veniae,
Pudor virginalis,
Obstrue miseriae
Poenas gehennalis.

3. Gratia te providam
Angelo testante
Fecit atque fulgidam
Domino praestante
Virginemque floridam
Spiritu rorante,
Dei matrem candidam
Ipso adiuvante.

4. Plena es dulcedinis,
Virgo gloriosa,
Mirae pulchritudinis,
Tota luminosa,
Laudes huius carminis
Suscipe, formosa,
Terge culpas criminis,
Ne sit mens rugosa.

5. Dominus te condidit
Sibi genetricem,
Nobis vero edidit
Piam adiutricem,
Per te regnum reddidit
Pascidam nutricem,
Quod olim Adam perdidit
Per Evam seductricem.

6. Tecum Dei filius,
Sanctae trinitatis
Septiformis spiritus
Plenae sanctitatis,
Te implevit Dominus
Summae castitatis
Intus et exterius
Flamma caritatis.

7. Benedicta domina,
Mater Iesu Christi,
Te collaudant agmina,
Quia meruisti
Ferre solis lumina
Et non defecisti,
Lavantem mundi crimina
Tibi subiecisti.

8. Tu in mulieribus
Sancta creatura,
Carior virginibus,
Nobilis factura,
Dei facta manibus
Speciali cura,
Nobis peccatoribus
Veniam procura.

9. Et benedictus nuntius,
Qui te salutavit,
Eo nil ardentius,
Qui te obumbravit,
Nihil verbo dulcius,
Quod te fecundavit,
Ipso nihil sanctius,
Qui te consecravit.

10. Fructus tuus habilem
Suum det amorem,
Ut non exstinguibilem
Tribuat fervorem
Nobis et illabilem
Augeat ardorem
Et immarcessibilem
Conferat decorem.

11. Ventris obumbracula
Virginis intravit
Deus sine macula,
Haec beatificavit,
Contra hostis iacula
Ibi se armavit,
Mortis bibens pocula,
Quibus mundum lavit.

12. Tui ergo famuli,
Dulcis et benigna,
Sumus atque servuli,
Mater valde digna,
Iram placa parvuli,
Quia non privigna,
Fraude ne diabuli
Gaudeant maligna.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15.

152. Super Ave Maria.

1. Nec carmen nec titulus
neque prophetia
Posset nobis dicere
de dulci Maria,
Quam mitis, quam valida
quam dulcis, quam pia,
Sed ut loquar breviter,
haec est vitae via.

2. Ave, Dei genetrix
et immaculata,
Virgo, caeli gaudium,
toti mundo nata,
Ad salutem omnium
in exemplum data,
Dignare me laudare
te, virgo sacrata.

3. Maria, miseria
per te terminatur,
Et misericordia
per te renovatur,
Per te navigantibus
stella maris datur,
Lumen viae panditur,
portus demonstratur.

4. Gratia te reddidit,
virgo, gratiosam,
Te vestivit lilio,
in te sparsit rosam,
Te virtutum floribus
fecit speciosam,
Intus et exterius
totam luminosam.

5. Plena medicamine,
abundans unguentis,
Audi preces populi
coram te plangentis,
Respice in faciem
lacrimas fundentis
Et livoris vulnera,
plagas sana mentis.

6. Dominus, rex omnium,
de te nobis fecit
Cellam pigmentariam
et in te confecit
Medicinam omnium,
quae sibi subiecit
Morbos aegrotantium,
salutem perfecit.

7. Tecum tota trinitas
fecit mansionem,
Plenitudo, sanctitas
tecum, stationem
Elegerunt intra te
ad perfectionem,
Spectandam te omnibus
praebes lectionem.

8. Benedicta, benedic
te benedicentes,
Ut in tuis laudibus
sint proficientes,
Affice dulcedine
tua horum mentes,
Ut in tuis laudibus
semper sint ferventes.

9. Tu in mulieribus
optima figura,
Angelorum omnium
regem paritura
A creante Domino
singulari cura
Dignior es condita
omni creatura.

10. Et benedictus Dominus
Deus, qui creavit
Te in matris utero-
que sanctificavit,
Benedictus genitor,
qui te generavit,
Et beata ubera
matris, quae te pavit.

11. Fructus tuus, domina,
fructus angelorum,
Ex quo cibo fruitur
contio sanctorum,
Ipse delectatio,
dulcedo eorum,
Qui suorum ambulant
viam mandatorum.

12. Ventris habitaculum
regum rex intravit,
Quasi tabernaculum
hoc inhabitavit,
Pugnaturus propter nos
ibi se armavit
Armis condecentibus,
quibus hostem stravit.

13. Tui ergo filii
redempti cruore,
Qui crucis in proelio
sparsit nos liquore,
Ac peruncti gratia
te laudamus ore,
Ut in tuo Iesuque
crescamus amore.

14. Amen, virgo caelica
det nobis solamen
Et sancti similiter
pium confortamen,
Omnes sanctae virgines,
sanctum quoque flamen,
Qui regnat in saecula
saeculorum. Amen.

Orat. ms. Germanicum saec. 15. Cod. Parisin. 11343. A. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. eccl. 375. B. — Orat. ms. Italicum saec. 14. in. Cod. Capit. Veronen. 750. C. — Orat. ms. S. Mariae ad Scotos saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 50 f 27 D. — Cod. S. Petri Salisburgen. a I 14. saec. 15. E. — Cod. S. Petri Salisburgen. a IV 38. saec. 14. F. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. G.

Ferner: Orat. ms. Emmeramense saec. 14. Clm. Monacen. 14940. H. Orat. ms. Augiense saec. 14/15. Cod. Carolsruhan. Aug. 36. — Cod. Laudunen. 263. saec. 12. add. saec. 14. — Orat. ms. S. Wiperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 75. — Scala caeli saec. 14. Cod. Pragen. XIII E 3. — Orat. ms. Germanicum saec. 13/14. Cod. Londinen. Ar. 374. — Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

Lesarten: Str. 1 nur in AC. — 1, 1 Rivus [1: rhythmus?], carmen, titulus A. — 1, 2 neque fehlt C. — 1, 3 Nescit mihi dicere A. — 1, 5 Quanta sit propitia A. — 1, 6 quam clemens quam A. — 1, 8 vita C. — 2, 6 exemplo A. — 2, 7 verletzt den sonst beobachteten Wortaccent, wohl um den bekannten V. wörtlich beibehalten zu können. Me dignare te laudare D. — 2, 8 O virgo sacrata D. — 3, 1 Maria o miseria D. — 3, 3 Per te et miseria G; Et Evae culpa gravis F. — 3, 4 per te revocatur DE;

per te reparatur F; virgo revocatur G. — 3, 7 Lumen via A, vitae G; Et lumen viae D. — 4, 3 Et vestivit F. — 4, 4 Sparsit in te BDFG. — 4, 5 Te in tuis floribus A; Te virtutum moribus E. — 4, 6 fecit sponsam E. — 5, 1 medicaminum D. — 5, 2 redundans G; ungentis EFG. — 5, 3 sq. stehen hinter 5, 8 F — 5, 3 Audi preces pauperis BEG. — 5, 7 Sana cordis vulnera D; Et plagas atque vulnera F; Et livores vulnerum G. — 5, 8 placa sana mentis A; Et dolores mentis D; mater, sana mentis F. — 6, 2 ex te nobis BD; in te sibi fecit E. — 6, 4 quam in te AF; ac in te D; dum in te E. — 6, 5 Medicinas D. — 6, 6 quam sibi AF; qua sibi G; per quam sibi refecit E; qui tibi subiecit D. — 6, 7 Morbum A; Morbis F; aegrotanti E. — 6, 8 salute DE. — 7, 2 facit B. — 6, 3 Pulchritudo BEG; Deitas sanctitas D. — 7, 4 degustationem AFE; decus stationem B; praelibationem D. — 7, 5 intra se A; intra te fehlt E; Elegerunt pariter G. — 6, 6 ad refectionem E. — 7, 7 Et fecerunt omnibus A; Spectandam te in omnibus B; Sectandam te moribus E; Sanctam dono omnibus D; Aspectanda facta es F. — 7, 8 praeelectionem A; benedictionem D; da perfectionem E; per electionem F. — 8, 3 Et in tuis laudibus F; Ut in tuis precibus A; Ut in sanctis moribus D; Fac in sanctis moribus B; Fac ut sanctis moribus EG. — 8, 5 Effige dulcedinem A; Affice dulcedinem G; Respice tua dulcedine E; Et fac te dulcedinem F. — 8, 6 in eorum mentes A; horum mentes E. — 8, 8 sint semper AE; viventes A. — 9, 2 optima futura D; factura G. — 9, 3 Angelorum domina D; dominum F. — 9, 5 A creante omnium E; Et in mente omnium F. — 9, 6 singularis AF. — 9, 7 Dignior est cognita A; Dignior est propter te F. — Statt Str. 9 und 10 hat B:

Tu post partum unica virgo comprobata,
Sola tui filii parens atque nata,
Partu cuius humili, morte gladiata,
Ipsius es humilis simul (et) advocata.

In pulchris pulcherrima geus [l: genis] generosis,
Ditior ditissimis, praelata morosis,
Castior, stabilior virgineis rosis
Melior, fecundior omnibus formosis.

Mulieribus in bonis optima figura,
Angelorum omnium regem paritura,
A creante Domino singulari cura
Dignior es condita omni creatura.

Et prae cunctis pulchrior fructibus decoris,
Suavitate debrians gustus et odoris,
Vernans levitatibus floris atque roris,
Virens indeficiens omnibus in horis.

Benedictus omnium Deus, qui creavit
Te, in matris utero qui sanctificavit,
Benedictus genitor, qui te generavit,
Benedicta viscera matris, que portavit.

10, 1 Et benedictus omnium EF; Et benedictus Deus A. — 10, 2 ventris utero D; sit qui te creavit AG. — 10, 3 Et beatus genitor A. — Ac beata viscera F; Benedicta et mater G. — 10, 4 Mariae quae portavit F; qui te generavit A; quae sic generavit G. — 10, 5 Atque matris utero F; Et beata ubera A; Benedicta ubera G. — 10, 6 te sanctificavit F; matris quae lactavit AG. — 10, 7 Et beata genetrix E; Benedictus genitor F; Et beata viscera A; Regem regum omnium G. — 10, 8 quae te lacte pavit; qui te generavit F; quae sanctificavit A; qui mundum intravit G. — 11, 1 Dominus D. — 11, 3 Quo fruuntur cibus est B; Qui fructus cibus est F; Quo vescuntur cibus G; Dulce est edulium D. — 11, 4 omnium sanctorum BDEFG — 11, 5 sq. und 7 sq. umgestellt F. — 11, 5 Suaveque viaticum D. — 11, 6 dulcedoque G; dulcedo est E; ipse salvandorum D. — 11, 7 sq. Qui viam suam ambulant mandatorum. — 12, 2 rex regum AG. — 12, 3 Quam in

tabernaculum E; Quod tabernaculum F. — 12, 4 hunc sanctificavit A; hoc inhabitavit E; hoc fehlt F; testificavit F. — 12, 6 ubi se A. — 12, 7 clementissimis D; decentissimis BEF. — 13, 1 Tui mater filii B. — 13, 2 Sanati livore D. — 13, 3 in crucis B; crucis patibulo E; Quos et in crucis proelio G; Qui suo amabili D. — 13, 4 fudit nos B; livore AF; fudit cum liquore E; perfudit liquore G; nos emit cruore D. — 13, 5 A perenni gaudio A; Hoc peruncti gratiae B; Te perennis gloriae F; Operante gratia D. — 13, 6 laudemus BD; collaudemus F. — 13, 7 Ut tuo Iesu pie A; Actu, mente et Iesu B; Actu, mente in Iesu FG; Actu, mente E; in Iesu fehlt E. — 13, 8 in amore BE; pandamus amore A. — Str. 14 fehlt DEG. — 14, 1 Ad hoc virgo BF. — 14, 3 sanctae A. — 14, 5 Sanctae quoque virgines A. — 14, 7 Quod regnat A; per saecula F.

Bemerkungen: Honorius episcopus, servus servorum Dei, praesentem paginam inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Dominus Ho[no]rius primo[!] papa misit istam praedictam salutationem in gloriam, et si quis eam legerit vel didicerit vel retinuerit sibi ad legendum omni die tertiam partem purgatorii ei plenarie remittit sibique adiungit suam benedictionem C.

Urbanus papa VI. concessit CCC dies indulgentiae. Similiter Martinus V. totidem ad sequentem orationem eam devote dicentibus E.

Hoc Ave Maria compilavit Parisiensis cancellarius regis Franciae et obtinuit a domino papa XXX dierum indulgentiam, quotieseunque ab aliquo recitatur H.

Die Kollation der drei Salzburger Handschriften verdanke ich der Güte des Hw. Herrn P. Willibald Hautaler O. S. B. Die Kollationen Mones zu diesem Liede sind nämlich aus einem mir unerklärlichen Grunde völlig irrig.

153. Super Ave Maria.

1. O regina caelestina,
Caeli via, mater dia,
Multa te devota
Corda bene lota
Laude proclamabant,
Precibus pulsabant,
Sed cor meum pollutum
Et os malis obrutum
Te digne collaudare
Nequit et commendare,
Atque summi dictatores
Tis dixere laudis flores,
Hinc offiaperdi more
Fingo carmen abs valore.

2. Ave, vena peniae,
Fons misericordiae,
Castitatis lilium,
Trinitatis solium.

3. Maria, mater gratiae,
Tu pietatis facie
Tibi psallentes respice,
Butsarios ne despice.

4. Gratia praedestinavit
Teque sibi praeservavit
Uni, ab initio
Vas purum a vitio.

5. Plena deitatis rore,
Salvo castitatis flore
Genetrix efficeris,
Nata patrem peperisti,
Gloriosa mater Christi,
Patris tui, diceris.

6. Dominus cum dominorum
Terrae, maris et astrorum,
Hominum et angelorum
Miseris condoluit,
Ipsos mortis a ruina
Passionis plaga quina
Ac salutis medicina
Liberare voluit.

7. Tecum ergo se univit
Ipsummet exinanivit,
Ecce, quam nos sitivit
Quam ardenter vel cupivit
Relevamen hominis.

Benedicta tu, salutis
Porta clausa, fons virtutis,
Nam peccatis involutis
Prece praestas et obrutis
Tenebrarum dominis.

8. In mulieribus alma
Redemptionis palma,
Felix Sion filia,
Deo nos concilia.
Te reginae dilexerunt,
Vultum tuum laudaverunt,
Quas omnes divitiis
Vincis et deliciis.

9. Et benedictus El,
Quem fortis Gabriel
Nuntiavit oraculo,
Cui virgo credis
Aulam et concedis
Cordis habitaculo.

10. Fructus mitis,
Vera vitis,
Fons totius veniae,
In te pluit,
Ex te fluit
Nobili progenie.

11. Ventris et in cellula
Christus habitavit,
Moysis fiscellula
Sicut figuravit.

12. Tui nati suffragio
Sordis vinctos obstagio
Ab hostibus defende,
Nobis post hoc exsilium
Tuum dilectum filium
Perenniter ostende.

13. Amen dicat pariter
Nostra politia,
Quam post mortem capiat
Caelestis hierarchia,
Sed interim qui currimus
Erroris in hac via,
Nos cum prole pia
benedicat virgo Maria.

Cod. Mellicensis 711. saec. 15.

154. Super Ave Maria.

Semper ave, dia genetrix et virgo Maria,
Es fontis vena vivi, quoque gratia plena,
Dulcedo mecum tua sit, Dominus quia tecum;
Tu benedicta feres laudem supra mulieres
Atque tui virtus fructus ventris benedictus,
Per te solamen habeat meus exitus. Amen.

Cod. Zwettalen. 36. saec. 12. add. saec. 12.

155. Super Ave Maria.

1. Silere non valeo
Virginem laudare
Nec cessare debeo
Ipsam salutare,
Quae ventre corporeo
Meruit portare,
Qui cruore roseo
Venit nos salvare.

2. Ave, porta gloriae,
Flos virginitatis,
Arbor patientiae,
Radix caritatis,
Virga sapientiae,
Via veritatis,
Fons misericordiae,
Hortus voluptatis.

3. Maria, quae maria
Dulcia fecisti
Atque potibilia,
Quando concepisti
Hunc caelesti gratia,
Quem post peperisti,
Fletus tunc in gaudia
Vera convertisti.

4. Gratia, qua canticum
Gloriae cantatur,
In terris angelicum
Poculum potatur
Atque manna mysticum
De caelis gustatur,
Ut hoc per Leviticum
Liquide probatur.

5. Plena et plenissima,
Regina caelorum
Et laude dignissima,
Decus angelorum,
Piarum piissima,
Laus apostolorum,
Sanctorum sanctissimu,
Gemma electorum

6. Dominus, rex omnium,
Voluit venire
Et in te triclinium
Nobile condire
Sacrumque palatium
Tuum introire,
Te virtutum iubare
Undique munire.

7. Tecum fuit unio
Facta deitatis,
Quod non novit ratio
Et humanitatis,
Dum portasti filium
Summae bonitatis,
Totum fecit actio
Sanctae trinitatis.

8. Benedicta domina,
Virgo gloriosa,
Super omnes femina
Tu es gratiosa,
Nobis mundi crimina
Te sint odiosa
Et caelorum agmina
Multum gaudiosa.

9. Tu in muleribus
Virginum regina,
Cunctis es languoribus
Prompta medicina,
Omnibus errantibus
Fides et doctrina
Et periclitantibus
Stella matutina.

10. Benedictus filius,
Qui te visitavit,
Pneumatis te concito
Virtus obumbravit,
Nuntius cum Gabriel
Te sic salutavit:
Ave, plena gratia,
Deus te dotavit.

11. Fructus tuus, domina,
Agnus Dei dictus,
Est sol veri luminis
Atque benedictus,
Cuius unda sanguinis
Homo derelictus
Lotus labe criminis
Est et daemon victus.

12. Ventris tui viscera
Iesum portaverunt,
Et beata ubera
Ipsum lactaverunt,
Iudaei cui vulnera
Multa intulerunt
Et ipsum post verbera
Morti tradiderunt.

13. Tui nom sənoomina,
Daemp ə'uoxpellit,
Sanat nostra vulnera,
Robore praecellit,
Sordida ab anima
Vitia propellit,
Deus te puerpera
Satanam fefellit.

14. Iesus tam mirabilis
Rebus in creatis
Per te parcat famulis
Toto mundo satis,
Eis sis praestabilis
Ecclesia renatis
Dimissisque debitis
Vivant cum beatis.

15. Mater Dei, filia
Pulchra et decora,
Quae sunt mihi noxia,
Tolle sine mora,
Pro tua familia
Filium exora,
Ut in sua gloria
Nos ditet mortis hora.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2894. — 4, 3 sq. Qua in terris poculum angelicum. — 13, 7 tu puerpera.

156. Super Ave Maria.

1. Tu quondam per angelum
sumens magnum Ave,
Modo per vernaculum
sume parvum Ave,
Tu dilecto filio
funde tuum Ave,
Ut cum vultu placido
sumat meum Ave.

2. O de Deo geniti
genetrix, Maria,
O coetus angelici
gaudium, Maria,
O regina virginum,
domina Maria,
O curatrix omnium,
medica Maria.

3. Te divina gratia
mire procuravit,
Te virtutum gratia
privilegiavit,
Ventrem tuum gratia
prole fecundavit,
Cuius mera gratia
damnatos salvavit.

4. O plena munditia,
cella puritatis,
O plena laetitia,
porta pietatis,
O plena divitiis,
portus ubertatis,
O plena deliciis,
hortus voluptatis.

5. Te solam prae ceteris
Dominus dilexit,
Ultra summos angelos
Dominus te vexit,
Te decoris pallio
Dominus contexit,
Te dulcoris oculo
Dominus respexit.

6. Nam in ventris alveo
Requievit tecum,
Iacens in praesaepio
Colludebat tecum;
Qui prius in stadio
Laborabat tecum,
Nunc sedens in solio
Gratulatur tecum.

7. Benedicto nomine
gaudes benedicta,
Nam Maria nomine
tu es benedicta,
Lumen Dei resonat
haec vox benedicta,
Deum tuo nomine
claudis benedicta.

8. Tu es arca continens
manna beatorum,
Tu es virga dirigens
gressus viatorum,
Tu es urna aurea
claritate morum,
Tu geris in tabulis
verba praeceptorum.

9. In te nova gratia
novo modo spirat,
Et in tua gratia
peccator respirat,
In tuis deliciis
devotus suspirat,
Et in tuis meritis
ad regnum aspirat.

10. Tu in mulieribus
non habes reatum,
Tu in mulieribus
tenes caelibatum,
Tu in mulieribus
paris Deum natum,
Tu in mulieribus
geris principatum.

11. Tu primam et ultimam
naturam unisti,
Tu Deum et hominem
ventre conclusisti,
Angelos et homines
concordes fecisti,
Gratiam et gloriam
nobis invenisti.

12. Benedictus uterus,
de quo processisti,
Benedictus Dominus,
cui placuisti,
Benedictus spiritus,
de quo concepisti,
Benedictus filius,
quem tu genuisti.

13. Fructus tuus sanior
omni nutrimento,
Fructus tuus dulcior
omni blandimento,
Fructus tuus pulchrior
omni ornamento,
Fructus tuus clarior
auro et argento.

14. Ventris tui lectulus
tactum viri nescit,
Ventris tui thalamus
liliis albescit,
Ventris tui hortulus
gratia flammescit,
Ventris tui flosculus
sapore dulcescit.

15. Tui fructus gratia
fac nos impetrare.
Tui fructus gloriam
da desiderare,
Tui fructus gaudium
fac nos degustare,
Tui fructus praemia
da participare.

16. Sit laus patri Domino,
omnis dicat Amen,
Sit laus suo filio,
omnis dicat Amen,
Sit laus sancto flamini,
omnis dicat Amen,
Sit laus matri virgini,
Omnis dicat Amen.

Cod. Gracen. 1121 saec. 14. A. — Orat. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Paulan. Hospit. cart. 326. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. C. — Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II. D. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. E. —

1, 3 vermiculum BC. — 1, 4 sumens B. — 4, 1 munditiae B. — 4, 3 laetitiae B. — 6, 1 Qui in C. — 6, 4 Colluctabat A. — 7, 1 Benedicta A. — 9, 6 adspirat B. — 9, 8 suspirat B. — 13, 5 sq. und 6 sq. umgestellt B. — Nach Str. 15 schieben CD die folgende ein:

Iesus nos eripiat a coetu damnatorum,
Iesus nos edoceat passus electorum,
Iesus nos custodiat in fine saeculorum,
Iesus nos promoveat in regno caelorum.

Str. 16 fehlt BC. — 16, 5 sancto spiritui A. — D hat die Aufschrift „Laudismus Bonaventurae super Ave Maria."

157. Ave Maria Aureum

de mirifica virginis Assumptione.

1. Beata plena gratia,
Maria, Iesu Christi,
Mater, sponsa et filia,
Quae virgo parturisti.

2. Ave, dulcis consolatrix
Orbitatis anxiae,
Angelorum imperatrix,
Para viam gratiae.

3. Laetitia septiformi
Tua nos corrobora,
Nostra ex usu enormi
Malis purga pectora.

4. Domina caelis praesidens,
Numinis sacrarium,
Super choros tu residens
Sis nostrum salarium.

5. Astra, throni, te angeli
Stupentes admirantur,
Vecta dum sis sic, singuli
Mirando venerantur.

6. Salutem in hoc saeculo
Post miseris ostende
Aeternam ex ergastulo
Dum imus, nos defende.

7. Afferens securitatem,
Stygis vetans devia,
Lumen et aeternitatem
Praesta, virgo regia.

8. Redde tandem solamina
Finale post examen
Tuis, dum omnis anima
Examinatur. Amen.

Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4408 saec. 15. Was das Lied glossiert, zeigen die gesperrten Worte.

158. Super Ave Maria stella.

1. Ave, maris stella,
In qua digna cella
Deus incarnatur,
Dei mater alma,
Quae sursum ut palma
Iuste exaltatur.

2. Atque semper virgo,
Salutis origo,
Pacis initium,
Felix caeli porta,
Nos semper supporta
Per patrocinum.

3. Sumens illud ave
Tamquam procul a vae
Sic es salutata,
Gabrielis ore
Et superno rore
Tu es fecundata.

4. Funda nos in pace
Servans a fornace
Et a miseria,
Mutans nomen Evae
Vae facias breve,
O dulcis Maria.

5. Solve vincla reis
Et ostende eis
Fructum ventris tui,
Profer lumen caecis,
Ut a morsu necis
Eruantur tui.

6. Mala nostra pelle
Hostemque repelle
A te laudantibus,
Bona cuncta posce
Nobisque ignosce
Saepe peccantibus.

7. Monstra te esse matrem
Apud summum patrem
Interveniendo,
Sumat per te precem,
Qui destruxit necem
Pie moriendo.

8. Qui pro nobis natus
Fuit et est datus
Ad modum parvuli,
Tulit esse tuus,
Rex est perpetuus
Futuri saeculi.

9. Virgo singularis,
Modo gratularis
In curia poli,
Inter omnes mitis,
Fructificans vitis,
Nos commenda proli.

10. Nos culpis solutos,
Malis involutos,
Regina caelorum,
Mites fac et castos,
Alimento pastos
Pane angelorum.

11. Vitam praesta puram,
Da mentem securam
In perfectione,
Iter para tutum
Et ostende scutum
In protectione.

12. Ut videntes Iesum
Ad aeternum esum
In caeli curia
Semper collaetemur,
Tecum delectemur
O virgo regia.

13. Sit laus Deo patri
Atque eius matri
Ob eius honorem,
Summo Christo decus,
Qui nostrum dedecus
Mutet in decorem.

14. Spiritui sancto
Honor sit pro tanto,
Quia vivificat
Tribus honor unus,
Nobis detur munus,
quod beatificat.

Orat. ms. Augiense saec. 14/15. Cod. Carolsruhan. Aug. 36. A. — Orat. ms. Gallicum saec. 15 (bei Mone II, 217.) B. — 4, 1 Fecunda A. — 4, 2 nos a. — 4, 5 faciens A. — 5, 5 Et a morsu AB. — 9, 3 proli A. — 12, 3 caelesti AB. — 12, 4 collecemur A. — 12, 5 dilectemur A. — 14, 3 vivificavit AB. — 14, 4 Trinus honor B. — 14, 6 beatificavit AB. —

159. Super Magnificat.

1. Ave, virgo virginum,
mater illibata,
Stella maris, Maria,
plene fecundata,
Lux illustrans omnia,
potens advocata,
Miserere miseris,
genetrix beata.

2. Magnificat te pia
mens rite sacrato,
Nostra advocatrix, fac,
ut mens cum palato
Laudis sint capacia
tibi atque nato,
Qui per te conumeret
gregi nos beato.

3. Et quam lingua deficit
digne praedicare,
Nec humana ratio
potest explicare,
Nobis autem sedulo
velis applicare
Et pio oraculo
filium placare.

4. Quia Dei genetrix,
virgo donis plena,
Exstirpatis vitiis
intus nos serena
Et nostrorum scelerum
hic indulta plena
Nos caelestis patriae
ducas ad amoena.

5. Quia tuus filius
sanitas et vita,
Eius ad laetitias,
pia, nos invita,
Sua nobis mansio
fiat per te sita,
In qua felix requies
consistat unita.

6. Et de tuis gratiis
nobis impertire,
Qui fidem operibus
nequimus unire,
Saltem nos hic doceas
tibi deservire,
Ut ad caeli gaudia
valeamus ire.

7. Fecit te lux gratiae,
per te ut lustremur,
Lumen nobis tribue,
mater, ut salvemur,
Ne culpis aut vitiis
ullis implicemur,
Sed tandem caelestibus
choris aggregemur.

8. Deposuit potentes
per te, virgo grata,
Tua miseratio
nobis sit placata,
Nostra demum anima
a vitiis purgata
Gaudeat angelicae
turbae sociata.

9. Esurientes reple,
caelica regina,
Sana morbos animae
tua medicina,
Et quando progredimur
de mundi sentina,
Nos in caelo collocet
dextera divina.

10. Suscepit te Dominus,
cui supplicamus,
Ut poenas et laqueos
mortis evadamus
Ac tuis obsequiis
nos hic innectamus,
Illic ut felicia
regna conscendamus.

11. Sicut ab initio
templum trinitatis,
Sidus castimoniae,
flos virginitatis,
Lilium convallium,
mirae caritatis,
Plenitudo gratiae,
fons humilitatis.

12. Ergo excellentior
hominum facturis,
A terrenis omnibus
nos eripe curis
Atque sanctimoniae
circumsaepi muris,
Beatorum gaudiis
perpetim mansuris.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — Die Strophen beginnen mit denselben Worten, wie die Verse des Magnificat.

160. Super Magnificat.

1. Ave, cuius anima
mente cum devota
Dominum magnificat,
mea in te tota
Semper spes reposita,
domina, non sine,
Ut frustrari debeat
praeoptato fine.

2. Ave, cuius spiritus
in Deo salutari
Exsultat in iubilo,
mundi ne in mari
Patior naufragium,
quaeso, me in prora
Ad portum salutis duc,
virginum decora.

3. Ave, quam sanctificat
ob humilitatem
Omnis generatio,
meam pravitatem
Aufer a me, domina,
mundans a veterna
Labe, ne finaliter
mergar ad inferna.

4. Ave, cuius filius
potens magna fecit,
Qui me saepe corpore
menteque refecit,
Eundem tuum filium
tu pro me exora
Et culparum omnium
veniam implora.

5. Ave, o misericors
filiique mater
Misericordissimi,
qui et meus frater
Caritate factus est
ex te incarnatus,
Pro quo beneficio
semper ero gratus.

6. Ave, Dei filii
mater praeelecta,
Ut non cadam, domina,
me in via recta
Ducat tuus filius,
qui dispersit reos
Per terrae circuitum
superbos Iudaeos.

7. Ave, cuius filius
exaltat gentiles,
Quos Iudaei pessimi
reputabant viles,
Fac, ne me cum Israel
deponat de sede,
Sed ut regni superi
collocet in aede.

8. Ave, cuius filius
gentibus dat panes
Et Iudaeos divites
dimittit inanes,
Panem ipsum caelicum
semper esurire
Fontem aquae vivaeque
tu me fac sentire.

9. Ave, cuius filius
carnem puerilem
Suscepit ex Israel,
super me ne vilem
Ob peccata plurima,
age, dedignetur,
Sed misericordiae
suae recordetur.

10. Ave, cuius filius
patribus promissus,
Abraham et semini
eius fuit missus,
In cuius patris semine,
ut Genesis dicit,
Omnes gentes utique
Deus benedicit.

11. Qui iam salutavimus
virginem per ave,
Nunc patrem et filium
non minus suave
Laudemus cum gloria,
sanctum quoque flamen
Semper et in saecula
saeculorum. Amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. — 5, 4 est. — 11, 1 fehlt eine Silbe; iam ergänzt.

161. Aureum Alma B. M. V.

1. Alma puella regia
Et domina egregia,
Virtutibus ornata,
Tua confer auxilia,
Ut depromamus carmina,
Quae utinam sint grata.

2. Redemptoris saeculorum,
Summi regis angelorum,
Placuisti oculis,
Qui salutem populorum
Dedit, ut hos supernorum
Iungeret consortiis.

3. Mater Dei eximia,
Qui de carne virginea
Carnem nostram induit,
Nam gens humana misera
Per Evam erat perdita,
Quam per te eripuit.

4. Quae ut Iudith speciosa,
In aspectu gratiosa
Hostem nostrum perimis,
Hesther nostra tu formosa,
Supplicando mente prona
Nos a morte redimis

5. Pervia viatoribus,
Lassati qui laboribus
Sunt ad te fugientes,
Hos suscipis amplexibus,
Subveniens defectibus,
Sint firmi et constantes.

6. Caeli cives te mirantur,
Vultum tuum venerantur,
Ut matrem sui regis,
Tuo velle munerantur
Hic qui tibi famulantur
Et postea in caelis.

7. Porta cunctis satis lata,
Potestate tibi data
Includis et excludis,
A quocunque sis pulsata,
Sine mora es parata,
Benigne introducis.

8. Manes fixa in promissis,
Verbis veris quibus dicis:
Transite ad me omnes,
Qui ardenter concupistis,
Voci meae oboedistis,
Estote nunc consortes.

9. Et stella nostra praevia
Praecedens, per te devia
Incerti ambulamus,
Directa nostra semita,
Nam nostra per te opera
Ad Deum dirigamus.

10. Maris fluctus tumescentes,
Corda nostra conturbantes
Cogitatus mitiga,
Ne nos poenae absorbentes
Et a Deo separantes
Laedamur in anima.

11. Succurre fragilitati,
Assuefacti pravitati
Nostrae velis compati,
Sunt subiecti vanitati
Omnes mundo procreati
Malisque obnoxii.

12. Cadenti manum protinus
Porrige, ne diutius
In malis delitescat,
Depositis veteribus
Actibus mox celerius
Ad bona convalescat.

13. Surgere nullus quiverit,
Si gratia defuerit,
Qua sibi suffragetur,
Quicunque hanc petierit,
Per te nancisci poterit,
Nam tibi nil negetur.

14. Qui profunde est demersus
In peccatis et aversus
A Deo totaliter,
Toto corde si conversus
Erit, satis et acceptus
Deo fit veraciter.

15. Curat, ne periclitatur,
Qui frequenter infestatur
Mundo, carne, daemone,
Horum quisque superatur,
Si devote invocatur
Maria ex nomine.

16. Populo tuo supplici
Precibus tuis subveni
In pace conservando,
Fac, legem servet Domini
Et caritatem proximi
In corde confirmando

17. Tu quae tanta reputaris,
Quod prae cunctis dominaris
In caelis et in terris,
Quidquid exstat bonitatis,
Per te datur large satis
Ut stillans fave mellis.

18. Genuisti talem mundo,
Qui de monte venit summo
Ovem unam quaerere,
Se infixit in profundo
Limo mundi, ut immundo
Homini det surgere.

19. Natura quidquid produxit,
Ad se ipsum hoc reduxit
In cruce exaltatus,
Tunc sol, terra omnis luxit,
Donec verus sol illuxit
Surgens glorificatus.

20. Mirante tota machina,
Quod Deus mirabilia
Perfecit in te tanta,
Credendum est, quod opera
Non sunt patrata talia,
Ut tu es, mater sancta.

21. Tuum fructum benedictum
Mundi auferens delictum
Habere fac placatum,
Ne nos premat Ite strictum,
Sed Venite, dulce dictum,
Det regnum praeparatum

22. Sanctum illud totum erit,
Ibi clare relucebit
Trinitatis facies,
Congaudere tunc placebit,
Cum ovile unum erit,
Summa pax et requies.

23. Genitorem, qui dat esse
Rebus cunctis manifeste,
Hunc decet, collaudamus,
Pro collatis est necesse
Grates per te indefesse
Iugiter referamus.

24. Virgo stirpis Davidicae,
Exorta mundo splendide,
Pulchra tamquam Cynthia,
Ingressa es pacifice,
Et nomen tuum celebre
Redolet per omnia.

25. Prius eras figurata
Et in lege es velata,
Declarant rem iam gesta,
A prophetis prophetata,
Per auroram designata,
Ut Cynthius electa.

26. Ac posterius lex nova
Habet in textu et glosa
Ut praeclarum speculum,
Nostra dulcis tu es prosa,
Veneranda mente prona
Nunc et in perpetuum.

27. Gabrielis locutio
Te confortavit, quomodo
Adveniret spiritus,
Et summi obumbratio
Fecit, quod gravidatio
Sit portata levius.

28. Ab ore qui altissimi
Prodivit, in te humili
Mansit certo tempore,
Angustia tunc uteri
Est usus loco solii,
Ipsum lactans ubere.

29. Sumens munus exiguum
Habeto, quaeso, placitum
A despecto famulo,
Sub tuum qui praesidium
Fugit, videto miserum
Compassivo oculo.

30. Illud insuper est gratum,
Si per Ave salutatum
Pectus tuum fuerit,
Mox expandis sinum latum,
Dans odorem sicut pratum,
Plene cum floruerit.

31. Ave, plena, dulcis valde,
Salutata per haec, gaude,
Continent mysteria,
Primum signat te abs fraude
Et secundum omni laude
Plenam, o sanctissima.

32. Peccatorum advocata,
Intercedis, ne prolata
Feriat sententia,
Quae dum fuerit cassata,
Sint peccata relaxata
Ex Dei clementia.

33. Miserere, miserere,
Salus et spes nostra vere,
Da peccata nunc deflere,
Ne post mortem paenitere
Perpetue contingat;
Hora mortis nos tuere,
Dic maligno: hinc recede!
Partem tecum fac habere,
Regnum Dei possidere,
Dicamus: Fiat, fiat.

Orat. ms Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

162. Aureum Patrum S. M. V.

1. O Maria, mundi salus,
Te obnixe imploramus,
Exaudi nos benigne,
Laudes tuas recitamus,
Quamvis homo quisque pravus,
Fac, te collaudat digne.

2. Florens hortus gratiarum
Plenaque deliciarum,
Nostrum sis solacium,
A te salus animarum
Pendet omnium nostrarum,
Misere viventium.

3. Rosa fragrans et amoena,
Contra daemonum venena
Efficax antidotum,
Dulcis Dei es camoena,
Huic decantans voce laeta
Carmen evangelicum.

4. Mater, maternum animum
Erga nos gere intimum,
Esto pia filiis,
Nam tibi semper proprium
Est misereri omnium,
Qui sunt lapsi vitiis.

5. Domini regis omnium
Velle, nolle sublimium
Tibi semper permanet,
Tenes summum imperium,
Nam trinitati proximum
Solium te continet.

6. Speciosa feminarum
Speculumque puellarum,
In te figit lumina,
Quidquid exstat gratiarum,
Ex te manat, ut aquarum
Large fluunt flumina.

7. O protectrix, fove clerum,
Plebem serva, ut sincerum
Cor ad Deum habeat,
Mundum istum nimis caenum,
Inimicum quoque saevum,
Carnem fac ut superat.

8. Virgo mater nominanda,
Res est nimis admiranda,
Natura stupet omnis,
Magna quoque nostra damna
Per te erant instauranda,
Hinc gaudet totus orbis.

9. Mitis, pudica, humilis,
Non est inventa similis
In filiabus Adae,
Nam Deus invisibilis
Efficitur palpabilis
Sumendo carnem a te.

10. O largitrix verae pacis,
Via recta veritatis
Sis nobis errabundis,
Ne per viam vanitatis
Gradiamur et piratis
Tradamur furibundis.

11. Fecundissima vocaris,
Fructu ventris dilataris,
Per totum universum
Benedicta praedicaris,
Per te datur vivus panis
Saporem dans immensum.

12. Vitis alta, dulcis multum,
Es vallata, ne tumultum
Malignorum perferas,
De hac vite da virgultum,
Flecte ad nos tuum vultum
Et reatum auferas.

13. Clarior in caelestibus
Angelorum exercitus
Te habet veneratam,
Sol amicit splendidius,
Lunam habens sub pedibus,
Coronam fers stellatam.

14. Aurora semper rutilans,
Stella ex Iacob oriens
Prophetae sonant ora,
Mundum istum ingrediens,
Corda nostra illuminans,
Venerunt tecum bona.

15. [Pro] tuis servitoribus,
[Qui] premuntur doloribus
. . . . . saeculi,
. . . . . onibus
. . . . simul omnibus
Sedule . . [sub]veni.

16. Nobis da . . dona,
Aufer mundi [fal]sa bona,
Quae transeunt ut fumus,
Nostra spes est in te tota,
A terrenis mens sit lota,
Affectus quoque purus.

17. Iugiter te collaudantes
Illos semper fac ferventes,
Rite agant omnia,
In adversis patientes,
Toto corde dimittentes
Cuncta offendicula.

18. Ora felicem exitum,
Nati tui viaticum
Et sanguis propinetur,
Nullum erit periculum,
Nostrum conducas spiritum,
Ut caelum sibi detur.

19. Amen demum alacriter
Nunc trinitati pariter
Fidelis quisque dicat,
Mariae carmen dulciter
Modulemur salubriter
Omnibus nobis. Fiat.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Bei Str. 15 ein Loch gerissen.

163. Recordare Aureum B. V. M.

1. Recordare, o Maria,
Peccatorum, hac in via
Pro his interveniens,
Scimus, quia tu es pia,
In caelesti hierarchia
Deum reconcilians.

2. Virgo casta et pudica,
Nos tuere in hac vita
Cogitatum dirigens,
Corda nostra sint contrita,
Sitque mens per te polita,
Hanc a vanis retrahens.

3. Mater regis tu caelorum,
Es regina angelorum,
Mediatrix populi,
Vota pia famulorum
Transfer, virgo, ad caelorum
Regna tui filii.

4. Cum steteris ante thronum
Trinitatis, angelorum
Circumdaris agmine,
Dulcis cantus sonat horum,
Coetus quoque hinc sanctorum
Te honorat sedule.

5. In conspectu regis veri
Per decorem speciei
Super omnes eminens,
Ultra omnes places ei,
Es propinqua eius sedi
Secum laete resides.

6. Dei plena divitiis
Virtute tui nominis,
Qua diceris Maria,
Tuis intende filiis,
Ne maculentur vitiis,
Quae essent his nociva.

7. Ut loquaris, quae sunt grata,
Prece tua natum placa,
Det salutem omnibus,
Et largire, advocata,
Nobis cuncta sint paccata,
Qui ad te confugimus.

8. Pro nobis te exponimus,
Ad Deum te transmittimus
Habentes in te fidem,
Quodcunque per te petimus,
In hoc exaudit filius
Mox suam genetricem.

9. Bona dabit caelestia,
Caduca haec terrestria,
Per omnia spernamus,
Aderit eius gratia,
Ut illi per haec tempora
Securi serviamus.

10. Et avertat temptamenta,
Quae sunt nobis nocumenta,
Mundi, carnis, daemonis,
Pia virgo, nos frequenta,
Nos conforta, nos sustenta
In cunctis periculis.

11. Indignationem Dei
Meruimus omnes rei,
Succurre celerius,
Nostri velit misereri,
Per te pie et mederi
Scelerum vulneribus.

12. Suam demum praesentiam,
Angelorum frequentiam
In morte nobis dabit,
Daemonum vehementiam
Horumque insolentiam
Mox procul effugabit.

13. A nobis fiat eminus
In fine nostri exitus,
Quidquid gravat animam,
Adesto, virgo, comminus,
Duc, ubi tuus filius
Patris tenet dexteram.

14. Amen semper exclamare
Libet teque invocare
Matrem Christi inclitam,
Ut a peste et a clade
Nos digneris conservare,
Vitam donans sobriam.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen IV° 29. — 15, 1 Amen libet semper exclamare Hs. —

164. Aureum Regina Caeli.

1. Regina nobilissima,
Suscipe laeta gaudia
Resurgentis filii,
Tota simul ecclesia
Laetatur de victoria
Salvatoris Domini.

2. Caeli cives iucundantur,
Dum inferna spoliantur,
Et mors mortem superat,
Qui captivi tenebantur,
Hi per Christum liberantur,
Eosque laetificat.

3. Laetare summe poterat
Maria, quae dilexerat,
Dum vidit resurgentem,
Sublatum hunc crediderat.
Quem in praesenti viderat
Se pie consolantem.

4. Alleluia hinc cantatur,
Christus surgens videatur
A pia Magdalena,
Ut a suis inquiratur,
Praecessisse nuntiatur
In terra Gallilaea.

5. Quia qui ante planxerant,
In morte dum reliquerant,
Nunc gaudio laetantur,
Resurrexisse viderant
Et manibus palpaverant,
Hinc Deum protestantur.

6. Quem in paschali tempore
Diebusque laetitiae
Cum eis conversantem
Vident adesse sedule,
De regno suae patriae
Multis modis loquentem.

7. Meruisti generare
Dei natum mundo clare,
Virgo semper permanens,
Ipsum velis mitigare,
Dum venerit iudicare
Malos dire puniens.

8. Portare Dei filium
Inter filias hominum
Nulla digna fuerat,
Sed Deus pater omnium
Per summum suum nuntium
Te ad hoc elegerat.

9. Alleluia personemus,
Tantae matri laudes demus,
Nobis talem peperit,
Qui auferret mundi scelus,
Ne periret Adae genus,
Diram mortem pertulit.

10. Resurrexit immortalis,
Rex gloriae aeternalis,
Ultra iam non moritur.
Per virtutem deitatis
Auctor tantae maiestatis
Ad caelos transvehitur.

11. Sicut patres praedixerunt,
Adimpleta tunc fuerunt
Omnia oracula,
Mira signa claruerunt,
Fidem gentes receperunt,
Baptizantur milia.

12. Dixit daturum spiritum,
Qui illustraret saeculum,
Summa Dei veritas,
Ut populis credentium
Per coetum apostolicum
Esset pia unitas.

13. Alleluia inde sonet,
Paraclitum nobis donet,
Quem suis promiserat,
Omne bonum ille docet
Et expellit, quidquid nocet,
Apud nos permaneat.

14. Ora, virgo eximia,
Ut gaudia paschalia
Tuis prosint famulis,
Et filii victoria,
Qui surrexit in gloria,
Salvet a periculis.

15. Pro nobis sis sollicita,
Ne irruant temptamina
Hostis nostris callidi,
Sed cuncta nostra opera
Sint per te Deo placita
Pacatique singuli.

16. Deum nobis propitium
Per tuum patrocinium
Sentiamus iugiter,
Carmen istud exiguum
Sit, tibi, virgo, placitum,
Suscipe hilariter.

17. Alleluia exclamare
Libet, sacrum tempus clare
Instat nunc fidelibus,
Christe, nobis nunc appare
Et post mortem tecum trahe
Tuis iungens civibus.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

165. Super Salve regina.

1. Salve, splendor praecipue
Supernae claritatis,
Regina vincens strenue
Scelus impietatis,
Misericordiae tuae
Munus impende gratis.

2. Vita perennis caelica
Per te nobis donatur,
Dulcedo tua mellica
Maerentes consolatur,
Et spes nostra es unica,
Qua reus reparatur.

3. Salve, salvatrix omnium,
Languentum medicina,
Ad te, Dei triclinium,
Carens peccati spina,
Clamamus, fer auxilium,
Nos serves a ruina.

4. Exsules nos ad patriam
Reducas, ut fruamur,
Filii irae gratiam
Per te nunc consequamur,
Evae matris nequitiam,
Fac, ne experiamur.

5. Ad te sacratam virginem,
Insignem matrem Dei,
Suspiramus, ut turbinem
Tollas saevitiei,
Gementes duc ad cardinem
Caelestis requiei.

6. Et flentes in hac misera
Vita calamitatis
Lacrimarum post aspera
Lamenta gravitatis
Valle de hac nos libera
Et aggrega beatis.

7. Eia ergo conclusio
Mortis nostrae finalis,
Advocata, praesidio
Fac, ne sit gehennalis,
Nostra tunc fiat mansio
Cum Christo aeternalis.

8. Illos, quos gestas, porrige
Nobis sanctos profectus,
Tuos super nos erige
Benevolos aspectus,
Misericordes dirige
Ad nos semper affectus.

9. Oculos tuos placidos,
Sole splendidiores,
Ad nos, qui culpae sordidos
Amplectimur horrores,
Converte, ut et nididos
Servemus mentis mores.

10. Et cernere feliciter
Fac nos illum decorum
Iesum, quem chorus iugiter
Adorat angelorum,
Benedictum perenniter
Cum laudibus sanctorum.

11. Fructum, cuius fruitio
Praebet satietatem,
Ventris profers ex gremio
Servans virginitatem,
Tui fructus perceptio
Det plenam sanitatem.

12. Nobis post hoc lubricum,
Fallax, perniciosum
Exsilium, maleficum,
Nequam, laboriosum,
Ostende tuum unicum
Natum deliciosum.

13. O clemens et propitia,
Fel solve vitiorum,
O pia, pelle proelia
Hostilium malorum,
O dulcis, duc ad dulcia
Nos carmina caelorum.

14. Maria, nos mundifica
In sordibus iacentes,
Maria, nos sanctifica
Ad te confugientes,
Maria, beatifica
Nos in te confidentes.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Script. Eccl. 275. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. saec. 14. [bei Mone II, 204] B. — 2, 2 datur A. — 2, 5 es fehlt B. — 3, 2 Languentium AB. — 3, 6 serva B. — 5, 5 duc ad patriam A. — 6, 4 Dirae statt lamenta B. — 8, 6 Semper ad nos A. — 9, 5 Converte dans ut nitidos B. — 13, 2 Vim solve A. — 13, 4 Nunc hostium malorum A. — 13, 5 duc nos dulciter A. — 13, 6 Ad gaudia sanctorum A. — 14, 3 nos salvifica A. — 14, 5 Maria nos sanctifica A. — 14, 6 In te iam confidentes A. — A fügt noch folgende Strophe bei, die in den ungeraden Zeilen trochäisch statt iambisch gemessen ist und an einer Stelle des Reimes enträt:

Amen, trino in unum Gloriam canamus,
Amen, Deo homini Gratias agamus,
Amen, matri virgini Sic landes referamus.

166. Super Salve regina.

1. Salve, mater nostra pia,
Virgo dulcis, o Maria,
Eduxisti nos de via
Mortis et periculi.

2. Regina, hoc effecisti,
Nos de morte redemisti,
Quando Christum concepisti,
Salvatorem omnium.

3. Misericordiae planta,
Salus venit ex te tanta,
Exprimi non potest quanta
Nec in mente concipi.

4. Vitae nobis lumen dona,
Ut possimus mente prona,
Quae dedisti nobis, dona
Feliciter noscere.

5. Dulcedo sua conducat
Et ad pacem nos reducat
Et de morte nos educat
Per sui clementiam.

6. Spes, quam fide reportamus,
Supplicantes te rogamus,
Ut defendas, ne ruamus
In mortis periculo.

7. Nostra salus et benigna,
Omni laude certe digna,
Peccatores nos resigna
Ante tuum filium.

8. Salve, caelitus creata,
Per quam salus est parata,
Porta caeli reserata
Clausa peccatoribus.

9. Ad te, dulcis, nos speramus,
Confidenter preces damus,
Ut a te non discedamus,
Ut simus in gloria.

10. Clamamus ad te fidenter,
Nostris precibus clementer
Aurem praebe diligenter,
Ut simus in gloria.

11. Exsules sumus in mundo,
Maris stamus in redundo,
Nos extolle de profundo
Lacus et miseriae.

12. Filii nos sumus tui,
Dona nobis digne frui
De Iesu et regno sui
Per misericordiam.

13. Evae nomen maledixit,
Per te nobis lux revixit,
Christus nobis benedixit
Ventris tui gremio.

14. Ad te clamant omnes gentes,
Fac, ut sint proficientes
Et exclara cunctas mentes
In te confidentium.

15. Suspiramus et instanter,
Credimus indubitanter,
Quod nobis tu des laetanter
Tui nati gratiam.

16. Gementes sumus turbati,
Passione tui nati,
Fac, ut simus inflammati
Et amore proximi.

17. Flentes sumus cum dolore
Pro peccatis, cum rubore,
Vivimusque cum sudore
In nostra miseria.

18. In hac vita dum vivemus,
Ut non mala reportemus,
Fac, ut tecum semper stemus
Et cum tuo filio.

19. Lacrimarum sumus pleni,
Regni dulcis et amoeni,
O rex bone, precor, veni,
Da nobis laetitiam.

20. Valle sumus circumdati
Propter nebulam peccati,
Fac, ut simus inflammati
Claritatis munere.

21. Eia ergo, mater poli,
Nos commenda tuae proli,
Ne errores sive doli
Nos supplantent hostium.

22. Advocata nostra semper
Nobis sis indiffidenter,
Ut portemus reverenter
Passionem Domini.

23. Illos, qui te amant, rege
Et ab omni malo tege,
Ut assistant coram rege
Sempiternae gloriae.

24. Tuos servos nos guberna
Et in pace nos conserva,
Absit a nobis proterva
Daemoniorum rabies.

25. Misericordes fac ut simus,
Ut servire nos possimus
Creatori, quem nescimus
Amare sicut convenit.

26. Oculos iam fide dignos,
Misericordes et benignos
Tu nobis ostende, dignos
Omni reverentia.

27. Ad nos, benigna mater Dei,
Licet mortis simus rei,
Inclina te et bonae spei
Da perseverantiam.

28. Converte, pravae ut mentes
De peccatis sint dolentes
Et veniam deprecantes
A misericordia.

29. Iesum, nostrum redemptorem,
Redde nobis amatorem,
Aufer a nobis dolorem
Inferni miseriae.

30. Benedictum sit, o Christe,
Nomen tuum, crucifixe,
Peccatoribus assiste,
Ut peccatis caveant.

31. Fructum tuum, Iesum Christum,
Culpa nostra crucifixum,
Placa nobis semper istum
Tuis rogaminibus.

32. Ventris tui generosi
Concepti miraculosi
Germinisque pretiosi
Fructum fide credimus.

33. Nobis ergo, gloriosa
Virgo, sine spina rosa,
Praebe nobis virtuosa
Munera suscipere.

34. Post hoc naufragium peccati
Per te simus reparati,
Deo reconciliati
Ad habendam gratiam.

35. Exsilium erat grave,
Quando dictum fuit Ave,
Commutatur in suave
Divina providentia.

36. Ostende viam virtutum,
Nobis iter para tutum,
Fervens sit cor et non mutum
Tuis dignis laudibus.

37. O clemens, o cara mater,
Cuius natus est et pater,
Non sufficit nihil quater
Te laudare meritis.

38. O pia, fons pietatis,
O dulcedo caritatis,
Tu nos redemisti gratis
A morte perpetua.

39. O dulcis nostrae salutis
Recuperatrix, virtutis
Dona pacem constitutis
In mundi naufragio.

40. Virgo, flos virginitatis,
Splendor verae caritatis,
Ante thronum maiestatis
Recommenda supplices.

41. Maria, tu stella maris,
Super omnes ordinaris,
Dulce certe veneraris
Angelorum coetibus.

42. In extrema mortis hora,
Benedicta mater, ora,
Ut possimus sine mora
Transire ad requiem.

43. Quod nobis dare dignetur,
Per quem mundus renovetur,
Qui regnat et miseretur
In saeculorum saecula.

Orat. ms. Italicum anni 1489. Cod. Paulan. Sanbl. memb. 45. — 4, 1 Vita. — 5, 1 sua nos; lies tua? — 5, 4 Lies tui? — 6, 3 ne erramus. — 13, 2 lux refulxit. — 15, 3 locanter. — 16, 2 Passionis. — 27, 2 morte. — 28, 1 pravas. — 37, 1 o clara. — 37, 2 est o pater. — 3, 7 Lies nisi quater? — 38, 2 claritatis. — Das Lied ist italienischer Herkunft wie die Quelle. Vgl. Mone II, 208 ff.

167. Super Missus est.

1. Missus est de caelestibus
Nuntius regis omnium,
Ut nuntiaret tristibus
Verum solamen cordium,
In tenebris sedentibus
Aeternae lucis radium,
In peccatis languentibus
Magnum salutis gaudium.

2. Angelus non significat
Naturam, sed officium,
Cum Deus nobis indicat
Vel facit beneficium,
Spiritum, quem vult, iudicat
Ad hoc fieri nuntium
Et ei nomen applicat
Iuxta datum mysterium.

3. Gabriel ergo dicitur,
Qui est missus ad virginem,
Hoc nomen nobis loquitur
Divinam fortitudinem,
A qua fortis devincitur,
Qui iam vicerat hominem,
Hoc proelium prosequitur
Sanctus David per ordinem.

4. A Deo patre nuntius
Missus fuit descendere,
Ordinatus, ut filius
Spiritus sancti opere
Homo fiat inferius,
Indutus carnis vellere,
Ut homines superius
Possit ad caelos trahere.

5. In civitatem modicam
Magnae parantur nuptiae,
Nuntius civem unicam
Petit pro rege gloriae,
Ut civitatem caelicam
Civibus huius patriae
Cunctis faceret publicam
Regiae dono gratiae.

6. Gallilaeae vult populum
Revocare ad propria,
Transmigratum per zabulum
In aliena patria,
Visitans istud saeculum
Sua Deus praesentia
Omnem credentem servulum
Vocat ad caeli gaudia.

7. Cui nomen imponitur
Conveniens mysterio,
Sicut tempus eligitur,
Sic locus Dei filio,
Quando florum respicitur
Novorum delectatio,
Flos novae vitae mittitur
In florenti pomerio.

8. Nazareth ergo civitas
Floreat novis floribus,
Cuius florum amoenitas
Prosit cunctis mortalibus,
Nostra namque mortalitas
Huius florum odoribus
Reviviscit, et novitas
Vitae datur credentibus.

9. Ad virginem, quae florebat
Omni virtutum genere,
Flos caelicus veniebat,
Qui nescit florem laedere,
Qui odore redolebat,
Florem caelestem legere
Ei digne competebat
Et flori sertum facere.

10. Desponsatam fecit esse,
Ne laedatur infamia
Flos, qui de radice Iesse
Florebat omni gratia,
Ut et sponsus det expresse
Virgini testimonia,
Detque sponsae, quod necesse,
Paene labor inedia.

11. Viro virgo committitur,
Non pro carnis libidine,
Thesaurus iusto creditur
Sub vero sponsae nomine,
A quo sponsa non tangitur,
Sed spiritus dulcedine
Vir a sponsa diligitur
Utroque stante virgine.

12. Cui nomen est proprium
Semper accrescens meritis,
Usque in sanctum senium
Culpis carens illicitis,
Meruit Dei filium
Missum gentibus perditis
Servare, regem omnium,
Nutrire cibis debitis.

13. Erat iustus et sapiens,
Modestus, castus, humilis,
Omne malum refugiens,
In actibus laudabilis,
Omni bono consentiens,
Exemplo cunctis utilis,
De magna tribu veniens
Vir erat iste nobilis.

14. Ioseph arte et nomine
Designat Dei filium,
Qui nutu et spiramine
Fabricator est omnium,
Qui fabricat in virgine
Intacta corpus proprium,
Ut crescat, non in culmine,
Sed in plebe credentium.

15. De domo et familia
Una fuerunt geniti,
Sunt de tribu egregia
Sponsa et sponsus incliti,
Nam regalis potentia,
Per quam sunt omnes conditi,
Venit de domo regia
Miserta mundi perditi.

16. David tribus est nobilis,
Orta de Iuda genere,
Confessio laudabilis
Scit manu fortem parere,
Intacta virgo humilis
Confiteri et psallere
Scit, ut fortis amabilis
Goliath possit vincere.

17. Et nomen tantae feminae
Non tegatur silentio,
Omni plenum dulcedine,
Summo dignum imperio,
Invocari ab homine
Debet omni negotio,
Ergo in hoc dictamine
Et mihi sit auxilio.

18. Virginis huius precibus
Mihi detur auxilium,
Ut possim dignis laudibus
Eius referre gaudium,
Quod cepit in sermonibus
Dictis ei per nuntium,
Cum in sacris visceribus
Concepit Dei filium.

19. Maria, lumen cordium,
Illuminata gratia,
Illuminatrix omnium,
Stella maris eximia,
Audiat Dei nuntium,
Qui refert ei gaudia,
Mundo passo naufragium
Det salutis remedia.

20. Et ingressus cum lumine
Non fecit magnum strepitum,
Significans in virgine
Verae lucis introitum,
Qui sine viri semine
Ventrem intravit inclitum,
Et contra morem feminae
Inde faciet exitum.

21. Angelus in silentio
Solam invenit virginem,
Quae mundum habet odio,
Omnem refugit hominem,
Fervens eius devotio,
Adpetens solitudinem,
Ingresso Dei nuntio
Magnam confert dulcedinem.

22. Ad eam, quae in saeculo
Vitam ducebat caelicam,
Venit, ut caeli pabulo
Reficiat famelicam,
Carnis et cordis oculo
Videns lucem angelicam
Reverenti vocabulo
Audit salutem deicam.

23. Dixit salutis gaudium,
Quod rex ei transmiserat,
Et perfecit officium,
Propter quod missus fuerat;
Audiens virgo nuntium,
Magnum pavere tolerat,
Quippe quisquam mortalium
Non tale quid audierat.

24. Ave, o Evae filia,
Quae vae matris mortificum
Ab humana miseria
Tolles, ave salvificum
Per salutis remedia
Mundo dabis in publicum,
Suscipe nova gaudia,
Portabis summum medicum.

25. Gratia infallibili
Tu digna es per merita,
Gratia ineffabili,
Per quam cuncta sunt condita,
Mundo succurras labili
Et sic prae cunctis inclita
Corde gaudebis humili
Gratia cunctis reddita.

26. Plena luna non patiens
Ecclipsum ullis mensibus,
Sed crescens et proficiens
In virtutum luminibus,
Quater decem perficiens
Circulos a natalibus
Lumen solis recipiens
Plene lucebis noctibus.

27. Dominus, rex caelestium,
Te vult sponsam assumere,
Ecce, pulsat ad ostium,
Noli regem renuere,
Para ei hospitium,
Gaude regem recipere,
Qui salutem credentium
Venit in te perficere.

28. Tecum habebis socium,
Qui tua regat opera,
Tecum habebis filium
Formatum intra viscera,
Tecum ferens in gremium
Indutum carne tenera,
Tecum erit rex omnium,
Per te dabuntur munera.

29. Benedicta filia,
Maledictis parentibus
Datura es remedia,
E sacratis visceribus,
Benedicta mysteria,
Quae aeternis foederibus
Aeternae vitae praemia
Per te dabunt mortalibus.

30. Tu sponsa valde nobilis
Summi regis et camera,
Puella semper humilis,
Mater eris puerpera,
In te, virgo amabilis,
Mira faciet opera
Rex caelestis, laudabilis,
Coniungens imis supera.

31. In mulieribus nunquam talis
Ante reperta fuerat,
Reatus nam orginalis
Praecedentes infecerat,
Tu puella quam a malis
Tantis Deus servaverat,
Quam gratia specialis
In utero repleverat.

32. Quae cum audisset nuntium
Verba dicentem dulcia,
Non elevat cor proprium
In humana superbia,
Sed tanquam candens lilium
Et viola eximia
Odorem donat nimium
Humilitatis gratia.

33. Turbata est, ut limpidum
Fontem vitae recipiat,
Qui mundum istum turbidum
Purum a sorde faciat,
Hominem quoque languidum
Sitientem reficiat,
Cor virginis sic pavidum
Ut securam se sentiat.

34. In sermone angelico
Intendit virgo dulciter,
Sugens de rore caelico
Lac et mel spiritaliter,
Hoc non clamat in publico,
Considerans humiliter
In hoc Ave salvifico
Causam vitae finaliter.

35. Et cogitabat tacitus,
Quid hic sermo significet,
Hanc docet sanctus Spiritus,
Ut turbatam clarificet,
Et ut docta sit caelitus,
Mysterium hoc indicet
Sibi datum divinitus,
Ut hominem salvificet.

36. Qualis sit benedictio,
Sacra virgo considerat,
Nam Evae maledictio
Usque ad tunc duraverat,
Et virginis intentio
Castitatis firmaverat
Votum in corde proprio,
Quod Deus confirmaverat.

37. Esset utrum in semine
Seu in rerum operibus,
Sive in famae nomine
Vel in sacris virtutibus,
Haec silenti precamine
In cordisque sermonibus
Interrogat in virgine
Mens turbata luminibus.

38. Ista salutatio
Nam cunctis erat insolita,
Caelestis benedictio
Nondum erat exhibita,
Gratiae Dei missio
Adhuc erat prohibita,
Sic virginis intentio
Cogitabat incognita.

39. Ait angelus virgini
Declarando mysterium,
Fidelis servus Domini
Perficiens officium,
Qui congauderet semini
Dives opum caelestium,
Omni pateret homini
Fama virtutum omnium.

40. Ne timeas a servulo
Parato ad servitium,
Intende cordis oculo
In divinum mysterium,
Non time, quae a saeculo
Tolles timoris taedium,
Omni datura populo
Securitatis gaudium.

41. Maria, mea domina,
Tibi servire venio,
Cuncta caelorum agmina
Tuo subsunt imperio,
Non time propter lumina
Tuo missa servitio,
Totum mundum illumina
Tuo sancto colloquio.

42. Invenisti per merita,
Quem quaerebas affectibus,
Qui respicit abscondita,
Praesens est tuis precibus,
Bona caelorum perdita
A primaevis parentibus
Tibi, virgo, sunt reddita
Ac per te cunctis gentibus.

43. Gratiam per te facere
Vult Deus omni saeculo,
Prius tibi tribuere
Et post credenti populo,
Laborantes vult pascere
Aeternae vitae pabulo,
Sitientes reficere
Verae fidei poculo.

44. Apud Deum, qui me misit,
Reputata es maxima,
In saeculo te dimisit,
Ubi visa es minima,
Qui se a te non divisit,
Nunc de carne purissima
Sumere vult, ut promisit,
Carnem, virgo pulcherrima.

45. Ecce lux, ecce claritas,
Ecce perfectum gaudium,
Ecce, amici caritas
Amicae petit gremium,
Ecce, sponsi iucunditas
Sponsae pulsat ad ostium,
Ecce, summa felicitas,
Para ei hospitium.

46. Concipies veraciter
Deum verum et hominem,
Felix eris perenniter
Et felicem gravedinem
Laeta portabis leviter,
Dabit tibi dulcedinem
Teque portabit firmiter
Tollens a te formidinem.

47. In utero versabitur,
Quem mundus nequit capere,
A quo mundus recluditur,
Tu poteris recipere,
Utero totus clauditur,
Totus manens in aethere,
Totus in patre creditur,
Totus in ventris carcere.

48. Et paries mirabilem
Ex intactis visceribus
Deumque invisibilem
Dabis humanis visibus,
Excelsum nimis humilem
Et gaudium in fletibus,
Lucem inaccessibilem
Tangens beatis manibus.

49. Filium Dei proprium,
Per quem facta sunt omnia,
Tuum habebis filium,
Cuius prius es filia,
Regem lactabis omnium,
Deferens inter brachia
Summum pastorem ovium,
Qui dat cunctis cibaria.

50. Vocabis novo nomine
Dominum de te genitum,
Quod in caelorum culmine
Ei fuit impositum,
Veniens in certamine,
Christianum exercitum
Hic vocabit in lumine
Ad regnum suum inclitum.

51. Nomen eius laudabile,
Benedictum ab omnibus,
A cunctis adorabile
Cum genuflexionibus,
Satis quoque terribile,
Sed malignis spiritibus,
Ab angelis amabile,
Invocandum a gentibus.

52. Iesum, salutem omnium,
Deum fortem in proelio,
Tuum vocabis filium
Nomine sancto proprio,
Angelorum est gaudium,
Hominum exsultatio,
Hoc sanctum evangelium
Servatum cordis medio.

53. Hic enim salvum faciet
Populum a reatibus,
Hic iudex iustus veniet
Deus in caeli nubibus,
Hic malignos percutiet
Cum damnatis daemonibus,
Hic amicos recipiet
Secum in caeli sedibus.

54. Erit, quod semper fuerat,
Deus, lumen de lumine,
Hominem, quem formaverat,
Assumens in te virgine,
Ut ruinam, quam fecerat
Lucifer fastus famine,
Reparet, caelo conferat
Novos cives de homine.

55. Magnus, qui semper maximus
Erit, qui nescit crescere,
Claudere nequit animus
Quantitatem nec capere,
Humilitate minimus
Magnus erit in opere,
Qui primus est et ultimus,
Vult parvos magnos facere.

56. Et filius, qui medius
Inter patrem et spiritum,
Unus idem, sed alius,
Hominem sumens conditum,
Tuum erit inferius
Pretiosum depositum,
Ut te ponat superius
In locum tibi debitum.

57. Altissimi humilitas
Ordinatur vilescere,
Nec credendum, quod vilitas
Dignum possit inficere,
Summi Dei sublimitas
Sic infimum vult sumere
Ut infirmi obscuritas
Inde possit clarescere.

58. Vocabitur a gentibus,
Quod est semper realiter,
Nam in sanctis operibus
Cognoscetur veraciter
Deus verus, qui omnibus
Praeest regnans feliciter,
Hoc nomen in caelestibus
Est ei aeternaliter.

59. Et dabit ei gloriam
Dei patris auctoritas,
Quam habet semper propriam
Filii vera unitas,
Quo ad carnis substantiam
Minorabitur dignitas,
Hinc decet, per victoriam
Detur ei sublimitas.

60. Dominus Deus omnium,
A quo natus est filius,
Qui nascendi principium
Non habuit superius,
Sic ordinavit filium
Transmittere inferius,
Ut revertens ad solium
Donet amicis melius.

61. Sedem habebit regiam,
Qui erit de te genitus,
Tuae carnis substantiam
Exaltabit divinitus,
Tu mater videns gloriam
Filii tui caelitus
Tunc habebis laetitiam,
Quando erit rex inclitus.

62. David regnum restituet,
Cuius sceptrum iam corruit,
Novam legem instituet,
Nam vetus mortem tribuit,
Hic hostis regnum destruet,
Qui regnum suum diruit,
Vitam populo tribuet,
Qui iam per mortem aruit.

63. Patris eius, veraciter
De cuius erit semine,
Dabitur ei iugiter
Sceptrum, cuius regimine
Laetabuntur communiter
Homines prae dulcedine,
Sub quo vivent feliciter
Cives in caeli culmine.

64. Et regnabit rex sapiens
Et faciet iustitiam,
Abscondita respiciens
Dissipabit malitiam,
Dispersos suos uniens
Revocabit ad patriam,
Regia dona largiens
Suam monstrabit gloriam.

65. In domo Iacob regia
Ponetur eius solium,
Namque sancta ecclesia,
Quae domus est fidelium,
Natus tui praesentia
Cunctis erit in gaudium,
Verae fidei gratia
Rex unus erit omnium.

66. In aeternum ditabitur
Divitiis et gloria,
Ubicunque laudabitur
Salomonis prudentia,
A quocunque timebitur
Regis fortis potentia,
A civibus amabitur
Pacifica clementia.

67. Regni eius hereditas
Non indigebit lumine,
Perennis agni claritas
Fulgebit caeli culmine,
Abhinc cedet adversitas,
Et fugata formidine
Pax erit et tranquillitas
In amoris dulcedine.

68. Non erit luctus amplius
Neque clamor sed lacrimas
Tuus absterget filius
Sanctas confortans animas,
Cunctis erit iucundius,
Escas habebunt optimas,
Quas dabit rex egregius
Gubernans oves plurimas

69. Finis est et principium
Rex iste, de quo loquitur,
Regni cuius imperium
Sine fine videbitur,
Si vis habere filium,
Sicut tibi promittitur,
Dic pulsanti ad ostium,
Et, ecce, tibi dabitur.

70. Dixit Maria nuntio
Respondens ei dulciter:
Quamvis tua locutio
Turbaverit me taliter,
Tua tamen promissio
Placet mihi veraciter,
Sed modum ego nescio,
Nisi loquaris aliter.

71. Quomodo Deus faciet
Uterum intumescere,
Quomodo hoc perficiet?
Utrum virili opere?
Vel virginem consentiet
Miraculo concipere?
Scio namque, quod veniet,
Hominem salvum facere.

72. Fiet homo, non dubito,
Deus immensa gratia,
Nam promissum recogito
In lege et prophetia,
Tua tantum te rogito
Edoceant eloquia,
Quomodo in me subito
Tanta fient mysteria.

73. Istud donum desidero
Deo meo consentiens,
Utinam regi supero
Placeam virum nesciens,
Magnum gaudium genero
Verbum salutis audiens,
Sed respondere differo
Modum audire cupiens.

74. Quoniam vovi Domino
Castitatis propositum,
Dono Dei extermino
Omne, quod est illicitum,
In corde tamen rumino
Sermonem tuum inclitum,
Quomodo in hoc termino
Habeam de me genitum.

75. Virum et viri opera
Ignoro omni tempore,
Promissa Deo foedera
Servo fideli pectore,
Non possunt in me scelera
Ut nec ignis in marmore,
Purgata Deo viscera
Devovi casto corpore.

76. Non cognosco malitiam
Nec propono cognoscere,
Dei benevolentiam
Tantum volo acquirere,
Si mihi det hanc gratiam,
Ut coepisti promittere,
Dico modo: concipiam,
Parata sum recipere.

77. Respondens dixit angelus
Quaerenti satisfaciens:
Sermo tuus egregius
Est quaestioque sapiens,
Florem pudoris filius
Non laedet in te veniens,
Sed conformabit fortius
Exitum de te faciens.

78. Spiritus sanctus gravidam
Te suo reddet opere,
Qui quondam virgam aridam
Fructum fecit producere,
Aream quoque madidam
Fecit siccato vellere,
Virginem suam floridam
Te vult praegnantem reddere.

79. Superveniet dulciter
Non faciendo strepitum,
Faciet in te noviter
Novum, quod est insolitum,
Diversa iungens pariter,
Cum Deo servum subditum,
Cor hominis veraciter
Credet virginis genitum.

80. In te descendet spiritus,
Cuius sancto spiramine
Formatur in te genitus
De tuo puro sanguine,
In te erit absconditus
Tectus carnis velamine
Ac per te cunctis agnitus
Erit Deus in homine.

81. Et virtus infirmabitur,
Ut confundantur fortia,
Filius incarnabitur,
Qui in persona propria
A patre semper gignitur,
Cum quo habet aequalia,
Deus homo videbitur
A tuamet substantia.

82. Altissimi altissimum
Filium debes credere
De te corpus verissimum
Sumpturum, non de aere,
Sed aerem foedissimum
Purgaturus a scelere
Venit, bellum fortissimum
In aere perficere.

83. Obumbrabit lux fulgida
In ventre tuo proprio,
In nube carnis candida
Erit solis absconsio,
Ut temperata fervida
Fiat solis vibratio
Cunctis, qui fide solida
Cernent in solis radio.

84. Tibi, virgo, prae ceteris
Obumbrabit haec claritas,
Nam umbras legis veteris
Per te fugabit veritas,
Tu arca novi foederis,
Per quam Dei benignitas
Tuis lucebit posteris,
Semper ardebit caritas.

85. Ideoque, qui dicitur
Alpha et O perenniter,
A quo mundus hic conditur,
Ad quem tendit finaliter,
Via, qua recte graditur,
Veritas docens dulciter,
Vita, qua semper vivitur,
Tibi datur feliciter.

86. Nascetur in hoc tempore
Natus sine principio,
Vero nascetur corpore,
Clauso uteri ostio
Exit, fructus in arbore,
In florenti promerio,
Calor erit in frigore,
Fletus erit in gaudio.

87. Ex te magnus dux exiet,
Qui reget Dei populum,
Uterus tuus pariet
Regem, qui fecit saeculum,
Nullam laesuram faciet
Servans pudoris flosculum,
Ianuis clausis veniet
Deferens pacis osculum.

88. Sanctum lumen de lumine,
Deus de Deo veniens,
Quamvis de terra virgine
Verum corpus accipiens,
Ab ipsa tamen origine
Maculam terrae nesciens,
Tinctum erit in sanguine
In cruce sancta moriens.

89. Vocabitur sanctissimus,
Qui multos sanctos faciet,
Erit in mundo minimus,
In cunabulis vagiet,
Actor pacis peroptimus
Populos multos uniet,
Vocabitur rex maximus,
Quando regnum accipiet.

90. Filius Dei unicus
Venit fratres acquirere,
Perennis heres caelicus
Coheredes eligere,
In terris erit publicus,
Venit fratres redimere,
Ut velit frater modicus
Tantum fratrem diligere.

91. Et, ecce, tibi dicitur
Illud, quod debes credere,
Nam praecursor concipitur,
Qui debeat praecedere
Regem, de quo nunc loquimur,
Quem tu debes concipere,
Parare vias mittitur
Et semitas dirigere.

92. Elisabeth in senio
Ex viri senis semine
Impraegnatae cum gaudio
Occultatur sub tegmine,
Fungenti sacerdotio
Nuntiatur cum lumine,
Qui privatur eloquio
Tardae fidei crimine.

93. Cognata tua vetula
Habet de viri coitu,
Sed tu, virgo iuvencula,
Concipies de spiritu,
Diversa sunt miracula
Et in diverso exitu,
Tu regnantem per saecula
Paries sine strepitu.

94. Ipsa concepit militem,
Sed tu regem concipies,
Nullum peccati fomitem
Amodo, virgo, senties,
Pariet illa divitem,
Sed tu pauperem paries,
Dives parabit limitem,
Quo incedit pauperies.

95. Filium sanctum gratia
Haec portat in visceribus,
De nobili prosapia
Nobiliorem omnibus,
Qui multis dabit gaudia
Eius ortum scientibus,
Qui baptismi mysteria
Clamabit paenitentibus.

96. In sua est senectute
Fecunda prole nobili,
Tu virgo in iuventute
Fructu gaudebis utili,
Nam Iohannes in virtute
Hunc praecedet laudabili,
Iesus pro mundi salute
Carne pugnabit humili.

97. Hic mensis primus mensium,
Quo mundus fuit conditus,
Primum tibi dat gaudium
Conditor de te genitus,
Et in te hortum regium
Fructus vitae fit insitus,
Per istud plenilunium
Splendor solis est cognitus.

98. Est sextus mensis feminae,
Quae non habebit filium,
Adae purgato crimine
Non contrahit contagium,
Hic venit, ut de lumine
Proferat testimonium,
Qui natus de te virgine,
Verum lumen fit gentium.

99. Quae vocatur maledicta
In lege, nunc absolvitur,
Quae erat quasi derelicta,
Nunc a sponso diligitur,
Nam de prole benedicta
Grande festum videbitur,
Cum loquela interdicta
Patri muto donabitur.

100. Sterilis haec impraegnata
Te cogat maius credere,
Ut tu, virgo consecrata,
Christum debeas parere,
Per exempla tibi data
Nunc debes acquiescere
Et gaudia praeparata
Gratulanter recipere.

101. Quia, qui fecit sterilem
Fecundam sua gratia,
Virginem quoque fertilem
Reddet sua praesentia,
Si in sanctis laudabilem
Se dat Dei potentia,
Restat, ut plus mirabilem
Se demonstret in propria.

102. Non erit impossibile
Deo istud mysterium,
Sed erit valde utile
Ecclesiae fidelium,
Quamvis istud mirabile
Sit oculis mortalium,
Non est tamen difficile
Factori rerum omnium.

103. Apud Deum ordinatur
Sic hominum redemptio,
Qui miranda operatur
Pro velle suo proprio,
Naturae cursus mutatur,
Ut hominum mutatio
Apud Deum revertatur
In fidei consortio.

104. Omne, quod Deus fieri
Mandat, moram non patitur,
Qui formam servi miseri
In se sumere dignabitur,
In templo tui uteri
Deus tuus morabitur,
Si sermo regis superi
A te non aspernabitur.

105. Verbum, quod tibi nuntio,
Plenum est omni gratia,
Tua dulcis responsio
Frangat irae indicia,
Ut revertar cum gaudio
Ferens verba placentia
Aeterno Dei filio,
Ut veniat in propria.

106. Dixit Maria credula
Respondens Dei nuntio:
Scio, quod non est fabula
Tua sancta locutio,
Nam quasi vitae fercula
Palato cordis sentio,
Hinc corde sine macula
Verbis tuis consentio.

107. Ancilla stat ad ostium,
Ut pulsanti aperiat,
Per fervens desiderium
Optans, ut sponsus veniat,
Et optatum coniugium
Sponsus vitae perficiat,
Quo virginis propositum
Castum non deficiat.

108. Domini mei cupio
Voluntatem perficere,
Domini ordinatio
De sua potest facere
Pro velle suo proprio,
Parata sum recipere,
Placeat ei gremio
Virginali descendere.

109. Fiat istud coniugium
Immensa Dei gratia,
Transmittat Deus filium,
Prompta est Adae filia,
Ornet thalamum proprium
Sponsus sua praesentia,
Ut amicum egregium
Amplectar inter brachia.

110. Mihi det istam gratiam,
Quam elegit prae ceteris,
Ut relevem miseriam
Humani lapsi generis,
Oppressorum angustiam
Lugentium in inferis,
Audiens donet veniam
Antiqui nequam sceleris.

111. Secundum quod promiserat
In scripturis de filio,
Pater quem semper generat
Natum sine principio,
Cor paratum desiderat,
Impleatur promissio,
Et amplecti accelerat
Sponsa sponsum cum gaudio.

112. Verbum carnem efficiat
Deus verbum principium,
Credentibus proficiat
Huius carnis edulium,
Verbum caro reficiat
Per suum corpus proprium
Edentes, nec deficiat
Nuptiarum convivium.

113. Tuum sanctum officium
Perfecisti fideliter,
Habeo Dei filium
In me natum veraciter,
Deum et suum nuntium
Benedico humiliter,
Qui mihi dedit gaudium
Vitamque plebi pariter.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Cod. Parisien. 3639. saec. $^{15}/_{16}$ B. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Cod. Parisin. 18571. C. — 6, 1 populos A. — 6, 3 Transmigratos A. — 17, 6 in omni A. — 24, 1 o fehlt A. — 26, 5 faciens A. — 26, 6 Articulos A. — 103, 5 immutatur A. — 108, 8 In virginali A.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

I. Stunden-Lieder.

	Nr.
De sanctissima trinitate	1—3
De sancto Spiritu	4; 5
Septem horulae operum divinorum septemplices	6
De Nativitate Domini	73
De Anima Christi	8
De Corpore Christi	9—11
De Misericordia Domini	12
De Passione Domini	13—30
De Corona Spinea	31
De Resurrectione Domini	32; 31
De sanctis Angelis	34—36
De sancto Angelo Custode	37
De Conceptione beatae Mariae Virginis	38—40
De Compassione beatae Mariae Virginis	41—49
De Gaudiis beatae Mariae Virginis	50
De VII Gaudiis beatae Mariae Virginis	51—53
De Assumptione beatae Mariae Virginis	54
Horae de beata Maria Virgine	55—58
De omnibus Sanctis	59; 60
De sancta Barbara	61; 62
De sancto Benedicto	63
De sancto Francisco	64; 65
De sancta Gertrude	66
De sancto Iohanne Baptista	67
De sancto Iohanne Evangelista	68
De sancta Katharina	69—73
De sancta Maria Magdalena	74; 75
De sancto Mauritio	76
De sancto Perchtoldo Garstensi	77
De sancto Quirino	78
Officium Defunctorum	79—81

II. Glossen-Lieder.

	Nr.
Super Veni Creator	82; 83
Super Ave Maria	84–156
Ave Maria Aureum (Super Beata mater ave)	157
Super Ave maris stella	158
Super Magnificat	159; 160
Aureum Alma B. M. V. (Super Alma redemptoris)	161
Aureum Pratum B. M. V. (Super O forens rosa)	162
Recordare Aureum B. M. V. (Super Recordare virgo mater)	163
Aureum regina caeli (Super Regina caeli laetare)	164
Super Salve regina	165; 166
Super Missus est	167

Verbal-Index.

	Seite
Adest triumphus nobilis	116
Ad horam completorii	80
Ad matutinum gemide	77
Ad nonam ego sitio	79
Ad primam praesentatus es	78
Ad sextam cum fmiculis	79
Ad tertiam nequissimus	78
Ad sepulcrum veniens	168
Ad vesperam aromata	80
Aeterno regi gloriae	81
Alma puella regia	286
Alvus tumescit virginis	115
A patre prodit genitus	11
Assiste lux angelica	89
A summo choro Seraphim	90
Auctor salutis unicus	45
Aurora lucis rutilat Caelum	26
Aurora lucis rutilat Pulsa	153
Ave ancilla Domini	190
Ave caeli reserator	73
Ave candens absque vae	191
Ave clemens Katherina	164
Ave constans Katherina	165
Ave crucis consecrator	73
Ave cuius anima	284
Ave decus trinitatis	124
Ave Dei genetrix gemma	192
Ave Dei genetrix et	274
Ave Dei genetrix via	193
Ave desiderii Flos et fons	194
Ave ex patris omnipotentia	196
Ave felix Katherina	164
Ave fuit prima salus	196
Ave fuit salus laeta	198
Ave fulgens maris stella	199
Ave in salutione	199
Ave Iesse stirps regalis	200
Ave Iesse virgula	201
Ave Iesu Christi suavis	56
Ave Iesu clemens pie	57
Ave Iesu mi benigne	56
Ave Iesu gloriose	60
Ave Iesu mihi care	58
Ave Iesu nostra vita	58
Ave Iesu panis vitae	54
Ave Iesu rex caelorum	55
Ave Iesu salus vera	59
Ave Iesu spes reorum	59
Ave iubar aethereum	202
Ave lucis speculum	204
Ave lumen saeculi	82
Ave lumen veritatis	74
Ave lux fidelium	206
Ave Maria genetrix pia	207
Ave Maria nobilis	208
Ave Maria provida pia	208
Ave maris stellae custos	156
Ave maris stella	282
Ave martyr Katherina	165
Ave mater Dei ave	209
Ave mater gratiae Fons	210
Ave mater gratiae Thalamus	211
Ave mater gratiae Virgo	212
Ave mater illibata	213
Ave mater pietatis Fons	215
Ave mater pietatis Puella	218
Ave mater salvatoris	219
Ave mater unica	220

	Seite
Ave mira domina	222
Ave mitis imperatrix	224
Ave mundi imperatrix	225
Ave nardus humilis	125
Ave nostrae spes salutis	226
Ave panis angelorum	74
Ave patris camera	227
Ave per quam filius	228
Ave pia Katharina	166
Ave plena gratia	230
Ave plena gratia	230
Ave porta gloriae	278
Ave praeclarissima	231
Ave princeps verae pacis	73
Ave pudoris lilium	232
Ave puella regia	233
Ave quae per angelum	236
Ave regina beata	237
Ave regina caelorum	238
Ave rosa generosa	128
Ave rosa sine spinis Quae ab	239
Ave rosa spinis Tu quam	240
Ave rubus visionis	240
Ave salus omnium	241
Ave sancta Katharina	165
Ave sidus clarissimum	243
Ave splendor mentium	245
Ave stella matutina	245
Ave terra quae non sata	247
Ave thronus Salomonis	133
Ave trinitatis flos	134
Ave tu es paradisus	250
Ave tu per angelum	252
Ave tu sponsa regalis	254
Ave tu virgo Maria	254
Ave vena veniae	277
Ave venerabilis	255
Ave verbum incarnatum	73
Ave verbum summi patris	72
Ave virginum regina	255
Ave virgo domina	256
Ave virgo dulcissima	257
Ave virgo gloriosa	259
Ave virgo Katherina	164
Ave virgo nobilis	261
Ave virgo regina gloriae	263
Ave virgo stella maris	98
Ave virgo virginum Ave	265
Ave virgo virginum Digne	267
Ave virgo virginum Flos	268
Ave virgo virginum Mater	270
Ave virgo virginum Mater	283
Ave virgo virginum Quae	270
Ave virgo virginum Spes	273
Beata matris gaudia	117
Beata plena gratia	282
Beata plebs angelica	144
Benedicta conceptio	94
Benedictus opifex	148
Bethaniam Dominus	169
Caelestis rex Ierusalem	23
Caelestium rex agminum	12
Caelum ac terra gaudeat	22
Candente sole gratiae	28
Castitatis lilium	167
Chori novum angelici	88
Christe per tua vincula	177
Christus iam captus vinctus est	42
Christus pro nobis hostia	43
Cives superna curiae	144
Collaudemus universi	126
Consolatrix pauperum	44
Corporis mysterium	29
Corpus tuum deificum	83
Crucis apparet hostia	151
Crucis arbor eximia	151
Crucis arma fulgentia	150
Crucis magnum mysterium	151
Crucis signum Tau litera	151
Crucis ut ad supplicia	150
Crucis verbum proponitur	150
Crucis vox hunc adloquitur	150
Crudele concambium	35
Cur diem inutiliter	62
Cursu celeri transeunt	43
Data mortis sententia	46
De cruce deponitur	38
De cruce deponitur	36
Deitatis paternitas	173
De spinarum aculeis	81
Deus aeternae gloriae	176
Deus de nullo veniens	11
Deus qui primum hominem	123
Devotis te concentibus	175
Diei ad diluculum	45
Dulce lilium vernale	110
Dum Christi mater inclita	103
Dum medium silentium	152
Dum solaris eclipsatur	155
Effere dignis laudibus	25
Eia mea labia	93
Emanuel sepultus est	44

	Seite
En sol privatur lumine	43
Est orta lux de tenebris	162
Fit porta caeli patula	82
Fit porta nosta hodie	110
Flagellis dire caesus est	31
Flectit genu contristatur	40
Fletus longaevi rex regum	96
Fons vitalis caritas	14
Fratres hic attendite	28
Gaudeamus cum gaudio	113
Gaudeamus ergo vere	112
Gaudeamus et interum	112
Gaudeamus in Domino	112
Gaudeamus iucundanter	113
Gaudeamus modo satis	113
Gaudeamus praeclare	113
Gaude aurora saeculi	131
Gaude clemens Katharina	158
Gaude columna gemmea	134
Gaude Deus te suscepit	119
Gaude die quadrageno	121
Gaude dulcis Katharina	159
Gaude felix Katharina	161
Gaude grata Katharina	160
Gaude mater cum parvulo	116
Gaude mater in gaudiis	115
Gaude mater in gaudio	117
Gaude mater tibi soli	120
Gaude matrona caelica	136
Gaude mitis Katharina	160
Gaude nam ex tuo vultu	121
Gaude nostra Hierusalem	132
Gaude pia Katharina	159
Gaude plena veritatis	133
Gaude precor gaude	136
Gaude primum o Maria	118
Gaude quod in templo natum	120
Gaude regina gloriae	116
Gaude virgo egregia	131
Gaude virgo Ioseph viro	118
Gaude virgo Katharina	158
Gaude virgo perpetua	137
Gaude virgo principalis	128
Genitor ineffabilis	12
Gertrudis virgo nobilis	151
Gloria tibi Domine Qui cum	49
Gloria tibi Domine Qui iam	49
Gloria tibi Domine Qui nonae	49
Gloria tibi Domine Qui primae	47
Gloria tibi Domine Qui sextae	48
Gloria tibi Domine Qui tertiae	48
Gloria tibi Domine Qui tuo	47
Gratulemur nisu toto	82
Haec est dies laetitiae	24
Heu Maria videt natum	125
Heu misera condicio	61
Hic patet in praesaepio	90
Hora completoriali	72
Hora completorii Corpus	39
Hora completorii Iesus	36
Hora iam ecce tertia	44
Hora iam quasi tertia	43
Hora matutina	113
Hora nona Dominus Cuncta	38
Hora nona Dominus Relinqui	36
Hora nona o rex caeli	70
Hora prima Dominus	35
Hora prima pertrahunt	38
Hora prima properat	168
Hora prima tamquam latro	69
Hora sexta denudatus	70
Hora sexta Dominum	36
Hora sexta Dominus	38
Hora sexta veniente	67
Hora tertia ligaris	69
Hora tertia praelatum	66
Iam dies esse praeterit	64
Iam illuxit divinitus	85
Iam lucis mundi conditor	81
Iam lucis orto sidere Bapt	67
Iam lucis orto sidere Deum	27
Iam lucis orto sidere Largitor	176
Iam lucis orto sidere Quo	61
Iam lucis perit claritas	108
Iam placenti cunctae genti	155
Iam post solis occubitum	90
Iesu bone Dei nate	52
Iesu bone facto mane	51
Iesu bone fili Dei	51
Iesu bone foras urbe	52
Iesu bone formidantes	54
Iesu bone horae nonae	53
Iesu bone hora sexta	52
Iesu bone qui attente	53
Iesu fons dulcedinis	77
Iesum asinus portavit	19
Iesum Christum adoremus	65
Iesu piorum caritas	175
Iesu redemptor saeculi	177
Iesu rex regum omnium	175
Iesus ad praetorium	75
Iesus Christus humanatus	39

	Seite
Iesus completorii	76
Iesus donat Dominus	30
Iesus eremo moratus	18
Iesus felix remeavit	22
Iesus hora tertia	38
Iesus morti traditur	75
Iesus nocte pauper natus	18
Iesus nudatur vestibus	45
Iesus orans intime	74
Iesus patres visitavit	21
Iesus patri caelico	76
Iesus punctus a corona	67
Iesus traditus ligatur	20
Iesus tribunalibus	75
Imperialis domina	100
In cruce tendens brachia	31
In diei complemento	68
Infans Iesu pulcherrime	23
Inter flores paradisi	155
Laudandus est Dominus	87
Laus angelorum inclita	88
Laus sit Christo qui proditur	41
Lux mundi sol iustitiae	45
Lux surge nobis aurea	14
Magdalena vigilat	168
Mare magnum tu fuisti	170
Maria candens lilium	122
Maria dum conspicit	169
Mariae natus unicus	91
Maria stirps egregia	126
Maris stellae Christi cellae	128
Mater sapientiae rosa	99
Matris cor virgineum	106
Matutino tempore Barbora	146
Matutino tempore Deus	38
Matutino tempore Mariae	104
Memento sancta trinitas	12
Missus est de caelestibus	295
Morte dum vides ortum	97
Nascitur mundo verbum	97
Nec carmen nec titulus	274
Ne uramur incendio	89
Nobis cibus salvificus	28
Nobis sancti spiritus gratia	15
Nostrae salutis hostia	32
Nostrae salutis hostia	46
Novum salutis gaudium	115
Nunc infunde te incunde	155
Nunc rimante spiritu	85
Nunc sancte nobis omnibus	109
Nunc sancte nobis spiritus Devotionis	14
Nunc sancte nobis spiritus Unum	153
Nunc sanctus pater omnium	82
Nunc tempus adest gratiae	24
Nunc veni sancte spiritus	176
O angeli fortissimi	89
O anima mirifica	26
O beata perturbata	108
O caeli viola solio dignissima	138
O Christe sponsus virginum	84
O Christi felix anima	25
O consolatrix omnium	127
O descendens rex gloriae	24
O Deus sancta trinitas	12
O diei diluculum	31
O dies venerabilis	83
O dominator dominans	83
O floridum tu lectulum	25
O fragiles accedite	27
O Francisce contemplator	149
O lux misericordiae	30
O Maria mater Christi	108
O Maria mundi salus	288
O maria stella maris	109
O martyres sanctissimi	145
O mens excedens aciem	26
O Michael dux inclite	88
O mira Dei bonitas	62
Omnes caelestes ordines	87
Omnes prudentes virgines	145
O Perchtolde pater care	172
O praeclare pater care	172
O regina caelestina	277
O regnans alto cardine	24
O rea summae maiestatis	68
O rea virtutum Domine	83
O salutaris anima	25
O Seraphim ignivoma	87
O splendor patris unice	83
O sponsa celeberrima	144
O stupor incognitus	63
O sufse lilge meilicher blut	111
O trinae splendor gloriae	23
O tu summa benignitas	84
O verbo nubens anima	26
O vitae fons dulcissime	31
O viri apostolici	145
O viva caeli sidera	88
Pater Iesum generavit	17
Patris sapientia Christus	35
Patris sapientia Iesus	171
Patris sapientia Veritas	32
Patrone fidelissime	88

	Seite
Pendens in cruce Dominus . .	46
Pergentibus ad patriam	89
Per signum pacis traderis . . .	31
Pharisaeus gestiens	169
Post cursum tandem temporis .	32
Post cursum tandem temporis .	47
Potens rector et protector . . .	156
Pro defunctorum requie	175
Puerum vatem habentem . . .	97
Quas ore laudes offeram	63
Quem Chaldaeorum proceres . .	91
Quicumque vult animam. . . .	9
Quicumque vult animam. . . .	10
Recessis noctis tenebris	42
Recolamus mente pura	65
Recolamus sedulo.	37
Recordare o Maria	289
Rector potens qui cordium. . .	14
Rector potens tu aspice	109
Rector potens verax Deus Qui .	153
Rector potens verax Deus Se .	82
Rector potens viventium. . . .	177
Rector potentissimus	85
Regale sacerdotium	145
Reginae caeli e domo	98
Regina nobilissima	290
Rerum causa efficiens	14
Rerum Deus aculeis.	82
Rerum Deus factor meus . . .	156
Rerum Deus inclite	86
Rerum Deus omnium	177
Rerum Deus piissime	109
Rerum Deus tenax vigor . . .	154
Sacerdotes prima hora	66
Salutem mundo tribuere. . . .	96
Salve arca foederis	93
Salve dies sanctitatis	86
Salve Iesu dulcissime	23
Salve horologium	94
Salve mater nostra pia	293
Salve mundi domina	93
Salve mundi recreamen	124
Salve nox sacratissima	84

	Seite
Salve rosa paradisi	125
Salve sapientiae domus	93
Salve splendor praecipue . . .	292
Salve thronus deitatis	124
Salve urbs refugii	94
Salve virgo puerpera	94
Salve virgo virginum	93
Sancta Dei genetrix	143
Semper ave dia genetrix . . .	278
Septies adveniunt	169
Sic nocte lux angelica	89
Sic pane continentiae	90
Sic tibi Deus offerat	89
Silere non valeo	278
Sol luna atque sidera.	145
Splendor paternae gloriae . . .	176
Summi sponsa creatoris	127
Superni sponsa principis. . . .	126
Surge dilecta anima.	42
Te benignum laude dignum . .	156
Te lucis ante terminum	15
Te lucis ante terminum	28
Te lucis ante terminum	154
Terminum noctis aeternus . . .	96
Trinitas lumen luminum. . . .	11
Trinitas salus omnium	11
Tu castitatis lilium	127
Tu qui es notitia	92
Tu quondam per angelum . . .	280
Ut homo resurgeret.	36
Vale caeli symphonia	125
Veneremur consecratum	27
Veni creator spiritus Barbarae .	147
Venis creator spiritus Et in . .	189
Veni creator spiritus Praecordiorum	181
Veni pater orphanorum	15
Verbum caro effugatur.	91
Vesper erat iam diei	67
Vespertina oratio	90
Vespertina tandem hora	71
Virgo sancta Katharina	157
Vox clara ecce intonat	154

Nachträge und Berichtigungen.

S. 62. Ad Tert. 1, 3 lies redituram statt redditurum.

S. 67. Ad Non. 1, 1 lies Iesus statt Iesu.

S. 70. Ad Non. 3 lies dereliquisset statt derelinquisset.

S. 94. Ad Non. 1, 2 u. f. ist zu interpungieren: turrisque munita David, propugnaculis.

S. 167. Die Nr. 73 findet sich auch in Orat. ms. Cremifanense saec. 15. Cod. Cremifanen. 398. Str. 8 fehlt auch hier. Schlufsbemerkung: Expliciunt septem horae diurnae passionis sanctae Katharinae, virginis ac martyris, factae et dictatae per sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum, dominum Urbanum, divina providentia papam quintum piae memoriae. Qui confirmavit praedictas horas literis suis apostolicis et concessit omnibus et singulis has horas dicentibus devote pro qualibet harum horarum annum unum indulgentiarum.

S. 240. Die Nr. 126 findet sich auch in Orat. ms. Lunaelacense anni 1524. Cod. Cremifanen. 412. [G] und Orat. ms. Augustinum saec. 15. Cod. Cremifanen. 413. [H]. Lesarten: 1, 1 Spina H. — 1, 2 divina H. — 1, 4 praeservavit H. — 2, 2 Tuo nato GH. — 2, 4 cunctis datis GH. — 4, 2 Verbo vitae caro G. — 4, 4 vas amoris G. — 5, 4 Super omnem creaturam G. — 6, 2 nos dona semper GH. — 6, 3 Per praegustum hic GH. — Str. 7 fehlt H. — 7, 1 Iesus Christus Amen hunc salutis censum G. — 7, 3 Corde tuo sume pia G. — H hat die Bemerkung wie BD.

S. 280. Die Nr. 156 ist abgesehen von dem veränderten Anfange und den Lesarten identisch mit Nr. 136.

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. Altenburg.